BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
2 N
25

7

12
2
5
9

Digitized by Google

# IACOBI HOLLE-RII STEMPANI, MEDICI PARISIENSIS CELEBERRIMI,

## in Aphoriſmos Hippocratis Commentarij Septem.

*Recens per* IOAN. LIEBAVTIVM, *Diuionenſem Pariſienſem Medicum in lucem editi: eiuſdemque Scholiis doctiſſimis illuſtrati.*

Ad Clariſſimum virum MARCVM MIRONEM, Henrici III. Galliarum & Poloniæ Regis Chriſtianiſſimi, Archiatrum.

PARISIIS,
Apud Iacobũ du Puys, ſub ſigno Samaritanæ è regione collegij Cameracencis.

1582.

*Auec priuilege du Roy.*

Digitized by Google

12-2-N-25 2

# MARCO MIRONI VIRO CLARISSIMO *Henrici III. Galliarum & Poloniæ Regis Chriſtianiſſimi, Archiatro.*

Ioannes Liebautius, Diuionenſis, Pariſienſis Medicus. S.

C*ONSTAT, vir Clariſsime, diuinam eſſe, & vnã ex omnibus artibus à Deo procreatam Medicinam: Quippe cuius ſingulari beneficio arcanas rerum naturas & cauſas abditas cognoſcimus, ſi-na deprehendimus, futuros morborum euentus multò nte proſpicimus, ſanitatem conſeruamus, morbos pro-ligamus, ac animam penè è corpore fugientem non lum retinemus, ſed & plærunque velut ab Orco re-ocamus. Cauſas verò rerum noſſe & futura præſagi-, quidpiam eſt homine maius: ſed vitam conſeruare que reſtituere, munus Deo planè proximum. Huius tem artis tam excellentis, poſt Deum, parens alter ex-tit diuinus Hippocrates. Quamuis enim ante eius*

*tempora, Æſculapium medicinæ inuentorem agnoſceret antiquitas, artem tamen medicam ſuis temporibus fermè ſepultam, aut ſaltem incultam, nullaque methodo diſpoſitam, diuinis planè ſcriptis tantopere & exornauit & amplificauit Hippocrates, vt ſub eo primùm nata mediciña videatur: Nondum enim certis diſciplinæ & artis legibus Medicina conſtabat, non ex Theorematis & præceptionibus tum veris & vtilibus, tum mutuo inter ſe connexu hærentibus erat conſtituta, ſed ſparſa quædam &* ἄτακτα *erant Medicinæ rudimenta, quæ potius* ἀτεχνίαν, *quam vllum artis veſtigium oſtendebant. Quibus ſummus ille Hippocrates ſplendorem & ornamentum attulit, ſparſa colligens, obſcura illuſtrans, inculta perpoliens, confuſa certo ordine diſtinguens: multa ex philoſophorum ſpatiis repetens, quæ ad rem medicam pertinebant: nonnulla breuibus & conciſis ſententiis (quas ille Aphoriſmos appellat) definiens: permulta vero particularibus experimentis obſeruans, ex quibus ad vniuerſalium certiorem cognitionem nos deduxit, quod ille libris* ἐπιδημιῶν *luculenter & cumulatè deſcripſit. Hac ſane methodo, rudi & adhuc naſcenti Medicinæ maximum præbuit incrementum, omniumque rerum, quæ in ampliſſimis illius campis tractantur, ſeminaria nobis reliquit Hippocrates, tanquam bonus agricola. At, vt ille fuit* βραχύλογος, καὶ κατὰ φράσιν πνόμενος. ὅλος τοῖς ἐνθυμήμασι πυκνῶν καὶ εὐπορῶν. *Et quod olim de Menelao luculenter Homerus, id ego de Hippocrate non minus verè poſ-*

ſum dicere, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως Quam methodum ab illo magno Hippocrate omnium nobis bonorum authore, prudenter ac doctè cœptam, diuino vir ingenio Galenus perfecit, eandẽ tam exactè tam ſedulò ac cumulatè excoluit, vt illi maximam lucem attulerit. Vt enim Apelles Veneris corpus, & ſumma pectoris politiſsima arte perfecit, reliquam corporis partem incoatam reliquit: Sic magnus ille Hippocrates in Medicinæ principiis ac Elementis ceu capite inſigniter, elaborauit, reliquum eius tanquam corpus imperfectũ & rude reliquit: Quinetiam, cum ob dicendi breuitatem multis obſcuritatibus eſſent implicatæ Hip. ſententiæ, dilucida oratione Galeni, ita ſunt à tenebris & caligine explicatæ, vt, quæ ante illius tempora, tanquam ænigmata Scotãna latebant, nunc facilè omnibus innoteſcant. Addidit & nonnulla Galenus, quæ Hippocrates intacta reliquit: Neque enim tam malè de poſteris merita eſt natura, vt illis omnẽ cogitãdi & inueniendi cauſam præripuerit. Permulta ſunt à veteribus præclarè inuẽta quibus nõnulla feliciter addidit poſteritas. Pulſuum nomen ſolum apud Hip. inuenies, illorum autem naturam & facultatem tum in ſanis tum in ægrotis plenè & copioſè, Galenus eſt perſecutus. Fernellius et Hollerius, medicorum omnium qui ab Hip. & Galeno claruerũt, facilè principes, multa ſummo iudicio excogitarunt, plura, prudenter & accuratè ſunt commenti, plurima, quæ occulta, abſtruſa ac ſecreta, priſcis temporibus in medendo extiterant, in ſplendidiſsimam lucem protulerunt.

*Arte igitur medica, diuino Hippocratis ingenio conſtituta, Galeni diligentia aucta & amplificata Fernellij & Hollerij ſingulari doctrina & acri iudicio abſoluta, ac in fauſtum ac felicem vſum perducta, deſierant, me Hercule, annis ſuperioribus in medicos probra illa cadere, quæ Plinius in ſuæ tempeſtatis imperitos propè omnes Logiatros, Themiſones, Theſſalos, ore pluſquam tragico euomit & iaculatur: quòd tunc temporis, nulla ambitio, nulla arrogantia, nulla oſtentatio, nulla temeritas, nulla* φιλαυτία, *ſed docta, ſagax ſapiens, & modeſta in medendo adhiberetur exercitatio. Hiſce vero noſtris tempeſtatibus, iam incipiūt quærelæ contumeliæ ac ſcommata Plinij palam in medicos renouari: non ſanè, ob vllam eorum medicorum culpam, qui natura prudentes & in Hippocratica methodo probè exercitati Medicinam faciunt: ſed, ob non nullos ipſo Themiſone & Theſſalo longè indoctiores Empiricos, qui in noſtra Gallia, potiſſimum in hac ciuitate omnium quæ ſub cœlo ſunt florentiſſima, nulla vtili rerum ad benè medendum cognitione inſtructi, nulla corporum, humorum, temporum, aliarumque circumſtantiarum occaſione ducti, ſed inani, vana, nullaque ratione ſtabili firmata experientia pellecti vel potius perciti, medicinam factitant: Ob nonnullos etiam circumforaneos ſycophantas, nebulones, homunciones ac impoſtores ſceleratiſſimos, qui falsò ſe medicos non ſolum apud rudem plebeculam ſed & ma-*

*gnates profitentur, titulo quodam ſecretorum, ſi Dijs placet, quæ inuſitato ac planè inſolenti elaborata artificio mirificè iactitant: Quique nouo ac prioribus ſæculis inaudito dogmatis genere inuecto, Hippocraticæ doctrinæ principia, elementa ac Theoremata penitus ſubuertunt: remediaque medica, quæ tot ſæculis, infinitis pene hominum millibus ſaluti fuerunt, non citra humani generis perniciem explodere ac deturbare contendunt. Hi ſunt, mihi crede, in quorum mendacio peccatum eſt maximum: Hi ſunt, qui diſcunt Medicinam facere periculis ægrorum, & per horum mortes agunt experimenta: Hi ſunt, quibus occidiſſe hominem ſumma eſt impunitas. Hi ſunt, quorum inſcitiam capitalem nulla lex adhuc puniuit, & quorum vindictæ ac animaduerſionis nullum adhuc extat exemplum, vt pulchrè pariter ac verè à Plinio dictum eſt. At verò, hæc diuina ſcientia, penes quem eſt vitæ & necis cuiuſque poteſtas, non vſque adeò temere exercenda, ac in vſum reuocanda venit: nec ſunt eius remedia, quæ alioquin ſalutaria deorumque manus vocauit Heróphylus, ita inconſultè polluenda, aut in perniciem hominum proſtituenda: multòque minus innouanda, quocunque artificio ea elaborata fuerint, niſi prius ad cenſuram Hippocraticam ſubducta fuerint: & niſi, à medico naturâ prudente & in rationali methodo diu multumque verſato, magna cautione, & quod prius dicere debui pietate ac religione vſurpentur. Remedia*

*etenim, licet per ſe ſalutem aut morbos non efficiant, ſalutaria tamen vix, ac ne vix quidem eſſe poſſunt, quin potius deleteria, ſi à ſtolidis, impiis ac imperitis medendi artificibus exhibeantur. Horum hominum imposturam, temeritatem, oſtentationem ac impudentiam cohibe ſi placet* Archiatre clariſſime *penes quẽ vnum domandæ iſtiuſmodi inſcitiæ integra ſtat poteſtas: nec patere, q[illegible] pro ea authoritate ac gratia quâ vales apud Regem, vt cuiquam ſe medicum falſo profitenti, Medicinam facere in hac ciuitate legibus benè conſtituta, aut vſpiam Galliæ liceat, qui non ſpecimine aliquo edito, doctioribus medicis legitimam eruditionem ſuam teſtatiſsimam effecerit, quod cæteris artificibus vbique video ſolemne: Quandoquidem in benè morata beneque conſtituta ciuitate, nemini non Ephippiario, non Cerdoni, non viliſsimo cuique miniſtro ac artifici ſordidiſsimo, artem ſuam exercere licet, cuius ſpecimen aliquod non ediderit quod primoribus in arte illa viris ſatisfaciat. Chirurgi, Tonſores, partem Medicinæ facillimam profeſsi, multis ſe operibus probant, priuſquam vlcera, tumores & morbos alios externos & viſui perſpicuos tractent. Pharmacopœi medicorum miniſtri induſtriam ſuam artificibus ſuis principibus, opere vario ſed præcipuo ac ſingulari comprobant. An Medicus, penes quem eſt vitæ ac necis poteſtas, cui ſe ſuaque omnia ægri committunt, ad Medicinam in vrbibus faciendam,*

recipietur, ſimulatque barba, aut mula phalerata, aut veſtium cultu ſplendidiore, aut magno corporis faſtu, aut perfrictæ frontis impudentia, aut remediorum multorum ac magnorum iactantia, aut lingua paulò expeditiore vocibus Hyſpanicis aut Italicis aut Anglicis aut ſemigræculis plena, aut denique ſolo ipſo nomine Medicum ſe prodiderit. Pluris ne nobis facienda ſunt Ephippium, Calceus, & cætera artificium etiam viliſsimorum opuſcula, corpori tutando ſolum vtilia, quàm corpus ipſum, atque adeo ipſius corporis ſanitas, qua homini nihil charius eſſe in vita aut debet aut poteſt? In Montepeſſulano antiquiſsimo ac celeberrimo medecinæ Emporio, ſi quis horum nebulonum ſe medicum mentiatur, mox raptus in aſinum ſtrigoſum, & ſi inuenitur, ſcabidum ſublimis tollitur, auerſus tota vrbe circunducitur, ſcommatis vndique inceſsitur, conſpuitur, pulſatur, laceratur, ſordibus omnis generis conſpurcatur, ceu olim ſacra illa Maſsilienſium victima: poſtremò expiata vrbe eiicitur, illuc nunquam rediturus, niſi malo ſuo maximo. Vtinam legibus nobis idem liceret in hac omniũ quæ ſub cœlo ſunt, & Academia & ciuitate florentiſsima: non eſſet cur, hiſce miſerrimis temporibus, ampliſsimus ac ſaluberrimus medicorum ordo, tot libellis ſupplicibus Deum ac homines obtunderet: tam frequenter ſuam cauſam in ſenatu fruſtrà ageret: non eſſet, cur tot bonis ciuibus viduata lugeret Gallica reſpublica, quos nulla ratione

*perfecta, ſed fortuitò tentata iſtorum impoſtorum curatio ſuſtulit & tollet niſi tu, Archiatre, Archiatrorum clariſſimorum filius clariſſimus in ſceleratam eorum audaciam propediem animaduertas. Quod ſi facias, non modo Medicinæ medicorumque amplitudini ſuum decus reſtitues, ſed & communi omnium hominum vtilitati ac ſaluti plurimum conſules.*

*Ecce autem, tam celebris illius Hippocraticæ diſciplinæ, tot ſæculis, annorumque myriadibus felici experientia comparatæ & cum ſumma humani generis ſalute millies ac millies in vſum fauſtum reuocatæ, ſpecimen non vulgare adfero. Scripſit Hippocrates præcipua quædam medecinæ factiuæ Theoremata, quæ Aphoriſmos nuncupauit, breuia quidem illa, ſed tamen ita obſcura, vt non modò Galeni, ſed & aliorum illuſtrium medicorum enarratione opus habuerint, Hollerius medicorum noſtræ ætatis decus alterum, cemmentationes doctiſſimas in eos Aphoriſmos priuatis publiciſque ſtudiis excogitatas, propriiſque manibus ſcriptas, ſuis auditoribus olim tradidit. Harum exemplar terſiſſimum, accuratiſſimè recognitum ac emendatum, eruditiſſimus ille Regis & Reginæ medicus Dominus Alexis Gaudinus, eiuſdem Hollerij quondam diligentiſſimus ac familiariſſimus auditor, mihi, quem unicè diligebat, menſes aliquot antequam moreretur, dono dedit, ea fide, vt quoniam illi non licebat per aulicas occupationes illud in lucem edere, Typogra-*

*pho cuidam amico excudendum traderem. Tanto viro mihique multis nominibus obſeruando nil prius aut maius habui quàm fidem datam abſoluere. Proinde commentationibus illis excudendis quantum temporis à priuatis publiciſque negociis ſuffurari potui, totum impendi: illiſque, ſcholia in eoſdem Aphoriſmos non omninò contemnenda adiunxi, quæ non ex meo vnius peculio, ſed ex doctiſsimis eruditiſsimi Domini Dureti mei præceptoris obſeruãdiſsimi prælectionibus, potiſsimum in libros quatuor priores, aliqua ex parte cõtexui: Nolim enim per quem tantũ virum in arte medica plurimũ profeci celare, eique maximã non habere gratiam. Totũ iſtud opus, Archiatre clariſsimè, qualecunque ſit, & Hollerij, & meũ tibi, medicorũ totius Europæ Coryphæo, offero: Tibi, ob inſignem in medẽdo felicitatem fidem, integritatem, & doctrinam primario Regis medico, voueo: vt, tuis auſpiciis fauſtoque ac felici numine Commentationes Hollerij in Aphoriſmos Hippocratis iampridem à Gallis exteriſque populis expetitæ prodeant in lucem, quæ magno rei medicæ detrimento hactenus delituerunt. Tu vero, vir omnium hominum humaniſsime, omnique virtutum genere cumulatiſsime, Hollerium quondam tui amantiſsimum hoc opere velut reuiuiſcentem amplecti non grauaberis ſi placet & tui Liebautij, qui te amare, colere, tuamque celſitudinem admirari venerari, ſuſpicere non deſinit, meminiſſe dignaberis, Vale diutiſsimè ac feliciter. Calẽdis Sextilibus. 1582.*

## NICOLAVS MILLAVT REGIVS MEDICVS AD IOANnem Liebautium ornatiſſimum Medicum.

*Hippocratis mentem melius qui nouerit haud*
*eſt*
HOLLERIO *: iactet Græcus, Arabſque*
*ſuos.*
*Cuius ſcripta adfert magno diſpoſta labore*
*Magnus debetur cui,* LIEBAVTVS*, honos.*
*Non minor eſt virtus, quàm ſcribere, ſcripta*
*tueri,*
*Quæque latent vitæ reddere perpetuæ.*

## HENRICVS BLACVODÆVS SCOTVS, DOCTOR MEDICVS ad Ioannem Liebautium Medicum clariſſimum.

*Attulerat lucem Hippocrates, nec cognita vulgi*
*Senſibus addiderat multo vigilata labore*
*Plurima, tunc alter Podalyrius arte medendi*
*HOLLERIVS: verum, lucem qui præbuit ipſi*
*Hippocrati, multis annis iam lumine caſſus,*
*Informique ſitu turpis, carieque iacebat*
*Exeſus, nec adhuc frueretur luce, ſitumve*
*Diſcuteret veterem, putris rugamque ſenectæ*
*Exueret, tua ni, LIEBAVTI, dextra tuliſſet*
*Auxilium miſero, ſuperaſque reſurgere in auras*
*Iuſsiſſet reducem: nam, ceu tu morbida membra*
*Faucibus ex Erebi reuocas, contraque ſorores*
*Lanificas pugnans, facis irrita fila ſororum:*
*Sic fœdum duxiſti, illum non reddere vitæ,*
*Lanificas tecum, qui bella ſororibus ante*
*Sæpius intulerat, tecum comes ibat in arma,*
*Ergo, quod exoluit Comiti Tyrinthius Heros,*
*Tartarei qui colla canis tria preſſerat, Orco*

*Theſea vt eriperet charum: Medæa quod olim*
*Præſtitit, effœtis ſocer vt reuireſceret annis,*
*Manibus Hollerij hoc præſtas, vmbriſque ſepultis:*
*Qui facis ob dulcem patriæ communis amorem,*
*Purior vt multò caput exerat, atque vetuſtis*
*Purgatis mendis, nec non magè terſus ab omni*
*Parte, neque aſperſus macula, nec labe notatus.*
*Ergo age, teque diu patriæ da viuere, qui das*
*Hippocrati, Hollerio, atque alijs, bis viuere poſſe.*

## AD IANVM LIEBAVTIVM.

Dum tua, Dureti, Hollerij, rediuiua reponis
Dictata, è tenebris eruis Hippocratem.
Sic quatuor Phœbi præclaros reddis alumnos,
Longæuaque facis poſteritate frui.

N. Ellain. Doctor Medicus.

# EXTRAIT DV PRIVILEGE
## DV ROY.

LE Roy par ces lettres patentes donnees à Paris le huictieſme Decembre, Mil cinq cens octante vn ſignee Habert, a permis à Iaques du Puys, marchant Libraire iuré en l'Vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer par qui bon luy ſemblera, vn liure intitulé, *Iacobi Hollerij ſtempani, Medici Pariſienſis celeberrimi, In Aphoriſmos Hippocratis commentarij ſeptem. Nouis Ioannis Liebautij Doct. Medici Scholiis illuſtrati.* Et defenſes à tous autres Libraires & Imprimeurs d'en imprimer n'y faire imprimer, vendre ny diſtribuer autres que ceux que ledit du Puys aura faict imprimer pendant le temps de dix ans, en peine de confiſcation deſdits liures & d'amende arbitraire comme plus à plain eſt contenu & declaré auſdites lettres.

Donnees à Paris le iour & an que deſſus.

*INDEX EORVM QVÆ CONTINENTUR in hoc opere. Prior numerus folium, alter paginam ſignificat.*

## A


ABdominis craſſitudo commendatur in morbis 94.b
Abortus futuri quænam iudicia 303.a
Abortus cauſæ 132.b 133.a
Abortus cauſæ. Abortus à miſſione ſanguinis. 281.a
Aeris ſtatus frigidus abortum facit 132.b
Acetabula lentoris plena faciunt abortum 194.a b
Acutus morbus quis 10.b
quotuplex. 11.b
Acuti morbi duplices 78.a
Acuti morbi in quot dies iudicentur 77.a 78.a.b
Acuti morbi iudicātur per excretionem 199.b
Acutorũ morborũ ſimpliciter terminus duplex 431.a
Acutorum morborum ſimpliciter terminus eſt 14. dies 431.b
in Acutis morbis raro purgandum cur 45
in morborum Acutorũ principiis cur nil mouẽdum 87.a.b
in Acutis duo tempora purgationis 175.b
Adoleſcentes melius ſe habent initio æſtatis. 141 a.b
eris ſiccitas tribus ex cauſis pendet aeris ardorem frigoris pluuiarum inopia 122.b
Aeſculapij imago in templo depicta qualis 1.b
Æſtatis nomen multiplex eſt 169.ab
Æſtas quomodo à Medicis ſumitur 35.b & quo tempore incipiat 396.a
Æſtate cur cibi difficilimè feruntur 35.b
Ætas declinans. 160.a. b
Æthiopes cur à febre continua licet cognata ſuæ naturæ moriantur. 92.b
Agaricus turbatur humorum initio morbi. 47.a
Alimentorum duplex familiaritas cum noſtris corporibus 96.b
Alphos quid : eius ſpecies 144.a

Aluum multos dies fluere bonum 341.b
Alui fluxus in morbo diuturno 466.b
Aluus dura vnde 72.b.73.a.b
Alui cur fiũt duræ tẽpore frigido 111.b
Aluos duras habent qui femoralia non geſtant 221.b
Aluus molis vnde 77.b.72.a.b
Amphidexios quis dicatur 436 a.à quibus cauſis ibid.
Amygdalagala 14.a. vnde fit eius vires 14.b
cur mouendum in ſtatu & declinatione morborum Acutorum 87.a.b
Angina quid: eius ſpecies eiuſque cauſæ 367.ab
Angina: eius ſpecies 145.a
Angina quid: quarum partium affectus: eius ſpecies: quæ magis aut minus lethales 443.a. b.444.b
Angina quid: quæ magis aut minus periculoſa 258.b 259.a.b
Angina latens 196.a.b
Angina duplex, vna æſtiua, altera hyberna 138.a.147.b
Angina conuerſa in peripneumoniam 259.a b
Anxietudo quid: eius cauſa 452.a b.453.a.b.
Aphoriſmus quid, vnde dictus, quæ eius proprietates 2.a
Αφωνα quid 455.a.b
Αφωνα ſymptoma inſigne ſubſequẽs ad cerebrum vulneratum aut conquaſſatum 454.a.b.455.a.b
Aphtæ 151,a.b
Απόςασις quid 390.a
Απόςασις in oſſe quid ſignificet apud hip. 461.a
Απόςασις quid ſignificet apud hipp. 216.a.b
Απόσκημμα quid 390.a
Απόςημα quid ſignificet apud Hippo. 216.a
Apoplexiæ nomen non tantum ad apoplexiam propriè dictam, ſed ad paralyſim & reſolutionem alicuius partis extenditur 43.a
Apoplexia, quid: eius cauſæ: duplex vehemens & debilis 102.a.b.101.a.102 a.13.
Apoplexia quid: eius cauſæ 391.a.b
Apoplexia vnde fit 150.b 163. a
Apoplexia morbus ſenilis 391 a.b
Apoplexia à nimio vini potu 253.a.b
Apoplexiam debilem febris ſoluit 102.b
Apoplexiam debilem hæmorrhoides ſoluũt 102.b
Appetentia vnde excitatur & qua in parte 182 a.b
Appetentia decoctavnde 206.a

Αφωνος quid apud hip. 253. a.b.385.a.b
206.a
alor impedit Appetentiã 72.b
Aqua quænam optima cenſenda 275.a b
Aquarum differentiæ 75 275.a b
Aquæ puteales 275.b
Aquæ pluuiæ 275.b
Aquæ ciſternarum 275.b 276.a
Aquæ fluuiales 276.a
Aquæ fontanæ 276.a
Aquæ glaciales aut niuoſæ ſtrumas excitant ſiquis illis vtatur 273.b
Aqua ſequanæ, qualis 273.b
Aqua ſequanæ quia mollis & moſa Aluum laxat 273.b & quos affectus pariat.
Aquæ ſequanæ vſus 273.b
Aqua qua vi temperat vinum 452.b 453.a b
Aqua mixta vino quid efficiat in vino 453.a b
Aquæ nomine tres humores continentur apud Hippocratem 335.a
Aquilo, quis ventus: 121.ab
Aquilonia conſtitutio, quid efficiat & quos morbos pariat 119.a 120. a. b. 121. a. b. 122. a. 139. b. 140. b
Ars quid 3.a
Arteriarum vulnera 347.b
Arthritici dolores mouentur vere & Autumno 389. a b
Aſperæ arteriæ vulnera 348.a
Aſthmata in pueris 154 b
Atrophia vt differat à cachexia & tabe 412.b
Auditus graues, vnde 163.b
Aures frigidæ 470.b
Aures, pellucidæ 470.b
Aures contractæ 471.
Aurium humiditates 152.a.b
Auſtrica conſtitutio quos morbos pariat 119.b.120.a.b 121. a.b. 122. a. b. 139.b, 140. a.b
Auſter, quis ventus: auſter duplex 119.b.120.a
Auſtri, alij maritimi alij ſeptemtrionales, alij occidentales 120.a.b
Auſtri replent cerebrum cur, 120.b
Auſtri viſum obſcurant 120 b
Autumnus inæqualis cur: vnde Autumni inæqualitas 128.a
Autumnus, frigidus eſt & ſiccus 126.b
Autumni initium apud Medicos 35a
Autumno cur cibi difficillimè feruntur 31.b
Autumnus tabidis malus 128 b
Autumnus, morboſiſſimus 126. b.127.a b

B.

BAlbuties quid :& eius cauſæ, ac differentiæ 363 a.b
Balneum calidum effœminat. 264. a
Balneum calidum neruos debilitat 264.a
Balneum calidum mentem ſtupe facit. 264.a.b
Balneum calidum hæmorrhagias concitat 264.a.b
Balneum totius corporis, quibus corporis affectibus conferat 435.b
Bilioſi qui dicuntur 172.b
Bilis atraquæ : vnde gignatur 188.a
Bilis omnium februm materia 434.b 335.a
Bubon quid ſignificet 229.a
febris ex Bubone ſiue præcedat febris, ſiue ſequatur, ſiue comitetur bubonem. 220 a.b
Βόλιμος quid 74.b.75.a.b
Bullæ vnde fiunt 427.a.b. quid ſignificent 428.a.b

C.

CAchexia quid 412. b & quotuplex 163.a
Cachexia vt differat à tabe & à trophia 412.b
Cachexia phlegmatica quid 460.a
Calculi ſigna certiſſima quæ ſunt 242.a.b
Calculus cur gignitur in pueris : Cur item in ſenibus 154. b 155.a 163.a
Calculus an in veſica aut etiam in renibus gigni poſſit 242.b
Calculus non in ſola veſica aut renibus gignitur, ſed in aliis etiam partibus 242.b
Calculus in adultis fit potius in renibus : in pueris verò, in veſica 243.a
Cur calculo laborantium vrinæ tenues & albæ ſunt 243 b
Calidum inatum quid 27.b 28.a.b
Calor quoſcunque affectus frigidos ſanat 370.b 371.b
Calor quicunque ſiue naturalis ſiue præter naturam, ſoluit morbos 83.a
Calor cur multus hyeme 36.a
Calidi commoda. 268.a b. 269 a.b.270.a b
Caluities quid, & eius cauſæ, ac differentiæ 365.a
Caluis, varices non naſcũtur. 365.a
Cancer quid : eius ſpecies eiuſque cauſæ 368.a b 369.a.b
Canis ſydus 170.b.171.b
Canicula, quid 170.b.171.b

quot modis Destituitur fol. 7 X 5

Caniculares dies, qui & quot 170.b.171.a
diebus Canicularibus purgans medicamentum non inſtituendum 171.a b
Canicula vigente cur canes in rabiem agantur 171.b
Capitis lotio confert febribus non putridis aut biliofis, ſed diaris ecticis & continentibus 435.a
Capitis lotio quibus affectibus corporis, & quomodo conferat 435.a
Caput tribus in locis vulnerari poteſt 418.ab
dolores Capitis vt ſoluuntur 334.b 335.a b.
in doloribus Capitis quæ vena ſecanda 321.a b
Capitis vulnera 243 b.245.b
Καρδιόγμα ſeu cordis morſus, quid & vndè 228.b
Caro quid 456.a
Carnoſi qui 173.a
in aſſis Carnibus, cur caro oſſi propinquior melior & tenerior reliqua 376.a
Caro liuida in vulneribus aut vlceribus quid ſignificet 398.a 397.b
Cartilago ſecta vniri nequit 349.a b
Καταμηνία cur menſes dicuntur 286.a
Καταρρέοντα vlcera quæ dicuntur 373.b
Catarrhus quid. 99.b
Catharticum non niſi poſt ſæuum ſumendum 181.b
ante Cattarticum ieiunandum 182.a
ſomnus, debet præcedere non ſubſequi Catharticũ 183 a. quando etiam ſubſequi 182.a
Κεκελχίν quid 15.b
Cephalalgia. 150.a b
Cerebrum ſiccum expeditiſſimum ad ſuas functiones. 120 .b
Cerebri vulnera 383.a b.384.a
Cerebri vulnerati ſymptomata 383.a. b 384.a. 454.a.b 455.a b.
vulnerata Cerebri duo ſymptomata lethalia ſtupor & deſipientia 409.b 410 a.b
Cerebrum Concuſſum quid 454.b.455..a
Cerebri conquaſſati ſymptomata 383.a.b.384.a
Cerebri conquaſſati duo ſymptomata 409.b.410.a.b
Cerebrum ſphacelatum quid: & vnde 444. 446. a b
Chalera quid, eius cauſæ 160.b 161.a
Clangor 99.b
Clangoſa vox 99.b
Cibus ſano exhibitus virium robur: ægroto morbum auget 456.b
Cibum carpere quid 58.b
Cibus paulo deterior ſed ſuauior, eſt præferendus meliori ſed ingrato 96.b
Cibi faſtidium in morbo diu-

turno 401.a.b
Cibum non carpere quid ſignificet 206.a
Κοίλιη ſine articulo omnem cauitatem ſignificat: cum articulo ventriculum & partes ventriculo vicinas 228.a
Colli peruerſio ex œſophagi inflammatione aut ſiccitate 197.a.b
Concepti in vtero fœtus iudicio 311
Conceptionis experimentum 290.a.291.a
Concoctionum genera diu 42.a
Concoctio triplex 466.b
Conuulſio quid 249.b 122.a.b
eius ſpecies, ibidem
Conuulſio quid, quotuplex, eius cauſæ 82.a.b
Conuulſio duplex, vna quæ fit altera facta 249.b
Conuulſio nulla à ſiccitate aut frigiditate 40.b
Conuulſio an in repletione vel inanitione fiat 369.a.b
Conuulſio vt conueniat aut differat à ſingultu 369.b 370.a
Conuulſio & letanus, differunt inter ſe multis modis 408.a.b.409.a.b
Conuulſio à nimio vini potu 253.a.b
Conuulſio ab elleboro quot modis excitatur 249.a.250.a
Conuulſiones in febribus, malæ, cur 229.a.b
Conuulſio febri ſuperueniens, mala 83.a
Conuulſio febri ſuperueniens, quando mala, & periculoſa: & quando non periculoſa 83.a
Conuulſio in ardenti febre 407.b
febris Conuulſionem ſoluit: qualis & quomodo 183.a
in Conuulſione, non penitus exhauriuntur venæ, ſed deſtituūtur ſua æquabili humorum proportione 250.a
in hypercatharſi quomodo excitatur conuulſio 252.b.253 a
Conuulſio à vulnere 250.a 151.a
Conuulſio à ſanguinis profluuio 404.a b
Conuulſio à ſanguinis fluxu 254.b.255.a.b
Conſuetudo eſt natura acquiſititia 109.a.b.110.a.b
Conſuetudo quando retinenda & quādo immutanda. 110.b
Conſuetudo vnius formæ periculoſa 110.b
Cordis vulnera 343.b 346.b
χορεοντα quæ 44.b
Coryza quid 99.b
Coryzæ duæ: vna humida, altera ſicca 136.a
an corpora humida, an vero ſicca ſint magis morbis op-

portuna 327.b
Corpora prauo ſucco vtentia facilè à medicamentis exſoluuntur 94.b 95.a.b
Corpus non proficere etiam in bona appetentia 88.b
Corpora ſana exſoluuntur facilè à medicamentis 94.b 95.a.b 96 a
Cos hyppocratis patria, calidiſſima 169.b 175.b
Conualeſcentes quomodo reſtaurandi 57.a.b 62.a b
Coxendix quid: eiùs compoſitio 393.a.b 394.a.b
coranij fracturę quĩque ſpecies 418.a
Crapula quando modótardius, modo celerius fit & ſoluitur 254.a.b
Criſis quid & quotuplex 63.a 37.a 38.b duplex 39.a bona 39.a
Criſis fit duplex in febribus 65.b 66.a
Criſis diebus imparibus non paribus debet fieri, ſi modò illa fida ſit futura 225.a
Crudus humor quis 463.a
Cruditatum genera duo 42.a.
Cucurbitula admota ſub mammis ſiſtit menſtrua 300.a

D.

DEcubitus materiæ à parte nobili ad ignobilem eſt laudabilis 356.a
Deiectiones ſyncerę in morbo diuturno 401.a.b 402.b.
Deiectiones variæ laudabiles quando 187.b 188.a
Deiectiones atrabiliariæ 188.a.b 189.a.b
Deliquium animi accidit à tetris vaporibus, excalentibus à prauis humoribus commotis aut à tantis excrementis 95.a
Delirium quid, quas habeat ſpecies 387.a.b
Delirium nullum aut ſiccitate aut frigiditate 404.b
Delirium in Cranij fractura 418.a
Delirium cum viſu, ſecurum 387.a.b
Delirium à multa vini potatione 402.a.b
Delirium in acutis grauius malum quàm in appetentia 91.b 92.a
Delirium cum ſtudio periculoſum 387.a.b
Delirãtes cur non ſentiunt 55.b
An à ſedato delirio ſperanda ſalus 51.b
Dentitio quid: 153.a
Deus ſecunda vertebra 154.b
Dentes quotuplices 153.a.b
Dentium triplex genus & generatio 152.a 153.a.b
Dentes lentoribus obſiti 218.a.b
Deſipientia in ictu capitis 409.b 410.a.b

Deſipientia à ſanguinis profluuio. 404.a.b
Deſipientia à vigilia. 413.b
Dextra ſunt ſiniſtris robuſtiora. 436.a.b
Diæta quid : 10. b. triplex. 11.a
tenuis triplex. 11.a.13.b.14.a
Diaphragmatis vulnera 343.b 346.a.
Diatritarii medici. 11.b
Criticorum Dierum nulla ratio ſed obſeruatio tantum 199.b
Dies critici qui :& quot eorum genera 99.a 80.b
Critici Diei ſunt differentiæ triplices. 198.a.b
Dies tertius eſt ne criticus. 198.b.
Quartus dies eſt ne criticus.19 b.198.a.
Decimus quartus dies eſt impar,& par. 225.a
Dies pares & impares qui ſunt 225.a
διέζευξις 79.b
Digiti pedum vel manuum frigidi. 470.a
Diocles iunior Hipocrates cur dictus 2.a
Diſſoluti qui dicuntur 102.b
Dolor dolorem ſedat quomodo 106.b
Dolor maior cur minorem obſcurat 107.a
An dormiendum initio acceſſionis 44.a
Dyſenteria quid:& eius differētiæ. 328.b
Dyſenteria ab atra bile 189.b. 190.a
Dyſenteria ſuborta lienoſisqualis ſalutaris, & qualis funeſta 374.a.b
In Dyſenteria cibi faſtidium, malum 329.a
Dyſenteria cōfert lienoſis 381.a.b
Rarò dyſēteriæ ſine febre apud nos. 329.a
Diſuriæ 362.a
Diſuria 441.b
Diſuriæ remedia 442.b

## E

Εχλυσις 403.a.b
Εκπτωσις quid 414.a.b
Ectaſis quid 400.a.b
Elleborus 249.a
Elleborus duplex 178.b
Elleborus quomodo præparandus vt ſumatur 179.b
Elleborus qua forma poteſt præſcribi 179.b
Elleborusin quibus morbis præſcribendus,& quo anni tempore, qua ætate qua præpaparatione ſumendus 179.a.b
Elleborus conuulſionem facit 182.a.b
Elleboro ſumpto quæ præparatio facienda corpori 180.b.
Elleborus periculoſusſanas carnes habentibus 182.a
Elleboro ſumpto corpus mo-

uendum:quo motu. 180.181.
Elleboriſmi qui dicantur veteribus 178.b
Εγμέτος quid ſignificet & quot modis vſurpetur apud hip. 461.b.462.a
Emmotum quid 296.b.297.a.b
Empiema quid:quę eius diuerſa notio 437.b.259.a
Empiema quid : quot modis vſurpatur 259.a
Empiema propriè, id eſt puris collectio, in capacitate thoracis quas habeat cauſas 437.b.438.a
Qua thoracis parte in empiemate ſectio aut vſtio facienda 438.a.b.439.a.b
In empiemate coctam terebello aperiebat hip. 439.a.b
In Empyis quomodo pus per ſectionem aut vſtionē adducendum 358.a.b.359.a.b
Επιγινόμενα quot modis apud hip.vſurpentur 396.b
Επιχεασις quid 59.b
Epilepſia quid : eius cauſæ 255.b
Epilepſiæ generantur potius in calidis quam frigidis regionibus 105.b
Epilepſia cur morbus puerilis 106.a
Epilepſicis vena vtilis quando 105.b
Quæ epilepſia ſoluitur imitatione ætatis 255.b.256.a
Epilepſia ſoluitur per ſeptenarios 158.a
Quæ epilepſia incurabilis 256.a
Epilepſię curatio methodica 255.b
Επιπολυ quid apud hip. ſignificet 219.a
Εφιστρησις quid 201.a.202.b 213.a
Eryſipelas quid:eius cauſæ 415.a
Eryſipelas duplex, vlceratum & non vlceratum 272.b
Eryſipelas foras ferri melius eſt quàm intrò cur 356.a
Eryſipilate cur ſanguismittitur & purgans medicamentum inſtituitur 256.b
Eryſipelas aboſſis denudatione 414.a
Eryſipelas in vtero, malum 192.a.b
Eteſiæ venti oui ſaluberrimi 121.b.225.a.b.130.a
Emaciatio corporis vnde 86.a
Εὐεξία quid:duplex 8.a
Eunuchi qui & quotuplices 360 a.b
Eunuchi cur non ſunt piloſi 323.a
Eunuchi non laborant podagra 360.a.b
Ευσαρκοι qui 173.a
Exanthemata quæ horum ſpecies. 333.b
Excrementorum concoctum quid 42.a b

Excrementa quantumuis mala in quantitate aut qualitate, aut colore: bona ſunt ſi die critico & præcedentibus ſignis coctionis prodeant 211.a.b.212.a
Quę excretio bona ac laudabilis iudicanda 197.a.b
Excretiones obſunt initio morbi, proſunt in declinatione. cur: 200.a
Exercitatio calorem natiuum auget 109.a
Exercitiū ſiccat carnes humidas 456.b
Experientia quid: cur periculoſa 3.b.4.b
Exolutio quid.100.a. eius cauſæ 110.a.b
Extenuatio corporum quotuplex & quot modis fiat 56.a. 57.a
Extenuati qui dicuntur 172.a
Extenuatio corporis vnde 86.a

F

Fames quid 53.b
Fames quid, & quotuplex 68.a
Fames canina 74.b.75.a.b
Fames ſiccat carnes humidas 456.a.b
Fauonij venti quo tempore fiāt 121.a
Febres omnes putridas, bilioſas vocat hip. 435.a
Febres omnes continuæ periculoſæ 208.a.b.209.a.b
Diuturnæ quæ febres & vnde 209.a.b
Fębris quæ,& quotuplex 218.b
Febres laborioſæ quomodo terminentur 195.a.b
Febres ſomniculoſæ lethales 52.b
Febres diuturnę quomodo ſoluuntur 209.b.210.a
Febres intermittentes nullę periculoſæ 208.a.b.209.b
Febres intermittentes quæ caſu periculoſæ eſſe poſſunt 209.a.b
Acceſſiones febrium eaſdem hora repetentes qua deſinunt longitudinem minantur 194.b
Febris erratica, quid: quotuplex 146.b.147.a.148.b
Fluidum corpus quid 60.b
Fluxionis cuiuſlibet remedium eſt reuulſio 354.a
Fluxus ſanguinis in quartanis, malus 465.a.b
Frigida commoda 268.a.b. 271.b.272.a.b.273.
Frigida aquæ incommoda ac noxæ 265.a.b. 266.a.b.267.a
Frigidum quas noxas inferat eiuſque effecta 266.a.b.267 a.b
Quibus partibus frigidum eſt inimicum 265.b.266.a

INDEX.

Frigidum vlceribus mordax 267.a.b
Frigidum, valde eſt inimicum pectori 273.a
Frigus cur excrementa induret 72.b
Frigus partium extremarum in acutis quid præſagiant 396.b 397.a.b
Fœdi colores puellarum vnde 158.b.. curatio eorumdem ibidem.
Fœtus bene valere poteſt etiam ſi tempore geſtationis menſes fluant 311.a
Fœtus bene valere non poteſt ſi fluant menſes 310.a.b

G

GEmellorum generatio 288.a
Genæ tenuis portio ſecta vniri nequit 349.a.b
Genuiſtæ flores vomitum concitant 189.a
γίεϱγτις qui: 27.a
Gibbi qui dicuntur:eorum ſpecies & cauſæ 377.a.b.378.a.b. 379.a.b.
Qui gibbi euadunt Aſthmatici 379.b
Qui gibbi, euadunt tuſſiculi 379.b
Glancedines, vnde 163.b
Gangrenæ 155
Graciles qui 172.a.b
Gracilitatis duæ cauſæ 172.a
Graciles etiam ab humore melancholico 172.a.b
Graciles purgandi per ſuperiora 172.a
Grauidæ qnibus corpus extenuatum eſt, abortiunt facilè 192.b
Grauidarum morbi vnde 164.b
In grauidis alui profluuium lethale 283.b.284.a
Grauidis mulieribus, morbi acuti, ſunt omnino funeſti 280.b
Grauidis febris acuta, lethalis 304.b
Miſſio ſanguinis in grauidis non vſque adeo metuenda 281.b.282.a
Grauitas genuũ, lumborum, & crurum 185.b
Gruuius ſanguinis excretus vna cum vrina, vnde 244.a
τὰ γυναικεῖα quid ſignificant 279.b

H

HÆmorrhagia in vlcere à forti pulſu arteriæ 415.a.b
Hæmorrhagia quid:eius cauſæ 157.a
Hæmorrhoides 161.a.b

Homorrhoides quæ, duplices, externæ & internæ, vnde 336 a.b
Homorrhoides quibus affe-ctibus vtiles 335.b
Homorrhoides à multis morbis liberant 335.b.338.a b
Homorrhoides inſaniam ſoluunt. 352.b
Homorrhoides vt ſunt curandę 337.a b.338.a
Hectici & tabidi cur non conuelluntur. 250.a
Hepatis abceſſus vt aperiendus vſtione aut ſectione 439.b 440
phlegmone partis gibbæ Hepatis, vt dignoſcenda 440.b
phlegmone partis cauæ Hepatis, vt dignoſcenda 440.b
Hepatis omnes phlegmonæ vt ſoluuntur. 440.b
Hepatis dolor febre ſoluitur 449.a.b
Hippocrates, ſeptem 1.b
Hippocratis natales, parentes, patria, præceptores, vitæ, genus, peregrenationes, mors, ſepultura : cur magnus dictus 1.a
Hordei aqua quid 14.a
Hordeatum quomodo fit 14.a
Horroris cauſa 452.b
Horrora ſudore 399.a.b
Humores frigidi ac crudi ſi multi ſint an ſtatim purgandi ſine præparatione 428.b
Humores tenues an purgandi ſine preparatione 43.a
Humiditas quadruplex in corpore. 456.a
quæ Humiditas bona eſt aut mala ægris:& quæ bona aut mala, ſanis 327.b
Hydromel ſumptum, hora ſomni à muliere probat an ea ſit grauida. 290.a
Hydrops quid : eius cauſæ, ac ſpecies 340.a b
Hydrops quid : eius ſpecies 421.b
Hydrops ſiccus quis 177.a
Hydrops quibus & quot modis ſoluatur, qualiſcunque is ſit. 422.a.b
quomodo & quibus viis aqua hydropicorum in ventrem ſoluatur 451. a.b 452.a
quibus aqua Hydroppicorum in ventrem confluit. 340.a.b
Hydropem ſoluit forte alui profluuium 421. b . 422. a. b. quibus conditionibus 423.b
In Hydrope tuſcis triplex superuenire poteſt 365. b
in Hydropicis quomodo aqua per ſectionem aut vſtionem educenda . 358. a . b 359. a.b
Hydrops ſoluitur ventris fluxu 339.b 340.a.b

Tuſſis hydropicum detinens. 442. a
Hydropicorum vlcera non facile ſanabilia. 333. a b
Hydroſacchar, vnde fit. 14. a
Hypochondria quæ dicuntur. 225. b
Ὑπέχια quæ. 284. a
Tria excrementorum hyſtericorum genera. 305. a

I.

Icterus triplex 372. a. b
Icterici, non ſunt ventoſi 325. a
Ictericis ſi iecur durum fiat, malum. 372. a
Iecoris vulnera. 344. b 346. a
ἴλιγξ καὶ ἴλιγγος quid. 140. a
ἴλιγγος. 150. b
Ieiunij facilitas vel difficultas vnde. 26. a
Ileus quid. eius cauſę: eius ſymptomata. 405. a. b 406. a
Ileos quid: eius locus: eius cauſæ: eius differentiæ 374. b. 375 a b
Ileos 148. a
Ileos duplex 148. a
Ab ileo conuerſio 405. a 406. a
Ab ileo deſipiētia 405. a 406. a
Ab ileo ſingultus 405. a 406. a
An in ileo ſequatur vomitus 405. a b 406. a
Infantium morbi 151. a b 152. a b 153. a. b 154 a b
Inedia quid: duplex 16 b
Inteſtini recti inflammatio cōmunicatur veſicæ 307 b
Inteſtinorum vulnera 344 a 346 b.
Iſchias quid 394 a. b
Iſchias quot modis fit 394 a. b
Iſchiadis remedia 394 b 395 a. b
Iſcharia quid 442 b
Iudicium quid: cur difficile: 3 b 4 b
Quatuor modis natura iudicat morbos 39 a
Iuuentus 159 b. eius partes, ibidem.
Iuuenes melius ſe habent vere 141 a. b

L.

LAborioſæ febres 137. a. b 238. a
Labrorum peruerſio 214. a. b
Labra liuida 470. a
Labra reſoluta 470. a
Labra frigida 470. a
Lac vnde in mammis gignitur: & quando gignitur 287. a. b 288. b 302. a
Lac fluens è mammis grauidarum indicat foitum imbecillum 201. b
Lac gigni virgini poteſt mãmis, menſibus deficientibus 288. b
Lac aſininũ confert albis puellarum coloribus, & ſuppreſſis menſibus 34. horum lactis & lac temperant humorum corruptelam 34. a
Lactis cómoda atque incommoda 318. a. b
Quæ cautiones ſeruandæ in vſu lactis 318. b 319. a

Lacryma quid:eius cauſę 464.a
Dolor vt lacrymas commouet 464.a
Lætitia vt lachrymas commouet 464.a
Lacrymæ duplices voluntariæ & inuoluntariæ 464.b
Læuitas inteſtinorum quid eius cauſæ 161.a.b
Laſſitudo triplex 54.a.b
Laſſitudo ſpontanea quæ 54.a
Quies laſſitudinis eſt remediũ 108.b
Laterum dolores 150.a
Lepra & impetigo quomodo differunt 143.b
Lethargus 149.b
λεῦκοι φλέγμα quid ſignificat 459.b
Leucophlegmatia quid:quibus aliis nominibus vocetur 421.b eius cauſæ ibidem: 422.a.b
Lienoſi qui dicuntur 373.a.b
Lien χαταῤῥοπος, aut ἀναῤῥοπος: 377.b. 374.a.b
Lien per quas vias ſua expurgat excrementa 373.a 374.a.b
Lienoſis ſuborta dyſenteria qualis ſalutaris 374.a.b
Lienoſis quæ dyſenteria confert 381.a.b
Lienis vulnera 349.a
Lienteria quid:cauſæ eius: 326.b 327.a
Lienteria quid:eius cauſæ 178.a
Lienteria 147.b
λιμᾶς quid 74.b
Lingua ſerum humorem indicat 468.b
Tria linguæ vitia in edẽdo ſermone 364.a
Linguæ incontinẽtia,quid eius cauſæ 432.b
Lipothymia 403.a
Lipopſichia 403.a
Lippitudo quid : 130. b ea duplex eſt,ſicca aut humida.135.b
Longitudo corporis vnde 114.b.115.a
Longitudo corporis in ſenibus damnatur 114.b
Longitudo corporis in iuuenibus laudatur 114.b
Loquendi ſeu ſermonis impotentia, quid eius cauſæ 433.b
Lumborum dolores 150.a
Lumbrici triplices 155.a
Lumbrici in pueris 155.a

M.

Mammæ magnũ habent conſenſum cũ vtero 287 a
Mammæ ſolidæ fœtũ ſanũ ac robuſtum indicant 301.b
Mammæ flaccidæ fœtum imbecillum arguunt 301.a
Mãmæ extenuatæ quomodo ſunt indices abortus 303.a.b
Mammarũ extenuatio & gracilitas eſt-ne abortionis ſignum 287.a.b
Mania quid:duplex:cauſæ:142.b 143.a
Mania quot modis dicatur 352.b
Manus, quale corporis inſtrumentum 436.a
Maris geſtati,aut fœmellæ geſtatæ in vtero ſignum 291 a.b
Mares dextra vteri parte geruntur 298.a.b
Medicina eſt ars & ſcientia: duplex: cur longa: 4.a.b

edicus duplex 3.a
es medicorum ſcholæ 1.b
edicamēta tēpore hippocratis vſurpari ſolita 166.a.b
elancholia quid:duplex cauſæ 143.a.b
Melancholicorum multa ſunt genera 174.a.b 175.a
Melancholicis miſſio ſanguinis è cruribus & malleolis confert 353.a
Melancholici cur balbutiunt aliquando 433.b 434.a
Melicratum vnde fit 14.a
μιεράκια quæ 27.a
Menſtrua vno tempore generantur 278.b
Menſtruorum quis color naturalis:quod tempus conueniēs fluori illorum : quæ iuſta eorum menſura. 285.b 286.a.b
Menſtruis fluentibus, an mox fluxuris,an iam fluxis fiat cōceptio 308.b 309.a.b
Menſtruorū ſuppreſſio à multis fit cauſis 278.b
An in ſuppreſſis Menſibus ſanguis mittendus è cubito 283.a
Peſſaria ad mouendos Menſes 279.a
Mēſibus ſupreſſis cōfert fluxus ſanguinis è naribus 283.a.b
Menſes geſtationis vteri quot ſunt dierum 165.a
Meiendi, difficultas quid.: & eius cauſæ. 366.a.b
Mens quid 55.b 56.a
μετάστασις quid 256.a
μέθισμα apud hip. quid 332.a
Mictio ſubita ſanguinis vnde 241.a
Mictio largior vnde 247.b 248.a
Mictio nocturna exiguam deiectionem ſignificat 247.b 248.a
Mœror quid: eius cauſę:355.a b
Morbilli 144.a
Morbi cognati curminus periculoſi, quā diſſimiles 92. a.b
Morbi inæquales, qui duplices 119.a
Morbi hyberni 149.a.b 150.a.b
Morbi autumnales 146.b 147.a.b 148.a.b
Morbi æſtiui 145.a.b 146.a
Morbi verni 142.b 143.a.b 144.a.b
Morbi conſtantes,qui 125.b
Morbi inconſtantes, qui 125.b 126.a
Morbi diuturni iudicantur per cōcoctionē aut abſceſsū. 199.b
Morborum permutatio quotuplex 400.b
Qui morbi ſunt proximi, cur dolorem non ſentiunt 55.b
Mors repētina vnde 100.b 101.a
An quis mori poſſit in morbi declinatione 209.b
Mulier nō fit amphidexia 436.a
Mulier non laborat podagra 360.a.b
Mulieres cur non ſunt piloſæ 323.a
Cur mulieres craſſæ non concipiunt 295.b.296.a.b
Mulieribus vterum geſtantibus quæ vitanda 166.a
Quo mēſe purgandæ Mulieres quæ geſtant vterum 166.a.b 167.a.b

Mutationes ſubitas natura ferre non poteſt, cur 111.a

N.

NAres humidæ ſignum eſt valetudinariæ diſpoſitionis 327.b 328 a.b
Naſi peruerſio 214.b
Nauigatio perturbat corpus 181.a
Νεος apud hip. quid ſignificet 105.a
Neruus ſectus vniri nequit 349.a.b
Νεφελιτης quid 331.a
Nigræ deiectiones 186.b 187.b
Nigræ deiectiones quæ peſſimæ 186.b 187.b
Νήπια quæ dicuntur 165.a
Νήπια quæ dicũtur hippocrati 154.a
Νογὰ quid 414.b
Nox quæ præcedit criſin cur moleſta 65.a

O.

OBeſi qui 103. b 104. a cur ἄναρθοι vocentur ab hip. ibidem: Graciles qui 103. b 104.a
Occaſio quid: cur præceps 3.a 4.b
Oculorum dolores quibus remediis curantur 361. b 362. a b 363.a
Oculi lacrymę vnde & quibus ex cauſis 217.a.b
Oculi peruerſio vnde 214. b
Oculorum rubor à vomitu 398.a.b
Oculi conniuentes in acutis quid præſagiant 386.b
Oeſophagi inflammatio 197.a
ὄδημα quid ſignificabat veteribus 196.b
Omentum quid: eius vſus 392.a
Omentum quot modis excidit è ſuo natiuo loco 392.a.b
Omentum vbi foras excidit facilè putreſcit, cur 392.a.b
ὁμογέροντες qui 26.a
Ophtalmia ſoluitur alui profluuio 342.b 343.a
ὀργᾶν quid: 43.a.b
Oris amaror vnde 183.a.b
Oris ventriculi morſus vnde 183.a.b
Oſcitatio quid: eius cauſa 452.a. b
ὄσφις quid ſignificet apud hip. 176.b
Os quot modis denudetur 414. a
Oſſi denudato eryſipelas ſuperueniens 414.a.b
Os ſectum vniri nequit cur 349.a.b
Os ſyderatum, quid 461.a

P.

παιδίον quid 27. a
Palpebræ peruerſio 214.b
Partes ſpermaticæ ſemel deperditæ aut diuiſæ nunquam regenerantur aut vniuntur 349.b 350.a.b 351.a.b
Partes ſimilares ac ſolidæ abſciſſæ

ſciſſæ aut diſciſſæ nec reſtaurari nec vniri poſſunt 349. b
Partes exteriores, quæ ſunt 212.b
Partes exteriores ſunt frigidiores internis 323.a
Partes poſteriores ſunt frigidiores anterioribus 323.a
Partes ſpermaticæ vulneratæ qua materia vniuntur, 351. b
Partium ſolidarum alteratio quæ facta eſt, eſt incurabilis 177.b
Partes externas frigeſcere, internas vero vri, in quibus affectibus & à quibus cauſis 212.b 213.a.b
Pariſim quare liberas aluos habent 273.b
Paroxyſmus quid 21. a partes eius 21.a b.22.b
Quis ordo partus 298. b 299. a. b
Parienti difficulter ſternutamentum iuuat 285.a
Paruitas facit ad prudentiam, cur 114.b
Paruitas corporis vnde 114. b 115.a
φαρμακεύειν quid 42.b
φάρυγξ quid 66.b
φαρμακεία quid 45.a
Pauores, in febribus malæ, cur 229.b
Pauores in pueris 152.a.b
Phyma quid & quotuplex 66. b. 106. a. 41. b
σπασμός, quid 41.b
πέψις quid 41.b
Periodus quid, 21.b
Peripneumonia quid eius cauſæ Symptomata 407. a. b
Peripneumonia, à pituita 160.b
Peripneumonia aliquando ſoluitur, multa vrina 431. b
Peripneumonia aliquando ſoluitur ſanguinis fluxu per nares 431.b
An in Peripneumonia alui profluuium ſit ſalubre 341. b. 342.a
Permonibus confert calidum temperatum 270.b
In peſte multum cibandum 34.a
πικροχολοιχέτω melius degunt quàm πικρόχολοι 114. a
pituita cur hyeme gignitur 31.b
An pituita ſpumoſa à cerebro aluũ expurgari poteſt 424.a.b
Pleuritis, quid 256. b. 257. a.b
Pleuritides hyeme gignuntur, cur 149. b
Pleuritis in peripneumonium 406.b
Pleuritis ſoluitur aliquando per parotidas 431.b
Pleuritis aliquando ſoluitur multa vrina 431. b
Pleuritis aliquãdo ſoluitur per hæmorrhoidas 431.b
Pleuritis aliquãdo ſoluitur, ſanguinis fluxu per nares 431. b
Pleuritis aliquando ſoluitur, per ſudorẽ copioſum 431. b

Pleuritis ſoluitur aliquando, permutatione in alium morbum 431.b
Pleuritis aliquando ſoluitur multo & aquoſo alui fluxu 431.a
Pleuritis conuerſa in empyema 256.b.257.a.b.263.a.b
Ex pleuritide peripneumonia 406.b
An in pleuritide alui profluuiũ ſit ſalubre 341.b 342. a
Pleuritis an mundat pituitoſos 364.b
Podagra quid 382.b
Podagra intra quot dies debet finiri 382.b
Podagra non afficit nec pueros, nec eunuchos nec mulieres 361.a
An in podagra materia craſſa imbibatur neruis ac tendonibus 381.b
An podagra eſt incurabilis 382.a
πόνος quid apud hip. 55.a
Cur prædictiones non ſunt certæ in acutis 70. b 71. a.b
Pręputium ſectum vniri nequit 349.a.b
πρεσβύτης qui 26.a
Principium morbi triplex 24 a
Profluuia diuturna alui vnde 160. b
Pronuntiatio vitioſa triplex 423.a eius cauſæ ibidem
πρόφασις quid 100.b
Pruritus quid: eius cauſæ 334.a
Priſanæ nomine quid hip. aliquando intelligat 455.a.b
Pubertas 156.b
Pubertatis principium & finis 105. a
Pubertatis ſigna 156.b
Puberibus cur ſanguis è naribus profluit 157.a.b
Pueri cur non ſunt piloſi 322. b
Pueri melius ſe habent initio æſtatis 141.a.b
Pueri cur ieiunium non ferunt 26.b 27.a 29.a
Pulmonum vulnera 348.a
Vulnera pulmonum 348.a
An quæ educuntur è pulmone ſpumoſa ſint 261.b 262.a
Purgatio quid: 41.b
Purgatio quid:ea triplex : purgatio ſpontanea duplex 5. a.b
Purgationis tria genera 167. b
Præparandum corpus ad purgationem, quomodo 601.b
Purgandum rarò in acutis cur 45. b
Sit-ne purgandum aliquando ad animi deliquium 89.a
Purgandum etiam die critico 6.b
Purgandũ in acutis initio morbi, cur 46.a
Purgandi humores cocti non crudi 41.42.43.44.
Purgatio quando periculoſa 47. b
Purgãdi cautiones 5.b 6.a b 7 a
Quũque cõditiones purgationis artificioſæ laudabilis 48.a
Purgans medicamentum propinandum mané, veſperi aut poſt meridiem, cur & quando 6. b

Purgatio ac euacuatio repẽtina in quibus morbis & quando in medendo locũ habet 111.b
Pus quid 107.a
Pus non fit ſemper ex materia contenta extra vaſa, ſed & ex ea quæ extra vaſa eſt 108.a
Pus ex ſolo fit ſanguine 108.a
Puris optimi conditiones 439.b
Pus tactu non perceptum vnde 371.a.b
Differentia inter pus, ſaniem & ichor 108.a
Puris ſputum vnde 411.a
Puris ſputum tabem inuehit 411.b 412.a.b
Puſtulæ quæ: harum ſpecies 333. b
Puſtulæ latæ minus prurigino- ſæ, quam acutæ 334 a
Phrenitis à peripneumonia 407.a.b
Ad Phthiſin opportuni 134.b
φθινώδεις qui 173.b
An Phthiſici poſſint percurari 412. b 413. a
πυρὶν quid ſignificant 279.b

Q.

Febris quartana quotuplex: quo tempore longa, aut breuis 81. a. b
Quatuor febris quartanæ differentiæ 465. a
Quartana ſoluitur coctione, aut abſceſſu, aliquando etiam degenerat in paralyſin 324.a
Quartanarij nunquam aut rarò conuelluntur 324.a.b

R.

Raucedo quid 99.b
Vnde recidiuæ in morbis 63.à 64.a
Regius morbus die aliquo critico ſubortus, bonum 227. b nullo die critico, malum ibidem
Regius morbus ante ſeptimum diem, malum 225. a. b
Rheumatiſmus vteri quid & à quibus cauſis 305.a
Renum vitia non percurantur poſt 50. annum 331.a.b
Renum dolor quomodo ſoluitur 427.b
Renum vulnera 349.a
Reſtaurationis remedia 57. a. b 61. a.
Rigor quid 223.b
Rigor quid 323. à: eius cauſæ, ibidem.
Rigor alicuius excretionis præumonis febrem ſoluit 223. a
Rigor incidens in febres ſexto die 193.b
Rigor à multa vini potatione 402.a.b
Rigor qui in febrem continuam frequenter incidit lethalis 210. b 211. a
Rigor quotidie obortus, quotidie febrem ſoluit 226.a.b
Rigores viris & mulieribus incipiunt parte corporis poſteriore: 323.a.b
Rotomagum vrbs inſalubris cur 120.a.b

Ructus accidus quid:& quibus ex cauſis fiat 364.a.b
Ructus accidus cui lienteria ſuperueniens bonus 327.a quid ſignificet 411.a.b

S.

SAnguis naturalis vt differt à ſucco melancholico 186.a.b
Sanguis vnde conſeruetur in venis & in illis contentus nũquam concreſcat 352.a
Sanguis, cur ſolus inter humores extra ſua vaſa concreſcit 352.a
Sãguis ſolus abit in ſuppuratũ non humores reliqui 431.a.b
Sanguis extra ſua vaſa cur cõcreſcit ac tandem corrumpitur 351.a
Sanguis ex gula aut ventriculo reiectus 411.a
Sanguis infra effuſus, melius portendit quando & in quibus 190.b.191.a
Sanguis ſupra effuſus, malum portendit 190.b
Sanguinis ſpuitio, quid & quibus ex cauſis 159.b
Sanguis per os reiectus variis ex locis manat 410.b 411.a.b
Sputum ſanguinis quid, eius cauſæ 410.b
Sanguis ex pulmone & thorace reiectus 411.a
Sanguis ex gutture reiectus 411.a
Sanguis à ſcreatu reiectus vnde 411.a
Sanguis collectus in mammis furorem facit 289.a
Sanguinis vomitus ſiſtitur fluxione menſium 281.b
Sanguinem mittere vſque ad animi deliquium quid 9.a.b
Sãguinis miſſio cur narbonẽſibus noxia, pariſienſibus verò ſalutaris 5.b
Sanguinis miſſio è cruribus & malleolis confert melancholicis 353.a
Satietas quid 53.b
Satyriaſmus 155.a.b
Screatus quid & vnde 211.b
Senectus: eius partes 160.a.b
Senectutis duæ partes 26.a
Senes ieiunium ferũt facilè cur 26.a.b.27.a
Serui morboſiſſimi cur 98.a
Senes minus ægrotant quàm iuuenes 97.b 98.a.b
Senibus abſtricta aluus cur 114.a
In ſenibus morbi longi commorantur, cur 9.a 99.a
In ſenibus qui humores longi non concoquuntur 99.b
In ſenibus grandiues non concoquutur 99.a.b 100.a
Senes melius ſe habent autumno 141.a.b
Sermo quid: cuius animãtis ſonus: qualis ſonus quæ habeat inſtrumenta 433.a
Sermonis duo vitia 433.a
Septunauarum ratio in morbis acutis 79.a.b 80.a
Quando ſignis coctionis fides

adhibenda 84.b
Signa Pathognomonica 24.a
Signa ἐπιγινόμενα quæ 23.b
Signa ἐπιφαινόμενα quæ 23. b
triplicia 24.a
Singultus quid 339.a eius cauſæ, ibidem
Singultus an à repletione vel minutione fiat, vt ſingultus 69 a.b
Singultus vt conueniat aut differat à cõuulſione 369.b 370.a
Singultus à iecoris inflammatione 413.a
Singultus ſenibus ſupra-modum purgatis 434.a
Singultus à ſanguinis fluxu 251. b.252. a.b
Singultus ſequitur ad inflammationem hepatis 308.b
Singultus à vomitu 398.a.b
Singultus remedia 338. b 339.a
Singultus ſanatur à ſternutatione 338.b
σιναφεῖα 79.b
Σκληρὸν quid: 414.b
Quæ ſitim excitant 278.b
Sitis a ſumpto cathartro 184. b 185.a
Sitis ſicat carnes humidas 456.b
Sitis in febribus ardẽtibus vnde 213.b
Sõnus ſitĩ ſedat 276. b.277.a.b
Somnus duplex naturalis & præter naturam 48.b
Naturalis ſomni cauſa quę 48. b.52.a
Sõnus quis immoderatus 52. b
Somnus quo morbi tempore conferat, in principio, ſtatu, declinatione 49.a.b
Sõnus cur ſudorẽ mouet 206.b
Somnus ſiſtit quamcũque valli dam euacuationem 181.a.b
Somni longiſſimi cur hyeme 30.a.b.31.a
Cur ſomnolenti qui peſte laborant 51.a
Somnus à miſſione ſanguinis, malus, cur 51.a
Somnus in peſte lethalis 51. a
Spirare magnum & rarum, quid & vnde 215.b
Spiratio luctuoſa quid: & quid præſagiat in morbis 388. a. b
Difficultas ſpirandi in febre vnde 215. a. b
Spinalis medullæ vulnera 347. a.b
Spiritus offendens, quid & eius cauſæ 230.a.b
Spiritus neque ſubſtantia eſt animi, neque domiciliũ, ſed primũ eius inſtrumentũ 455.b
Spiritus animalis neque ſubſtãtia eſt animi, neque eius domicilium, ſed primũ eius inſtrumentum 418.b
Animalis ſpiritus diuinitus motum, ſenſum, mentemque debilitat 418.b
Spuma quid: vnde: eius cauſæ 423.a b.424.a.b
Spuma quid: eius cauſæ 103.
Spumę generatio vnde 262.a.b
Spuma non ſolum foris ſed & intus in corpore gignitur 428.a.b

Spumoſus ſanguis vnde manat 261.b.262.a.b.
deiectiones ſpumoſæ quæ:a quibus cauſis:quid ſignificẽt 423.a b
Sputatio quid, vnde:eius cauſæ 211.b
Sputorum ratio 211.b
Sputum purulentum à ſanguinis ſputo 412 b
Sterilitatis cauſæ in mulieribus 313 a.b
Sterilitas mulierum nuptarum vt experiunda eſt 309.b
Sterilitas virorum à quibus cauſis 315.ab
Sternutatio quid 3.9.b
Sternutamẽtum quid eius cauſa: vt conuenit aut diſidet cum tuſſi 447.a.b 448.a.b
Sternutamentum quando iuuat ſuffocationem 285a
Sternutamentum deturbat ſecundus. 298.ab
Stertor vnde 389.a
Stupor quid 410.a
Stupor in ictu capitis 409. b. 410.a.b
Stranguriæ 162.a
Stranguria 442.b
Stranguriæ remedia 442 b
Stranguria in ſenibus quibus ex cauſis 162
Strangulati qui dicuntur 102.b
Strangulatio quid 190.b
eius cauſæ ibidem
Strumæ 156.a
Sudor quid: eius materia: vnde manat:in ſanis: in ægris. cauſæ eiuſdem 200.b. differentiæ eiuſdem 201.a.b
Sudor dormienti quando accidit 205.b
Sudores vehementes & veloces 465.b.466a
Sudores expulſi à fronte velut guttæ ſalientes 466.a
Sudor, qui febrem non ſoluit, qui & qualis 222 a. b
Sudores frigidi in febre 202.b 203.a
Sudor per ſomnum, & à ſomno 205.b
Suffitus aromatum ducunt muliebria: eorundem ſuffituum materia 279.a
Superciliorum peruerſio à quibus cauſis 214 b
Suppuratio quæ dicatur 437.ab
ad Suppurationem tria ſunt neceſſaria 269.b
Suppurationes rarò admodum fiunt ſub vmbilico 417.a
Surditatis cauſæ 193.a
Surditas ſoluitur ſanguinis è naribus profluuio, aut alui fluxu 124.b
Surditas deſinit ſuperueniente deiectione biliosa 193.a
Σφακελος quid: quot modis dicatur 445.a.b
eius cauſæ 445. a b. 446. a. b
gangrena quid:eius cauſæ 445 a.b.446.a.b
Syncera deiectio quam parit dyſenteriam 417.b
Syncera deiectio quid & quot

modis 417.a
yncera deiectio omnis mala 417.b
cur Symptomata initio & fine morborũ remiſſiora: vehementiora, in vigore 87. 88.a

T

TAbes quid 412.b
Tabes vnde ſit 147.a
Tabes quid, vnde 128.b
Tabes quid multiplex eius cauſæ qua ætate inuadat 257.b 258.a
Tabes corporis vnde 86.a
Tabis tria genera 412.b
Tabes ex empyemate 263.b
Tabes cur à græcis θνεἰωμα dicta ſit 129.a
Tabes ab vlcere pulmonũ græcis θνεἰωμα dicta 258.b
Tabidi cur extenuentur 129.a
Tabi opportuni, qui 173.b
in Tabe ſputum fœtidum quid ſignificet 260.ab
in Tabe capilli decidui quid ſignificent 260. ab 261.a.b
in Tabe profluuium alui quid præſagiat 261.a.b.262.b
Tempeſtates anni non à ſolis motu definiunt medici, ſed ab aëris temperatura 116.b 117. 126.b
Teneſmus quid 420.b
Teneſmus in prægnãte 420.b
Tertiana exquiſita ſeptenis circuitibus iudicatur 123.b
Teſticuli quam vim habeant in corpore 468.b 469.a
Teſtis dexter reuulſus ac contractus 469.a
Tetanos quid 269.a
Tetanus quid 254.b.255.a
Tetanus non eſt ſpecies conuulſionis 408. a. b. 409. a.b
Tetanus in ardenti febre 407.b
Theſſalici medici 11.b
Thoracis inflammationes vt ſoluuntur 430.b.431. a. b
Tonſillæ 154.a
θώρηξις quid 76.a
Torunium cauſæ 185.a
Tormia multas habent cauſas 179.b.177.a.b
Tremor ſoluit delirium in febribus ardentibus, quomodo 357.a.b
Tremor in letargo 467.a
τρώμα & τραῦμα quid & quomodo differant 250.b
Timor quid: eius cauſæ 354. b 355.a.b
Tumores laudabiles qui & qui illaudabiles. 320.b
Tuſſis quid: eius cauſa vt conuenit aut diſſidet cum ſternutamento 447.a.b 448.a.b
Tuſſis in febribus quibus ex cauſis excitatur 218. b. 219. a.b
Tympanites hydrops 177.a

V

Quæ conſideranda in vacuationibus 40.b
Vacuationes criticæ parum diu durant: ſymptomaticæ: diu multúmque 187.a
Varix, quid & vbi naſcitur 352.b.353.a
Varix quas cauſas habeat 353.a
Várices ſubortę quos morbos ſoluant 353.a
Varices ſponte natę breuem vitam ſignificant 353.a
Varices inſaniam ſoluunt 352.a
Variolæ 144.a
Venti quatuor 119.b. vẽtus quid 222.b.222.b
Ventres hyeme cur calidiſs. 30.a.b
Ventris regia triplex 94.a
Venter imus paulò craſſior laudatur in morbis: & in purgationibus 93.a.b
Dolores ventris ſublimes 332.a.b
Ventriculi vulnera 344.a.346.b
Venus prima ſoluit morbos puberum diuturnos 158.b
Venus ſoluit morbos increſcentes 158.b
Venus quo epilepticis confert 205.b
Ver quomodo morbidum dicitur 142.b
Ver ſaluberrimum 126.a.127.a.b.128.a
Ver exitioſum quibus 127.b.128.a
Ver quomodo ſalubre dicitur 142.b
Vere purgandum & ſanguis detrahendus, an paratis ad morbum 449.b
Vernicæ 155.a
Vertebræ ſecundæ, laxatio in pueris eſt quinta anguis, ſpecies 154.b
Vertigo vnde & quando 183.a.b
Veſicæ vitia in ſenibus difficulter ſanantur 331.a b 332.a
Veſicæ vulnera 343.a b 345.a
Victus humidus, quid: duplex 32.a
Victus humidus cur pueris 32.a
Victus humidus cur febricitãtibus: cur item frigidus 32.a
Vigiliæ vnde 162.a
Vigilia quæ commoderata 52.b
Vigiliæ remedia 413.b
Vini & aquæ permiſtio vt fit 453.a b
Vinum quomodo alimentum eſt & medicamentum 452.b 453.a.b
Vinum quibus modis appoplexiam excitat 253.a.b
Venus ſoluit morbos increſcẽtes 158.b
Vini aqua permiſcẽdi varij ſunt modi 452.b 453.a.b. 454.a
Vini generoſi potio 76.a
Viſcerum obſtructiones & ſcir-

rhi non percurantur poſt annum 331.a
Vita cur breuis 2.b.4.a
Vitæ breuioris ſunt qui cibis concoctu facilibus nutriuntur, cur 69.a
Vitæ longioris ſunt qui cibis concoctu difficilibus 69.a
Vitiligo quid: eius ſpecies 144.a
Vlcus glabroſum malum 329.b
in Vlceribus annuis aut diuturnis, cur os abcedit 376.b.377.a
Vlcera non ſunt madefacienda. 270.a b
Vlceribus an aqua proſit 270.a b.271.a.b.
Vlcera in quæ ſuppuratio procuranda: & in quibus non procuranda 269.a.b
Vmbilici inflammationes in pueris 152.a.b
Vngues nigri 469.b.470.a
in Vomitu præſcribendo quæ prius ſpectanda 169.b
Vomitiones non ſunt excitandæ hyeme 172.a
qui difficiles ad vomendum 173.a
Qui faciles ad vomendum 172.a.b
Vomitus ſanguinis quid & vnde manat 430.ab
Vomitus ſoluit longum alui profluuium 341.a.b
Vomitus inutilis eſt gracilibus & imbecilum ſtomachum habentibus 97.a
Vomitio lactis in pueris vnde 151.b.152.a.b
Vomicæ internæ ruptæ introrſum ſymptomata 403.a.b
Vox quid: quarum partium actio 433.a
Vox quid: 385.b
Vocis noxa offenſionem omnium actionum voluntariarum ſignificat apud Hippo. 285.b.285.a
Vox clangoſa 99.b
quæ ſymptomata, liberam excretionem vrinæ impediunt 442.b
Vrinæ ſtillicidium 308.a b
Vrinæ difficultati an phlebotomia conferat 366.a.b
Vrinæ ſubſtillum vnde: quid: eius cauſæ 375.b
obſtruxio triplex in meatu vrinario 247.a
in meatu vrinario tuberculum 246.b
in meatu vrinario caruncula 246.b
Vrinæ damnantur in morbis quæ repentè, & parum, & intercíſæ & coactæ ſunt 84. b.
Vrina conſtans, & æquabilis 76.ab
Vrina inconſtans 426.b
Vrinæ, vrinis iumentorum ſimiles 231.b
Vrina cruenta quibus ex cauſis & vnde 241.ab
Vrinæ albæ 234.b
Vrinæ grauis odor vino 245 b
Vrinæ ſpumantes aut bulloſæ

427.ab
Vrina furfurea vnde 240.b
Vrina craſſa 231.a
Vrina turbida 231.a
Vrina tenuis 231.a
Vrina grumoſa 231.b
Vrina pinguis & oleoſa vnde: & quid præſagiat 429.a
Vrinæ pellucidæ 234.b 235.a b
in Vrinis ſedumentum triplex 231.b
Vrinæ ſedimentorum triplex genus 426.a
Vrinarum ſedimenta craſſiorē farinam referentia, quid ſignificent 425.a b
Vrinarum ſedimenta bilioſa, qualem morbum preſagiant 426.a
in Vrina ſedimentum ſabuloſum, vnde ortum habeat 242.a.b
carnicula cũ Vrina vnde 239.ab
in Vrina nubecula 233.b
ſanguis cum Vrina vnde 238. a.b. 244.b. 245. a. 246.a
pili Cum vrina vnde 239. a. b 240.a
ſquamula vna cum Vrina 245.b.246.a
pituita in Vrina 246.a
pus cum Vrina aliquando à corde, aliquando à thorace 238.b
pus cum Vrina vnde 238. a. b 245.a.b.246.a
Vterus intemperatus cauſa ſterilitatis 312.b
Vterus præhumidus 312.a b.
Vterus frigidus & denſus 312. a.b
Vterus ſiccior & æſtuoſus 312 a.b
Vteri magnus cōſenſus cum mammis 287.a
Vterus magnum habet cōſenſum cum ſyncipite 283.a
Vteri ſtrangulatus quid: eius cauſæ 284.b
Vterios in grauidis concluſum molle eſt: in vteri duritie aut ſyrrho, durum 304.a
os Vteri clauditur arctiſſimè in grauidis 301.a
Vulnera partium carnoſarum equibus portio aliqua ablata eſt, non manent caua, quemadmodum vulnera partium ſolidarum, cur 351.b
Vulnera partium nobilium quæ magis aut minus lethalia 343. a.b. 344. a. b. 345. a b. 346. a. b. 347. a. b. 348. a b.
Vulnera partium ſpermaticarum è quibus portio aliqua ablata eſt, caua ſemper manent. 351.b
Vulnus lethale quot modis dicatur 344.b
Vulnera capitis 243.b 245.b.
Vulnera cerebri qualia 383.a.b 384.a
Vulnera cordis 343.b 346.b

Vulnera iecoris 344.b 346.a
Vulnera ventriculi 344.a 346 b
Venarum vulnera 347.b
Vulnera venarum 347.b
Vulnera arteriarum 347.b
Vulnera aſperiæ arteriæ 348.a
Vulnera lienis 349.a
Vulnera diaphragmatis 343.b. 346.a
Vulnera inſteſtinorum 344.a 346.b
Vulnera veſicæ. 343.a.b 345.a.b
qui Vulnerantur incertamine cur dolorem non ſentiunt 55.b

FINIS

# Errata ſic corrigito.

| Pagina. | Verſu. | Lege |
|---|---|---|
| 10.a | 8. | *eum* |
| 15.a | 4. | *Sic* |
| 23.b | 12. | *iudicia* |
| 34.b | 15. | *os aut aluus* humore *perfundi,* |
| 34.a | 5. | *preterquam* quod |
| 34.b | 2. | *indicatio* |
| 44.a | 27. | *parte* |
| 52.b | 16. | *Aphoriſmus.* |
| 53.b | 27. | *nimietas* |
| 56.a | 27. | *detraxit* |
| 57.b | 29. | *ſitiferis* |
| 67.b | 26. | *purgandum* |
| 70,a | 14. | *coctionis* |
| 71.b | 14. | *indicia* |
| 71.b | 26. | *Sic* |
| 72.a | 7. | *humecta* |
| 86.a | 4. | *excernuntur,* |
| 86.a | 24. | *lentoris* |
| 87.b | 1. | *nimirum* |
| 96.a | 21. | *cardiogmo* |
| 101.b | 16. | *quatuor* |
| 102.a | 27. | *carotidum per quas* |
| 102.a | 27. | *ita vt* |
| 109.a | 28. | *inſtituimus:his* |
| 110.b | 7. | *nimis* |
| 113.b | 20. | *ſcelera:quoad* |
| 114.a | 22. | *κάτω* |
| 114,a | 23. | *ἄνω* |
| 116.b | 21. | *epidemios* |
| 117.b | 3. | *magnitudinem,morem* |
| 121.a | 4. | *hernia* |
| 134.b | 8. | *ventis* |
| 167.b | 2. | *vteri,ſecundarum* |
| 170.a | 10. | *grauis* |
| 187.a | 28. | *comparata* |
| 199.b | 19. | *quia fit interdum* |
| 200.a | 20. | *indicantibus* |

201.a 5. *quidem ſudorem*
244.b 2. *planiŋ*
244.b 4. *Plautius*
247.a 21. *Rhaſius*
252.a 30. *conuulſionis genus*
280.a 20. *iucundiſſimo*
299.a 6. *eaues perſees*
328.a 27. *petitum ab*
245.a 26. *alligatur*
347.b 24. *ſana*
248.b 3. *fuligo*
351.a 18. *ſuſceptionem*
352.a 28. *ſenſum*
352.a 29. *neceſſe eſt*
352.b 2. *vtero*
3255.a 5. *Timor*
355.a 20. *actiua*
356.a 22. *conuerſione*
78.a 11. *metactaſin*
80.a b. *canitas*
85.b 21. *diſtendendo*
08.a 17. *muſculi*
08.b 17. *vtraque*
09.b 27. *ἔκπληξις*
02.b 9. *φθοὴ*
22.b 14. *læſa ſint,*
3.a 22. *Zythum*
5.a 11. *orobis*
2.a 19. *ſed & quod*
9.a 18. *in ſeipſos contrahuntur*
1.b 4. *pinnæ.*

# IACOBI HOLLERII STEMPANI, MEDICI PARISIENSIS CLARISSIMI, IN Magni Hippocratis Coi Aphoriſmos, Præfatio.

HIPPOCRATES ex Aſclepiadarum fuit genere, maternum quidem genus ad Herculem & Iouem, paternum verò ad Æſculapium referés. Æſculapius enim, cuius inuentum medicinam eſſe credimus (quanquam id Apollini tribuunt nonnulli) filios habuit Machaona, & Podalyrium, bello Troiano eximios medicos. His ſucceſsit Nebrus, cui Soſtratus, cui Theodorus, cui Hippolochus, cui Cleomitadas, cui Chryſamides, cui Gnoſidicus. Huius filius fuit Hippocrates primus, magnus dictus, qui ſcripſit libros de articulis & de fracturis. Hic genuit Heraclidem Hippocratis Coi genere Dorienſis patrem. Qui Hippocrates medicinam didicit ſub patre & auo. Habuit & præceptores (Suida teſte) Erodicum & Selybrianum, Gorgiam rhetorem, & philoſophum Prodicum (vt quidam volunt) & Democritum etiam Abderiten, vt alijs placet: Vixit in Macedonia regi Perdiccæ chariſſimus. Vixit & in Theſſalia, quò patria bello Athenienſi pulſus confugerat. Vbi

etiam ſcripſiſſe dicitur libros quatuor, Iuſiurandum, Prognoſtica, Aphoriſmos, opus ſexaginta librorum, πολυθρύλλητον καὶ πολυθαύμαστον vocitatum, hoc eſt diuulgatum & magnæ famæ, quod vniuerſam medicinam cõplectebatur. Iam ignoratur id opus, niſi in multos Hippocratis libros ſit diuiſum. Hos autem libros confecit Hipp. ex monumentis in templo Æſculapij adſcriptis. Eò enim ſiue ob Æſculapij numen, ſiue ob Aſclepiadatum nomen & peritiam depellendorum morborũ, conueniebant multi ægri, qui vbi hoc vel illo remedio eſſent adiuti, nomen ægri cum remedio in parietibus templi ſcribebatur. In eo porrò templo ſedebat AEſculapius peculiari quodam habitu: quo fit, vt credamus medicorum habitum ab aliis olim diſtinctũ fuiſſe. Dextra quoque barbam prolixam tenebat, altera baculum ſerpente inuolutum. In ſinu multas geſtabat pyxides variis remediis refertas, multa quoque prope illum iacebant inſtrumenta chirurgica. Iſtud autem tẽplum celeberrimum ab Athenienſibus fuit cõbuſtum, & ſolo æquatum: vnde coactus eſt fugere in Theſſaliã Hipp. Hic autem obiit anno ætatis 104. ſepultúſque eſt Lariſſæ in Theſſalia, relictis duobus filiis, Theſſalo & Dracone. Quorũ vterque reliquit liberos, ille Hippocratem tertium, hic quartum. Hippocrates fuerunt alij tres, quintus & ſextus Thymbræi medici, ſeptimus Praxianactis filius. Septẽ hi Hippocrates aliquid ſcripſerũt de re medica.

Iam tempore Hippocratis Coi fuerunt ſcholæ medicorum ſiue ſectæ tres celeberrimæ, Gnidia, Rhodia, & Coa, omniũ præſtãtiſſima & veriſſima, quam amplexus eſt Hipp. quæ omnes perierunt ob tyrannidem Athenienſium. Poſteà in Italia extiterunt ſectæ Philiſtionis, Pauſaniæ, & Empedoclis. Longo poſt tempore

In eadem Italia fuerunt Mneſitheus, Diphilus, Philotimus, Eraſiſtratus, & Diocles, qui ob artem dictus eſt ab Athenienſibus iunior Hippocrates. Hi omnes ex Aſclepiadarum fuerunt genere, ſectámque Coam tenuerunt: quanquam ex his nonnulli inter ſe diſſenſerunt, à ſuaque ſecta deflexerunt. Itaque ex ſupradictis facilè colligi poteſt, medicinam hominibus datam eſſe diuinitus: tum etiã perſpici, à quàm paruis & rudibus initiis profecta magis ac magis creuerit, amplificatáq; fuerit.

Sed iam dicendum quid ſit Aphoriſmus, & quæ eius proprietates: ſi prius docuerimus (Galeno authore) libros Hippocratis à libris Theſſali & aliorum diſtingui breuitate, ſententiarum grauitate, vſitatis vocibus, intermixtis Ioniſmis, ſed ſine ſolœciſmis. Tum illud eſſe præiudicium de Aphoriſmis, vt exiſtimarint veteres ſuperare omnem vim ingenij humani.

Aphoriſmus igitur à verbo Græco ἀφορίζω deducitur: quod verbũ duo ſignificat, ſeparo ſcilicet ac diuido, & definio, ac breuiter rem concludo & explico. A prima ſignificatione Arabes Diuiſorum ſermonũ libros, alij Diuiſiones Aphoriſmos ſunt interpretati, ſed malè: melius enim ſententiæ dicerentur. Neque in eo tãtùm conſiſtit ratio Aphoriſmi, vt ſit ſermo ab aliis diſtinctus & ſeparatus: ſed in eo potius, vt breuiter rei de qua tractat proprietates definiat atque circumſcribat. Vnde rectè definit Galenus, cum ait: Aphoriſmum eſſe, quũ rei totam naturam breui oratione cõcludimus: vt, in acutis morbis ſanguinem detrahes ſi vehemens morbus fuerit, ſi floreat ætas, & vires valeant. In Aphoriſmo itaque notari debent hæ proprietates. Sit vniuerſalis, verus, breuis, grauis ſententia, ſit ſeparatus.

# IACOBI HOLLERII MEDICI CLARISSIMI IN APHORISMOS Hippocratis Commentarius primus.

*Aphoriſmus, primus, ſeu Proœmium Hipp.*

I.

Ὁ βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. Δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑωυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιέοντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

*Vita breuis, ars longa, occaſio volucris, periculoſa experiētia, iudicium difficile. Nec vero ſatis eſt medicum ſuum feciſſe officium, niſi ſuum quoque ægrotus, ſuum aſtantes faciāt, ſintque externa ritè comparata.*

HÆc Hippocratis oratio, ſiue ſit vnus Aphoriſmus, ſiue plures (vt alij volunt) non eſt proœmium totius artis medicinæ (vt quod ſit initio libri κατ' ἰητρεῖον, qui etiam hunc Aphoriſmorum librum præcedit) ſed eſt proœmium huius operis. In hoc autē proœmio tria facit. Reddit rationē ſui inſtituti, quòd ſcilicet neceſſaria ſit Aphoriſtica doctrina, quę ſummam ſequitur breuitatem: quandoquidem vita ipſa humana breuis ſit & momentanea, ars verò longa. Vitam itaque breuem dixit artis comparatione. Deinde propoſita difficultate nobis perſuadet magnam eſſe diligentiam in arte adhibendam. Tertiò nos monet noſtri officij. Porro quid ſit vita, & quomodo ſit breuis, clarius eſſe exiſtimamus,

quàm vt ab interprete exponatur: verum de ea dictione ( Ars ) dicendum venit.

Ars eſt comprehenſio ſeu doctrina ex pręceptionibus veris, certis, vniuerſalibus, conſentientibus inter ſe & ad vnum finem. Quę omnia conueniunt medicinæ, quam Hippocrates vocare ſolet artem, non ſcientiam. Author medici ſeu Iſagoges, non poſſe eſſe ſcientiam aſſerit; ſiquidem hæc non cadit in homines & res humanas. Nos dicimus vocari poſſe tum artem, tum ſcientiam. Nam cùm ſit Medicus duplex, ἐπιστήμων, καὶ ἰάμθμος: (ἐπιστήμων quidẽ quum commentatur & diſputat de Elementis corporis humani, de temperamentis, de functionibus animalibus, naturalibus, vitalibus, de anatomia, morbis, cauſis morborum, ſymptomatis & ſignis: ἰάμθμος verò, vbi ad curandum accedit ) erit certè etiam bipartitò diuiſa Medicina. Quatenus enim verſabitur in elemẽtis, temperamentis cauſis, &c. dicetùr ſcientia, quâ ſciens extenditur ad intellectum & ſenſum. Vbi verò curabit, dicetur ars coniecturalis, vel ars factiua. Gal. lib. tertio de differ. pulſuum reddit cauſas artis longæ, vt medicina reuera ſcientia eſt & contemplatiua: hîc verò vt eſt ars factiua. Ars ergò hîc intelligitur, ars factiua: quæ longa eſt, quia omnium ferè operationum particularium occaſionem habeat momentaneam & ob id captu difficilem, vt nemo eam internoſcat, niſi qui probè in hac fuerit exercitatus: tũ verò, quia ex duobus inſtrumentis ad artes inueniendas neceſſariis, vnum ſcilicet experimẽtum, periculoſum ſit: alterum verò, ex ratione iudicium, haudquaquam facile exiſtat, imò (ſi quid aliud) maximam habeat difficultatem.

Καιρὸς, ſiue καιρία, eſt opportunitas rei faciendæ vel non faciendæ. In exhibendis autem ten-

peſtiuè remediis tota vis eſt curationis: ob id occaſio dicitur curationis anima. Pręceps eſt, propter mutationem materiæ duplicis, circa quam, & ex qua remedia. Corpus enim noſtrum (teſte Galeno) perpetuò fluit, & temporis momento tranſmutatur. Quæ mutatio fit tum propter qualitates inſitas & internas, vt à morbo: tum propter aduentitias, vt cauſas externas.

*Peric. exper. iud. diff.*) Plato lib. de repub. 9. vbi exponit κρίσιν ſiue δύναμιν κριτικὴν, tribus (inquit) iudicat philoſophus & medicus, ἐμπειρίᾳ, φρονήσει, καὶ λόγῳ. Experientia eſt ſępius repetita memoria eorum quę propriè percepta ſunt ſenſu, vel impropriè, & ſecundariò eorum quæ animo cogitata ſunt. Hæc periculoſa eſt, fallax & lubrica propter corporis humani dignitatem. Vnde rectè dictum, Experimenta per mortes agunt. Φρόνησις ſenſus eſt communis, & ea duplex eſt, acquiſita per experientiam, & naturalis. Sic λόγος, ſiue λογισμὸς, id eſt ratio, duplex eſt, naturalis, & acquiſita. Iudicium itaque, hoc eſt, ratio per quam quid faciendum ſit iudicatur, eſt difficile: verum inquam iudicium, ſeu vera ratio non facilè inuenitur. Quod cuiuis promptum eſt colligere ex tot ſectis & opinionibus, quæ in arte fuerunt medica, vt fuſè docet Gal. in commentarijs.

*Oportet autem*) Conſilium eſt Hippocratis, quanquam poteſt eſſe & præceptum. Oportet enim ægrum & medicum armari contra morbum. Per aſſidentes intelligit nō ſolùm eos qui miniſtrant ægro, ſed & qui inſeruiunt medico: cuiuſmodi ſunt ῥιζοτόμοι, coqui, qui venas ſecant, qui clyſteres iniiciunt, qui cucurbitulas affigunt &c. Per externa omnes externas iniurias intelligit, vt ſunt pluuiæ, tonitrua, fulgura, vicinorum tumultus, canum latratus, triſte aliquod nuncium, ira, gau

dium &c. nam propter errorem commiſſum in his omnibus, ſæpe accidit vt criſis impendens vel curatio impediatur,& æger aliquando moriatur.

## SCHOLIA.

*HOc Aphoriſmorum opere Hipp. videtur Coſmographos imitatus, qui dum vniuerſum orbem in anguſtiorem mappam contrahunt, omiſsis vacuis terræ ſpatiis, duntaxat celebriores ciuitates oſtendunt. Ille enim circunciſis longioribus demonſtrationibus, quas aliis libris fuſius explicauit, difficilimas quaſque medicinæ factiuæ partes hîc obiter inſinuat: ſummáque ac præcipua totius artis theoremata annotat, quibus breuiter & diſtinctè cognoſcendi, prædicendi, atque medendi præcepta tradit: propoſitis interim familiaribus exemplis, quæ excellentia vincunt res quæ ſunt eiuſdem generis. Quæ diſcendæ ac docendæ medicinæ Aphoriſtica ratio, omnium commodiſsima exiſtit: quòd vitæ curſus ſit admodum breuis, non modò ad artem comparatus, ſed & per ſe ſpectatus: nimirum fato & caſu. Ac fato quidem, ob quatuor elementorum quibus conſtamus, pugnam pene aſsiduam, eámque in homine, ſi Ariſtoteli credamus, quàm in vllo alio corpore euidentiorem: Ob effluxus ſubſtantiæ triplicis perennitatem, & humidi primigenij exhauſtum. Caſu autem ceu vi rerum extrinſecus incidentium: Ob nutritionis neceſsitatem. neceſſariò enim cibos ſumimus, vnde multus excrementorum prouentus: Ob diætæ vitium, vnde morbi: Ob aeris nobis circunfuſi intempeſtiuũ aut contagioſum ſtatum: Ob infelices influxus aut aſpectus ſyderum: Ob violentos externarum iniuriarum impetus, vt Didoni, quæ manus crudeles ſibi intulit: à quibus omnibus mors ſequatur. Ars verò longa, cùm ob ingenij humani imbecillitatem, ſed maximè ob rerum quas ipſa medicina continet obſcuritatem,*

*ac multitudinem: vt quæ, quinque partibus conſtet (quarum vnaquæque eſt ars magna per ſeſe) contemplatione naturæ, prorogatione valetudinis, affectionum inſpectione, ſignorum controuerſia, & morborum curatione: quæ tantis inuolutæ ſunt difficultatibus, vt ſi vita nobis quadruplo longior concederetur, ne ipſa quidem ſufficeret ad eas artes perdiſcendas. Opportunitas quoque ac delectus rerum ſumendarum, admouendarum, faciendarum, educendarum ad conuenienter medendum, præceps eſt: propter morbi & naturæ cuiuſque ſtatum, variámque peculiaris cuiuſque naturæ conditionem ac conſuetudinem, vt minimis momentis maximæ fiant inclinationes vel in ſalutem vel in perniciem ægri. Periclitatio item ac obſeruatio tum eorum quæ in morbis fiunt, tum remediorum fallax & periculoſa: quòd multa fieri ſæpe putantur naturæ lege, quæ ſunt planè ſymptomatica, & contra naturam. Deinde, quòd nullus morbus omnibus idem, nec vllum remedij genus parem vim habeat in ſingulis ad medẽdum. Præterea, iudicium ac diligens ſignorum, cauſarum, corporum & remediorum diſtinctio ad cognoſcendum, prædicendum & curandum (quæ tria ſunt medici officia) omninò neceſſaria, ardua ac difficilis admodum exiſtit: ſimilitudines enim bonis & eruditis medicis non raró imponunt, teſte Hip. ſect. 8. lib. 6. Epid. & Gal. lib. 9. de Plac. Hipp. & Plat. vbi hic Aphoriſmus explicatur. Nec ſolum ſeſe comparare debet medicus, vt faciat quod facto eſt opus, iudicio & experentia occaſionem arripiendo: ſed & æger, obediendo & fideliter referendo: Et illi qui præſto ſunt, vt Pharmacopœi in remediorum electione, præparatione, mixtione & exhibitione: Chirurgi, coniuncta diuidendo, diuiſa coniungendo, & ſuperflua tollendo: Clinicæ mulieres, fide, officio, diligentia. Et quæ ſunt à foris, vt cœlum, ſolum, verba, infeſſus, vngues, veſtitus, & quæ ſunt eiuſdem generis.*

## APH. II.

EN τῇσι ταραχῇσι τῆς κοιλίης, καὶ τοῖσιν ἐμέτοισι τοῖσιν αὐτομάτως γινομένοισιν ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. Οὕτω δὲ καὶ ἡ κενεαγγείη, ἢν μὲν οἵην δεῖ γίνεσθαι γίνηται. ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσιν· ἢν δὲ μὴ, τοὐναντίον. ἐπιβλέπειν οὖν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους ἐν ᾗσι δεῖ, ἢ οὔ.

*IN perturbationibus alui & vomitionibus quæ ſponte fiunt, ſi qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: ſin minus, contra fit. Sic & vaſorum depletio, ſi qualem fieri oportet, fiat, confert, & facilè ferunt: ſin minus, contra accidit. Proinde & regionis & temporis, & ætatis, & morborum habenda eſt ratio, pro quibus talia vacuari conueniat, necne.*

HIppocrates hoc lib. primo totus eſt in præceptis de vacuationibus, purgationibus, & ratione victus. Eſt autem κάθαρσις, purgatio eorum humorum, qui naturæ ſunt infeſti & qualitate peccant: ſiue ea purgatio fiat criſi, ſiue opera medici, ſiue vi morbi. Triplex ergò erit purgationis genus: quũ videlicet natura molitur purgationes, vt in criſibus: quum operâ medici fiunt, vt pharmaco: Quæ duæ purgationes ſi decenter ſint factæ, iuuant ægros, fortioréſque reddunt: Tertia purgationis differentia fit vi morbi, dicitúrque ſymptomatica: Hæc ſemper lædit ægrum, debiliorémque efficit. Porrò in hoc Aph. primùm meminit naturalis purgationis, deinde eius quæ fit à medico: Vbi notandum, medici triplex eſſe munus. Nam & ſpectator eſt naturæ, & imitator, & miniſter. Spectator eſt certaminis naturæ cum morbo, vbi nihil præſcribit quum ſentit futuram ſequenti die criſin. Imitator eſt, quum, vbi videt morbum protendi, naturámque tardiorem, eius imitatione materiã primũ incidit, deinde tenuat, ac vacuat.

Miniſter, vt, quum naturæ humorem noxium expellere conanti per locũ aliquẽ idoneum, viá ſtruit atque adminiculatur. Cæterùm perturbationes hæ naturales debent eſſe leues, fiúntque propter flatus, murmura, ventris dolores, &c. Primùm autem purgantur quæ vellicant, deinde fiunt purgationes blandæ, & quæ proſunt ægro. Sed purgationes ſponte factæ duplices ſunt: naturales, vt criticæ: ſymptomaticæ, vt vi morbi. Naturales, ſi non ſint integræ & abſolutę, perficiat medicus, ſymptomaticas retineat. Conferũt denique purgationes hæ ſpontaneæ, quãdo inde minuitur morbus aut leuatur, ſymptomata miteſcunt aut tollũtur, vires inſtaurantur. κενεαγγεῖν, vox eſt dubia apud Hippocratem. Interdum enim nomen eſt generale, interdum ſpeciale. Quum eſt generale, ſignificat omnem vaſorum inanitionem, quomodocumque fiat. Quomodo accipitur hoc loco. Aliquando nomen generale mutatur in ſpeciale: hoc eſt, ſignificat ἀρτηρίαν, i. mediam: item venæ ſectionem, &c.

*Habere itaque.*) Aſclepiades & Galenus obſeruarunt pleuriticos, quibus ſecabatur vena Romæ & Athenis, malè habere: quòd vtraque ciuitas magna ex parte eſſet obuerſa auſtris: contra in Paro & Helleſponto bene habebant, quia hi obiecti ſunt ventis ſeptentrionalibus. vide 3. epid. Sic Narbonenſes medici reprehẽdunt medicos Pariſienſes, tanquam ad aperiendam venam audaciores. At Pariſijs facilè phlebotomiam ferunt, quia perflantur à ventis aquilonibus. Narbonenſes verò, & Lugdunenſes non ita facilè, ea præſertim parte quæ auſtrum & mare mediterraneum ſpectat. Quo fit vt Pariſiẽſes pleuritici bene habeant à miſſione ſanguinis, Narbonenſes verò ac Lugdunenſes, lædãtur. Re-

gionem igitur cõſiderare oportet, quia ſcilicet vel calidior eſt, vel frigidior, &c. Habenda quoque ratio temporis anni. Vt, ſub cane & ante canem, id eſt æſtu feruido: & vigente bruma non ita facilè purgamus, & ſanguinem detrahimus, niſi id parcè admodum fiat. Si tamen & ſub cane, & brumali tempore contingat eſſe temperatum cœlum, & purgare audacius, & ſanguinem mittere poſſumus. Habita itaque ratione temporis & pręſentis, & præteriti, medicaméta & purgationes nonnunquam temperamus. Sic ratione ætatis (vt pueritiæ & ſenectutis) non detrahit ſanguinem Gal. Ratiõne etiam eiuſdem inſtituere aliquãdo debemus leuiora pharmaca, & leuiores ſanguinis miſſiones. Habenda item morborũ ratio. Nam morbi quidam ſunt in quibus neque purgatione, neque euacuatione alia opus eſt: vt in morbis à ſola intẽperie, in morbis hypochondriorum, & inflãmationibus internis. Morborum autẽ nomine cõprehẽdimus & morborũ cauſas, & ſymptomata. Cæterùm præter has quæ hîc adferuntur, multæ ſunt aliæ cautiones adhibendæ in purgando. Vna, vt ſit fluxile corpus, & medicamentum materiæ expellendæ analogum. Secunda, vt in morbis longis ſemper, antequam purges, concoctionem humorum expectes: in acutis quoque, niſi materia turgeat, eandem concoctionem procures. Tertia, vt etiamſi fluxile ſit corpus, viæ liberæ, materiáque turgeat, nunquam purges ſi adſit inflammatio in aliquo viſcere, aut ſi ardentiſſima febris vrgeat: in qua ſi purges, aliquid quidem materiæ vacuabitur, ſed excandeſcet bilis, & febris augebitur. Quarta, vt phlebotomia purgationem præcedat, ſi quando vtroque iſto remedio ſit opus in morbis. Quinta, ne tempus purgandi definiatur ex dierum

numero, ſed ex vrgente neceſſitate purgationis quocunque die illa ſe offerat: non enim in purgando ſpectandum eſt, hic dies eſt criticus, hic dies non eſt criticus: poſſumus enim die etiam critico mouere, ſi nondum mouerit natura. Sexta, vt purgatio die clementiori inſtituatur, diebus nimirum paribus in morbis acutis, quòd in illis, natura ſit occupata diebus imparibus in coquendo morbo: ſic enim Galenus ſcribit excretiones quæ fiunt per vrinas & inteſtina mouendas eſſe potius diebus quietis & intermiſſionis. Contrà, quæ per vomitum aut nares fiunt, potius diebus imparibus. Septima, vt purgans medicamentum propinetur matutino tempore: nam cùm natura ferè ſoleat mane promouere & excernere quæ ſunt inutilia, medicus tanquam naturæ imitator, mane medicamenta exhibebit: niſi forſan æger, quia ob acceſſionem nocturnam totam noctem duxerit inſomnem, vigilijs defatigatus mane ſomnum ineat: tum enim differendum eſt medicamentum ad horam nonam aut decimam, (quatuor interim horis ante paſtum) aut in horas pomeridianas, vt horam tertiam, aut quartam: Differendum quoque medicamentum in aliam horam quàm matutinam, ſi mox inuaſuram acceſſionem præſentiamus: aut ſi horis matutinis ſudor, vel alia aliqua excretio iam moueatur, aut mox affutura expectetur.

## *SCHOLIA.*

*HAc prima Aphoriſmorum ſectione explicat Hip. qualis cautio adhibenda ſit in medendis morbis, potiſſimum acutis, quam totam ſtatuit in conuenienti remediorum, purgationis ſcilicet, phlebotomiæ & diætæ qualitate, quantitate,*

*vtendi modo, & occaſione, indicationibus ſumptis à morbo, viribus ægri, peculiari eiuſdem natura, & conſuetudine. Purgationis ergo, de qua hîc primùm agitur, hæ ſunt cautiones: Dum ſponte fertur aluus profluuio vniuerſali vel ſingulari: aut ventriculus ſeſe exonerat vomitu etiam vniuerſali vel ſingulari, nulla medici opera citato, ſed ſolius naturæ expultricis robore oborto: ſi ea vomitione aut deiectione ſpontanea, humor qui qualitate in vicio eſt excludatur conuenienter per loca lege naturæ commoda: nec vlla ratio deſideretur qualitatis temporis & excretionis modi, vtpote ſi ſyncerus non ſit, ſi non ſtrideat, ſi non ſpumet, ſi non crebro & paulatim feratur. Eiuſcemodi humoris purgatio œconomiam naturalem labefactatam reſtituit, & partes nutritioni dicatas ab omni periculo vindicat: eſtque ægris toleratu facilis, vt qui eius ope liberantur multis ſymptomatis, quorum onere premebantur, & cibi reddũtur appetentes. Quod ſi nec vtiliter nec conuenienter feratur humor ille vicioſus, ægros damnis auget, eóſque multò infirmiores reddit. Purgationis artificioſæ idem eſto iudicium. Hæc enim, medicamentis pituitam aut bilem vtranque ducentibus ad imitationem naturæ comparata, ſi humorem qui in vitio eſt, conuenienter excludat, ægros morbis defunctos recreat: ſin minus, eos damnis auget, variiſque ſymptomatis, vt æſtu, ſyncope, ſiti, iactatione totius corporis, febre auctiore ſæpe etiam conuulſione (vt ab antimonij vſu contingit) fatigat, indéque multò infirmiores reddit. Proinde, vt certo iudicio comprehendas dum ſponte aluus fertur, aut vomitu ſeſe ventriculus exonerat, vtrum* καλῶς καὶ χρησίμως, *boniſne an malis ægris rebus feratur: itemque vt intelligas, qui & quales humores artificio medici ſint purgandi, bonis ægrorum rebus, eorúmque facili tolerantia, præter colorem cutis extimæ, qui humoribus intus deliteſcentibus ſimilis eſfloreſcit, niſi intrò refluxerint, inſpicienda hæc ſunt. Regio, in ſitu, ventis, & aquis, ſole &*

*cælo vernaculo, atque diæta communi: Temporum præſentium & preteritorũ viciſsitudines, tempeſtatúmque mutationes: nam qualis aer, tales & ſpiritus, tales & humores, & unà cum temporibus mutantur ventres: Ætas, quòd illa temperamenti & habitus mutationem adferat, naturam cuiuſque communem & ſingularem contineat in habitu, temperamento & humoris dominatu: Et morbi, epidemij, vernaculi, diſperſi, in eſſentia, parte affecta, cauſis efficientibus, ſymptomatis, periodis, paroxiſmis & criſibus, in quibus vomere aut non vomere, ferri aluum aut non ferri principio, ſtatu, aut fine, conueniat.*

## APHOR. III.

Ἐν τοῖσι γυμναστικοῖσιν αἱ ἐπ᾽ ἄκρον εὐεξίαι σφαλεραί, ἢν ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἔωσιν· οὐ γὰρ δύνανται μένειν ἐν τῷ αὐτέῳ, οὐδὲ ἀτρεμέειν· ἐπεὶ δὲ οὐκ ἀτρεμέουσιν, οὐδέτι δύνανται ἐπὶ τὸ βέλτιον ἐπιδιδόναι, λείπεται ἐπὶ τὸ χεῖρον. τουτέων οὖν εἵνεκεν τὴν εὐεξίην λύειν ξυμφέρει μὴ βραδέως, ἵνα πάλιν ἀρχὴν ἀναθρέψιος λάβῃ τὸ σῶμα· μηδὲ τὰς ξυμπτώσιας ἐς τὸ ἔσχατον ἄγειν, σφαλερὸν γάρ, ἀλλ᾽ ὁκοίη ἂν ἡ φύσις ᾖ τοῦ μέλλοντος ὑπομένειν, ἐς τοῦτο ἄγειν· ὡσαύτως δὲ καὶ αἱ κενώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἄγουσαι, σφαλεραί· καὶ πάλιν αἱ ἀναθρέψιες αἱ ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαι, σφαλεραί.

## *APHOR. III.*

*Athletarum plenior corporis habitus ſi ad ſummum ſit plenitudinis gradum perductus, lubricus eſt. neque enim eodem permanere aut conſiſtere poteſt: quum verò non conſiſtat, nec iam poſsit in melius proficere, ſupereſt vt recidat in deterius. Quamobrem plenior illa corporis habitudo haud cunctanter ſoluenda eſt, quò corpus nouæ nutricationis initium capiat. Non tamen vſque eo vacuando pergi velim, vt vaſa in ſe penitus conſidant. hoc enim tutum non eſt: ſed quantum natura feret, eò vſque progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculoſæ: contráque repletiones extremæ ſi fuerint, periculoſæ ſimiliter.*

HIc Aphor. maximè pertinet ad euacuationem ſanguinis, ſeu phlebotomiam. Legendúſque tibi eſt Gal. liber de Euexia, & liber de exhortatione ad bonas artes, vt hunc Aph. rectè intelligas. Eſt autem εὐεξία, nihil aliud quàm firma ſeu bene conſtituta affectio, vt inquit idem libro ad Thraſybulum. Duplex eſt, ſalutaris ſeu naturalis, & cum adiectione athletica. Salutaris, qualis eſt quadrati corporis, & in ruſticis foſſoribus quibuſdam. Hæc habet humores iuſta quantitate & qualitate, mediocre genus lacertoſum & muſculoſum. At in euexia athletarum eſt tantùm peccatum in quantitate: quod quidem grauiſſimum eſt. In textu Græco ἐπ' ἄκρον καὶ ἐν ἐσχάτῳ palilogia non eſt: ſed ἐν τῷ ἐσχάτῳ addidit ad maiorem expreſſionem, vt in re periculoſa. Periculum porrò in his conſtitutionibus athleticis triplex imminet. Primùm, ne vaſa nimium diſtenta rumpantur: vaſa inquam, quæ ſunt circa hepar, thoracem, & pulmones. Huiuſmodi enim vaſa tenuiora ſunt & molliora, quàm ea quæ ſunt cuti propinqua, & aëri expoſita. In his præterea efferueſcit magis calor & ſpiritus quàm in alijs partibus. Secundum periculum, quia quum non difflantur humores, fiunt febres ardentes, ſyncopæ cardiacæ, &c. Tertium ne interceptione venarum capitis, fiant apoplexiæ & epilepſiæ.

Soluitur autem plenitudo bifariam, ſponte & arte. Sponte, quoniam aliquando excitatur hæmorrhagia è naribus, aliquando profluuia cruenta alui, vomitiones ſanguinis. Interdum erumpit ſanguis, aperto venæ in habitu corporis orificio: quod tamen rarum eſt. Arte, vt purgationibus, clyſteribus, inedia, balneis, frictionibus, exercitijs, medicamentis digerentibus, phlebotomia. In extrema plenitudine frictiones, balnea, exer-

citia, medicamenta digerentia ſunt periculoſa: Statim enim ſanguinem fundunt, vt locum maiorem occupet. Illa etiam tria, purgationes, inedia, clyſteres parum proſunt. Vnicum ergò ſupereſt remedium, nempe phlebotomia: quam tamen facies per vices. Nec tamen vacuationes ac ſubſidentias ad ſummum perducere oportet. Vt, ſi libræ quatuor ſanguinis ſunt detrahendæ, non detrahes quatuor: ſed naturæ aliquid, quod poſteà paulatim vacuetur, relinques: Vel poſtquam ſanguinis partem detraxeris, reliquum diſcutiendum remedijs vacuatorijs, vt inedia, balneis, frictionibus, exercitijs, purgationibus, clyſteribus. &c. ξυμπτώσιας autem vocat, quòd vacuatis vaſis ſubſidat moles corporis, quemadmodum videre eſt in ieiunorum manibus, in quibus, quia corpus vacuatum eſt, concidit & contracta eſt carnis moles, at in lautè pranſis manus intumeſcunt & attolluntur. Cæterùm Gal. in meth. med. enumerát pericula, quæ extremas vacuationes præſertim ſanguinis, ſequantur. Sequitur enim decoloratio, hydrops refrigerato hepate cũ toto ſanguine, apoplexia, marcor totius corporis, aliquãdo delirium: Nam vnà cum ſanguine plurimum eſſentiæ animę ſeu ſpiritus effunditur. Interea in ſanguine vacuando animaduertenda eſt ægri natura, id eſt, vires. Nonnunquam enim (vt in ſynochis) ſanguinem mittimus ad animi deliquium, modò valeant vires. Spectandus & corporis habitus: quia videlicet & rara & laxa cutis eſt, ac molle corpus. Tum enim minùs ſanguinem detrahemus. Contrà ſi corpus denſum ſit & durum.

*Pari modo.*) Anteà dixit de vacuationibus in ſanis, ídq; ſpeciatim: nunc agit de vacuationibus in ægris, ídque generatim, fiunt autem in ægris vacuationes remedijs illis vacuatoriis.

*Refectiones*

*Refectiones.*) De renutritionibus, quâ arte debeant fieri, docebit Hippocrates lib. 2. Aphoriſmorum. Quæri autem poteſt an aliquando purgare, aut ſanguinem mittere vſque ad animi deliquium oporteat, quemadmodum indicat Aph. 23. huiuſce ſectionis. Quod ad purgationem attinet, Hippocrates, vt & Galenus, contra Eraſiſtratum, eam videntur improbare quę fit vſque ad animi deliquium, adeo vt ſi fortè contingat vt æger ſit vſque ad animi deliquium purgandus, potius & tutius ſit vacuandus per phlebotomiam, quàm per medicamentum: quòd medicamentum ſiſti nullomodo poſſit, phlebotomia facilè. Quod ad phlebotomiam ſpectat, nonnulli etiam eam ſuſtulerunt, quæ fit ad deliquium animi, quòd illa vim animæ inferat: repetitam verò probarunt. Eſt autem ad animi vſque deliquium ſanguinem mittere apud veteres, detrahere vſque ad viginti quatuor vaſcula, vt vnumquodque vas capiat vnc. 3. Verú admonet Gal. comm. in lib. 1. de ratione victus, huiuſcemodi miſſionem ſanguinis tentandam nō eſſe niſi in acutiſſimis morbis, iiſque in quibus robuſtæ ſunt vires, florens ætas, plurimus ſanguis, regio, aër & anni tempus bene temperata. Quales morbi exiſtunt febres ardentiſſimæ, dolores ſæuiſſimi, maximæ viſcerum inflammationes, carbunculi, ſynochos, laſſitudo phlegmonoſa, dolores articulorum vehementiſſimi: in his enim omnibus multo ſanguine ſemel vacuato ſtatim quieſcit calor, quibuſdam aluus cietur, aut ſudores mouentur: & ita ſoluitur aut ſaltem minuitur morbus. In his tamen regionibus tutius eſt, repetita ſanguinis miſſione vti. Cæterùm in miſſione ſanguinis non ſemper accidit animi deliquium ratione vacuationis ſanguinis, ſed aliam ob cauſam: nimirum, vel

ob timorem eius qui eſt hæmophobus : aut cum natura commota à miſſione ſanguinis, pituita vel humores mordaces ad os ventriculi confluunt, illúdque mordent ac lancinant, ſed tunc admoto venæ digito mox animus ad ſe redit. Si tamen morbus aliquis, ad animi vſque deliquium ſanguinem mittendum ſuadeat, Galeni conſilio libro de ſanguinis miſſione ad ſex vſque libras menſurales ſanguis poterit detrahi : hæ autem ſex libræ viginti noſtratia vaſcula continent.

## SCHOLIA.

*Phlebotomiæ hæ ſunt cautiones. Habitiſsima corporis conſtitutio, in qua boni habitus ſumma ſunt omnia : ſi ad ſummum euaſerit, qualem cernere eſt in athletis, quibus diſtenti ſunt muſculi, diſtenta ſanguine vaſa, & adeo ſolida corporis moles, vt nihil ſupra, periculoſa omnino exiſtit : metus enim eſt, ne vel diſtenta vaſa dehiſcant aut diſrumpantur, vnde inflammationes & hæmorrhagiæ : vel, ne oborta vniuerſalis obſtructio inſitum calorem extinguat, vnde ſyncope : vel ne interceptione venarum ſpiritus aditu ad cerebrum prohibeatur, vnde apoplexia, ex Aphor. 23. lib. 4. Hippocratis. Cum quis repente mutus redditur, venarum interceptione corpus laborat : & 2. Epid. aphoniam febris expertem venæ ſectio ſoluit. Nam illa ſuo ſtatu manere non poteſt, propter affluxus effluxum vincentis perennitatem (oportet enim vt quod influit ei quod effluxit proportione reſpondeat in bene ſano corpore) cum enim larga manu cibum capiat, ventriculus bene concoquat, digeſtio fiat ex facili: ſanguinis autẽ generatio, appoſitio, agglutinatio & aſsimilatio hæc conſequantur, periculum eſt ne præter modum habitus impleatur, vt natura locum non*

habeat in quo appoſitum contineat: neque etiam poteſt quieſcere, quòd natura nunquam ſit otioſa: cuius proprium munus eſt concoctio & ſucci alibilis aſsimilatio, quá efficit generationem & ortum eius, non quod alitur, ſed tale quale eſt id ipſum quod nutritur. Cum verò non quieſcat, quia eſt ea natura vis, illúdque ſtudium vt id conſeruet quod ipſam continet, ea ratione qua continet. vnde eſt dictum 6. Epid. hominis anima ſemper producitur, id eſt vegetatur vſque ad mortem. Nec tum vlla acceſsio ad melius poſsit adiungi, ſupereſt vt recidat ad deterius: nam cuius rei vitio vnumquodque in malis ducitur, eius acceſsione deterius multò videri ſolet. Proinde talis habitus in quo ἐυεξίας ſumma ſunt omnia, non expectato fluoris augmento & diſtributionis imminutione, ſoluendus eſt (metu ſymptomatum commemoratorum) larga miſsione ſanguinis, vel alia inſigni ac liberali vacuatione, vt corpus de integro locum habeat reficiendi ſui, comparata ſcilicet animæ, corporis & alimenti proportione: item vt anima finem ſibi propoſitum conſequatur, generando tale quale eſt id quod ipſam animam habet: nec tamen quamuis habitus athleticus ſine mora ſoluendus ſit, extenuatio ſumma eſt molienda etiam vſque ad ſyncopem, vel quoad ſanguis ex habitu corporis detrahatur. Periculum enim eſſet ne inde marcor, decoloratio, hydrops & cachexia ſequantur: ſed vacuationis quantitas metienda cùm ex affectionis magnitudine, maximè verò ex ægri natura communi & propria, inſita & aduentitia, in temperamento, habitu, humorum dominatu, conſuetudine atque diæta. Vt autem vacuationes ad ſummum perductæ periculoſa ſunt, ſic & ſummæ refectiones periculoſæ, immutatione repentina temperamenti, habitus, & actionum naturæ. Sanè omnis immoderata repletio atque vacuatio periculoſa eſt, præſertim cùm vires verſantur in ſummo infirmitatis metu.

AI λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται, καὶ ἐν τοῖσι μακροῖσιν αἰεὶ πάθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσιν, οὗ μὴ ἐπιδέχεται, σφαλεραί. καὶ πάλιν αἱ ἐς τὸ ἔσχατον λεπτότητος ἀφιγμέναι δίαιται, χαλεπαί. καὶ γὰρ αἱ πληρώσιες αἱ ἐς τὸ ἔσχατον ἀφιγμέναι, χαλεπαί.

## *APHOR. IIII.*

*VIctus tenuis & accuratus in diuturnis quidem morbis, ſemper: in acutis verò vbi non competit, parum tutus. Rurſúmque victus qui ad extremam peruenerit tenuitatem, moleſtus. Siquidem quæ ad ſummam plenitudinem perductæ ſunt repletiones, moleſtæ.*

HIc Aphor. & qui ſequũtur multi, de victus ratione ægrotantium tractant. Eum autem vt intelligamus, repetenda ſunt quæ priùs diximus de ſectis: nempe Coa, Gnidia, & Rhodia. Quas duas poſtremas reprehendit Hippocrates initio de victus ratione in morb. acutis, quòd ſine diſcrimine ægros nutrirent. At ex Hippocratis doctrina ſiquis medicum roget, quo pacto ſit nutriendus æger, reſpondebit, ægris non eſſe inſtituendam eandem victus rationem: ſed inſpiciendam priùs ægrorum naturam, ętatem, regionem, &c. Sed quò nobis clarior fiat hic Aphoriſmus, ſciendum quid dięta, quid morbus acutus, & quotuplex ſit vtrumque.

Eſt igitur Dięta (Gal. in Comm. de victu acut. morb.) ductus ille curationis, qui fit per alimenta conſueta: vt carnes, piſces, oua, &c. Morbus verò acutus dicitur eſſe Hippocrati, qui quatuordecim diebus iudicatur, vt docet Gal. ſecundo de Dieb. decretorijs. Idem ſecundo de Criſ. Hippocrates (inquit) morbos acutos vocare ſolet, quibus magna ex parte coniuncta eſt febris.

Idem etiã in comm. in ſecundum Ep. definit morbum acutum qui celeriter percurrit ſua tempora vniuerſalia, hoc eſt principium, incrementú, vigorem, declinationem. Illud autem, celeriter, intelligatur in 14.dieb. aut circiter. Diuidunt porrò morbum acutum Hippocrates & Galenus in extremè peracutum, in peracutum, in acutum ſimpliciter, & in acutum quem vocant exdecidentia, ἐκ μεταπτώσεως, rectiùs ex mutatione ſeu degeneratione diceretur: quòd nimirùm per imperfectas iudicationes ex vna ſpecie in aliam mutatur: vt ſi pleuritis tranſit in ſuppurationem. Extremè itaque peracutus morbus iudicatur ad ſalutem vel ad mortem tertio, aut ad ſummum quarto die, vt febris peſtilens. Peracutus iudicatur quinto, ſexto, & octauo die: ſed ſeptimo ſæpius vt febris ardens. Simpliciter vel exactè acutus ad decimumquartum diem protenditur, aut ad decimumſeptimum, aut vigeſimum ad ſummum.

Acuti ἐκ μεταπτώσεως (qui & tropici dicuntur) 40. diebus iudicantur. Poſt quadrageſimű diẽ qui finiuntur & iudicantur morbi, dicuntur longi, vt eſt febris quartana. Iam verò diæta triplex eſt, tenuis, plena, media. Tenuis conſeruat comminutas vires in ægris, in ſanis minuit. Media conſeruat vires ſimpliciter, Plena auget. Rurſus diuides tenuem diætam in extremè tenuiſſimam, in tenuiſſimam, & in tenuem ſimpliciter. Extrema tenuiſſima conuenit morbis extremè peracutis, vt inedia: Tenuiſſima, morbis peracutis, vt quæ fit per melicratum: Tenuis, acutis ſimpliciter morbis competit, vt cremor ptiſſanæ, & ptiſſanæ non colata. Rurſus poteſt eſſe victus exactè tenuis inter tenuiſſimum & tenuem ſimpliciter: vt ptiſſanæ ſuccus in pauca quantitate. Qui victus

conuenit exactè vel ſimpliciter acutis: at tenuis ſimpliciter (vt hordeatum non colatum) conueniet acutis ex decidentia. Verùm plenus victus conueniet ſanis: vt medius eſt, quum ſanis aliquid alimenti detrahimus. Cæterùm medici olim diuerſis rationibus victum ægris inſtituebant. Nam erant diatritarij, qui tertio die nutriebant. Erant & qui nutriebant alternis diebus, vt Theſſalici. Alij ægros fame conficiebant & enecabant, vnde λιμοκτόνοι dicti. Alij alimentorum copia ſuffocabant, vt Petronus. Cæterùm quod hîc ἀκριβέως vocat Hippocrates exactum illud vitæ genus, Hippocrates Gnoſidici filius lib. de chirurgia κεγρὸν appellat. Eſt & aliud φαῦλον, quum indifferenter ægros vt ſanos nutrimus. Eſt & ὑπόφαυλον, quod veluti eſt medium. *Semper.*) Quia nimiùm naturæ vires deiicit. Eſt autem natura robuſta, ea quæ medicatur. Tenuis autem ille victus in acutis morbis non competit, languidioribus ægri viribus, & quum intelligit medicus fore, vt longiùs protrahatur morbus, vt poſt vigeſimum. fit autem morbus longior aut breuior ob materiam multam aut paucam. Adde etiam vires ægri robuſtas aut imbecillas. Quæ materia quanta ſit deprehendere poteris, ſi præcedentem anni ſtatum conſideraueris, & præterea precedentem ægri victus rationem, &c. Exempli gratia. Laboret quiſpiam tertiana duplici (cuiuſmodi febres dicuntur etiam nothæ & catholicæ, quòd ſingulis annis redeunt) ſi præceſſerit annus humidus, vix ea febris tertio ſeptenario terminabitur, aut quarto: quia videlicet copioſior eſt materia, &c. Contrà, ſi præceſſit annus ſiccus, ob materiæ paucitatem, breuiores multò erunt. *Et rurſus.*) Intelligitur vbi non

conuenit. Non enim damnat Hippocrates extremè tenuiſſimum victum, cùm aliquando continuerit ægrum ſeptem diebus in inedia, hoc eſt in ſola potione & ſorbitione abſque cibo. *Graues ſunt)* Siquidem vtatur quis vbi non conuenit.

## *SCHOLIÆ.*

*Explicantur cautiones diætæ, quæ omnes in quantitate, qualitate, tempore & vtendi modo verſantur: primùm verò hîc agitur de copia ac quantitate alimentorum, ea potiſſimum quæ in victu tenui præſcribitur, ſimúlque quibus in morbis victus tenuis, & accuratus conueniat, & in quibus non conueniat, docetur. Ergo victus ratio quæ cibo & potu ſuſcipitur, ſi tenuis fuerit, qualitate, copia & numero, (qualitate, vt veſci cremore ptiſanæ: copia, vt veſci parca manu: numero, vt veſci ſemel in die) quibus nimirum ægri genius defraudatur: vt ſi cremor ptiſanæ exhibeatur parca manu, quantum ſcilicet tenendo cibi capiendi inſtituto, vitandóque largiori exhauſto, ſatis eſt: qualis victus ferè præſcribitur ſicco adhuc morbo, cum ſcilicet corpus ad infirmitatem viam affectat. Comment. ad Aphor. 36. lib. 1. acut. qualis etiam præſcribitur humeſcente morbo, à venæ ſectione, & diuturniore inedia tridui aut quatridui. Si quoque victus is tenuis accuratus ceu exquiſitus fuerit, dicatus nimirum morbo & morbi foco: vt melicratum pleuriticis, quia pulmones emollit, tuſſim ſedat, expectoratum promouet: oxymel aſthmaticis, quia efficit vt ſpiritus ducatur ex facili, contumacem materiam reddendo meabilem, & bronchiorum*

*alas explicando: victus is tenuis ac exquiſitus in diuturnis quidem morbis, qui vltra diem decimumquartum producuntur, in totum eſt periculoſus: quia æger integris viribus ad diem criſis peruenire non poteſt, ac tum largiore manu ci bum capere cogitur, cùm minimè eſt opus, miniméque decet: progreſſus autem fieri debet ab initio morbi ad ſtatum, à pleniore victu ad parciorem, aph. 35. lib. 2. acut. Periculoſus etiam is victus tenuis & accuratus in acutis, qui celeriter, continenter & vehementer mouentur (lib. 2. epid.) ſiue ſint febres eſſentiales, ſiue morbi cum febre coniuncti: maximè verò ſi locô non adhibeatur, qualitate, copia, numero, ex perſpicientia morbi longioris, aut iam per ſe humeſcentis, corporéque ad robur viam affectante: deinde ex perſpicientia virium ægri, peculiaris naturæ, & conſuetudinis. Tenuis quidem periculoſus in morbis acutis cum virium infirmitate aut infirmitatis metu coniunctis, & cum iam humeſcere cœperint, qui antea ſicci fuerant. Accuratus verò, ceu exquiſitus in iiſdem morbis periculoſus, ſi non conuenienter naturæ cuiuſque, aut neglecta affectionis maioris ratione adhibeatur, quamuis morbo & morbi foco dicatus ſit. Rurſus victus ſummè tenuis, in quo nimirum tenuitatis ſumma ſunt omnia, qualis eſt inedia, grauis ac periculi plenus, ſi iure & loco non præſcribatur, ſed poſt tridui aut quatridui inediam æger cogatur cibum capere, cùm ad criſim ventum eſt. Nam & ſaturitates quæ ad ſummum peruenêre, graues ſunt, & periculo plenæ, ob oppreſsionem, cruditatem, & mutationem repentinam ab otio ad negotium: vt ſcriptum legimus de illa muliere, quæ cùm defuncta eſſet morbo, ſeptimo die bene cœnata, interiit: & de adoleſcente, qui ineunte morbo liberaliter ſe inuitauerat. hiſt. 8. part. 1. epid.*

## APHOR. V.

Ἐν τῇσι λεπτῇσι διαίτῃσιν ἁμαρτάνουσιν οἱ νοσέοντες, δι' ὃ μᾶλλον βλάπτονται. πᾶν γὰρ τὸ ἁμάρτημα, ὃ ἂν γίνηται, μέγα γίνεται μᾶλλον, ἢ ἐν τῇσιν ὀλίγον ἁδροτέρῃσι διαίτῃσι. διὰ τοῦτο καὶ τοῖσιν ὑγιαίνουσι σφαλεραὶ αἱ πάνυ λεπταὶ καὶ καθεστηκυῖαι καὶ ἀκριβέες δίαιται, ὅτι τὰ ἁμαρτανόμενα χαλεπωτέρως φέρουσι. διὰ τοῦτο οὖν αἱ λεπταὶ καὶ ἀκριβέες δίαιται σφαλεραὶ ἐς τὰ πλεῖστα τῶν σμικρὸν ἁδροτέρων.

*IN tenui victu peccant ægroti: quo ſit vt magis lædantur. Siquidem quoduis peccatum grauius in tenui quàm in paulò pleniore victu eſſe ſolet. Eadem de cauſa, ſanis etiam valde tenuis, ſtatáque & exquiſita victus ratio parum tuta, quòd errata grauius ferunt. Quapropter tenuis & accuratus victus maxima ex parte periculoſior eſt eo, qui paulò plenior.*

In victus ratione ægris inſtituenda Hipp. vult modum perpetuò ſeruari, mutationéſque paulatim fieri. Subita enim mutatio ægros lædit. Proponatur (exempli gratia) ex victu pleniore acuta febre correptus æger: acceſſitur medicus, videt morbum peracutum, inſtituendus victus. Victu quidem tenuiſſimo æger indiget: non tamen ob id eiuſmodi victum ſtatim imperabimus, ſed mutatio paulatim fiet. Nam primo die & ſecundo victus medius præſcribetur, tertio paulò tenuior, & deinceps eò tenuior quò propiùs ad vigorem accedetur. Primo ergò die & ſecundo ægrum nutriemus, non melicrato, aut ſucco vel citri, vel perſicorum, vel ceraſiorum, aut etiam granatorum ſucco, vt facit Auicennas (tenuior enim eſt ea diæta, quàm vt initio morbi conueniat), ſed potiùs diluto hordeato: quod tertio die minuemus, & reliquis adhuc magis, vſque ad ſeptimum. At medici quos Hippocrátes re-

prehendit, derepente vitę rationem commutabant: ídque ſine diſtinctione. Primis enim dieb. ægros fame enecabant, ac deinde nutriebant plenius. Hoc autem in loco Hippoc. non præfert tenuem victum victui tenuiori. Neque etiam victus tenuis præferri debet medio, aut hic, pleno: ſed priùs habenda eſt ratio naturæ ægri, morbi, &c.

Ponamus duos ægros acuta febre laborantes: alter, quia morbus futurus eſt breuior, eget victu tenuiore: alter, quia morbus longiùs protrahetur, pleniore. Ille ſi delinquat, grauiùs multò læderur quã hic qui pleniore vtitur victu. Peccant autem, id eſt, ſibi deijciunt vires, qui tenui victu vtuntur, duobus modis: quia vel æger tenuiùs viuit quàm ſit inſtitutum à medico, vel miniſtri offerunt ægrò largiorem victum quàm velit medicus. Confirmat autem Hippoc. ſanorum exemplo, errores, qui in victu tenui committuntur, eſſe peiores ac grauiores. Hi enim ſi tenui, ſtato, conſtitutóve & accurato victu vti conſueuerunt, errorémque committunt, grauiùs hunc ferunt quàm ſi pleniore victu vſi fuiſſent. Ob id, qui exquiſitè & accuratè viuunt, ſi in morbum incidunt, ferè moriuntur: vt quibus in morbo nec tenuis victus poſſit à medico præſcribi (cùm ſint imbecillioribus viribus) nec plenus, quòd ſubitam mutationem ferrę non poſſint. Prætereà cùm difficiliùs morbos incurrant, grauiùs etiam ægrotant. Ideóque 6. Epid. Hippoc. citiùs mori aſſerit eos qui exquiſitiùs viuunt. Homo igitur ſanus qui ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe legibus victus debet aſtringere, &c. vt inquit Corn. Celſus. Cæterùm multiplex eſt tenuis victus: vt extremè tenuiſſimus, tenuiſſimus, tenuis vel ſimpliciter, vel exquiſitè. Tenuiſſimus extremè vi-

ctus, eſt inedia: hoc eſt, vbi ſolo potu ſine cibo nutrimus ægrum. Melicratum ſequitur proximè inediam: cum qua ſi comparetur, tenuiſſ. eſt victus: ſi verò cum reliquis alimentis, victus eſt extremè tenuiſſimus. fit autem melicratum ex vna parte mellis, & octo partibus aquæ. Nunc melicrati loco, nutrire poterimus hydroſacchare, ex 8. partibus aquæ, & vna ſacchari. Auicennæ tenuiſſimus eſt victus, vigecupla aqua ad ſubdecuplum hordeum. Dicitur autem aqua hordei, hæc compoſitio: Iam ptiſana, tenuis eſt victus ad medium declinans. Sic noſtrum hordeatum; cuius conficiendi tres ſunt modi. Nam aliquando hordeum mundatum & integrum coquunt tres aut quatuor horas ad crepaturam vſque. Aliquando, vt celeriùs abſoluatur coctio, contundunt, & ita coquunt. Tertius modus eſt, quòd farinam hordei coquunt. Sed oportet aquam, in qua fit coctio, eſſe optimam. Verùm hordeatum illud poteſt eſſe & liquidius, & craſſum, & medium. Si liquidius eſt, tenuiſſimus erit victus. Si craſsius, & paulò plenior. Si medium, medius. Quòd ſi velis magis nutrire, detur hordeum ipſum coctum, & non colatum. Hoc rurſus ſi coletur, colatura ipſa erit aut liquidior aut craſſior, aut media: ſicque magis minúſve nutriet, addito aliquanto copioſiore vel minus copioſo ſacchare. Interdum etiam vt magis adhuc nutriat, inijcitur parum iuris pullaſtri, & ſimilium. Amygdalogala prætereà optimum eſt ægrorum alimentum, ſed minùs nutrit quàm hordeatum. Oportet autem illud eſſe ex amygdalis non rancidis, ſed recentibus, ex optima aqua, éaque cocta.

Verùm enimuerò preferri poterit hordeato, & vbi exiguo alimento indigebit æger, & vbi thorax & viſcera erunt humoribus craſſis & viſcidis multis offarcta : ſiquidem incidit, tenuat, & terget. Neque verò conſiderandæ ſunt tantùm laudes alimenti, ſed etiam vitia. Vt, amygdalogala id vitij habet, quòd vapores craſſos & pingues effert ad cerebrum : vnde practici prohibent eius vſum in febribus ſomniculoſis. Nihilominus tamen eo vtar, quòd videam ægrum extenuatione & inciſione indigere. Verùm vt vapores illi quos in ſe habet, exhalent, in coquendo diligenter mouendum curabo, neque cooperiri ſinam.

## *SCHOLIA.*

*IN præſcribendo victu, cauendum maximè ne in tenui erremus. Nam cùm victus tenuis loco non adhibitus, hoc eſt, non ante perſpecta morbi hiſtoria, nec viribus ægri cognitis, periculoſus eſt: quòd cum progreſſus fieri debeat à pleniore manu ad parciorem, hîc contrà, fractis ægri viribus tridui quatriduíue abſtinētia cibi, neceſſitas adſit ingerendi alimenti ſub ipſam criſim, cùm minimè eſt opus, vnde morbi funeſti reddūtur propter* ἀπεψίαν, *niſi ſint bene morati. Tùm verò ad illud malum hoc accidit etiam, quòd in commoda ſua peccant ægri, primùm ratione naturæ communis, deinde peculiaris, poſtremò conſuetudinis: propterea damnis augentur. Etenim præter vim morbi à quo plurimum diuexantur, repentina illa victus mutatione in hæc ſymptomata incidunt qui genio indulgent, quem anteà defraudarunt: ſunt autem vigiliæ, mæror, delirium, aurium flatus ſonori, extimarum partium refrigeratio, vrinæ crudæ, ſudores è collo & fronte, iactatio, ſpiratio in faucibus eliſa, marmarigæ, & cætera quæ deſcribuntur Aphor. 44. 2.*

acut. Siquidem ſi quid peccatur in victu, peccatur magis in tenui quàm in paulo pleniore. Nam, vt omnium rerum quas ad efficiendum parauit natura, longè grauiores ſunt mutationes quæ fiunt ab otio ad negotium, quàm contrà: hic longè calamitoſius peccant in ſua commoda qui defraudatum ventrem repente à cibo & potu exercent, quàm qui à ſaturitate ad cibi abſtinentiam ſe conuertunt. Quæ cauſa eſt etiam cur tenuis admodum & ſtatus in qualitate, copia, numero, & accuratus victus ſanis etiam ſit periculoſus. Quòd ſi ſanis corporibus inutile eſt ac periculoſum à longa inedia ſatiari cibis, vbi aliqua neceßitas famem fecit: quantò inutilius ac periculoſius in ægro corpore à tenui victu ad pleniorem neceßitate vrgente fieri mutationem? Ægri enim delicta tenuis victus grauius ferunt, ſi qualitatis, copiæ, ac numeri mutatio fiat: quod fuſiſſimè explicatur Aph. 22. ſecundi acut. in his qui ſemel aut qui bis die cibum capere conſueuerunt. Quapropter tenuis & accuratus victus paulò pleniori eſt magis calamitoſus ratione morbi, virium ægri, communis & peculiaris cuiuſque naturæ, in habitu, temperamento, actionibus, & humorum dominatu, poſtremo in conſuetudine, quæ altera eſt natura. Ergo ex doctrina Hipp. multo minus peccatur, ſi quid peccatur, in diæta pleniore quam in tenuiore. Quanquam Hipp. contrariam huic ſententiam lib. 2. de Diæta, pronunciare videtur: quam tamen facilè compones, ſi iudices Hippocratem de victu præſcribendo noluiſſe quicquam certi ſtatuere, quòd difficile admodum ſit tenere ſignis ſyllogiſticis vires ægri, morbi hiſtoriam, propriã & communem cuiuſque naturam: ſed ita inſtituendam eſſe diætæ rationem, vt ante morbi ſtatum non cogatur æger ſe ad cibi acceßionem adiungendam conuertere.

## APHOR. VI.

ΕΣ δὲ τὰ ἔσχατα νουσήματα, αἱ ἔσχαται θεραπεῖαι ἐς ἀκριβείην, κράτισται.

*AD extremos morbos extrema exquiſitè remedia comparata, optima.*

Hac in ſententia per θεραπεῖαι non ſolùm rationem victus intelligit Hippoc. ſed & pharmaca & chirurgiam: per extremos autem morbos intelligit maximos, quibúſque nulli alij ſunt acutiores. Cæterùm an morbi ſunt maximi, an parui, an medij, iudicabimus duobus modis, arte ſcilicet & experientia. Experientia quidem, ſi in aliis ægris ſumus exercitati: arte verò, quia morbum proponimus tum in ſpecie, tum in indiuiduo. In ſpecie, vt audita apoplexia ſtatim iudicamus morbum eſſe acutiſsimum. In indiuiduo, quia propoſitis duabus febribus, ſi videat medicus in hac eſſe extremum calorem, ſitim, & reliqua ſymptomata extrema, iudicabit morbum eſſe extremum. In altera verò ſi videat eadem ſymptomata mediocria, dicet mediocrem eſſe morbum. Quòd autem ad remedia ſpectat, extrema in morbis extremis ſunt. In diætetice quidem, victus extremè tenuiſsimus. In pharmaceutice, fortes purgationes, & phlebotomia vſque ad animi deliquium. In chirurgia, quum vrendum eſt aut ſecandum. In pleuritide (verbi gratia) extrema ſtatim imperanda inedia, ſtatim vena ſecanda, etiam ad animi defectum. Quòd ſi hæc non proficiant, veniendum ad chirurgiam. Vt, aperto latere, & cauſticis adhibitis remediis, euaſit aliquando pleuriticus. Multi putát (cum Eraſiſtratiis) à leuioribus remediis ſemper

incoandum eſſe, ac deinde veniendum ad valentiôra. Iſtud quidem locum habet in morbis leuioribus: at in extremis & propè deſperatis, valentiora ſtatim ab initio & fortiora ſunt adhibēda. Alterum eſt præceptum, non eſſe infamanda remedia medica, re præſertim omninò deplorata: Vbi tamē res inclinat ad deſperationē, tum meliùs eſt (ait Celſus) anceps periculum experiri quàm nullum. Et melius eſt (teſte Galeno) ægros iuuare cum periculo, quàm nullo prorſus remedio adiutos ſinere emori.

## SCHOLIA.

*QVòd inedia ceu omnimoda à cibo & potu abſtinentia quibuſdam morbis remedio ſit, hinc diſcendum: quia ad extremos morbos, in quibus & laborum & ſymptomatum ſumma ſunt omnia, ſpecie & indiuiduo præclarè valet extrema ad vnguem curatio: cuiuſmodi eſt diæta quam tenuiſſima: pharmacia exquiſita, crudelis chirurgia ſecando, vrendo & amputando.*

## APHOR. VII.

ΟΚου μὲν οὖν κάτοξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει, καὶ τῇ ἐσχάτως λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι. ὅκου δὲ μὴ, ἀλλ' ἐνδέχεται ἁδροτέρως διαιτᾶν, τοσοῦτον ὑποκαταβαίνειν, ὁκόσον ἂν ἡ νοῦσος μαλθακωτέρη τῶν ἐσχάτων ᾖ.

*CVm itaque morbus peracutus eſt, extremos protinus labores habet, ſumméque tenuiſſimo victu eſt vtēdum: quum verò non eſt, ſed pleniorem victum licet exhibere, tantum de extrema victus tenuis ratione remittendum, quantò extremis morbus fuerit remiſſior.*

Duplex eſt victus ratio, vniuerſalis & particularis: vniuerſalis eſt quæ inſtituitur in omnia tempora morbi: particularis quæ ſecundum particulares acceſſiones vel exacerbationes præſcribitur: hoc loco agitur de victus ratione vniuerſali. Pro pleniore autem huius Aphoriſmi intelligentia, ſciendum imprimis, morbum peracutum Galeno bifariam dici: nam morbus peracutus illi aliquando intelligitur, cuius criſis expectatur die ſeptimo: aliquando cuius criſis expectatur die tertio, quarto, vel quinto: hîc intelligitur de eo qui iudicatur die tertio, quarto, vel quinto. Per πόνους intelligere ſolet Hippo. omnia ea quæ ægrum valde vexant & offendunt, præſertim acceſſiones ac ſymptomata, ſiue ſint ventris tormina, ſiue tuſſis, ſiue ſyncope, ſiue vigiliæ, ſiue æſtus, ſiue ſudores: vel extremos labores protinus obtinet, id eſt vigorem.

Summè tenuiſſ. victus eſt inedia. Quæ duplex eſt: vna, in qua omninò abſtinemus à cibo & potu (in qua veteres aliquando continuerunt ægros vſque ad ſeptimum diẽ) altera, in qua abſtinetur quidem cibo, ſed nõ potu, vt ſi exhibeatur aqua calida, aut frigida. Sit itaque hic ordo victus tenuis, inedia ſine cibo & potu, inedia cum potu calidæ, vel frigidæ, melicratum, ptiſana, hydroſacchar, aqua hordei, amygdalogala, hordeatum, hordeum coctum, colatura hordei, addito ſacchare, vel etiam iure pullaſtrorum &c. Cæterùm huius loci (extremis remiſſior) duplex eſt interpretatio: nempe vt conferantur morbi cum morbis, aut morbi tempora cum morbi temporibus. Hæc quidem ſententia vera eſt: vt morbi recedunt à ſummè peracutis, ita pleniore victu opus eſt. Non ea tamen eſt mens Hippocratis. Sed cum tempora morbi vniuerſalia inter ſe

comparet

comparet, per (extrema) intelligendum vigores morborum cum Galeno: vt, dies ſeptimus in peracutis vigor eſt morbi. Si ergo ſeptimo die iudicari debeat morbus, quò propiùs ad ſeptimum venietur, eò tenuior dabitur victus: quantò verò longiùs à ſeptimo abfuerit æger, tanto habebit leuiùs, & victu pleniore vti poterit. Die igitur primo & ſecundo cùm nihil agat in morbum natura, nutries paulò pleniùs: tertio, quo certamen cum morbo aggreditur, paulò tenuiùs, ne à morbo coquendo reuocetur: quintò adhuc tenuiùs, ſeptimo omnium tenuiſſimè. Nam & mutatio periculoſa eſt, & cùm eo die maximè occupata ſit natura in morbi coctione, non eſt ad nouum cibum conficiendum impedienda.

## *SCHOLIA.*

*Ergo cum ad extremos morbos præclarè valeat ad vnguem extrema curatio, ſi peracutus eſt morbus, qui ſcilicet continenter, celeriter, & vehementer moueatur vel ad ſalutem, vel ad mortem ſpeciei ac indiuidui ratione: ac ſpeciei quidem, inflammatione, venenata qualitate, aut impedimento nobilis partis: vt febris ardens, ſyncope, peſtis, apoplexia, ſynanche: indiuidui vero, in magnitudine cauſæ, & ſymptomatum vehementia, vt pleuritis in ſene, parotis in iuuene, fiſſura profunda & anguſta in anteriore ſutura: talis morbus peracutus ſummos labores ſtatim obtinet, vehementiáque ſymptomata habet in procinctu, intra primum quaternarium: vt pote inflammationis venenatæ qualitatis & tranſlationis ſymptomaticæ. Ob id tota morbi hiſtoria inedia eſt præſcribenda, quæ victus eſt ſummè tenuiſſimus, ne auocetur natura ab inſtituto: item ne cibi acceſſione ſymptomata ingraueſcant in vigore mox af-*

*ſuturo. Quod ſi non ita eſt, id eſt, ſi morbus non eſt peracutus, ita vt plenıori victui ſit locus, ob longiorem hiſtoriam morbi, tum quia virtutes corporis non adeò ſunt impeditæ vi morbi & ſymptomatum vehementia: pro eo tam eſt remittendum de inedia, & à tenui victu diſcedendum, quàm morbus ipſe extremo & acutiſſimo eſt leuior, vt tandem æger poſſit vſque ad vigorem perdurare.*

## APHOR. VIII.

Ὁκόταν δὲ ἀκμάζῃ τὸ νόσημα, τότε καὶ τῇ λεπτοτάτῃ διαίτῃ ἀναγκαῖον χρέεσθαι.

*QVum morbi vis eſt maxima, tum vel tenuiſſimo victu eſt vtendum.*

Ἀκμὴν ſolet vocare Hipp. tertium tempus vniuerſale morbi, hoc eſt vigorem: in hoc autem omnia ſymptomata ingraueſcunt, natura vacat circa humorum morbum committentium coctionem. Si itaque in vigore præbeas cibum, natura vel relicto cibo morbum inuadet, vel morbo relicto cibum. Si morbum relinquat, verendum eſt ne morbus naturam opprimat: ſi relinquat cibum, hic crudus remanebit, multáque mala inferet. Tenuiſſimo igitur victu vtendum eſt in vigore. Præterea mutationes debent fieri paulatim. Omnes porrò hi Aphoriſmi ſunt de morbis ſalutaribus, & in quibus poſt vigorem expectatur declinatio, non de letalibus, in quibus cùm nulla ſit ſpes, vti oportet potiùs prognoſtica arte, quàm curatione. Victus autem tenuiſſimus eſt, vel extremè tenuiſſ. vel tenuiſſimus. Extremè tenuiſſ. vt inedia. Tenuiſſ. vt aqua cocta, aut

melicratum dilutum, aut priſana. Sed præcoctas aquas deligere oportet: fluuiales verò fugere non ſolùm in ægris, ſed & in ſanis. flumina enim ferè magnas vrbes alluunt, & expurgant. Ex fluuialibus Niloticas aquas excipit Gal. Dubium tamen adhuc eſt an ſint aliis præferendæ. Præferuntur aliquando aquæ pluuiales, aliquando aquæ ciſternarum, interdum fontanæ. Quòd ſi aqua non ſit per ſe bona & laudabilis, eſt præcoquenda. Habemus & aquas deſtillatas, quib. vtimur in vigore. Nam huiuſmodi deſtillata omnia præterquàm quòd nullum negocium faciunt naturæ in concoquendo (celerrimè enim diſtribuuntur) refouent ſpiritus qui in vigore maximè diſſipantur. His deſtillatis aliquãdo miſcemus ſaccharũ, aliquãdo cinnamomũ, præſertim vbi ventriculi imbecillitas adeſt. Habemus etiam alia alimenta, vt intrita madida, vulgus colatitia appellat, alij infriatas carnes, Græci σωπείμματα, expreſſa, conſumpta: ſed nimis nutriunt. Erit præterea tenuiſſ. victus, ſi ad ſemiſſem libræ deſtillati ex pane, carnibus, &c. addamus vnciam ſacchari. Sic enim ad melicratum accedet.

*SCHOLIA.*

*AT verò quum ventum eſt ad morbi vigorem in omnibus morbis, quo tempore certamen naturæ & morbi eſt in procinctu vel ad ſalutem vel ad perniciem ægri: tum quàm tenuiſſimo victu neceſſe eſt vti, ne à pepaſmo & excretione auocetur natura, ac tum cruditate, & mala criſi morbus reddatur funeſtus. Ergo quandiu laborum ſumma ſunt omnia, tandiu tenuiſſimo victu eſt vtendum in morbis: at in morbis acutis in procinctu laborum ſumma ſunt omnia: ergo in his tota morbi hiſtoria, tenuiſſimè viuendum. In cæteris cum ad*

*morbi vigorem ventum eſt, progreſſus fieri debet à pleniori victu ad parciorem, paulatim deducendo ex perſpicientia hiſtoriæ morbi, & virium ægri.*

## *APHOR. IX.*

Συντεκμαίρεσθαι δὲ χρὴ καὶ τὸν νοσέοντα, εἰ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ πρὸς τὴν ἀκμὴν τῆς νούσου, καὶ πότερον ἐκεῖνος ἀπαυδήσει πρότερον, καὶ οὐκ ἐξαρκέσει τῇ διαίτῃ, ἢ ἡ νοῦσος πρότερον ἀπαυδήσει, καὶ ἀμβλυνεῖται.

*SEd & ex ægroto coniecturam facere oportet, an is cum præſcripto victu perſtet ad morbi vſque vigorem: ánne prius deficiat, impárque cum tali victu ſuccumbat, quàm cedat morbus & obtundatur.*

Duo ſunt à quibus potiſſimùm cibandi conſilia petuntur, morbi ſummus vigor, & ægrotantis vires. Neque ſolùm vires, ſed etiam virium cauſa medico eſt cognoſcenda. Nam (vt ait Hipp. de victu acutorum) ignoratio cauſæ virium ægri, ſæpè cauſa eſt mortis. Medicus (exempli gratia) ad ægrum accedat, cuius pulſum reperiat languidum: non tamen ſtatim inſtituenda pharmaca, aut phlebotomia, aut victus ratio plenior: ſed cognoſcenda priùs cauſa infirmitatis virium, ac deinde ſtatuendum de victus ratione. Duplex autem eſt cauſa imbecillarum virium: alia eſt externa & manifeſta, alia latet. Externa, vt κενεαγγεία, cùm videlicet pręceſſit magnum alui profluuium, lõga fames & inedia, fluor ſanguinis è naribus: vt πόνοι, hoc eſt, omnia quæ valde ęgrũ infeſtant, cuiuſmodi ſunt mordicationes ſtomachi, ſyncopæ, dolores ventris, vigiliæ &c. Aliquando etiam dolor grauiſſimus adfert ἀσφυξίαν. Neque tamen propterea erit pręętermittenda phlebotomia, aut victus ratio:

inſpecta (inquam) cauſa illius languidi pulſus, aut nullius. Alia iam cauſa latet: vt intemperies alicuius partis principis ſumma, præſertim calida & ſicca, quæ maximè vires deiicit. Qua cauſa deprehenſa, iam erit inſtituendus victus, phlebotomia aut medicamẽtis omiſſis. Aliquando etiam affectio oris ventriculi primùm, & deinde vteri facit pulſum languidum, aut nullum. Neque tamen ob id debes deterreri ab inſtituendo victu tenui aut phlebotomia: ſed cognoſcenda eſt cauſa. Nõnunquam pituita quadam, aut acri humore ad os ventriculi cõfluente fit languidus pulſus: interdum in detrahendo ſanguine animò linquitur æger, neque ideò tamen debes perturbari aut deterreri à mittendo ſanguine. Adfert quoque pulſum languidum & propè nullum plenitudo: vbi tamen perſpecta eſt imbecillitatis cauſa, aperta vena ſtatim reuiuiſcit pulſus. Rectè ergò nos monet Hipp. vt antequàm victum aut phlebotomiam, aut pharmaca imperemus, cognoſcamus cauſas imbecillitatis virium. Alterum eſt conſilium ad victum rectè præſcribendum, vt ſcilicet tempora morbi vniuerſalia diſtinguamus: vt accerſatur medicus initio morbi, cognoſcere debet ſpeciem morbi per ſigna pathognomonica, id eſt, propria morbi: vt, pleuritis noſcitur per ſua ſigna, lateris dolorem punctorium & tenſiuum, febrim acutam, ſpirandi difficultatem, tuſsim, &c. Vbi ergò ſigna hæc creſcent, creſcet & morbus: ſi minuentur, minuetur ac inclinabit etiã morbus. Poſt ſpeciem morbi ſpectabis morbi tempora, & nunquid æger ad vigorem vſque morbi poſsit perdurare cum eo victu quem præſcripſiſti. Vbi medicus vires ægri cognitas habet, ſimulque vim morbi (quæ conſiſtit in morbi magnitudine & malignitate) vidétque magnum fore cer-

tamen inter naturam & morbum, quantum fieri poteſt, atterere debet vim morbi, & naturam roborare. Proponatur mulier grauida quæ laboret febre acuta. Ea ſub criſim eſt paritura: in partu futuri ſunt dolores grauiſſimi, qui plurimum atterant vires mulieris, ita vt periculum ſit ne eiuſmodi dolores auferãt aut fœtum, aut cum fœtu matrem. Medicus matrem non ſolùm nutriet, ſed etiã muniet aduerſus futuros dolores, ne victa ſuccũbat. Itidem in Calculi dolore, vbi peruenit Calculus ad meatum vrinarium, dolores ſunt grauiſſimi: medicus has tempeſtates præuidés, conabitur morbi vim deprimere, roborabit naturam ac muniet ægrum: alioqui morbo ſuccumbet. Cæterùm fiunt criſes & lethales & ſalutares in vigore morbi, aliquando etiam in incremento. quando æger multò ſuperat vim morbi, non eſt expectandus vigor: ſed in principio vel incremento liberabitur: quòd ſi ſit infirmior & inferior morbo, ſuccumbet in incremento aut vigore.

## *SCHOLIA.*

*VNà cum perſpecta morbi hiſtoria in ſpecie, magnitudine, more & motu, conijcere oportet ſignis ſyllogiſticis, petitis primũ ex habitus vniuerſi partiúmque ſingularũ natura in colore, charactere, & mole ipſius ægri: deinde ex actionibus naturalibus vitalibus & animalibus: Item ex iis quæ excernuntur in qualitate, copia & excernendi modo, an victu quam tenuiſsimo, aut tenuiſsimo, aut tenui, qui initio morbi præſcriptus eſt, ægri vires cum ſecuritate & ſine infirmitatis metu ſufficere poſ-*

*ſint ad morbi vſque vigorem, cum ſcilicet morbi & naturæ certamen eſt in procinctu, in qua phlegmaſia quicquã exhiberenõ licet: Ac nũquid prius æger deficiat, naturæ ſcilicet aut cõmunis peculiaris vitio, ſucci inopia, aut corruptione, ætate tempore, victu antea parciore & duriore: eique victui ille ſit impar, nec cum eo durare poßit, non ſolùm ob virium infirmitatem, ſed maximè ob cauſam infirmitatis virium, quæ an à morbi magnitudine, an à vacuatione, an verò ſucci alibilis paucitate quam alimentum ſuppeditat, an aliunde pendeat, diligenter eſt animaduertendum: An verò morbus anteà deficiat & retundatur: quod multo antè dignoſci poterit ex perſpicientia morbi in ſpecie & indiuiduo, ex periodorum incrementis, anni tempore, & ſignis epiphanomenis.*

## *APHOR.* X.

ΟΚόσοισι μὲν οὖν αὐτίκα ἡ ἀκμὴ, αὐτίκα λεπτῶς διαιτᾷν· ὁκόσοισι δὲ ἐς ὕστερον ἡ ἀκμὴ, ἐς ἐκεῖνο καὶ πρὸ ἐκείνου μικρὸν ἀφαιρετέον· ἔμπροσθεν δὲ πιοτέρως διαιτᾷν, ὡς ἂν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

*QVibus igitur ſtatim vigor eſt, hos ſtatim tenuiter cibare oportet. Quibus autem poſteà vigor futurus eſt, iis & in ipſo vigore & paulò antè ſubtrahendus cibus. Anteà verò plenius alendum, vt æger durare queat.*

Hæc ſententia diſtat à ſeptima, quòd ſit generalior. Si quidem prior de peracutis tantùm dicitur, hæc verò ſimpliciter de omnibus morbis. Statim autem vigere dicuntur morbi, quicunque in prima acceſſione habent vigorem, vel in ſecunda vel tertia.

Verùm fiunt in morbis acutis acceſſiones diebus imparibus,vt primo (ſed raró) 3. 5. 7.In quibus veró morbis acutis(biliofis prçſertim)accidunt diebus paribus,vt 2. 4. (quod rariùs contingit) letales ſunt.At in acutis aut ſynochis ſanguineis ferè fiunt acceſſiones ſalutares hiſce diebus paribus. In morbis igitur, quibus ſtatim vigor eſt,ſtatim tenuiter cibandum. Quibus autem poſt, &c. Proponamus Dionem & Socratem, quorum hic laboret febre extremè peracuta,quçviget die tertio:ille peracuta,quæ vigorem habet 7. Primo die Socrati exhibebitur hydroſacchar,2.minuetur cibi quantitas. Vt ſi primo die dederis vnc.4.hydroſaccharis,vel hordeati,die poſtero dabis duas. At die tertio, quia vigor eſt, cibo penitus abſtinendũ,niſi vires reclament.Sic Dionem primis diebus nutriam pleniùs,3.tenuiùs, 5.adhuc tenuiùs,6.tenuiſſimè omnium, 7. penitus ſubtrahetur cibus. Subtrahitur autem alimentum vt vires ſe habẽt: ídque duob.modis,quia ſcilicet vel omninò ſubtrahitur,vel quãtitas eius minuitur, aut qualitas.Quantitas, vt (veluti ſup.diximus)ſi datum primo die hordeatum ad vnc. 4.detur 2.ad duas tantùm. Qualitas,vt quum alimentum quod magis nutriebat, mutatur in id quod nutrit minùs:veluti ſi hordeatum mutetur in ptiſanam communem,vel hydroſacchar.

## SCHOLIA.

*QVibuſcunque iamiam futurus eſt vigor, vt in peracutis ſpecie & indiuiduo, extemplo tenuiter victitare debent: nam infringenda vis eſt morborum acutorũ arte & remediis morbo contrariis,deinde naturæ pepaſmo, quem ea virtute molitur qua & alimentorum pepſim. Quibus autem ſerius fu-*

*turus eſt vigor, & eo ipſo tempore, quo ſcilicet incidit ſtatus & paulò antè, ac paulò poſt etiam, id eſt exacto pene triduo, eſt deducendum alimentum. Nam, qua ex parte natura eſt magis opis indigens, hac illi potius eſt ſuccurrendum. Atqui magis eſt indigens in ſtatu & paulò ante à vi morbi quàm ab exhauſto ſui. Ergo in curam morbi eſt potius incumbendum remediis morbo contrariis & pepaſmo, quàm naturæ ſtudendum cibo & potu. Atque vt in peracutis id perpetuò locum habet (excepta peſte, nam in peſte cibus eſt exhibendus) ſic in mitioribus, cum ad id tempus ventum eſt, quo certamen naturæ & morbi eſt in procinctu, ne morbus reddatur pepaſmi expers, ac mala criſi fiat funeſtus: in principio verò morbi & augmento liberalius indulgendum, vt æger par eſſe poßit, integríſque viribus ad morbi vigorem perueniat.*

## *APHOR. XI.*

ΕΝ τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή· τὸ προστιθέναι γὰρ βλάπτει. καὶ ὁκόσα κατὰ περιόδους παροξύνεται, ἐν τοῖσι παροξυσμοῖσιν ὑποστέλλεσθαι χρή.

*IN ipſis exacerbationibus cibum adimere oportet, nam præbere noxium. Et cum per circuitus redeunt morbi, in ipſis acceßionibus abſtinendum.*

VT pleniùs hunc Aphor. intelligamus, ſciendum primùm quid ſit paroxyſmus, & quid periodus. Eſt autem παροξυσμὸς tempus quod initio acceſſionis & vigore circunſcribitur. Sícque hoc loco accipitur, non addita (vt faciunt vulgares) declinatione. Verùm ipſius paroxyſmi multæ ſunt partes, quas ita deprehendemus propoſita febre tertiana. In hac ergo vbi ex-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tenditur æger & hiat, ἐπισημασία eſt: quum riget, προσβολὴ φρίκης id eſt, prima inuaſio, ſiue ἀρχὴ, appellatur: quum iàm mixtus eſt calor frigori, & minuitur quidem frigus, calor verò creſcit, eſt ἀνωμαλία: vbi frigus abiit, & calor inualeſcit, dicitur αὔξησις, ἐπίδοσις καὶ ἀνάβασις. Deinde in maximo & ſũmo calore eſt στάσις. Στάσιν ſequitur κατάβασις ſeu μείωσις, declinatio. Cuius rurſũ duo tẽpora cõſideramus. Nã ſtatim à vigore παρακμὴ nuncupatur, ſub finẽ verò eſt ἄνεσις. At vbi deſiit omninò calor, eſt ἀπυρεξία. Poſtremò huic ſuccedit διάλειμμα (alij inter miſſionẽ, alij integritate interpretãtur) ſiue διάστημα, hoc eſt, interualliũ inter extremã declinationẽ, & alterum principiũ acceſſionis. In acceſſione itaque, id eſt, morbi principio, augmento, & vigore cibũ fugere oportet. Vnde Celſus, initia morborũ (inquit) famẽ, ſitímque deſiderant. Vbi per morborũ initia intelligit initia acceſſionũ. Cibũ autẽ dare nocet, quia natura oppreſſa eſt & triſtis, ob certamẽ cũ morbo. Altera ratio, quia in prĩcipiis acceſſionũ febris materia putrida colligitur circa primas venas & partes nutritorias, ita vt ab ea corrũpatur cibus, ſi detur tunc tẽporis, & poſteà morbũ augeat. Periodus autẽ (teſte Proclo) eſt motus, ſiue (cum Galeno) reditus ab vno ad idem: hoc eſt, vniuerſum ſpaciũ à primo inſultu vnius acceſſionis vſque ad inſultum alterius. Verbi gratia, hodie ſub meridiem ſit initium acceſſionis tertianæ, acceſſio duret vſque ad horam ſextam, ſuccedet διάστημα. Acceſſio recurrat poſtridiè hora ſecunda. Ab hora duodecima, ad ſecundam ſequentis diei reditus, dicetur periodus. Iam verò per acceſſiones intelligit non ſolùm acceſſiones febrium intermittentium (ob id etiam dicit per circuitus) ſed etiam exacerbationes continuarum, & dolores recurrentes, vt in cephallagia, dolore colico, dolore ſtomachi, &c. Non nutriẽdum ergò in acceſſionibus, id

eſt,principio,incremento, vigore, niſi reclament vires, & pręſertim in vigore.In principio non eſt dandus potus,in incremento dari poteſt parum,in vigore ſi vehementer ſitiat æger, dandus. Nuſquam dabimus cibum: ſed nutrire poſſumus in declinatione,in παρακμῇ cõmodè,in ἀνέσει commodiùs : at in ἀπυρεξίᾳ & interuallis cõmodiſſimè.Ponamus febrem continuã,quæ diebus imparibus habeat exacerbationes:dieb. imparibus nutriemus tenuiùs, paribus verò paulò pleniùs. Ponamus & intermittentẽ,quæ habuerit acceſſionis declinationem hora ſexta matutina.Paſtus primus poſt acceſſionẽ erit tenuior,quia fatigata eſt natura ob acceſſionẽ,nutriámque victu frigidiore & humidiore. At paſtu altero (vt hora 3.4.5.)nutriam paulò pleniùs, quia ſeſe recollegit natura ab acceſſione,viréſque recepit ex priore paſtu.

## SCHOLIA.

*IN Paroxyſmis ,hoc eſt(exempli gratia) cum æger perfrigerari cœperit,donec ad pedes calor deſcẽderit,de cibo vereri oportet, quãuis iure exhiberi poſſe videatur:nã cibi exhibitio damno eſt, primùm ratione morbi : deinde quòd in paroxyſmo ventris & thoracis œconomia labefactetur , humoris in eas partes affluxu, potiſsimum à ſuperficie corporis ad centrum : adde quòd impura aluo concoctio vitiatur:præterea vis morbi augetur cibo,auocata natura quæ in paroxyſmo maximè pugnat cũ morbo.Iuxta illud 1.Epi.Quæ paribꝰ accedũt,paribꝰ iudicãtur:quæ vero imparibus, imparibus.Quinetiã quæcũque per circuitus ingraueſcũt,vt febres cũ intermiſsione vniꝰ diei,bidui,tridui,aut etiã quatridui, vt colici dolores, cephalalgia,aſthma,de cibo vereri oportet in paroxyſmo:quãquã in illis febribus intermittẽtibus quæ accẽdũtur ob mordentẽ acrimoniã humoris excalfacti & extenuati à ſole, inedia,laboribus,tutò etiã in acceſsione exhiberi alimẽtũ poterit: potiſsimum tamen in declinatione: ſecus in illis quæ ſunt à plenitudine , obſtructione , phlegmone ac putredine.*

## APHOR. XII.

Τοὺς δὲ παροξυσμοὺς καὶ τὰς καταστάσιας δηλώσουσιν αἱ νοῦσοι, καὶ αἱ ὧραι τοῦ ἔτεος, καὶ αἱ τῶν περιόδων πρὸς ἀλλήλας ἀνταποδόσιες, ἤν τε καθ' ἡμέρην, ἤν τε παρ' ἡμέρην, ἤν τε καὶ διὰ πλείονος χρόνου γίγνωνται. ἀτὰρ καὶ τοῖσιν ἐπιφαινομένοισιν, οἷον ἐν πλευριτικοῖσι πτύελον, ἢν αὐτίκα ἐπιφαίνηται, ἀρχομένου βραχύνει· ἢν δ' ὕστερον ἐπιφαίνηται, μηκύνει. καὶ οὖρα, καὶ ὑποχωρήματα, καὶ ἱδρῶτες, καὶ εὔκριτα καὶ δύσκριτα, καὶ βραχέα, καὶ μακρὰ τὰ νοσήματα, ἐπιφαινόμενα δηλοῖ.

*Morbi verò ipſi, & anni tempora, & periodorum inter ſe proportionis obſeruatio, ſiue ea quotidie, ſiue alternis, ſiue maiore interuallo fiant, paroxyſmos & ſtatum morborum indicabunt. Sed & ex iis quæ poſtea apparent, iudicia ſumuntur, velut in pleuritide ſputum ſi ſtatim initio appareat, breuem fore denũciat: ſi verò poſterius conſpiciatur, longam. Quinetiam vrinæ, alui fæces, ſudores & iudicatu faciles aut difficiles; & breues, vel longos morbos fore, quum ſuperueniunt, demonſtrant.*

TRia eſſe dicebamus antea, ex quibus medicus rationem victus præſcribendi poſſit ſumere. Primum è viribus ægrotantis, alterum ex morbi conſtitutione, tertium ex prænotione futurarum acceſſionum particularium. Vires cognoſcuntur ex pulſibus, & aliis quæ ſcribuntur in prognoſtico Hippocratis, vt habent virum trium facultatum, &c. Quòd ſi exactè eas cognoſcere non poſſimus, ſaltem quantum fieri poteſt, exactè ſunt cognoſcendæ. Debet etiam nota nobis eſſe cauſa infirmitatis virium, ex ſecundo comm. Gal. in lib. de ratione victus in morbis acutis. At acceſſiones futuras, & morbi conſtitutiones perſpectas habere poterimus, tum ex hoc Aphor. tum ex 3. de Criſ. Eſt autẽ παροξυσμὸς Galeno deterius & vehemẽtius totius morbi tempus à primo inſultu acceſſionis vſque

ad vigorem. In qua non ſolùm non eſt nutriendum, verumetiam inter eius principium & paſtum præcedẽtem oportet rectè intercedere ſex horas. Per καταστάσεις verò intelligimus hîc non vigorem ſeu ſtatum morbi, ſed ideam, formam, & hiſtoriam totius morbi: per quam formam ſcimus qualia & quanta futura ſint tempora morbi vniuerſalia. Porrò, vt acceſſiones & conſtitutiones cognitas habeamus, conſiderare in primis oportet in morbis, ſpeciem morbi, vt, audita voce quartanę, ſtatim iudicamus futuras acceſſiones quarto quoque die, eáſque longas. Poſt ſpeciem videnda vehementia morbi. Deinde mores, id eſt, malignitas & clementia morbi. Poſtremò ſpectandus morbi motus, quia ſcilicet anticipat vel tardat: & quia longiores aut breuiores ſunt acceſſiones. Verùm, id in morbis eſt aduertendum, quoſdam eſſe anomalos & erraticos, qui ferè ſunt ex materia mixta. Quo fit, vt dubitatum ſit, an in huiuſmodi morbis dignoſci poſſint acceſſiones, conſtitutiones, & criſes. Reſpondebimus poſſe quidem dignoſci: ſed paulò difficiliorem eſſe cognitionem: quemadmodum etiam accidit vbi commiſcentur & complicantur morbi. Ac hodie quoque difficilior eſt acceſſionum cognitio quàm fuerit tempore Hippocratis. Siquidem eæ tunc multò magis, quàm nunc, erant ordinatæ, quòd omnia ferè committerent naturæ: at nunc ſæpius confidimus remediis artis, ita vt aliquando venam ſecemus, interdum demus clyſteres, ſæpe etiam rationem victus pleniorem præſcribamus, &c. vnde plerunque immutatur acceſſionum ordo. Cæterùm anni tempora, acceſſiones quoque & conſtitutiones morborum indicabunt. Si enim æſtate morbi inuaſerint, magna ex parte bilioſi erunt, atque

adeò per tertiũm quemque diem acceſſiones habebũt, citóque finientur. Contrà, vbi hyeme exorti fuerint, pituitoſi vt plurimũ erunt, ſingulíſque diebus affligent, & tardiùs deſinẽt. Per anni autẽ tẽpora (vt breuis eſt Hip.) intelligit etiã & tẽperaturã ægri, & ętatẽ, & vitæ genus, & conſuetudinẽ, & locũ in quo ægrotat, & regionẽ, & aëris ambientis cõſtitutionẽ. Hæc enim vnà indicabũt acceſſiones & cõſtitutiones. Per circuituũ verò incremẽta intelligẽdũ (teſte Gal. in com.) acceſſionum quę in circuitibus fiũt augmẽta, ex quibus & morbi augmentũ & futuri vigoris tempus pęrfinitũ maximè diſcere poſſis. Sunt enim inuicem conferendæ acceſſiones, ſi accelerant, vel non: ſi lõgiùs durãt, aut non: ſi maiores vehementioréſque ſunt, aut non. Hoc eſt, primũ cõparandũ eſt tempus quo inuaſit acceſſio prima, cũ hora vel tempore, quo inuaſit ſecunda. Secũdò cõferenda eſt vehementia vnius acceſſionis cũ vehementia alterius: ídque ſecundũ ſigna pathognomonica. At malignitas ſpectetur ſecundũ accidẽtia ſuperuenientia. Cõparanda itaq; malignitas cum malignitate. Vt, ſi in priore acceſſione quum nullũ ſuperuenit aut deliriũ, aut ſyncope, hæc accidunt in ſecũda, ſignificabitur morbus malignior. Cõponemus etiã motũ cũ motu: quia ſcilicet in acceſſione hac, celerior eſt trãſitus à principio ad incremẽtũ, & ab hoc ad vigorẽ: in altera verò tardior. Ille enĩ trãſitus celer indicabit morbũ breuiorẽ, hic verò tardior lõgiorẽ.

*Sed & ex iis quæ poſtea apparent*) Ἐπιφαινόμενα καὶ ἐπιγινόμενα ſigna ſunt & ſymptomata, ſed diuerſo reſpectu: quanquam ſæpe pro eodem accipiuntur. Verùm ἐπιφαινόμενα propriè ſunt ſigna ſeu ſymptomata, quæ nõ ſimul cum morbo inuadunt & incipiunt, ſed ſubinde apparent ac ſuperueniunt: vt in pleuritide ſputum. Ἐπιγινόμενα verò

ſunt ſigna ſeu ſymptomata quæ malignis morbis maligna ſuperueniũt: vt in dyſenteria, ſingultus. Cæterùm ἐπιφαινόμενα ſunt triplicia: ſiquidem alia ſunt ſigna ſalutis aut mortis: Alia coctionis aut cruditatis: Alia ad criſes pertinent. De ſignis ſalutis aut mortis agit Hipp. 1. & 2. progn. de ſignis coctionis & cruditatis, & de ſignis criſeon Galenus 2. & 3. de criſibus. Sunt & ſigna pathognomonica, hoc eſt, quæ paſſionem indicãt, & circumſcribunt eſſentiam morbi. Per hæc autem intelligimus ſpeciẽ morbi, morbóſque definimus. Vt, pleuritis morbus eſt cum febre acuta, dolore lateris pungente, tuſſi, & ſpirandi difficultate. *Indicia ſumuntur)* In Græco deeſt τεκμαίρεσθαι χρὴ, id eſt, ratiocinari oportet ex genere ſignorũ ſyllogiſticorũ. Gal. initio comm. Victus acutorum docet τέκμαρσιν eſſe quæ per τεκμήριον fit, cognitionẽ. τεκμήριον autem (eodem ibidem authore) appellant veteres non omne ſignum ſimpliciter, ſed ſignum ſyllogiſticum, ſeu ſyllogiſmum qui ex ſignis veris & neceſſariis conficitur. Vbi ergo cognouit medicus ex ſignis pathognomonicis morbum ſibi propoſitũ eſſe pleuritidem, iam conſiderabit qualis ſit morbus, & quas habeat acceſſiones. Eſt (verbi gratia) morbus acutus, habet acceſſiones dieb. imparibus, &c. At poſteà quàm peruenit ad ſigna pathognomonica, conſiderabit eſſe duplicia, propria, & communia. Propria, vt à pulſibus: communia, vt ab vrinis, alui excrementis, ſudoribus, &c. Inter propria pleuritidis ſymptomata ſputum (vt diximus) recenſetur: quod ſi incipiente morbo ſtatim appareat, morbum breuem fore oſtendit. Vbi (antequam ad alia progrediamur) notandũ eſt iſtud, principiũ eſſe triplex. Vnũ ſecundum latitudinẽ, alterũ indiuiſibile, & tertiũ, quod eſt principiũ vniuerſale morbi. Ergò (ſtatĩ) id eſt,

principio vniuerſali morbi: deinde ſciendum quid ſputum coctum, & quid crudum. Sputum coctum eſt, quod neque tenuius eſt, neque craſſius, ſed leue & æquale. Sputum crudum, quod vel tenuius eſt, vel craſſius & viſcoſius. Si itaque in pleuritide ſputum coctum apparet quatuor primis diebus, morbus ſeptimo ad ſummum die finietur: ſi crudum, liberabitur æger vndecimo, vel decimoquarto, vel 17. aut 20. Si nil omnino expuatur ab ægro, morbus erit longior. Cæterùm vrinæ in morbis venoſi generis ſunt proprium ſignum, in pleuritide verò commune ob febrem. Alui verò excrementa in morbis inferioris ventris ſunt proprium ſignum. At ſudores ad ſigna critica referuntur: vt ſputum, vrinæ, alui excrementa ad ſigna coctionis & cruditatis. Ex ſignis autem criticis alia ſunt quæ tantùm ſigna ſunt: vt lacrymæ, rubor oculorum, tumor hypochondrij. Alia ſunt vt ſigna & cauſæ. Exempli cauſa, poſt perturbationem acceſſionis, ſigna ſunt ſalutis: cauſæ verò, propterea quòd ob id liberabitur æger. Alterum exemplum. Die ſeptimo rigeat æger, ſuperueniat delirium, quod ſequatur ſudor. Ab hoc liberabitur ęger, vt à cauſa & ſigno, ſi pręceſſerint ſigna coctionis: ſin minùs, contrà. Sudor enim ſignum erit dyſcriton, vbi ab eo vel æger non ſeruabitur, vel ægrè ſeruabitur. Siquidem excretiones omnes criticæ difficiles ſunt, vbi non præceſſerunt ſigna coctionis, & in diem criticum non incidunt: contrà faciles, ſi antè apparuerint ſigna coctionis, & in diem criticum inciderint.

## *SCHOLIA.*

*Vt iure & loco victus cuique morbo conueniens ac neceſſarius præſcribatur, ita decernendum. Iure quidem,* ex

*ex perſpicientia virium ægri & morbi: loco verò, ex paroxyſmis, id eſt moleſtis periodorum temporibus, & in continuis & intermittentibus. Paroxyſmos autem totámque morborum hiſtoriam quatuor definitam temporibus. Vnde quantitatis prouiſio ducitur in qualitate, copia & numero: ipſi per ſe quique morbi, pro ſua cuiuſque natura in eſſentia, parte affecta, humoris dominatu, ſymptomatis & cauſis morbificis indicant. Sic enim peracuti, intra quaternarium vigorem fore oſtendunt. Tertiana exquiſita, ſeptem periodis terminatur. Bilioſi morbi imparibus diebus mouentur. Tertianæ, tertio quoque die: quartanæ quarto quoque die, & quæ ſunt eiuſmodi. Temporum quoque viciſſitudines, & tempeſtatum mutationes præteritæ & præſentes paroxyſmos & conſtitutiones indicant morborum: nam temporum præteritorum conditione fiunt morbi longi aut breues, ſalutares aut calamitoſi. Bono etiam cœli ſtatu, ac æſtate fiunt tertianæ: Autumno quartanæ: Et æſtiuæ quartanæ breues, autumnales longæ. Item vices ſeu ſucceſſiuæ reciprocationes periodorum ſtatæ, cum ſymptomatum incremento, anticipatione, diuturnitate & vehementia oſtendunt ſtatum futurum, & tempus quo acceſſiones deinceps ſint reuerſuræ, non vtique quo die: nam id morbi natura, ſiue ſpecies indicat: ſed qua hora diei, quod quã maximè ad victus inſtitutionem conducit. Siue enim febris quotidie repetat, ſiue tertio quoque die, ſiue quarto; ſi vices illæ ceu repetitiones fuerint celeriores, longiores & vehementiores, citò futurum ſtatum indicabunt: & ſequenti die, ſi febris quotidiana fuerit, acceſſionem citius præcedenti futuram. Hæc enim tria, ex ſentẽtia Hippocratis 2. epid. part. 1. debent concurrere, vt ſignificetur citò futurus ſtatus morbi, anticipatio, longitudo & vehementia. Etenim ſola anticipatio id non pollicetur; ſunt enim febres nonnullæ quarum acceſſiones natura ſua anticipantes ſunt, & in quibus anticipatio ſola non magis augmen-*

*tum quàm declinationem ſignificat: ſic & de poſtpoſitione iudicandum, quæ declinationem ſignificabit, ſi acceſſerint breuitas & remiſſio acceſſionum: vt & de ſtatu, quem inuaſio ſimili hora facta indicabit, ſi adſit longitudinis ac vehementiæ æqualitas. Signa quoque* ἐπιφαινόμενα, *id eſt ſigna coctionis & cruditatis, ſigna critica, cauſæ item criticæ, quæ apparent & fieri dicuntur ad ſalutem vel ad mortem, ad melius vel ad deterius, ad tempus & ſpatium criſis, plurimum conferunt ad futurum ſtatum prægnoſcendum: vt, ſi ineunte pleuritide expectoratum ſtatim appareat, primiſque morbi diebus prodeat ex facili, ad breuitatem morbi apparet. Nam concoctiones celeritatem & ſecuritatem iudicij prænunciant. Sin autem ſerius, id eſt, non ante ſeptimum aut decimumquartum diem, diuturni, vt in Anaxione lib. 3. epid. Quinetiam vrinæ in qualitate, ſubſtantia, copia & contentis, in morbis venoſi generis: & deiectiones excrementi aut humoris morbifici, in morbis alui: & ſudores in febribus bilioſis tum intermittentibus tum continuis, in qualitate, tempore, & excernendi modo, vbi apparuerint, ſecundi aut ſiniſtri iudicij morbos indicant: ſecundi quidem iudicij, ſi ſputa, vrinæ, deiectiones, ſudores fuerint iudicatoria iudicantia: ſiniſtri verò, ſi iudicatoria, non iudicantia.*

## APHOR. XIII.

Γέροντες εὐφορώτατα νηστείην φέρουσι, δεύτερον οἱ καθεστηκότες, ἥκιστα μειράκια, πάντων δὲ μάλιστα παιδία. τουτέων δὲ αὐτέων ἃ ἂν τύχῃ αὐτὰ ἑωυτῶν προθυμότερα ἐόντα.

*IEiunium ſenes non decrepiti ferũt facillimè, ſecundũ hos qui conſtantem ætatem agunt: minus adoleſcentes, minimè omnium pueri, atque inter eos maximè qui acriore ſunt & viuidiore ingenio præditi.*

VBi ad victus rationem probè conſtituendam pręceſſit cognitio virium ægri, acceſſionum particularium & conſtitutionum, addenda eſt ætas (quod hoc Aph. facit Hippocr.) vt quæ conferat etiam ad victum præſcribendum. Sed quum ambiguum ſit hoc vocabulum (γέροντες) videndum quos ſenes hic ſignificet Hippocrates. Cùm ſenectutis duæ partes ſint, Vna cruda & viridis, altera extrema: erunt quoque (vt volunt Hippocratis interpretes) duplices ſenes. Ná qui crudam illam & viridem ſenectutẽ (vnde etiam ὠμογέροντες dicti) agunt, dicuntur propriè πρεσβῦται: qui verò extremam ſenectutem, γέροντες propriè appellantur ἀπὸ τῆς γῆν ὁρᾷν, quod morti propinqui, iam de ſepultura ſint ſolliciti, decrepitos appellamus, vt poſt annum 70. vel 80. Quanquam interdum (vt Aph. vltimo lib. 3.) πρεσβῦται dicuntur ἀντὶ τῶν γερόντων, & contrà. Ergo γέροντας hic intelligit Hippocrates eos qui in prima parte ſenectutis ſunt conſtituti. Hi enim facilè ieiunium ferunt. At qui in altera & extrema ſenectutis parte ſunt conſtituti, hi longas inedias tolerare nequeunt: ſed crebrò, paucis tamen cibis ſunt reficiendi: Quo fit vt ieiunium in ſenibus ſit vel cibi abſtinentia, vel ſumma parſimonia in ſumendo cibo. Eſt autem in eo facilitas, quòd diutiſſimè cibo abſtineant, nec appetant, inde non lædantur. Porrò facilitas ieiunij vel difficultas ex tribus prouenit cauſis: ex natura videlicet caloris natiui: ex conditione materię, ex habitu corporis, quia ſcilicet rarior eſt vel denſior, mollior vel durior, vnde noſtræ ſubſtãtiæ fluor perpetuus, magis minúſve prohibeatur. Cùm itaque calor natiuus ſemper agat in humiditatem,

in eáque pabulum habeat: quò ille maior & robuſtior fuerit, hæc verò laxior & fluxilior, eò maiorem humiditatis copiam abſumet: iam accedat corpus rarum & molle, plus ſubſtantiæ effluet. Hi ergò non facilè ieiunium ferent: quippe cùm illa humiditas ſeu ſubſtātia, quæ multa fluit & abſumpta eſt, debeat alimentis inſtaurari. Contrà facilè ieiunium ferent, in quibus calor imbecillus & paucus parum humiditatis abſumit, fluítque parum ſubſtantiæ ob corpus denſum & durū: quæ in ſenibus inſunt. Horū enim calor natiuus pauciſſimus & languidiſſimus, humiditas concreta, nō fluxilis, quæ ob id non facilè abſumitur: corpus denſum & ſquallidum: ob ídque cū minimū ſubſtantiæ per cutim exhaler, facillimè cibo abſtinebunt. Poſt hos, qui ætatem conſtantem agunt. Sic vocat καθεστηκῦαι Græcè ætatem, quæ media eſt inter vigorem ſeu tempus conſiſtendi, ſeu iuuentutē, & ſenectutē: vt inter trigeſimū quintum annū, vel 40. vſque ad 55. aut ſexageſimū. Nemo enim poteſt ætates rectè & indubiè circūſcribere ob diuerſitatem regionum & temperamentorū, quia alij citius ad incremētū perueniunt, alij tardius. In hac autē ætate calor natiuus langueſcere incipit, humiditas cōcreſcere, corpus reſiccari & conſtringi, ac cōdenſari. Nō ergò ita fluet ſubſtātia: quare ſecundū ſenes faciliùs ieiunium ferent: minùs verò facilè quā ſenes & viri, ferūt adoleſcentes: quia in his calor eſt natiuus multus & efficax, humiditas fluxilior, corpus rarius & mollius. Eſt & cauſa cōmunis cū pueris, quia præter alimentū egent etiā incremento. Adhæc multis exercitiis augent calorē natiuū, plurimūque ſubſtantię per cutim digerūt. Intelligūtur autē μειράκια vel à decimoquarto anno vel decimoquinto, vel 18. vſque ad 25. aut 27. Oribaſius & alij

nonnulli vertunt μείρακα pueros,ſed malè. Sic idē παιδία malè vertit infantes:ſed meliùs vertetur pueri,quàm & infantes & pueruli.παιδία enim vocăt Græci pueros omnes vſque ad 14.annũ.Hi ergo minimè omniũ ferũt ieiuniũ:quia cũ habeant plurimũ calorē natiuũ & efficaciſſimum:humiditatē ductilem,liquidam & quæ facilè cedit:mollitię& raritatē corporis: corpus in motu perpetuo, per quem multum ſubſtantiæ effluit, plurima diſſipatur ſubſtantia quæ alimento debet reparari:adde cauſam quartam (quam prius diximus)quòd nondum iuſtamincrementi perfectionem ſunt conſecuti.Verùm minùs inter eos inediā tolerant,qui ſunt alacriores,hoc eſt prompti & alacres ad actiones ſecũdum motus animi & corporis. Hæc autem prōptitudo & alacritas ad actiones caliditatis copioſioris vel efficacioris ſignum eſt,teſte Galeno cap.29.& 33.artis medicæ.

## SCHOLIA.

*Spectanda ætas in præſcribenda victus quantitate, quòd ætas virium conditionem non modò præſentem, ſed & futuram demonſtret. At, vt in mittendo ſanguine, ſic & in diæta inſtituenda, non modò præſentium, ſed & futurarũ virium habēda eſt ratio: nimirum an vires valeant cum ſecuritate, aut cum infirmitatis metu. Proinde ſenes non quidē omnes, ſed ij tantùm quibus adhuc cruda eſt viridiſque ſenectus, à quinquageſimo anno ad ſexageſimum, ieiunium facillimè ferunt: quòd neque ſuctionis ſenſu, neque ſuctione, neque exhauſto laborent: quò fit, vt neque famis cauſa in toto corpore per exhauſtum, neque famis ſenſio facilè in ſtomacho excitetur. Ac primùm, exhauſti ratio deſideratur in caloris infirmitate, materiæ contumacia, habitus denſitate ac meatuum anguſtia: Suctionis*

*ſenſu non laborant, quia fere ſunt pituitoſi parte ventris ſuperiore. Ergo ſi ſenum vires valeant, de infirmitatis metu non tam vereri debemus, nec vſque adeo eſſe ſolliciti de celeri præſcribendo victu. Poſt ſenes crudos, qui conſtantem ætatem agunt à triceſimoquinto ad annum quinquageſimum, facillime ieiunium ferunt, ob eaſdem cauſas quas in ſenectute cruda commemorauimus, ſed paulò minores. Nequaquam verò adoleſcentes, quòd & exhauſto & ſuctionis ſenſu laborent, proinde inediæ impatientiſſimi: Imprimis verò pueri, quibus & ad incrementum & ad reſarciendum influxum multo nutricatu eſt opus: atque omnino qui ex iis fuerint alacriores, animoſiores & ad motum expeditiores: Tales enim ſunt vi ignis & energia, cuius eſt mouere omnia per omnia; vt aqua nutrire omnia per omnia: vt ſcribit Hippocr. lib. I. de Diæta.*

## *APHOR. XIIII.*

Τὰ αὐξανόμενα, πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. πλείστης οὖν δεῖται τροφῆς· εἰ δὲ μή, τὸ σῶμα ἀναλίσκεται. Γέρουσι δὲ ὀλίγον τὸ θερμόν, διὰ τοῦτο ἄρα ὀλίγων ὑπεκκαυμάτων δέονται, ὑπὸ πολλῶν γὰρ ἀποσβέννυται. διὰ τοῦτο καὶ οἱ πυρετοὶ τοῖσι γέρουσιν οὐχ ὁμοίως ὀξέες, ψυχρὸν γὰρ τὸ σῶμα.

*Quæ creſcunt corpora plurimum caloris innati obtinent, itaque copioſo quum alimento indigeant, ipſis abunde ſuppeditare oportet, alioquin corpus conſumitur. Senibus verò parum caloris ineſt, propterea paucis ſuccendiculis indigent. Exiguus namque ig..is fomitis extinguitur multitudine. Ob eandem cauſam nec ſenibus febres perinde acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.*

HÆc ſententia eſt veluti interpretatio præcedentis. Cauſam enim exponit cur ſenes facilè ieiuniũ, contrà verò pueri & adoleſcentes nullatenus tolerent. Hoc autem fieri docet, quòd plurimum caloris innati habeant. Sed quid ſit calidum innatum, apud veteres fuit valde ambiguum & controuerſum. Siquidem alij

nihil aliud eſſe putabant, quàm calorem ſolis qui omnia generat: alij, eſſe vnam ex elementis qualitatem cenſebant. Verùm vt quid reuera ſit intelligamus, ex ſententia Hippocratis, Platonis, Zenonis diſcendum eſt quomodo omnia fiunt in vniuerſa rerum natura. Cùm quatuor ſint elementa, ex quibus conſtituuntur corpora omnia, horum quidem materiam Hippocrates, Plato, & Zeno exiſtimant eſſe aërem & aquã magna ex parte, minimum verò terræ: quam trium elemẽtorũ mixturam ſubeat iam ignis. Hic reuera calidum eſt ἀρχί-ϑονον, ſiue primigenium & innatum: hic inquam, ignis nihil aliud eſt quàm natura. Vnde Zeno naturam definire ſolet ignem artificioſum: hoc eſt, qui perpetuò mouetur, perpetuò format & gignit ex maſſa illa triũ elementorum. Hinc non ineptè Poëtę, qui finxerunt Prometheum, vbi hominis ſimulachrum ex luto finxiſſet, è cœlo ignem clepſiſſe, quo poſteà ſuum illud ſimulachrum animauerit. Iam vt hominem conſtituamus, oportet quoque miſceri aquam, aërem, & terræ paruã copiam, oportet ignem illum adeſſe. Sperma itaque & ſanguis menſtruus, generationis noſtræ primordia, tribus illis elementis reſpondent. Quòd ſi his affundatur ignis, iã ſubſtantia eſt calidi innati, iã eſt natura illa formatrix. Porrò hic ignis, qui (vt diximꝰ) perpetuò mouetur & gignit, ex ea ſanguinis & ſpermatis maſſa conſtituit primùm partes ſimilares, ex quibus quædam etiam dicũtur ſpermaticæ, quædã ſanguineę, propterea quòd hæ plus ſanguinis, aliæ plus ſeminis in ſe habẽt. Deinde idẽ ignis format & cõponit ex ſimilarib. partes inſtrumentales. Quinetiam ignis beneficio remanet vis quædam in partibꝰ ſimilaribus, quę ſanguinẽ humoréſq; gignit. Qui quidẽ ſanguis aliíq; humores egẽt alimẽto: &

contrà idem ſanguis & humores ſunt pabulum caloris natiui, qui eſt in partibus ſimilaribus, ac præterea archigoni: adeo vt quemadmodum ſe habent aliméta ad ſanguiné & humores, ita ſe habent ſanguis & humores ad caloré natiuú partiú ſimilariú. Cęterú calidú innatum intelligitur quatuor modis: nempe ſecundum quantitatem, ſecundú ſubſtátiá qualitatem, & efficaciam ſeu energiam. Subſtantia caloris natiui rurſus intelligitur multifariam. Siquidé aliquádo dicitur eſſe in illis duob. noſtræ generationis principiis, ſemine & ſanguine méſtruo: aliquando in ſanguine & pituita, quòd in his ſuú pabulum habeat, vt diximus: aliquando in ſanguine & viſceribus, vt in corde. Sed in corde ſedem habere dicitur per antonomaſiam. Ná cú in corpore duplex ſit ſanguis, vnus ad nutritioné in hepate, & reliquis partibus, alter in ſiniſtro cordis ventriculo admodú ſpirituoſus: quia in hoc conſiſtit caloris natiui fons, in corde collocatur interdú ſubſtátia caloris natiui. Et vt eſt calor in corde, ita ſe habet calor reliqui corporis. Quátitas verò caloris natiui conſideratur duobus modis: quia ſcilicet calor eſt multus, & calor extenſus. Qualitas item bifariam: quia blandus eſt & ſuauis, vt in pueris: vel, quia acris & mordax (vt in iuuenibus) aut láguidus, vt in ſenibus. At ſecundum energiam ſpectatur calidú innatú, vel quia magis eſt intenſum, vel quia magis ſymmetró. Hîc itaque per calidum innatum non qualitas (vt nonnulli voluerunt) venit intelligenda, ſed ſubſtantia caloris innati. Quam cum habeant plurimam pueri & adoleſcentes, quæque magna ſua efficacia facilè aëream illam & tenuem humiditatem qua abundant, abſumat, ac per cutim digerat ob corporis mollitiem, neceſſe eſt eos plurimum indigere aliméto. Ponit auté ex Timæo

Platonis duplicem ignem Galenus: vnum æthereum, qui vrit, vt eſt elementaris: alterum in nobis, qui vaporoſus eſt, blandus, ſuauis, ac temperatus. Eſt tamen & in nobis alius ignis aduentitius (qui illi elemētari reſpondet) mordax, inſuauis, acris, & fuliginoſus: qualis apparet in viris & ſenibus, quum magis terreſtre efficitur corpus, ídque maximè in febricitātibus, præſertim febres hecticas vel putridas. Cæterùm ſenes paucum habent calidum, ſiue ſubſtantiam ſpectes, quę minima eſt (abſumpta videlicet aërea & aquoſa illa ſubſtantia) ſiue qualitatem, quæ debilis eſt & languida: ob id, pauco egent alimento. Id enim ſignificat vox ὑπεκκαύματα, Galeno in comm. teſt. qui τροφὰς denotare dicit: quod veteres medici & nobiliſſimi philoſophi (vt Hipp.) eorum quæ animalia conſtituūt elementorum, calidum maximè eſſe vitæ cauſam exiſtimarint. Eſt autem propriè ὑπέκκαυμα fomes ceu alimentum ignis. Porrò cum febris nihil aliud quàm incendium quoddam ſit excitatum in noſtris corporibus, ſenes verò paucum habeant calidum innatum, rarius quàm iuniores, febribus acutis corripiuntur. Quòd ſi quando contingat vt tam acutis febribus quàm iuuenes, laborent, omnino eæ ad ægrotantis interitum finientur.

## *SCHOLIA.*

*PVeritia præ cæteris ætatibus liberaliori alimento indiget: Nam quæ incrementis augeſcunt, mutatione ſcilicet magnitudinis, quæ fit per extenſionem, ſeruata ſemper priori continuitate, plurimum habent humidi primigenij ſpiritu & calore perfuſi. Eſt enim conſentaneum vt id quod augetur calidiſſimum ſit, quo non ſolùm quæ diſſipatur materia inſtauretur,*

*ſed quæ prius extiterat cum naturalis acceßione accreſcat: propterea̓que iis plurimo nutricatu eſt opus, ratione effluxus & incrementi: alioqui corpus abſumitur effluxus & exhauſti ratione, & affluxus inopia: ſenibus verò caloris exiguum ſupereſt, quò fit vt paucis fomitibus egeant, quippe à multis extinguuntur facilè: inde adeò ſenibus non ita fiunt febres acutæ, quæ non tam celeriter, nec continenter, nec vehementer mouentur (quæ tria requiruntur ad morbum acutum) quàm in iuuenibus: frigidum enim eſt eorum corpus: propterea omnem inflammationem facilius ferunt ſenes quàm iuuenes, ſi eam quæ in pulmones atque thoracem cadit exceperis: quæ enim inflammatio ſenes fatigat, vehemens eſſe nequit, quòd in illis calor paruus ſit in mole, & remiſſus in qualitate. Quanquam ſi aliqua febris ardens ſenes corripiat, non poteſt eſſe non periculoſa ſenibus: tum quia ſenile corpus à proprio temperamento longius diſceßit: tum quia cauſa quæ illam accendit, validior eſt, tum quia in ſenibus vires ſunt debiles.*

## APHOR. XV.

AI κοιλίαι χειμῶνος καὶ ἦρος θερμόταται φύσει, καὶ ὕπνοι μακρότατοι· ἐν ταύτῃσιν οὖν τῇσιν ὥρῃσι καὶ τὰ προσάρματα πλείω δοτέον. καὶ γὰρ τὸ ἔμφυτον θερμὸν πλεῖον ἔχουσι. τροφῆς οὖν πλείονος δέονται· σημεῖον αἱ ἡλικίαι, καὶ οἱ ἀθληταί.

*VEntres hyeme & vere natura calidißimi ſunt, ſomnique longiſſimi. Quocirca iis temporibus alimenta copioſiora dari debent. Siquidem plus natiui caloris habent: pluribus igitur alimentis egent: Argumento ſunt ætates & athletæ.*

Non parum ad victus rationem rectè inſtituendam anni tempora conducere demonſtrat hæc ſententia. Per κοιλίας autem intelligit Hippo. non ſolùm

ventrem propriè appellatum, hoc eſt, ventriculum, verùm etiam partes nutritorias quæ ſunt circa ipſum ventrem. Hyems verò hîc accipienda, non vt circumſcribitur ab Aſtrologis, ſed medicorum more, hoc eſt, vbi iam frigus eſt. Sic ver ſumendum hoc loco non Aſtrologorum more, ſed pro vere ineunte & accedente ad hyemis naturam, hoc eſt, frigido adhuc. Iam cùm naturę nomen valde ſit ambiguum tum apud philoſophos, tum apud medicos: hîc intelligemus τὴν φύσιν, eam dici facultatem, qua gubernamur. Quæ facultas, ſubſtantia eſt caloris natiui, quæ poſita eſt in ſanguine, ſpiritu, & aërea humiditate. Natura igitur, id eſt, calore innato, ſunt calidiſſ. ventres vère & hyeme. Sic ſomni ſunt longiſſimi hyeme, non propter longiſſimas noctes, ſed quia calore natiuo fortiter agente ſomni materia plurima eſt. Hæc autem nil aliud eſt, quàm vapor à ſanguine, ſpiritu, & aërea illa humiditate, qui vapor facit ſomnos lõgiſſimos & ſuauiſſimos, non ſolùm ob multitudinem, ſed etiam ob conſiſtentiam & qualitatem, quia ſcilicet multus eſt, benignus, & prætereà craſſior hyeme quàm æſtate. Quòd ad calorem attinet, copioſus eſt hyeme, quia copioſior ea materia: prætereà fortis & robuſtus, quia tum eſt coactus & collectus. Cogitur porrò ac in corporis profundum refugit tribus de cauſis. Primùm ob circunſtans frigus externum: deinde ob noctes & tenebras. Nam quemadmodum aër lucidus calorem noſtrum foras euocat ac diſſipat: ita tenebroſus eundem calorem intrò cogit ac repellit. Tertia cauſa eſt ſomnus, qui maximè concoctiones iuuat, quòd videlicet per eum calor naturalis interiora petat. Ob has igitur cauſas cùm ſit calor copioſus & robuſtiſſimus, à quo

plurimum ſubſtantiæ abſumatur & diſſipetur: vita autem noſtra ablatæ ſubſtantiæ adiectione inſtauretur ac ſeruetur, alimenti plurimum exhiberi debet hyeme. Sin minus, calor quidem ille plurimus & robuſtus, vbi intrò coactus nihil pabuli reperit, contabeſcit, refrigeſcit & offenditur noſtrum corpus. Minuta ergo caloris natiui ſubſtantia, minuitur noſter calor: vnde minùs appetit homo, peiùs concoquit, peius ſanguificat, & excernit. Contrà, ſi detur ſatis alimenti, fiet naturæ robur firmum, magis appetet natura, meliùs concoquet, digeret, ſanguificabit & excernet. Proinde hinc fit, vt plurimùm euacuatis ſomnum prohibeamus, niſi præſumpto cibo. Iam detur frigus vehemens, & calor natiuus paucus. Hic quidem langueſcere & corrumpi ab aëre externo poterit frigidiore, niſi alimentis inſtauretur. Ponamus igitur duos, quorum alter habeat calorem natiuum multum, alter paucum. Ille valde appetet, rectè concoquet, ſanguificabit, excernet: hic contrà. Illum fouebo alimentis multis: hunc verò alimentis paucis & concoctu facilibus, veſte multa, fomẽtis circa ventriculum, vt pellibus, &c. Quapropter non eſt vniuerſalis hæc ſententia de brutis hominibus, ſed de hominibus tantùm: neque tamen de omnibus, ſed de iis ſolùm qui multum habent ſanguinis, & ob id multum natiui caloris. Pueri autem quia calorem natiuum plurimum obtinent, idcircò pluribus etiam alimentis egent, eadémque conficiunt meliùs. Itidem athletæ, quia crebris exercitiis ſanguinem auctiorem ſibi reddunt, & ob id natiuum calorem.

## SCHOLIA.

VT ætatis, ita & temporis anni habenda eſt ratio in præſcribenda victus quantitate. Quare liberalius alimentum exhibendum hyeme & vere quàm alio tempore. Nam inſignes viſcerum capacitates, nimirum ventriculi, iecoris, thoracis & cerebri: potiſsimum verò alui, ceu ventris inferioris qui abdomine continetur, éſtque concoctionis officina: hyeme ab occaſu Vergiliarum, nimirum idibus Nouembris, ad æquinoctium vernum: & vere, ab æquinoctio verno ad ortum Vergiliarum, ſunt calidiſsimæ per antiperiſtaſin & ex euentu, non omnium quidem animalium, nec omnium hominum, ſed eorum tantum qui ſolidum habent corpus, & ſucci plenũ, & quadrati nominãtur: calore natiuo non quidem fixo, ſed ſolo fluente: fixi enim caloris nulla poteſt acceſsio, nullúmque incrementum fieri, alioquin immortale foret animal: fluens verò augeri ac increſcere poteſt, refluxu ſcilicet ad interiora ſanguinis, ſpiritus & humiditatis aereæ: ex quibus tribus vt olim homo principia habuit, ſic ab iiſdem proportionem ac propagationem vitæ recipit: vnde enim generatio, inde conſeruatio. Somni quoque longiſsimi hyeme & vere, quia ventres calidiſsimi: vt enim calor natiuus intrò aut foras viam affectat, ita ſomni & vigiliarum inclinationes fiunt, vt docet Gal. Comment. ad Apho. 1. lib. 2. Quamobrem iis temporibus refectioni plus tribuendum, cum ſcilicet corporis mutatio fit ad robur, non ad infirmitatem. nam cum fit mutatio à robore ad infirmitatem, eſtque de cibis detrahendum, hyeme minus eſt dandum, æſtate plus, ſi quid dãdum. Etenim cum maior caloris natiui fluentis vis ineſt, tum pleniore victu eſt opus. Id teſtantur athletæ, & ætates, potiſsimum verò pueri, qui quia maximam habent calidi innati copiam, illi quidem ob exercitationem, hi verò ætatis beneficio, pleniore victu opus habent. Quod hactenus de temperaturis, ætatibus,

*temporibus quod ad victus rationem præſcribendam attinet, pronunciatum eſt ab Hipp. idem de regionibus dici poteſt. Qui enim regiones frigidas incolunt, voraces ſunt, quia ventres habent calidiſsimos per antiperiſtaſin. Etſi vero ventres hyeme ſint calidiſsimi, pituita nihilominus hyeme plurima gigni ſolet, quam tamen ab imbecillo calore gigni aſſerunt medici. Sed ea re vera non tam gignitur in ventriculo, quàm in hepate & venis, ad quas partes cùm ambientis aeris frigus penetret, impedit quominus chylus ad hepar & venas delatus exactum ſanguificationis cultum recipiat: adde quòd (vt ait Hippocr.) noctes ſunt longiſſ. & pluuiæ copioſæ tum temporis.*

## *APHOR. XVI.*

ΥΓραὶ πᾶσι δίαιται τοῖσι πυρεταίνουσι ξυμφέρουσι, μάλιστα δὲ παιδίοισι, καὶ τοῖσιν ἄλλοισι τοῖσιν, οὕτως ἀθισμένοισι διαιτᾶσθαι.

*VIctus humidus quum febricitantibus omnibus tum pueris maximè atque alus qui tali victu vti conſueuere, vtilis.*

Hactenus egit Hip. de quantitate victus tum ægrorum tum ſanorum: nunc de qualitate, quæ & ægris & ſanis conuenit, verba facit: vt enim ægro conueniens alimentum præſcribas, alimenti qualitas ſpectanda: primùm ſecundum qualitates primas, quia vel calfacit, vel refrigerat, vel humectat, vel ſiccat. Vt in febre duæ ſunt qualitates, caliditas & ſiccitas, his ergò opponam victum frigidum humidum. Deinde conſideranda victus qualitas ſecundum qualitates ſecundas, quibus oppugnemus quæ morbo ſunt coniuncta. Vt

çùm in febre ſit non ſolùm calor, ſed & obſtructio: hordeato, & corrigere potero calorem, & ſimul aperire obſtructionem. In tertia ratione videndum, vt alimentum gignat bonum ſuccum, facilè coquatur, celeriter diſtribuatur, parum aut nihil habeat excrementi. Quartò conueniet alimentum, ſi ſit ægro ſuaue & conſuetum. Cæterùm victus humidus duobus modis intelligitur: aut potentia humidus, vt hordeatum, ius pulli: aut humidus actu & liquidus, vt iuſcula, potiones, &c. Vnde nonnulli volunt præberi victum, non qui reuera humectet, ſed liquidum. Si verum ſpectemus, in febribus inſtituemus potiùs alimenta liquida, quàm quæ craſſiore ſunt ſubſtantia. Ea enim faciliùs liquantur, faciliùs minuuntur in tenues partes, & naturæ vt concoquat accommodantur, celeriùs item diſtribuuntur, bonum ſuccum faciunt, parum habent excrementi. Optimè igitur dari poſſunt in febribus liquida. Quanquam reuera Hipp. intelligit de alimento quod potentia humectat. Verùm quæret quiſpiam, cùm febris eſſentia ſit in calore, oporteat autem medicum ex diametro pugnare cum morbi eſſentia, qui fit vt Hipp. febricitantibus humidum ſolùm, non etiam frigidum victum conuenire dixerit? Reſpondebimus, Hippocratem (vt breuitatis ſtudioſus eſt) per qualitatem vnam, ſcilicet humidam, ſignificare etiam refrigerantem. Quemadmodum enim poſito calore ſatis notatur ſiccitas, vt ad quem neceſſariò ferè ſequitur ſiccitas: ſic poſita humiditate inauditur frigiditas, ad quam vt plurimùm ſequitur humiditas. Præterea victus humidi fecit tantùm mentionem, habita ratione eius quod magis vrget: ſiquidem ſiccitas difficiliùs corrigitur quàm caliditas.

Itaque victus non ſolùm humidus, ſed etiam frigidus prodeſt in febribus. Verùm in noſtris illud cauendum, ne pluſquam oportet, refrigeremus. Harum enim regionum ventriculi ſunt frigidi: proinde multam colligunt pituitam & crudos humores, vnde obſtructiones, & hinc febres. Quòd ſi multùm refrigeres, læduntur, augentur obſtructiones & febres. Quare exhibebimus mediam materiam, vt hordeatum, &c. Atenim hoc loco intelligendi veniunt febricitantes ſimpliciter & abſolutè: hoc eſt, non complicato alio affectu, vt hydrope, pleuritide, ſanguinis ſputo. Nam vbi complicati ſunt affectus, qui contrarias habeant indicationes (vt febris & hydrops) ad id quod magis vrget, reſpiciendum, non poſthabito altero, curationéſque in his contrariæ ſunt adhibendæ. *Præſertim pueris &c.*) Hactenus docuit qualitatem victus contrariam in ægris: iam in ſanis ſimilem & familiarem ſeruandam eſſe docet tum propter ætatem, tum propter conſuetudinem. Nam pueri egent victu humido, quòd propter incrementum ſint humidiſſimi. Natura enim eos donauit humiditate, materia incrementi, & præthereà caliditate incrementi opificè. Altera cauſa, quia nihil tam repugnat incremento, quàm ſiccitas. Vnde pueri febricitantis incrementum impeditur, quòd is à febre ſiccetur. Quemadmodum itaque victum ſimilem poſtulat ætas, quia ex iis eſt quæ natura nobis inſunt: eadem ratione conſuetudo indicat ſe ſeruandum ſimilibus. Eſt enim conſuetudo, acquiſititia natura, vt teſtatur Gal. lib. ſecundo Temp. cap. quinto. Verùm quod de victus ratione ab ætate & conſuetudine dictum eſt, id etiam de temperamento naturali, anni tempore, & regione (vt monet in comm. Gal.) erit intelligendum.

*SCHO-*

## SCHOLIA.

HActenus de copia ac quantitate victus, nunc de qualitate eiuſdem agitur. Diætæ igitur meabiles, concoctu faciles, ſitis & alienæ qualitatis expertes, cuiuſmodi ſunt ptiſana, panis intinctus in iuſculo capi, pulli & carnis vitulinæ: omnibus febre eſſentiali ſimplici, nec cum alio affectu complicata laborantibus, ſi iure & loco exhibeatur, conferunt: quia æquè pugnant cum morbo, atque naturæ ſtudent, cum præditæ ſint quatuor qualitatibus iam commemoratis, maximè verò pueris, febre eſſentiali correptis, conferunt, duabus de cauſis, & quatenus morbo contrariæ ſint, & quatenus naturæ ægrotantium conuenienter adhibentur: conferunt quoque aliis qui diætam humidam in omni vita inſtituerunt. conſuetudo enim altera quædam natura eſt, ita vt quemadmodum quæ præter naturam ſunt, amoueri deſiderant per ſua contraria, ita quæ ſecundum naturam ſunt, ſeruari per ſimilia: vnde tria hæc, temperatura, ætas, & conſuetudo vnicam eámque ſimilem iudicationem præbent: victus autem humidi nomine non tantùm alimenta, ſed & potum, balnea, aerem humidum, quietem & ſomnum intellige.

## APHOR. XVII.

Καὶ οἷσιν ἅπαξ, ἢ δὶς, καὶ πλείω, ἢ ἐλάσσω, καὶ κατὰ μέρος. δοτέον δέ τι καὶ τῇ ὥρῃ, καὶ τῇ χώρῃ, καὶ τῇ ἡλικίῃ, καὶ τῷ ἔθει.

QVos etiam ſemel aut bis, & plus minúſve & minutatim ac particulatim alere conueniat, ſpectandum. Dandum verò aliquid conſuetudini, tempori, regioni, & ætati.

Poſteà quàm de quantitate & qualitate eorum quæ offeruntur ſermonem habuit, nunc qualis debeat eſſe eorumdem modus in ægris demonſtrat. Modus autem ſiue qualitas alimenti ſpectatur in tribus: quia ſcilicet vel multum quantitate exhibetur, aut paucum: vt multum panis hordeati, &c. vel quod multum nutrit aut parum: vel quod offertur longioribus interuallis aut breuioribus. Quando verò plura vel pauciora, ſæpius aut raro vel ſemel cibum præbere oporteat, diſcendum potiſſimum à viribus ægrotantis, & morbi natura, ſeu morbo ipſo. Virium robur in morbo, quà robur eſt, eget copioſiore alimento: quia fortior eſt calor natiuus. Sed cum viribus conſideranda humorum quantitas & qualitas. Vires ergò ſunt vel cum plethora, vel cum inopia ſiue defectu. Sunt & vel cum humorum integritate, vel cum eorundem corruptela. Sint vires cum plethora. Vires quatenus ſunt vires, egent multo alimento: plethora nullo, aut pauco. Videndum vtra indicatio vincat. Vincit indicatio à plethora: ſiquidem vires internum habent alimentum quo ſuſtententur. Hîc ergò exhibebimus pauca alimenta, pauca (inquam) quantitate, pauca qualitate, hoc eſt, parum nutrientia, & longioribus interuallis. Si verò ſint vires cum humorum defectu, quia vtrumque poſtulat multum alimenti, multum dabimus tripliciter: multum quantitate, multum nutriens, & ſæpè. Iam ſi adſit virium robur cum humorum integritate, ſequi oportet omnia mediocria: hoc eſt, neque tenuiter, neque plenè eſt cibandum. At, ſi ſint validæ vires cum humorum corruptela, ſumpta vtrinque indicatione dabimus multum cibum, boni ſucci, & ſæpè. Vires enim robuſtæ cùm non

habeant internum illud pabulum vt in plethora, multo egent alimento & frequenti. Prætereà, vtili aliquo ſucco opus eſt, qui corruptam illam materiam poſſit temperare: hîc conuenire poterit iûs pulli, hordeatum. Nam præterquàm ſatisfacient viribus, contemperabunt etiam humores corruptos. Sic in ſanis, lac, ſiue ſerum lactis corruptelam humorum temperat: necnon lac aſininum in albis puellarum coloribus, & ſuppreſſis menſibus. Ab his etiam non diſſentit, quòd Auicennas in peſte ſumi iubet multum alimentum boni ſucci, & frequentioribus interuallis: quò materia illa corrupta, quæ peſtem facit, contemperetur. Hactenus de virium robore, iam de earumdem infirmitate, quæ, contrà quàm vires robuſtæ, paucum alimentum poſtulat, quia multum conficere non poteſt. Verùm, vt in virium robore dicebamus, ita cum hac ſpectanda eſt quantitas humorum & qualitas. A quibus ſimul iudicationibus ſumptis, ſtatuendum eſt de modo & quantitate alimenti. Cæterùm præter iam dictas quæ à morbo viribúſque petuntur indicationes (quæ quidem primæ maximæque ſunt) ſumitur etiam cibi offerendi modus à conſuetudine ægrotantis, tempore anni, regione, & ætate, vt in comment. copioſè oſtendit Galenus. Hinc eſt quòd dixit Hippocrates dandum eſſe aliquid anni tempori, & ſimilibus: vt innueret vniuerſam victus rationem non ab his tantùm eſſe petendam, ſed potiſſimum à morbo & viribus.

## SCHOLIA.

Cibi offerendi modus hic deſcribitur: cuius indicatio deſumenda eſt à morbo, maximè verò ab ægri viribus. Ergo cùm perſpectum habueris iure, & iam edito pepaſmo, ptiſanam exhiberi debere: exempli gratia, in pleuritide cum os humeſcere ceperit: tum illud maximè eſt conſiderandum, quomodo ſit exhibenda: ſemelne an bis die, id eſt vnico paſtu, an duobus paſtibus: larga manu, an parca: ſic ſemper, an aliter, atque alias. Semel quidem iure offerenda ptiſana, ſi adhuc ſiccior ſit morbus: id eſt, ſi nulla adhuc morbi excrementa foras prodeant, dum fit progreſſus ad infirmitatem: deinde ſi vires valeant cum ſucci alibilis copia, dum fit progreſſus ad robur: Item ſi vires valeant cum ſucci inopia, aut imbecillæ ſint cum nimia praui humoris abundantia. Bis vero die ſi morbus humeſcere incipiat, id eſt, os humeróſque perfundi incipiat: exempli gratia in morbis pulmonum: & vires debiles vi aut diuturnitate morbi factæ ſint: ſi vires valeant cum ſucci alibilis inopia, aut humorum prauorum copia: largiore manu exhibendus cibus in qualitate & copia humeſcente morbo. exempli gratia, qui pleuritide, aliíſque affectibus thoracis & pulmonum in quibus excrementa conuenienter iam foras prodeunt, quò maior apparet expectorati copia, vt inde firma reddantur latera ad expectorandum: deinde, ſi ipſum per ſe expectoratum procedat, ac dolor pleuriticus vltrò quieſcat, nulla ope medici quæ fecerit corpus infirmum: Item ſi vires valeant cum ſucci inopia. Parciore vero manu, ſi morbus adhuc ſiccior ſit: aut, ſi vires effœtæ languecant cum ſucci copia: aut, ſi vires languidæ ſint cum ſucci inopia: tum enim ſæpe & parum cibus exhibendus. Videndum etiam eſt, vtrum id quod primo loco duxeris faciendum in qualitate, copia & numero offerendi cibi, ſic ſemper eodémque modo fieri oporteat, an verò quid immutandum. Attri-

*buendum tamen eſt quidpiam tempori, regioni, ætati & conſuetudini. Æſtate enim parum cibi exhibendum, ob vires imbecillas: & ſæpe, ob magnam humorum penuriam. Hyeme, rarò & multum: vere medio parum & rarò, vt vitetur plethora, quæ tunc imminet ob humorum fuſionem qui hyberni temporis frigore concreuere. Autumno vero, præſertim ſi vires ſint validæ, multum & ſæpe, quia ſimilis eſt morbis qui fiunt ex corruptione. In frigida regione, vti hyeme: in calida, vt æſtate: in temperata, vt vere medio, alere conuenit. Ætas quoque pro ratione temperamenti proportionem ac viciſsitudinem alimenti indicat. Pueri ſiquidem alendi multum, quia plurimum habent innati calidi: & ſæpius, quoniam eorum ſpiritus ac humores facilè diſsipantur: Iuuenes multo quidem egent alimento, ſed raro: quoniam calorem habent vegetum, ſed non facilè diſsipabilem. Senes crudi, parum ac raro cibandi, in quibus non eſt calor multus, nec diſſolutio. Senes decrepiti, pauco quidem cibo opus habent, ſed frequenti, vt vires languidæ ciborum coctioni ſufficiant, & abunde reparentur. Conſuetudinis par ratio eſt, cum altera ſit natura. nam quorum aluus bis aut ſemel humeſcere, intumeſcere, & coquere conſueuit, mutata conſuetudine, alui habitum, temperamentum & actionem immutat.*

## *APHOR. XVIII.*

Θέρεος καὶ φθινοπώρου σιτία δυσφορώτατα φέρουσι, χειμῶνος ῥήϊστα, ἦρος δὲ δεύτερον.

*Cibos æſtate & autumno difficilimè ferunt, hyeme facilimè, vere minus.*

Non eſt idem hic Aphoriſmus cum decimoquinto, *Hyeme & vere* &c. vt quidam putant: ſiquidem de ſanis illic locutus eſt, hîc de ægrotis. Nam cum in præ-

cedenti Aphor. docuerit in victus ratione ægrotorum dandum eſſe aliquid tempori, hoc loco qua ratione idipſum ſit intelligendum monſtrat. Cæterùm æſtatem & reliqua tempora ſumere oportet, non Aſtrologorum more, ſed medicorum: qui æſtatem vocant conſtitutionem aëris calidiorem & ſicciorem: contrà, hyemem: autumnus verò & ver imitantur vtrumque. Verùm æſtate cibos difficillimè ferimus tribus de cauſis. Prima eſt, quia paucus eſt tunc calor natiuus. Paucus autem eſt calor, quia pauca eſt ſubſtantia caloris natiui: hoc eſt, paucus ſanguis, pauca ſpirituoſa ſubſtantia, & humiditas aërea. Secunda cauſa, quia calor externus rarefacit noſtrum corpus, ita vt facilè exhalet corporis ſubſtantia. Tertia, quia calor externus corpore rarefacto attrahit in ſuperficiem corporis calorem noſtrum ſeu ſpirituoſam ſubſtantiam, ac reſoluit. Vnde Ariſtot. æſtate inſtituit ὀλιγοσιτίαν, hoc eſt ciborum paucitatem, & contrà potum largiorem. Sic automno cibos difficillimè ferimus: quia pauciſſimus eſt ſanguis ſiue calor natiuus, & ob inæqualitatem caloris & frigoris. Vel, inæqualitatem dierum intelligemus, quum frigus eſt manè & veſperi, calor verò meridie. Difficillimè autem ferunt cibum homines his temporibus, quia cùm ingeſtum cibum non concoquant, grauantur, ac proinde alimentum vertitur in humorem crudum vel corruptum, à quorum vtroque neceſſariò ſequuntur morbi. Vnde morbi autumnales habentur periculoſiſſimi, quòd ferè ſemper ex his cauſis naſcantur. Quapropter his temporibus parum cibi & ſæpius dandum eſt. Contrà hyeme, quia ſubſtantia caloris natiui plurima eſt, dandum raro & plurimum cibi. Intelligimus autem in corporibus, quæ natura ſua multo ſan-

guine abundant. Eſt porrò multus calor hyeme, quia tunc multa pituita colligitur, quæ eſt nutrimentum ſanguinis & caloris natiui. Hinc eſt, quòd Gal.lib. de placitis Hippocratis & Platon. poſuerit caloris natiui ſubſtantiam in ſanguine & pituita. At verò vere nec facillimè vt hyeme, nec difficillimè vt æſtate cibos ferunt ægrotantes, ſed medio modo ſeu ſecundo loco poſt hyemem: hoc eſt, faciliùs quàm in æſtate & autumno, quòd ſcilicet ver ipſum ſit temperatum. Non abſq; re igitur dixit δεύτερον (id eſt, ſecundo loco poſt hyemem) Hippocrates. Vere enim magis ſunt intrò coacti ſanguis & ſpiritus, maiórque eſt ſanguinis copia quàm æſtate, ob id calor natiuus non ita imbecillus eſt vere, quàm æſtate: neque tamen ita robuſtus eſt vt hyeme: vere autem corpus rareſcit, & calor ad cutim fertur ex profundo corpore, neque ita collectus eſt intrò cum ſanguine & ſpiritu, vt hyeme. Quare non perinde cibum ferimus vere atque hyeme.

## SCHOLIA.

*Ergo ſpectata temporum conditione is in cibandis ægris modus ſeruandus erit, vt illis, mitificato iam morbo, & iam edito pepaſmo, ſi cibi capiendi neceßitas vrgeat, æſtate & autumno parum alimenti & ſæpius offeratur: hyeme plurimum & rarò: vere medio modo, plus quidem & rarius quàm æſtate: minus verò & ſæpius quàm hyeme. nam æſtate, quæ ab ortu Vergiliarum more medicorum incipit, & ad ortum Arcturi deſinit, nimirum à Calendis Maij ad idus Septembris: & autumno, qui initium habet ſecundum medicos ab ortu Arcturi, & ad Occaſum Vergiliarum finitur, ægri cibos ægerrimè ferunt, quòd non ſolùm aluus officij*

*vacuitate reddita ſit ignauior, dum ſiccus eſſet morbus: ſed etiam calor vitalis effætus langueat æſtate: hyeme verò facillimè: nam licet hyeme aluus reddita ſit ignauior, morbo exiſtente adhuc ſicco, tamen calor natiuus augetur, vnde ferendi cibi facilitas maior hyeme quàm æſtate & autumno. Quinetiam, cùm is qui iure cibo vtitur, edito pepaſmo, poſt tridui aut quatridui abſtinentiam cibo grauatur, mutatione ventriculi ab ocio ad negocium: tum verò pluribus damnis augetur æſtate, quàm hyeme: autumno, quàm vere: quòd ad ventriculi infirmitatem accedat caloris natiui paupertas atque inopia: vnde perturbatio maxima œconómiæ naturalis, & reſpirationis.*

## *APHOR. XIX.*

Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ' ἀναγκάζειν, ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθεσίων πρὸ τῶν κρισίων.

*Quibus per ſtatos circuitus acceßiones fiunt, nihil dare, nec cogere, ſed adimere oportet adiectioni ante iudicationes.*

Ad rationem victus inueniendam ſpectamus non ſolùm ſpeciem morbi, eius differétiam, quia vel acutus eſt vel longus; eius morem, eius item motum: ſed etiam morbi materiam excedentem (vt plethora eſt) vel deficientem, vt cum inanitione: deinde vires ægri: tertiò acceſſiones & conſtitutiones. Tum inſtituimus quantitatem, qualitatem, & modum victus. Ad duo quidem priora, ex his tribus poſtremis nihil vtilitatis ex acceſſionibus habemus: ad tertium verò ex iis aliquid ſumere poſſumus. Agit ergò hoc Aphoriſmo de modo vtendi, & tempeſtiuo vſu victus, iudicatione ſumpta ab ipſis acceſſionibus.

Quanquam quum dicit ( qui acceſſiones per circuitus obtinent ) non propterea exiſtimandum eſt hanc ſententiam eandem eſſe cum vndecima, cuius initium eſt, In acceſſionibus abſtinere oportet, &c. Ibidem enim ſimpliciter de omni acceſſione loquitur: hîc verò, de ea tantùm quę certo ordine fit, τεταγμένως, inquit Gal. Acceſſionem autem intelligit vt Aphor. duodecimo, nempe deterius periodi tempus: hoc eſt, principium, augmentum, & vigorem. Non debet itaque ante futurum acceſſionem dari cibus, niſi intercedāt ſex, quinque aut quatuor horę. Quanquam pręſcribi non poteſt certum ſpatium, quòd hic meliùs & celeriùs concoquat, ille tardius. Debet tamen inter paſtum præcedentem & acceſſionem ſequentem tantum ſpacij intereſſe, quantum ſufficere videbitur ad concoctioné & diſtributionem exhibiti cibi. Ac minus dari debet cibus in ipſa acceſſione: in principio quidem, neque cibus neque potus dari debet: in incremento, dari poteſt potus ad colluendum os: in vigore verò, poteſt etiam dari potus (quia tunc æger ardet) cibus nunquam. Per ἀφαιρέσιας nihil aliud intelligit, niſi cibos qui offeruntur: quorum quantitati ante acceſſionem eſſe ſubtrahendum monet. Sic autem loquitur Hippocrates quòd exiſtimarit artem eſſe in adiectione & ſubtractione. Cæterùm quid per κρίσιν, id eſt iudicationem, intelligat, non mediocriter dubitant interpretes. Alij enim volunt per eam dictionem hoc loco ſignificari acceſſionem: alij vigorem acceſſionis: nonnulli vigorem morbi ( & meliùs:) aliqui criſin in propria ſignificatione, pro ſubita videlicet mutatione ad ſalutem. Quoquo modo intelligamus, certum eſt ante paroxyſmum & reliqua vel nihil cibi offerendum eſſe, vel

parum. Horum enim quouis imminente, videmus breui fore certamen naturæ cum morbo. Atqui ea ad conficiendos cibos non eſt auocanda, ſed permittendum planè eſt, vt concoctioni morbi vacare (nullo prorſus obſtante) poſſit. Sed reuerâ hîc iudicatio ſignificat acceſſionem, teſte Gal. in comm. Neque id quidem temerè fecit Hippocrates. Magna namque ex parte in acceſſionib. iudicationes accidunt, vt Gal. lib. primo de dieb. decretoriis atteſtatur.

## SCHOLIA.

*NOn tantum à morbo ægrique viribus cibi offerendi indicatio ſumenda eſt, ſed & à paroxyſmis periodicis morborum, qui per circuitus exacerbantur. Tales autem paroxyſmi ceu acceſſiones duplices cum in febribus exiſtant: aliæ particulares, quales in febribus intermittentibus obſeruantur: aliæ vniuerſales, quales in continuis: potiſſimum hîc de vniuerſalibus agitur: nam de particularibus aph. vndecimo dictum eſt. Ergo in paroxyſmis vniuerſalibus, qui per circuitus vniuerſales fiunt: exempli gratia, per quaternarios circuitus ante viceſimum diem: ſeptenarios, ante quadrageſimum diem à viceſimo: vicenarios, ante centeſimum diem à quadrageſimo: quibus temporibus certamen naturæ & morbi eſt in procinctu, nihil omnino exhibendum: ratione ægri & morbi: quòd & materia ſit eo tempore* ἀνάῤῥοπος, *omniſque & nutritionis & reſpirationis œconomia laboret: tum quòd natura ipſa, quæ vna eadémque pepſeos & pepaſmi cauſa eſt effectrix, ab inſtituto certamine contra morbum auocetur: nec vlla ratione adduci quis debet, vt exhibendum putet, nec infirmitate, nec vllo infirmitatis metu: ſed contrà, de cibi acceſſione deducendum ante criſes, quæ ſcilicet cadunt in periodos vniuerſales.*

## *APHOR. XX.*

TA κρινόμενα καὶ τὰ κεκριμένα ἀρτίως, μὴ κινέειν. μηδὲ νεωτεροποιέειν, μήτε φαρμακείῃσι, μήτ' ἄλλοισιν ἐρεθισμοῖσιν, ἀλλ' ἐᾶν.

*QVæ indicantur & indicata ſunt integrè, nec mouere neque aliud quicquam nouare, vel medicamentis, vel aliis irritamentis: ſed ſinere oportet.*

HIc Aphor. magnæ eſt virtutis & efficaciæ. Nos enim docet, quando totum ſit naturæ ipſi permittendum negocium: ita vt nihil medico ſit agẽdum, niſi vt victum conuenientem inſtituat. Eſt autem ſciendum, Aphor. hunc (vt author eſt Gal. libro de phlebotomia contra Eraſiſtratios, qui Romæ degebant) eſſe naturæ perfectè mouentis, hoc eſt, victricis: ſequentem verò eſſe quidem naturæ victricis, ſed languidè & imperfectè mouentis. In memoriam præterea hoc loco reuocandum, medicum eſſe ſpectatorem, adiutorem, & miniſtrum naturæ. Per hunc itaque Aphor. cùm natura per ſe ſit ſatis, medicus erit tantùm ſpectator: per ſequẽtem verò cùm ſit imbecilla natura, medicus erit naturæ adiutor vel miniſter. Ponamus ergo duos, qui eodem genere febris laborent. Ea ſit (exempli gratia) continua, quæ terminetur die ſeptimo. Die quarto video in hoc homine manifeſtiſſima ſigna coctionis, & naturam perfectè mouere: omnia ipſi naturæ permittenda, hoc eſt neque phlebotomiã, neq; medicamẽtũ purgans, neque clyſteres inſtituere oportet. In altero video coctiones quaſdã, imperfectas tamen, hoc eſt, naturã quidẽ vincere, ſed languidam eſſe: ſpectandum vnde languidè moueat natura. Languidè autem mouet duabus de cauſis: quia vel copioſior eſt materia, quàm vt poſſit à natura confici: vel malignior. Si ſit malignior, corrigenda

eſt, & alteranda. Sin copioſior, non tota, ſed eius pars (quæ ſcilicet à natura eſt pręparata) leuioribuſq; pharmacis eſt expugnanda: reliquam partem crudam fomentis & aliis remediis coquemus ac vacuabimus. Eſt autẽ criſis, ſubita morbi mutatio ad ſalutẽ vel ad mortem. Hæc duas habet partes, perturbationem & vacuationem. Perturbatio (ταραχὴ) eſt, vbi in vehementiſſimo illo certamine æger delirat, admodum calet, habet denique ſymptomata quæ aliquando vehementer terrent. Hanc verò ſequitur vacuatio: quum videlicet natura materiam euictam foras criſi eiicit. In vtraque autẽ parte, etiamſi multa ſint quę terreant vulgus aut imperitum medicum: nihil tamen mouere oportet, aut quicquam inſtituere, ita vt quæ iudicantur prohibeas. Ponamus febrim continuam, quæ per criſim terminari debeat die ſeptimo. Medicus quarto die animaduertit ex vrinis & ea diſciplina, quæ deſcripta eſt lib. de Criſ. fore die ſeptimo perfectam criſim: eo die quarto nihil mouebit. Iam adeſt dies ſeptimus, excitatur criſis nocte media inter ſextum & ſeptimum: æger habet omnia illa ſigna perturbationis criticæ, quæ aliquando diutiùs durant, terribiliáque ſunt: nihil tamen mouendum, nihil phlebotomiæ aut pharmacorum inſtituendum, ſed omnia naturæ permittenda. Hanc porrò perturbationem ſequitur ſudor, hæmorrhagia, &c. ac deinde excretio critica. Si quicquam ſiſtat medicus, periculum eſt ne naturam ſuffocet, aut maius malum accerſat. Nam ſi ſupprimatur ſudor, verendum eſt ne in articulos defluat, & paralyſes faciat: ſi intrò retrudatur hæmorrhagia, ſanguine in pulmones fluente ſuffocabitur natura. Quæ ergo iudicãtur, impedire aut inhibere nõ oportet, ſed ſinere &

permittere naturæ,ſiue ſit in perturbatione critica, ſiue ſit in critica vacuatione. Cęterũ criſis duplex eſt, imperfecta & perfecta. Perfecta dicitur, cum natura ſola morbum vincit,vt ſubitò liberetur æger. Imperfecta eſt, quæ ex morbo quidpiam relinquit,cum natura imbecilla eum planè vincere non poſſit, niſi pluribus diebus. Notandum verò,naturam iudicare morbos quatuor modis. Primo, excretione,quod eſt optimum criſis genus. Secundo,per abſceſſum, quum videlicet non ſatis robuſta natura ad iudicandum excretione, transfert materiam à venis & partibus nobilioribus ad partem aliquam ignobiliorem. Tertio,quum neque per excretionem neque per abſceſſum poteſt iudicare, iudicat coctione,quæ impropriè eſt criſis. Quòd ſi non iudicet his tribus,iudicat μετάϛασει: hoc eſt,morbum mutat in alium morbum,vt pleuritidem in peripneumoniam,&c. Hîc agimus de perfecta criſi, hoc eſt, quæ iudicatur(vt dies quartus iudex eſt ſeptimi) & quæ iudicatur die critico(vt ſeptimo) ante quàm apparent ſigna coctionis, à qua nihil ſupereſt materiæ è morbo. Addit Galenus oportere criſin, vt ſit melior & perfectior, fieri per euacuationem,potius quàm per abſceſſum: deinde per eam, humorem noxium & redundantem, non alium vacuari debere: tertio loco fieri recto tramite(κατ' ἴξιν)potiùs quàm aliter: quarto facilè tolerari. Quæ ergò iudicata ſunt ἀρτίως,τουτέϛιν ἀπαρτὶ, hoc eſt cumulatè, perfectè, omnino, affatim,integrè, ſufficienter, non egent medici opera, neque in iis inſtituenda pharmaca,ſed totum naturæ relinquendum. At imperfecta criſis (quoniam natura partim victrix eſt, partim ſuccumbit) eget auxilio medici: nihílque impedit, quin ea quæ relicta ſunt ab imperfecta iudi-

catione, educere medicus poſſit: imò ceſſare non debet, quin in ea quæ relicta ſunt, vacuet. Nam quæ poſt iudicationẽ relinquuntur, recidiuas faciũt. *Non mouere)* κινέειν apud Hippocratẽ vocabulum eſt generale ad maiora remedia. Intelligitur quoque aliquando non ſolùm de phlebotomia & medicamẽtis, ſed etiam de aliis artibus: præſertim verò de illis duobus. Nihil ergò mouendum, neque nouandum vel medicamentis, vel aliis irritamentis, ne natura reuocetur à concoctione morbi & victoria. Irritamẽta itaque appellat in genere, omnia ea quę poſſunt naturam ab illa victoria reuocare: cuiuſmodi ſunt alimẽta, medicamenta, ſanguinis detractio, topica remedia, motus tum animi tum corporis, &c.

## SCHOLIA.

*HActenus cautiones diætæ explicatæ ſunt: nunc aliæ proponuntur quæ ad medendi praxim pertinent. Harum prima eſt, ne medicus, ſcilicet miniſter & imitator & ſæpius adiutor cùm ſit naturæ, quicquã in acutis morbis moliatur quãdo criſes perfectè fiunt aut factæ ſunt, ſed tantùm ſe operum naturæ ſpectatorem exhibeat. Ergo quæ iudicantur perfectè, ſua quæque propria criſi, in ſpecie, materia, & ſubiecto: in qua nulla ratio deſideretur, nec ſignorum antecedentium ad tempus & ad ſpeciem criſis, nec cauſarum criticarum in qualitate, quantitate, tempore, & excernendi, aut abſcedendi modo. Quæ item iudicata ſunt perfectè, vi naturæ ſcilicet, vt nihil reliquiarum ſuperſit neque materiæ morbificæ neque empireumatis: ita vt à criſi planè ſit reſtitutus æger, doloris expers, ſomno benigno indulgens, cibi appetens, edendo proficiens, ſine oris amaritudine, ſine ſiti, ſine ſiccitate oris, cum excrementis naturalibus, pulſu quoque naturali in motu, quiete, ictu, dilatatione & cor-*

*pore arteriæ: nullomodo mouenda ſunt, vel ad reuulſionem, vel ad deriuationem, vel ad vacuationem, vel ad coeffuſionem, quæ fit motum naturæ adiuuando, vt de metone conſtat: neque nouando, alterando, neque medicamentis purgantibus, atque aliis irritamentis, vt clyſteribus, glandibus, & ſimilibus: ſed ſinenda natura operari, ne forte prædictis auxiliis ab opere ſuo auocetur, aut plus iuſto operetur. Adde quòd, qui ſano ſunt corpore, vti eſſe ſolent qui perfectè ſunt iudicati, cathartica non ferunt ex facili, ex Aphor.37. lib. 2. neque irritantia remedia citra damnum tolerant, vt de Simone legitur ſect.3. lib.6. epid.*

## APHOR. XXI.

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων.

*QVæ educere oportet, quò maximè vergere videbuntur, ducito, viis ac locis vtiliter eò ferentibus.*

Hæc ſententia (vt diximus) eſt naturæ mouentis quidem, ſed tardius & imperfectius. Exempli gratia, in febre continua mouet natura hæmorrhagiam, ſed quæ non poſſit ſatis eſſe vacuando morbo, adhibebimus feſtucas & cætera remedia naribus, quò naturam iuuemus: mouet item ſudores, ſed languidè, ei opitulabimur.

*Educenda*) Natura in morbis vbi victrix futura eſt, ſeparat materiã morbi quæ excernatur: poſteà, quod materiæ eſt vtile, id vertit in alimẽtũ. Educenda ergò vocat

ea,quæ natura victrix,à neceſſariis & vtilibus humoribus ſecreuit ac ſeparauit,ad excretionem.

*Per conferentiá loca.*) Conſiderare medicum in vacuationibus oportet (teſte Gal.comm.in 6. Epid.)quò, vnde,& quamobrem. Quò natura mouet materiam, & ad quem locum humores ſua ſponte ferantur: vnde materia moueatur à natura. Quamobrem verò,diſtinguendum eſt: nempè an à natura mouente, an à morbo mouente moueatur materiæ vacuanda. Si enim à natura mouente, bene eſt: ſi à morbo mouente, malè eſt. Rurſus à natura mouente, vel conuenienter, vel non conuenienter & temerè: quanquam naturę motus magna ex parte conuenientes ſunt. Si conuenienter moueat, ei adminiculari oportet: ſi non conuenienter, eius motus eſt medico prohibendus, transferendus, & diuertendus. Sit (verbi gratia) inflammatio in hepate: ſi natura materiam mouet ad inteſtina vel vrinas, iuuanda eſt: ſi verò ad thoracem & pulmones, inhibenda eſt ac reuocanda, quia non mouet idoneè & conuenienter. Conferentia itaque loca, per quæ naturæ mutationem educere debet medicus, duplici ratione intelliguntur: quia ſcilicet conſuetæ ſunt viæ per quas natura ſolet ſeſe expurgare: & prætcrea quia repurgatione illa nihil fit nouæ iniuriæ & caſus. Non ergò ſatis eſt primum adeſſe, niſi & adſit vltimum. Vt ſi natura humorem noxium conetur expellere ad partem aliquam principatum in corpore obtinentem,aut ad partem conſuetam quidem, ſed læſam alioqui & imbecillem, hunc quidem motum prohibere, atque humorem noxium transferre ac reuellere oportet. Exempli gratia: Cerebrum pituitam repurgat per oculos, aures,nares, palatum, ſpinam, &c. Hæ ſunt

ſunt quidem viæ naturæ conſuetæ: ſed ponamus oculos eſſe imbecillos. Naturæ motum ad oculos prohibebo, & diuertam, quia ſecundum illud præceptum non adeſt. Sic, ſi in naribus ſit vlcus quod facilè irritetur, etiamſi ſit via naturæ conſueta, aliò tamen diuertam, vt ad os. Quanquam oculis imbecillis non audemus aliquando ad nares etiam ſanas diuertere. Lien autem repurgatur per renes naturali vacuatione, ſed magis naturaliter per inteſtina. Quòd ſi in renibus aut inteſtinis ſit vlcus vel inflammatio, non repurgabimus per ea loca. Natura itaque ferè tendit ad loca conſueta, per eadémque educere debet medicus noxios humores naturæ imitatione: niſi eductione illa fiat aliquid nouę iniuriæ. Quod innuit Hippocr. 6. epi. Ea (inquiens) quæ quò non expedit, repunt, reuellere oportet. Sin quo decet, iis viam ſtruere, vt ſingula eò repãt quò cõuenit.

## *SCHOLIA.*

*Altera cautio eſt ad praxim neceſſaria, medicus naturæ adiutor eſſe debet, ſi eam tardius operantem obſeruet: imitator quoque eiuſdem, vt ſequatur motum eius in euacuando. Ergo quæ artificio medici ducenda ſunt, vt ineunte morbo ſiquid mouendum ſeſe offerat: aut, ab imperfecta criſi, ſuperſtite materia morbifica, metu recidiuæ (nam quæ relinquuntur in morbis, recidiuas facere ſolent) aut, in orgaſmo humoris: aut, in doloribus diaphragmate ſuperioribus & inferioribus, quorum curatio in purgatione conſiſtit: Illa eò ducenda ſunt ad curationem & grauioris morbi prouiſionem, vacuando, deriuando, reuellendo & coeffundendo, quò maximè natura viam affectat intrò, foràs, ſurſum, deorſum, aut aliò quò oportet per loca lege naturæ commoda, neque ex euentu incommoda: Nam non ſo-*

*lùm quò natura & humor viam affectant, eò molienda eſt purgatio, nec indè ſolùm purgationis momenta quærenda ſunt, ſed vt id conuenienter fiat, & integris ægri rebus, conſiderandum. Eſt enim purgatio humoris qui in vicio eſt, quò natura vergit per commoda loca excluſio.*

## *APHOR. XXII.*

ΠΕ'πονα φαρμακεύειν ϗ κινέειν, μὴ ὠμὰ, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν ἢν μὴ ὀργᾷ. τὰ δὲ πλεῖϛα ὐκ ὀργᾷ.

*QVæ matura coctáque ſunt, medicamento purgante educere ac mouere oportet, non cruda, nec per initia morborum, niſi ſuopte humores cieantur impetu, quod perrarò fieri ſolet.*

Magna olim inter medicos fuit controuerſia de ratione præparandæ materiæ, & purgandæ. Nam Aſclepiadę qui Romæ degebant, ſolebant primùm materiæ coctionem moliri, poſteà coctam per aluum deiicere, ídque per vices. Succeſſit longo pòſt tempore Aſclepiades, qui, illa materiæ præparatione ad excretionem relicta, ſtatim purgabat. Prior ſecta eſt Hippocratis, quæ vult vt materiam concoquamus, ac inde purgemus. Sed vt húc Aph. pleniùs intelligamus, ſciendum duplicem eſſe concoctionẽ, nẽpe alimenti & excrementi. De alimenti concoctione, quæ omnibus eſt manifeſta, hîc non loquimur. Hæc autem ab Hippocr. & Galeno propriè appellatur πέψις·πέψιν propriè dico, quia aliquando nomen iſtud eſt generaliùs, vt extendatur ad concoctionem tum alimenti, tum excrementi. At excrementi concoctio dicitur πεπασμὸς, id eſt, maturatio. Verùm conueniunt hæ duę concoctiones in cau-

ſa efficiente, hoc eſt, calore: differũt verò materia. πέψεως enim materia nutriendo eſt, πεπασμοῦ nutriẽdo non eſt. Præterea in πέψει plurimum eſt quod nutrit, & minimũ excrementi: contrà ἐν τῷ πεπασμῷ minimum alimenti, & plurimum excrementi. Porrò quemadmodum duo concoctionis genera ponimus, ita & duo genera cruditatis ſtatuemus. Nam erit cruditas quæ repugnat πέψει, & cruditas quæ repugnat πεπασμῷ. Cruditas repugnans πέψει eſt in humoribus illis, qui in ea concoctione alterationéve alimenti citra ſanguinem ſubſiſtunt, perfectámque elaborationem non ſunt adepti. Hi autem humores ſunt frigidi & craſſi, poſſúntque in alimentum conuerti, vt pituita dulcis & naturalis. Qua etiam ratione cruda Galeno propriè dicũtur, quę nondum ſunt cocta, ſed cocta poſſunt in alimentum migrare. At cruditas quæ repugnat πεπασμῷ, eſt in humoribus morbum facientibus nondum à natura euictis: qui humores neque prorſus ſunt benigni, & animanti familiares, neque etiam omninò alieni. Sic bilis in febre humor eſt crudus. Quod vt intelligamus, ſciendum, humores quatuor habere aliquando ſecundum naturam, aliquando præter naturam. Quum habent ſecundum naturam, cocti ſunt: ſi contrà, crudi. Bilis (gratia exempli) cocta eſt quæ habet naturaliter, cuiuſmodi eſt quæ pallida eſt, moderatè calet, non malè olens: cruda verò, quum habet præter naturam: tunc autem flauior eſt, acrior & calidior, ac graueolentior. Hoc itaque Aphoriſmo concocta intelligimus, vt referuntur ad πεπασμόν: hoc eſt, agimus de concoctione excrementorum in morbis. Concoctum autem excrementum nil aliud eſt, quàm quum beneficio

naturæ reuocatur ad naturã propriã, & comparatur ad excretionem. Huiuſmodi ergò concocta excrementa ſunt medicamentis vacuanda, non cruda. Verbi gratia, in hepatis inflammatione, ferè fit vt bilis cruda & craſſior remaneat ac reſtitet in venis anguſtioribus hepatis, ibíque faciat obſtructionem. Ea non eſt vacuanda, ſed expectandum donec ad propriam naturam ſit reducta. Natura enim ex craſſiori faciet tenuem, ex calidiore & acriore minùs vrentem, denique ex flauiore pallidiorem. Cæterùm φαρμακεύειν non ſolùm de medicamentis per deiectionem purgantibus dicitur, ſed etiam generaliùs de purgatione ex omnibus corporis partibus, vbi oportet etiã concoctionẽ expectare. Vt, pituita craſſior & crudior faciat catarrhum, nihil ſanè errhinis, & aliis, quæ per os purgent proficies, niſi priùs materiam coxeris, & præparaueris ad expulſionem. Quòd ſi antequã materia ſit præparata, vacuationẽ medicamẽtis tentes, multũ lædes, & graues dolores excitabis: id quod experiri licet in abſceſſibus externis, vt in furunculis & aliis phlegmonis. Quemadmodum excretiones naturæ ſponte factæ, ſi materia adhuc cruda ſit, magis lædunt quàm iuuant: ita medicamenta nondum concocto morbo data plus incommodi quàm commodi adferunt. Verùm incommoda quæ hinc accidunt, ſunt quia dato medicamento infertur vis naturæ, & quia medicamentum vel nihil attrahet, vel aliquid trahet: Quoquo autem modo contingat, nocebit. Nam ſi nihil attrahet, excitabit tormina, roſiones, animi deliquia, ſudores ſyncopales, &c. ſin aliquid attrahet, contabefaciet partes ſanas quæ morbo reſiſtere poſſunt, reddétque imbecilliores. Hinc prudenter Hippocrates libro quarto de victu morborum

acutorum: Quicumque (inquit) ſtatim inter morbi initia phlegmone obſeſſas partes medicamento ſoluere conantur, ij à parte intenſa inflammatáque nihil auferunt: affectus enim quòd crudus ſit non cedit. Quæ verò morbo reſiſtere poſſunt, & ſana ſunt, abſumunt. Hæc ille. Contrà autem fiet, ſi cocta purgentur, ſiquidem nulla tormina excitabis, & partes firmiores reddes, nihílque nocebis. *Niſi turgeant humores*) Gal. in libello, Quos purgare oportet, & Aëtius lib. 3. hunc Aph. ita videntur interpretari. Tenues & ſeroſi humores, quales ſunt ichores morbi initio ſunt purgandi: craſſi verò iã cocto morbo. Quæritur, an humores illi ſint purgandi initio? Reſpondemus, medico antequàm materiam purget, conſideranda eſſe tria. Primò vt materia obediat medicamento attrahenti, & naturæ expellenti: Secundò, oportet vias eſſe liberas, non intercluſas: Tertio loco ſpectãdũ, an natura ſpõte expellat, & medicamẽtũ ſit materiæ expurgandæ accommodatũ. Quæ ſi adſint, tenues humores initio morbi poterunt repurgari: at verò craſſi, priùs ſunt coquendi, deinde purgandi. Verũ ſi humores noxij turgeant, in principio etiam morbi illis nondum coctis medicamento vti purgante licebit: ne ſcilicet humores parum ſtabiles, & ab vna parte ad aliam ſine ordine moti, in principem aliquam partem decumbant. Siquidem humorẽ turgere intelligit Gal. quando huc atque illuc mouetur (agitatione videlicet ſpirituum) neque in vllam partem inclinatur. Quòd ſi in aliquam partem decumbat, citiùs purgandũ eſt. Verbũ autẽ hoc, turgere (ὀργᾷν) tranſlatũ ab animalibus libidine titillatis, quæ ob concubitus deſiderium ſtare loco nequeunt. Raró porrò turgent humores, ſed plerũque aliqua parte ſunt firmi & fixi. Turgent autem ſolùm

f iij

in peracutis, quorum materia bilis eſt, quæ calida eſt, & ſpirituoſa. At agitatio illa humorum fit à calorę & ſpiritu.

Sed quęritur an in crudioris & frigidioris humoris multitudine (quę ſępè accidit his in regionib⁹) ſit ſtatim initio purgandum? Purgandũ ſanè: alioqui periculũ eſt, ne copia materiæ calor natiuus ſuffocetur. Prętereà ſi materia illa decũbat in articulos, faciet arthritidas, paralyſes: ſin ad cerebrũ, apoplexias, & alios morbos frigidos. Statim igitur initio optimum erit in hoc affectu dare clyſterem, aut medicamentum aliquod leue (quale eſt Catholicon, vel Caſſia) ad purgãda vẽtris inferioris excrementa: poſteà moliemur coctionem quiete placidiori, ſomno, molli frictione, vnguentis moderatè calidis, veſte, & molli ſtragula (in qua æqualitatem ineſſe vult Hippocrates) boni ſucci ciborum mediocri eſu, & vini moderatè calidi potione. His accedent melicratũ, oxymel, & alia medicamẽta quę vim habent attenuandi & diſſecandi ſuccorum craſſitudinẽ, ídque citra manifeſtum calorem. Nam qui excalfacti vehemẽtius ſucci ſunt, hi in omnẽ corporis partem feruntur. Datis autem his quæ concoctionẽ materiæ iuuẽt remediis, rurſus præſcribemus medicamẽtũ aliquod leue, quod partẽ materiæ coctam purget per inferiora. Atque ita per vices faciemus, modò leuibus medicamẽtis quę aluũ deturbent & purgent, donec materia illa crudior & frigidior ſit eiecta. Sed videndum, vt medicamentũ id purgans ſit materiæ expellendæ proportionatum: alioqui cruda etiã (quod nolumus) mouebit. Iam verò coctione abſoluta, natura vel per ſe ſatis eſt, vel non eſt ſatis. Si ſatis eſt per ſe, non eget auxilio medici, per Aphoriſmum, Quæ iudicantur & iudicata ſunt integrè, &c.

Si non ſatis eſt per ſe, adiuuanda eſt, per Aphor. Quæ educenda ſunt, eò duci per conferentia loca, &c.

## SCHOLIA.

*Tertia cautio ad purgandi rationem pertinet. Purgationem nimirum ſolis humoribus coctis, non crudis adhibendam: nec eam vnquam in principiis morborum decernendam, niſi humores turgeant. Quæ igitur vi naturæ mitificata ſunt, & ad temperiei mediocritatem reducta, medicamento purgare oportet, ſcilicet ab imperfecta criſi: eadémque mouere per vrinas, ſudores, inſenſilem tranſpirationem, vomitum, cucurbitularum admotionem, frictiones, potionem, omnéſque alias huiuſcemodi vacuationes pro ratione peccantis humoris. Quæ verò cruda ſunt ac nullomodo à natura elaborata, aut incocta remanent, vt quæ naturæ conanti ipſa mitificare, & in meliorem ſtatum reducere planè reſiſtunt, non mouenda, nedum purgante medicamento ducenda ſunt: quia neque medicamento trahenti, neque expellenti naturæ materia cruda & incocta cedit: atque æger damnis augetur, vt torminibus, conuulſionibus, febre. Ne in principiis quidem ea cruda mouenda ſunt: nam quo tempore natura morbificis cauſis opprimitur, éſtque humorum cruditas, nihil quidquam ſalutariter vacuari poteſt, ex comment. Gal. ad Aph. 22. lib. 4. Aphor. niſi materia turgeat, eáque effera ſit, nec vllo conſiſtere loco poßit: tunc enim eo ipſo die quo turget, mouenda eſt grauiorum ſymptomatum metu, ex Aphor. 10. lib. 4. Rarò autem accidit vt materia turgeat & ab vna parte in aliam transfluat: fere enim fit vt firma ac fixa in aliqua aprte hæreat, vt ſcribit Gal. comment. ad Aphor. 29. comment. ſecundi lib. 1. Prorrhet.*

## APHOR. XXIII.

TA χωρέοντα μὴ τῷ πλήθει τεκμαίρεσθαι, ἀλλ᾽ ὡς ἂν χωρέῃ οἷα δεῖ καὶ φέρῃ εὐφόρως. καὶ ὅκου δεῖ, μέχρι λειποθυμίης ἄγειν, καὶ τοῦτο ποιέειν, ἢν ἐξαρκέσῃ ὁ νοσέων.

*QVæ euacuantur, non ſunt æſtimanda copia, ſed ſi quæ oportet vacuentur, & æger facilè ferat. Atque, vbi ad animi vſque deliquium educere conuenit, faciendum, ſi ægrotus par eſſe poßit.*

In hac ſententia per τὰ χωρέοντα, quæ euacuãtur, non ſolùm alui deiectiones denotat Hippocrates, ſed etiam ea omnia quæ prodeunt vacuantúrve è corpore, ſiue id fiat ſponte naturæ, ſiue medicamentis ſeu phlebotomia. In iis autem quæ vacuantur, ſpectanda ſunt duo, quantitas & qualitas. Verbi gratia, in pleuritide tantũ detrahatur quantũ conuenit, & quale conuenit; quòd ſcilicet inflãmationẽ faciat, hoc eſt, quod Gal. in pleuritide coloris mutationem expectabat. Quantitate itaque æſtimari τὰ χωρέοντα non vult Hippo. non quòd eam ſpectare non oporteat, ſed putat, oportere qualitatem addi tum in iis quæ ſponte fluunt, vt Aph. 2. tum in iis quæ arte, vt in hoc præſertim. Qualitas porro, in eo cõſiſtit, quòd vacuãtur quæ naturæ infeſta ſunt, quæ morbos fouent, eoſdémque creare poſſunt. Quòd ſi huiuſmodi non vacuẽtur, plurimum nocebis. Ponamus bilẽ flauã abundare: inſtituat medicus medicamẽtũ purgãs pituitã, vel ſeroſum recrementum. Hoc quidem medicamento ſumpto grauiùs ægrotabit æger: quia nõ vacuaris talia, qualia oportebat, hoc eſt bilem, quę naturę erat infeſta. Contrà pituita non erat naturę infeſta, ſed poterat verti in alimentum: prętereà ſeroſum recrementum poterat temperari. Quare, plus conferet

hemina vna,ſi talia purgentur qualia oportet purgari, quàm decem eorum quæ non ſunt educenda. Atque vt poſſimus diiudicare, num talia purgata ſint qualia oportebat, ſubiungit ſignum: quod videlicet æger liberatur ſymptomatibus quibus grauabatur, & faciliùs fert hanc ipſam euacuationem. Contrà ſi quid, quod ſit ſecundum naturam,educatur, diſſoluuntur ægri vires,& afflictionem ſentit. *Ad deliquium.*) Loquitur de animi defectione Hipp. quæ vacuationis ratione accidit. Huiuſmodi autem vacuationem faciendam eſſe monet, ſi æger poſſit durare: hoc eſt, ſi vires ſint robuſtæ, florens ætas, vehemens morbus, copioſus ſanguis,regio bene temperata, aër item bene temperatus, & anni tempus.Sed cùm vix vnquam iſta concurrant, ob id rarò inſtituitur eiuſmodi vacuatio ad deliquium animi: vide ſupra Aphor. 3.

## *SCHOLIA.*

*QVarta cautio: quòd non à multitudine,ſed à qualitate ac conditione vacuati humoris, ægrique tolerantia definienda ſit laudabilis vacuatio, qualiſcunque ea fuerit.Excretiones igitur pepaſmi participes aut expertes (vt in orgaſmo) vel quas iuuat excernere, non autem manere: quæ ſecedunt ſponte naturæ vel artificio medici: non ſunt reputandæ ex copia & numero rerum quæ excernuntur, ſed prout qualia decet feruntur, & quæ in vitio ſunt excluduntur, ægrique ferunt ex facili & alacriter. Qualis euacuatio etiam ad lipothymiam vſque ducenda eſt, ſi quando præſentis aut imminentis affectus neceßitas vrgeat, vt in inflammatione magna, doloris acerbitate, ſynanche, febre ſynocho, idque vt refrigeretur corporis habitus,extinguatur inflammatio, renoue-*

*tur orgaſmus, aluus feratur liberalius. vide ſupra Aphor. 3.*

## *APHOR. XXIIII.*

ἘΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσιν ὀλιγάκις, καὶ ἐν ἀρχῇσι τῇσι φαρμακείῃσι χρέεσθαι, καὶ τοῦτο προεξευκρινήσαντας ποιέειν.

*IN acutis morbis rarò & per initia medicamentis purgantibus vtendum eſt: idque priùs diligenti adhibito iudicio faciendum.*

HIppoc. hoc loco non definit genus morbi in quo purgare oporteat (quia non ſolùm purgamus in acutis, ſed etiam longis morbis) verùm oſtendit quomodo ſit purgandum in morbis acutis. Acuti autem morbi hîc dicuntur quibus coniuncta eſt febris aſſidua. Cumque ſit morbus acutus, peracutus, & extremè peracutus, hac in ſententia ita loquitur de acutis, vt debeamus etiam intelligere de purgatione in peracutis & extremè peracutis. In acutis igitur (vt ſcribit Hipp. de ratione vict. in mor. ac.) rarò purgandum eſt, in peracutis rarius, in extremè peracutis rariſſimè aut núquam. Ratio eſt, quia medicamenta purgantia calfaciunt quodammodo & ſiccant: at huiuſmodi morbi cùm ſint calidi & ſicci, egent contrariis, nempe humectantibus & refrigerantibus. Quare ſi timeamus in acutis, multò magis erit timendum in peracutis & extremè peracutis. Interpretes cauſam reddũt huius vocis (rarò) quia in acutis rarò materia turget. Sed hæc ratio non eſt vera: alioqui in peracutis ſæpiùs erit purgandum quàm in acutis: in extremè verò peracutis, ſæpiſſimè: quia ſæpiùs in his turget materia quàm in acutis. Verùm præcipua & maximè vera cauſa à Galeno data eſt: quia periculum eſt à medicamento purgante, ne vi ſua calfaciente & ſiccante (vt diximus) morbum

augeat. *Et inter initia.*) Principium triplex eſſe anteà diximus, ſine latitudine, ſecundum latitudinem, & principium vniuerſale morbi, hoc eſt, totum illud tempus quo materia cruda eſt. Hoc loco principium intelligimus ſecundum latitudinem, id eſt, vſque ad tertium aut quartum diem. Primo itaque die in peracutis, aut non vltra ſecundum in acutis, purgantibus medicamentis vtendum eſt: quia videlicet his diebus turgent humores, vires ægri non ſunt diſſolutæ, nondum aucta eſt febris. Aſclepiades eiúſque ſequaces non putarunt purgandum eſſe ante diem tertium aut quartum: quòd antè id tẽporis neque forma, neq; ſpecies, neque mores morbi poſſent cognoſci. Sed hoc falſum eſt. Nã ſi materia turgeat, primo die aut non vltra 2. purgandũ eſt. Sin parte aliqua deſedit, expectandũ donec ſit maturata. Vbi maturata eſt, vel natura per ſe ſatis eſt, vel non. Si ſufficit, Quæ iudicãtur, &c. Si non ſatis eſt, Quæ educenda, &c. Gal. hoc vocabulum φαρμακεύειν aliter vſurpat atque poëtæ & Grãmatici. Siquidẽ intelligit de medicamẽtis purgantibus: at Grãmatici de philtris & carminibus. *Idque imprimis.*) Iudiciũ quòd in his purgationib⁹ debet adhiberi, iſtud eſt. Primò diligẽter eſt animaduertendũ, an ſit purgandũ. Hoc ex morbi natura deprehẽdemus. Vt, propoſitis duob. morbis, altero à plenitudine, à cacochymia altero: in plethora de phlebotomia ſtatuemus, in cacochymia de purgatione. Vbi ex morbi natura cognouerimus purgandũ eſſe, videndum an aliquid purgationem prohibeat. Sic enim poſt vniuerſales & communes indicationes deſcendendum ad particulares. Conſilium igitur purgationis impediunt, primùm vires deiectæ, & ſi æger ſit omninò deploratus. Deinde ea quæ recenſet in comment. Galen.

Nam qui anteà cibis craſſis, lentis, viſcidis ſunt vſi, aut qui crudorum copiam ſuccorum habent, ij etiamſi cacochymia laborent, purgari non poſſunt. Præterea, quibus hypochondria ſunt inflata cum viſcerum inflammatione: item ſi adſit febris acutiſſima & vehementiſſima. Quòd ſi videamus hæc omnia abeſſe, & contrà adeſſe vires robuſtas, vias eſſe lubricas, & humores tenues ac fluxioni paratos, purgabimus in morbis acutis, ſi turget materia. Verùm oportet etiam medicamentum materiæ expellēdæ eſſe proportionatum. Si verò non turget materia, expectanda erit maturatio ſeu πεπασμός. At in morbis longis omninò expectanda eſt concoctio: quæ pro loci huius intelligentia tribus modis accipitur. Nam concoctio, vel obſcura eſt, vel manifeſta, vel perfecta. Exempli gratia: in morbo acuto vbi apparet nubecula in vrinis, obſcura eſt concoctio: vbi ſublimamentum laudabile, manifeſta: ídque in incremento vergente ad vigorem, vbi apparet hypoſtaſis alba, læuis, & æqualis, eſt perfecta. In obſcura & manifeſta pars materiæ cocta eſt, pars cruda: ſed in manifeſta plus coctæ materiæ apparet quàm crudæ: in obſcura contrà, plus eſt crudi humoris, minus cocti. In perfecta verò coctione, nihil eſt crudi. In hac, aut natura non per ſe ſatis eſt, & tunc, Quò natura vergit, &c. aut ſatis eſt per ſe, & tunc, Quæ iudicantur, &c. At in manifeſta & obſcura coctione, atque vbi natura particulatim & non ſemel totam materiam expellit, poſſumus etiam purgare. Sed oportet medicamētum inſtituere quod ſit analogum materiæ expellendæ. Nam ſi fortius inſtituas, cōcocta quidem medicaberis, ſed cruda mouebis. Medicamēta autem eiuſmodi quæ partem materiæ coctam vacuant, partem crudam re-

linquunt, minoratiua vocant: quòd mitia ſint, & humores noxios minuant. Vocat & eiuſmodi purgationem ἐπίκεχρον Galenus in Meth. medendi: quum ſcilicet paulatim materia coquitur, & paulatim vacuatur. Relinquimus itaque medicaméta illa veterũ elateria, hoc eſt, agitatoria (cuiuſmodi ſunt elleborus, peplium) neque vtimur initio, ſed potiùs minimum agitatoriis, vt caſſia, Catholico. Agaricus damnatur initio, quia multum agitat. Contrà ſi in declinatione & cocta materia commodè vtaris, parum agitabit. Rhabarbarum verò non agitat, neque in principio neque in fine. Cæterùm in morbis acutis vt purges vel non ſtatim, ſpectandum an ſit vehemens æſtus: neque ſolùm hoc, ſed etiam qua parte ſit æſtus. Nam ſi hic ſit in partibus quæ ſunt in ventriculo & circa ventriculum, vel leui medicamẽto vel leui clyſtere qui fæces illas deiiciat vti poteris. Ponamus duos qui febricitent: alter ſit aluo ſatis fluida, ſed nauſeet, ſitiat, magnum calorem ſentiat: alteri ſit dura & aſtricta aluus, non nauſeet, non ſitiat, &c. In illo venam aperiam: in hoc inſtituam clyſterem molliſſimum, aut leue aliquod medicamentum. Oportet enim partes quæ ſunt in ventriculo & circa ventriculum, ſemper eſſe incolumes.

## *SCHOLIA.*

*QVinta cautio ad opportunitatem purgandi pertinet. Raro purgandum eſt in morbis acutis, qui continenter, celeriter & vehementer mouentur: quòd vi medicamentorum purgantium, quæ tum potentia, tum energia calida ſunt, morbi acuti, qui calidi quoque ſunt, ingraueſcant, magíſque excandeſcant: quòd item morbi acuti excretione critica, potius quàm*

*artificioſa purgatione curationem recipiant, quòd morborũ acutorum verè ſit propria criſis. Aut ſi in morbis acutis purgandum ſit aliquando, purgandum eſt initio, idque rarò, nec niſi cum materia turget: ne calor febrilis augeatur, vires frangantur, materiáque effera in partem aliquam nobilem ruat: nam vt Gal. docet in Prorrh. mutatio ſymptomatum materiæ ferocientis, magis elucet in principio morborum, quàm cùm prouectiores ſunt: atque id adhibito antè ſingulari iudicio faciendum, vt ſcilicet delectus habeatur pharmacia vnicuique accommodatus in quantitate, qualitate, & vtendi modo: vt expendatur an pars aliqua nobilis inflammatione tentetur, aut venter ſupra modum vratur: tum enim purgatio omninò periculoſa: an item fluidum corpus factum ſit. vide Apho. duodecimum primæ partis Prorrh.*

## *APHOR. XXV.*

ΗΝ οἷα δεῖ καθαίρεσθαι, καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι· τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

*SI talia purgentur qualia purgari oportet, confert, & facilè ferunt: ſin contrà accidat, difficulter.*

Hic Aphoriſmus continetur in ſecundo huius libri: in perturbationibus ventris & vomitionibus ſpontiuis, &c.

## *SCHOLIA.*

*NOn eſt inanis repetitio eorum quæ ſecundo & viceſimo tertio Aphoriſmo de vacuatione dicta ſunt, ſed velut quædam cõcluſio quatuor postremorum Aphoriſmorum,*

*in qua notantur conditiones quinque laudabilis cuiuſque purgationis artificio medici promota: vt fiat in morbis in quibus conuenit, educatur humor qui eſt in vicio, ea copia ac quantitate qua opus eſt, concocta materia, non cruda per locum conuenientem. Quas omnes conditiones nomine qualia, complexus eſt: adde quòd in Aphoriſmo ſecundo ſit ſermo de euacuatione quam natura molitur, hîc de ea quam medicus artificio ad imitationem naturæ comparato, tentat.*

Primæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIUS ſecundus.

## *APHOR. I.*

ΕΝ ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον, ἢν δὲ ὠφελέῃ, οὐ θανάσιμον.

*IN quo morbo ſomnus laborem adfert, letale eſt: ſi verò iuuat, letale non eſt.*

VT hunc Aphor. & alios qui ſequuntur intelligamus, notandum eſt, duplicem eſſe ſomnum, naturalem & non naturalem. Naturalem ſomnum definimus ex cauſis naturalibus: non naturalem verò ex cauſis non naturalibus. Naturalis ſomni cauſa eſt vapor à ſanguine, ſpiritu, & aërea humiditate ſublatus in caput: vbi (quòd inciderit in locum frigidum) refrigeſcit, ſenſumque communem obligat. In eo autem vapore tria conſideramus, quantitatem, qualitatem, & conſiſtentiam. Nam aliquando multus eſt, facítque longum ſomnum (vt in pueris, quòd à ſanguine & pituita multus eleuetur vapor, longus eſt ſomnus) aliquando paucus,

facítque

facitque ſomnum breuem, vt in adultis: debet item eſſe benignus, & prætereà craſſior. Denique vt eſt materia vnde vapor, ita & vapor eſt. A materia benigna & temperata benignus & temperatus erit vapor: à multa, multus: à craſſiore, craſſior. Neque verò ratione ſolùm materiæ ſuméda eſt cauſa naturalis ſomni, ſed etiam ratione cerebri ipſius. Oportet enim non modò ſanguiné & calorem, vnde vapor, ſed & cerebrum ipſum naturaliter ſe habere. Quòd ſi materia, vnde vapor, ſit corrupta, & putrilaginoſa, calidior aut frigidior, nimis pauca vel nimis multa, tenuior aut craſſior quàm decet, hoc eſt, peccet in quantitate, qualitate, conſiſtentia: cerebrum autem non naturaliter habeat (vt aliquando nimium refrigeratum eſt, vel nimis humectatum) fiet ſomnus non naturalis. Huius igitur cauſas non naturales ſumere debemus etiam ratione tum materiæ, tum cerebri. Sed inter ſomnum naturalem & non naturalem, diſcrimen eſt maximum. Siquidem ſomnus naturalis, alimentum eſt viſcerum, & corroborat partes naturales, fouet vitales, & recreat maximè ſpiritus omnes animales. Contrà, ſomnus præter naturam viſcera aggrauat, & lædit: idem in morbis facit ſæpe delirium, dolorem grauitatemque capitis, mouet deſtillationes, febrem auget, & inflammationes, ſi quæ ſint. Delirium quidem facit, quia aliquando vapores putres & acres, ac calidi in cerebrum ſublati, lædunt vehementer phantaſiam ſeu imaginationem: vt phantaſia, quia ſedem habet in ſenſu communi, pro ipſo ſumatur, & lædi dicatur. Adfert verò capitis dolorem, quia vapores illi acres & calidi cerebrum alterant, eiúſque vaſa diſtendunt & exagitant. Auget prætereà febrem & inflammationem, ſi qua ſit in viſceribus, quia cùm

materia ſit in medio corpore, fit vt humores eò per ſomnum collecti, ab ipſa corrumpantur, atque ita morbus cum materia augeatur. Poſtremò aliud malum eſt à ſomno præter naturam, quod deſtillationes mouet. Nam vbi materia putris in corpore, collecta eſt, ab ea multi vapores ſublati, cerebrum calfaciunt, humoribúſque à calore motis, fiunt deſtillationes. Addit Galenus huiuſmodi ſomnum aliquando adferre ægris initium comatis, vt, etiamſi pungantur, non poſſint excitari. Vbi ergò ſomnus in morbis, tum quum maximè iuuare debet πόνον, id eſt, noxam (vt delirium, dolorem, &c.) adfert, letale eſt, inquit Hippocrates. Maximè autem conferre ſolet in declinatione: quanquam in incremento acceſſionis & vigore interdum adferat etiam vtilitatem. Sed ſomnus qui nocet, non perinde eſt pernicioſus & exitialis, increſcente acceſſione, aut conſiſtente, atque in declinationibus. Cæterùm letale, cùm ferè ſumatur apud Hippocratem pro eo quod mortem denunciat: non tamen ita ſimpliciter eſt intelligendum de morte. Nam multis ſomnus poteſt adferre laborem, qui tamen haud morientur: quia alia ſunt bona ſigna, eáque multa. Verùm ſi in hoc morbo ſomnus laborem facit, & multa alia ſigna letalia concurrunt, morietur æger. Id autem hoc loco propterea dicitur eſſe θανάσιμον, quia ſomnus ille indicat imbecillitatem caloris natiui, qui non potuerit euincere materiam ſeu cauſam morbificam: præterea, calorem febrilem eſſe ſuperiorem. Non tamen ob id inferendum eſt mortem ægri: ſiquidem natura poſtea poterit euadere morbo ſuperior. Galenus in comment. ait ſomnum aliquan-

do accidere initio acceſſionum, quum & calor naturalis totus & humores interiora corporis petunt: vnde vapores efferuntur in caput. Id verò in iis præcipuè fieri affirmat, in quibus horror quiſpiam, vel rigor, vel fortis partium exteriorum refrigeratio contingit. Huiuſmodi itaque ſomnus malus eſt (vt idem ait) non alia ratione quàm quòd vigiliarum vtilitate priuantur ægrotantes. Vtilitas porrò vigiliarum eſt, quia relaxatur corpus, & per corporis ſpiracula poſſunt exhalare fuliginoſa excrementa. Contrà, hæc per ſomnum intus retenta materiam augent, & protrahuntur febres. Sed quæritur, an debeamus aliquando ægros permittere dormire initio acceſſionis. Maximè, ex Arabum ſententia, & rectè quidem. Prima cauſa eſt, quia præceſſit longa vigilia. Verum quidem eſt, auctam iri acceſſionem, ſed (quod maius eſt) refocillabuntur vires illo ſomno. Altera verò cauſa eſt, quando metuimus hecticam, aut febrem maraſmodem. Somnus autem humectat. Videmus prætereà poſt criſin ægros maximè velle dormire. Suntne à ſomno prohibendi, cùm eiuſmodi ſomnus ſæpe faciat recidiuas? Debemus quidem permittere vt dormiant noctu, ſed interdiu minimè: vbi præſertim ſomnus nocturnus ſufficiens eſt. Poſt morbum enim retinet quod ſibi vtile eſt natura: quæ verò ſunt inutilia (vt excrementa fuliginoſa) per corporis ſpiracula excernere vult. Quod facit per vigilias, per ſomnum verò impeditur.

## SCHOLIA.

HAc ſectione ſecunda nullum ordinem ſeruat Hippocrates, ſed indiſtinctum de morborum cauſis, de ſignis eorundem demonſtratiuis ac prognoſticis, de ſignis conualeſcentium à morbo, de quibuſdam auxiliis medicis Aphoriſmorum congeriem proponit. Initio tamen refectionis rationem præſcribere videtur, qua reſtitui quiſque poßit à morbo: ſed prius quædam præcepta tradit earum rerum quas medici non naturales vocant, ex quibus doctrina, quæ eſt de reficiendo comparatur. Et quia ſomnus inter eas, potißimas partes ſibi vendicat, quid ſomnus in morbis boni aut mali portendat, explicat. Prima vtilitas ſomni eſt, ſi in morbis leuamen adferat. Somnus ergo, qui primi ſenſifici non tam quies eſt quàm relaxatio quædam, aßiduo ab opere, occupato cerebro ad ſpirituum animalium inſtaurationem, quibus fuerat pene exhauſtum mouendi, cogitandi & ſentiendi aßiduitate: ſi in morbo, tempore & loco initus, potißimum in declinatione aut remißione morbi, ita vt nulla, neque ineuntis paroxyſmi, neque perturbationis criticæ, neque inflammationis particularis excuſatio adferri poßit, ægro noxam adferat: eúmque multis grauioribus damnis augeat, vt comate, delirio, iactatione, inflammatione, ídque vitioſa anathymioſi excepta, cerebro malè affecto: talis ſomnus omninò funeſtus eſt, tum per ſe, tum ex euentu: ac per ſe quidem, quoniam ad vim morbi, aliorum ſymptomatum acceßionem adiungit: ex euentu, quia indomita & cruda manet cauſa morbifica, cuius concoctio expectatur à ſomno: huc accedit, quòd illud videri debet funeſtum, ſi vnde plurimum opis expectatur, inde ſymptomatum acceßio adiungatur. Quòd ſi ſomnus adiumentum adferat, & ab eo æger allenetur, morbis ſymptomatis factis remißioribus, morbo etiam concocto, non eſt funeſtus: quoniam ex eo ſignifica-

*tio ſit tantam naturæ eſſe potentiam vt morbus aliquando vinci poßit. Ex hoc autem Aphoriſmo iſta axiomata collige: in peſte lethalem eſſe ſomnum, quia laborem facit: materiam enim ac peſtilentem qualitatem quam foras rapi oportuit, intrò reuocat: ideo autem qui peſte laborant, ſomnolenti fiunt, quòd corde patiente, ſpiritus & ſanguis ad interiora regurgitant, vnde vapor plurimus peſtilens in cerebrum, qui cerebri vim corrumpit. Lethalis quoque ac pernicioſus ſomnus eſt ſtatim à mißione ſanguinis: non quia vt putauit Auicennas, ex motu humorum ad exteriora propter phlebotomiam, & introrſum propter ſomnum, in membris fiat confractio: ſed potius, quòd ſanguinem à viſceribus reuellere ſtudemus, per vigiliam continuatur incepta reuulſio, quæ alioquin impeditur per ſomnum, qui intrò ſanguinem reuocat. Proinde ſomnus concedi poteſt ſtatim à mißione ſanguinis, ſi exterior ſit affectus, cuius gratia (quoniam ſanguis nimius partem aliquam obruit) phlebotomia inſtituatur, vt à parte affecta magis recedat ſanguis. Permitti quoque ſomnus poteſt mox à miſſione ſanguinis, in ephemera febre, vel ex eo nomine vt ſpiritus ſufficiantur in eorum vicem, quos plurimos dißipauit phlebotomia.*

## *APHOR. II.*

OΚυ παραφροσύνην ὕπνος παύῃ, ἀγαθόν.

*Vbi ſomnus delirium ſedauerit, bonum.*

SOlet Hipp. propoſito ſermone vniuerſali ſubiicere particularem: quod hîc facit. Cùm enim præcedenti Aphor. generatim dixerit, ſomnum qui in morbis iuuat, bonum portendere: hoc loco eius, quod

anteà dixit, veluti exemplum particulare ſubiungit, inquiens, Vbi ſomnus, &c. Delirium deprauatus eſt motus phantaſiæ, ſeu imaginationis. Eius autem ſoliùs meminit, tanquam mali grauioris periculoſioriſque, ſub eodem reliqua etiam comprehendens, nempe dolorem capitis, inflammationem, febrem, deſtillationem, & id genus alia ſymptomata: quæ ſi ſedauerit, bonum. Bonum (inquam) eſt, quia oſtendit naturam eſſe robuſtiorem, & viciſſe cauſas morbificas.

## SCHOLIA.

*Confirmatio eſt poſterioris ſententiæ Aphoriſmi praecedentis: ſi ſomnus, tum cum obeſſe poteſt, proſit, bonus eſt. At cùm pars aliqua inflammatione tentatur, ſomnus obeſt maximè. Ergo ſi ſomnus delirium ſedet (quod cum inflammatione cerebri coniunctum eſt) bonus eſt. Talis enim ſomnus indicat naturam materiæ morbificæ potentem eſſe, eòque magis quòd illo ſymptomate per ſomnum defungatur, quod tum maximè ingraueſcit cum aut ſomni materia & anathymiaſis aut cerebrum ipſum in vitio eſt. Etſi autem ſomnus delirium ſedet, non tamen certa omnino ſperanda ſalus à morbo: nam alio morbo æger interire poteſt, inflammatione aut abſceſſu, qui intus alitur: aut non tota materia morbifica, ſed eius tantum portione euicta: aut pernicioſi humoris feruore paululum remiſſo, vel intermiſſo, deinde redeunte. Sic in Philini vxore inflammatione vteri laborante, vndecimo ſomnus placidus, vnde delirium ſedatum eſt, ſed confeſtim (ait Hippoc.) rurſus mente vacillauit, minxit conuulſa confertim multum, vigeſimo obiit. 1. epid. 3. Hinc ergo iſtud theorema medicum collige. Si vnde ſymptomatum grauium metus expectatur, inde plurimum opis adferatur, id plurimum prodeſſe.*

## *APHOR. III.*

ΥΠνὸς, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα τῦ μετρίυ μᾶλλον γενόμενα, κακόν.

*Somnus, vigilia, vtraque ſi immoderata exiſtunt, malum.*

HIc in memoriam reuocandum eſt quod anteà dictum eſt, nimirum naturalem ſomnum fieri à vaporibus benignis & vtilibus ſublatis à ſanguine ac pituita dulci ceu naturali in cerebrum, ac deinde refrigeratis & in humorem coactis, quod vbi accidit, iidem vapores defluentes obſtruunt ſenſuum neruorumque motiuorum meatus. Quòd ſi lenti, craſſi ac frigidi humores ſenſum communem obligant, fiet ſomnus non naturalis, nempe caros vel coma: quemadmodum fiet catalepſis, vbi fortis refrigeratio cum ſiccitate cerebrum occuparit. His ſuppoſitis, Aphoriſmi hic hoc habet difficile, quid ſibi velit Hippocrates per μετρίυ μᾶλλον, id eſt, vltra modum. Somni modus duobus definitur, cauſis naturalibus, & naturæ neceſſitate. Ita de vigilia cenſendum. Sic autem definimus: quia (verbi gratia) aliquándo (Galeno teſte) accidit quoſdam ægros dormire vnum diem & noctem à criſi: quum videlicet ex vtili alimento quod ſibi retinuit natura, vapores efferuntur ad cerebrum. Sic pueri dormiunt nonnumquam duos dies. In his tamen & illis non dicemus ſomnum modum excedere, quia & cauſæ ſunt naturales, & neceſſitas exigit. Interdum enim ægris accidit, vt cùm antè per ſex, ſeptem, duodecim, etiam viginti dies non dormierint, cogan-

tur dormire in longum tempus. Sic aliquando vigilamus duos aut tres dies vel noctes, neque tamen vigilia eſt immodica, ob cauſas naturales & neceſſitatem, quia videlicet forſan anteà multum dormiuimus. Cognoſcemus autem an ſomnus ſit immoderatus, necne: quia ſomnus à naturalibus cauſis neceſſitatéque naturæ excitatus laborem non faciet. Contrà ſomnus ab his non excitatus adferet laborem.

*Malum.*) Malum dixit, non letale. Neque enim etiamſi malum eſt, debet tamen mori propterea æger. Quanquam Praxagoras vetus medicus, qui etiam Galenum ætate præceſſit, obſeruauit febres ſomniculoſas omninò eſſe letales, quæ incidunt in tempora pubertatis: hoc eſt, ab anno decimotertio vſque ad decimumoctauum. Malo itaque eſt vigilia immoderata & vt cauſa, & vt ſignum. Vt cauſa, quia (vt teſtatur is qui ſcripſit quartum de rat. vict. in morbis acutis) fortis ſiue immoderata vigilia, & potum & cibum & humores & omnia cruda facit. Altera cauſa, quia nimium deſiccat: cumque morbus acutus ſit calidus ſiccus, aliud in eo malum eſt vigilia, quæ ſiccitatem adferat. Adfert autem ſiccitatem, quia multa ſubſtantia humida & naturalis per corporis ſpiracula reſoluitur. Tertia cauſa eſt, quoniam vires labefactat. Porrò malum eſt vigilia vt ſignum: quandoquidem & ſiccitatem multam portendit, aut nimiam caliditatem, & cauſam morbi pertinacem, naturámque imbecillam. Nam ſi natura ſatis eſſet robuſta, cauſam morbi euinceret, & ſomnum induceret naturalem. Sic etiam ſomnus immodicus cauſa eſt mala, & ſignum malum.

Cauſa mala, eò quòd (teſte Hippocrate ſecundo de victu acutorum) corpus reddit diſſolutum, flaccidum & excoctum. Prætereà capitis grauitatem parit: eius autem affectus ratio eſt, quòd vapor humidus multus retineatur in corpore ob ſpiraculorum conſtipationem. Vnde etiam in ebriis, poſteà quàm crapulam diutiùs edormiuerunt, corpus ſubtumidum & pallidum videmus. Signum item malum eſt, ſomnus immoderatus, eò quòd primum ſenſitiuum, hoc eſt, cerebrum ipſum nimis quàm conueniat, refrigeratum & humectatum eſſe ſignificat. Præterea naturam non poſſe vincere morbi cauſas innuit: proinde errare eos toto cœlo conſtat, qui ſomnum ſemper bonum eſſe aſſerunt.

## SCHOLIA.

*Omne nimium naturæ inimicum: ſomnus ergò & vigilia, vtraque immoderata ſi fuerint, & ſuprà naturæ neceßitatem, cauſáſque naturales ſi extiterint, malum, vt ſignum & vt cauſa. Ac ſomnus quidem vt ſignum malum, quòd ex eo ſignificatur materiæ morbificæ ad cerebrum tranſlatæ contumacia, & frigus calori ſuperueniens, vt in Hermocrate, quæ intemperies inſanabilis eſt. Vt cauſa, quòd reddat corpus torpidulum & ſegne, planéque diſſolutũ ac robore deſtitutum: & quia cohibens effluuia, nec diſcuti permittens, coaceruat in corpore excrementa vaporoſa: quòd item calor natiuus, ſi non habeat in quod agat, ſolidarum partium ſubſtantiam labefactat. Sic etiam vigiliæ, malum: vt ſignum, quòd ſiccitatem cerebri, materiæ ſomniferæ inopiam, morbificæ acrimoniam ac ſymptomaticam bilis ad cerebrum tranſlationem arguant: vt cauſa, quia cerebrum exhauriant, corpus infirmum reddant, cruditates pariant, cibi & potus coctio-*

*nem impediant, materiámque morbificam pepaſmi expertem relinquant.*

## *APHOR. IIII.*

Οὐ πλησμονὴ, οὐ λιμὸς, οὐδ' ἄλλο οὐδὲν ἀγαθὸν, ὅτι ἂν μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ.

*NON ſatietas, non fames, neque aliud quicquam, quod naturæ modum excedat, bonum.*

In hoc Aphor. ſatietas de ciborum repletione dicitur: ei fames opponitur. Satietas autem nocet, & morbos ſæpè facit. Vnde Hipp. 6. Epid. Aphor. 20. ſanitatis capita duo eſſe vult, non repleri ad ſatietatem, & non pigreſcere ad exercitia. Græcè eſt, ἄσκησις ὑγιείης ἀκορίη τροφῆς, ἀοκνίη πόνων. Non tamen ob id etiamſi ſatietatem vetet, ægros fame conficere oportet. Nam fames perinde atque ſatietas noxam adfert: vt quæ ventriculum malis repleat humoribus. Ceterũ per particulare hoc loco intelligit ſuo more vniuerſale Hip. Siquidem non ſolùm ſatietas & fames, ſi modum exceſſerint, ſunt mala, ſed etiam res omnes naturales, vt aër, cibus & potus, motus & quies, vacuatio & retentio excrementorum, affectus animi. Nam (inquit Hippocr.) labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria eſſe debent. Vbi etiã intelligendæ ſunt aliæ res non naturales, aër, quies, vacuatio & retentio excrementorum affectus animi.

## *SCHOLIA.*

*ALiud exemplum eorum quæ modum excedunt. Ciborum minuitas, ſiue repletio ad vires cuiuſque relata, non ad*

*vaſorum capacitatem: cibi quoque nimia abſtinentia: omnes denique res quas naturales medici vocant, bonum non eſt. Cum enim naturæ noſtræ perfectio ac ſanitas in quadam mediocritate conſiſtat, exceſſus omnis malum ſignificabit. Notabis autem πλησμονὴν duo ſignificare apud Hipp. nimiam abundantiam ceu plenitudinem, & ſimplicem refectionem naturæ conſentaneam. Vide Aphor. 22. huius ſectionis.*

## APHOR. V.

ΚΟποι αὐτόματοι φράζουσι νούσους.

*LAſsitudines ſponte natæ morbos pronunciant.*

Laſſitudines ſpontaneas alicubi in com. Epid. labores ſpontaneos interpretatur Gal. Eſt autem laſſitudo ſpontanea, quæ nullo multo, neque vehementi motu facta eſt. Vt ſæpius videmus nonnullos genua habere quaſi fatigata, graue vniuerſum corpus, & membra grauia, ita vt præ dolore mouere non audeant. Hæc laſſitudo nullo præcedente motu nata, ſpontanea eſt, morbúmque prænunciat. Cauſa porrò cur morbum δηλοῖ, id eſt nunciat (φράζουσι enim δηλοῦσι interpretatur Philotheus) poteſt eſſe in quantitate, qualitate, vel vtraque. In quantitate materiæ ſæpe in his regionibus, quũ multa eſt materia cruda non ſolũ in cauitatib. corporis, ſed etiã in toto habitu imbibita. In huiuſmodi morbis vrinæ ſunt turbulentæ, leues fiunt ſudores, à quibus tamẽ nõ liberatur æger, quãdo hi morbi ſolẽt eſſe longi. Eiuſmodi autẽ laſſitudo dicitur tenſiua, ſiue ſit multitudo crudi humoris, ſiue flatus à cruda materia, ſiue etiam copia ſanguinis ſeu plethora. Aliquando peccatum

eſt in qualitate, vt quum putant ægri ſe veluti acubus compungi, ab acribus ſcilicet & erodentibus humoribus (vt bile alterutra, vel pituita ſalſa) in cute, vel carne, vel vtraque contentis. Hæc laſſitudo vocatur vlceroſa, ἑλκώδης. Eſt & peccatum in quantitate & qualitate materiæ (quòd phlegmonodes tertium laſſitudinis genus facit) ſiue ſit ſanguis mixtus bili, ſiue ſanguis mixtus crudo humori. Denique hæc laſſitudo extenſiua & vlceroſa componi videtur. At ὀστόκοπος non eſt propriè laſſitudo, ſed accidens quoddam, quum videlicet ægro videntur oſſa confringi. Fit autem & à quantitate materiæ frigidæ, vt in quartanis: & à qualitate, vt à bile in vlceroſa laſſitudine, quum materia tranſit à ſolidis partibus ad neruos & membranas quæ oſſa contingunt. Morbos itaque prænunciant laſſitudines tres, vbi nimirum materia illa nondum putruit, vbi nondum auctę ſunt obſtructiones. Aliquis, verbi gratia, ſentiat corpus ſibi veluti compungi acubus. Anteuertendum medicamento quod billioſum humorem & mordacem purget. Vbi humor eſt crudus, prænunciat morbum longum. Eiuſmodi ægri oſcitant, grauitatem totius corporis ſentiunt. Crudus humor ille faciet obſtructiones, quæ auctæ gignent febres. Anteuertemus ieiunio, iis quæ coquunt, quæ incidunt, tenuant. Quare patet Aphor. hunc pertinere & ad prædictionem & ad curationem, ſiue potius præcautionem.

## SCHOLIA.

*Quatuor præcedentibus Aphoriſmis attulit ſigna mala morborum aut ſymptomatum à rebus naturalibus deſumpta: nunc tranſit ad ea quæ ſunt præter naturam. Horum*

*primum eſt affectio illa quæ laſsitudo dicitur, quũ ſi vel minimum quid moueatur, laſsitudinis ſenſus excitatur, vel vlcerata vel tenſiua vel phlegmonoſa: hæc ſi non ab exercitatione vehementiore, non à mutatione inſtituti ad aliud, non à conſuetudine diuturniore, ſed vltro & ſponte, nulláque cauſa manifeſta præcedenti oboriatur, indicat morbos futuros primigenios, aut ſecundarios, aut etiam præſentes: nam tenſiua laſsitudo plethoræ ſoboles eſt: vlceroſa cacochymiæ, phlegmonoſa vtriuſque: ex quibus omnium fere morborum principia cauſæque ducuntur.*

## APHOR. VI.

Ὁκόσοι πονέοντες τι τοῦ σώματος, τὰ πολλὰ τῶν πόνων οὐκ αἰσθάνονται, τουτέοισι ἡ γνώμη νοσέει.

*Qvicunque parte aliqua corporis dolent, & dolorem omninò non ſentiunt, iis mens ægrotat.*

Πόνος dicit aliquando exercitium, aliquando noxam, interdum dolorem. Dolorem ſignificat duobus modis, vt intelligatur & pro diſpoſitione quæ eſt cauſa doloris, & pro dolore ipſo. In diſpoſitione fit alteratio, vbi iam hæc ſenſu diſcernitur, dolor eſt. Ergò dolor ſenſus eſt triſtis ſubitæ alterationis. At hîc πόνος, τουτέστι dolor, ſumendus pro diſpoſitione aliqua dolorifica, & quæ dolorem efficit. Quicunque igitur affectum excitantem dolorem aliqua in parte corporis obtinent, & dolorem qui ab eo naſcitur affectu, omninò non ſentiunt, his mens ægrotat. Vt, conuulſio alterationem habet dolorificam: ſi dolorem non ſentiat æger, mente non conſtat. Verùm per τὰ πολλὰ hoc loco ſiue

intelligas ἀντὶ τοῦ ἐπίπαν, omninò (vt interpretatur Philotheus) ſiue pro magna ex parte, ſiue pro longis interuallis, nihil refert. Cæterùm diſputabatur olim, vtrum quod ſentitur ſit in inſtrumentis ſentiendi, an in mente? Aliorum opinionibus prætermiſſis, Hip. & Plato lib. de Repub. volunt mentem ſentire. Per mentem itaque (quæ Hippocrati γνώμη dicitur) intelligemus (Galeno in comm. authore) διάνοιαν, hoc eſt, rationem: quæ eſt vis illa animæ quæ res iudicat ac decernit.

## *SCHOLIA.*

*Alterum ſignum. Abſentia doloris, præſente ac etiamnum vrgente doloris cauſa, mentis dolentis indicium. Quibuſcunque enim pars aliqua corporis cauſam habet, quæ dolorem inferre ſolet: nimirum, alterationem repentinam, aut ſolutionem cõtinui: aut diſpoſitionem aliquam dolorificam iamdiu inſitam: aut rerum naturæ neceſſariarum defectum: eáſque cauſas dolorificas, omninò non apprehendunt, diſcernunt, nec agnoſcunt: vt phrenetici, expertes ſitis in fundo ventriculi & eius orificio, & qui magnum & rarum ſpirant in ſummo cordis æſtu: iis mens, id eſt ſenſus communis ægrotat: id eſt, corruptus, aut alio vehementèr occupatus, aut ad extremũ m debilitatus eſt. Delirantes enim non ſentiunt dolorem, quòd corruptum ſit eorum iudicium. Qui vulnerantur in certamine, nequaquam ſentiunt dolorem ex vulneribus ſibi illatis, quòd eorum animus occupetur in vulnerando alium, & ſe defendendo, adeò vt ſimul nequeant apprehendere quæ interim patiuntur. Qui morti iam ſunt proximi non dolent, quia propemodum extincta facultas eſt ob imbecillitatem, vt cauſas dolorificas non poßint dignoſcere nec apprehendere: vt enim dolor ſentiatur, oportet qualitatem rei dolorificæ impreſſam inſtrumentis ſenſoriis communicari ſenſui communi, qui apprehendat & diiudicet paßiones factas in*

*ſingulis ſenſoriis. non eſt ergo intellectus neque ratio quæ dolorificas paſsiones apprehendit, ſed ſenſus communis: animus enim nunquam ægrotat, ſed animi inſtrumentum. Proinde Hipp. politicè locutus eſt, cum mentem pro ſenſu communi vſurpauit.*

### *APHOR. VII.*

ΤΑ' ἐν πολλῷ χρόνῳ λεπτυνόμενα σώματα, νωθρῶς ἐπανατρέφειν δεῖ· τὰ δὲ ἐν ὀλίγῳ, ὀλίγως.

*QVæ longiore temporis ſpacio extenuata ſunt corpora, ſenſim reficere oportet: quæ verò breui, repentè.*

Hæc ſententia docet qua ratione inſtaurare oporteat vires conualeſcentiũ, qui ſunt extenuati. Alij itaque celeriter extenuantur, vt vno aut altero die: quod apparet in facie Hippocratica, nares acutæ, oculi concaui, collapſa tempora, &c. Alij longiori tẽpore, vt vno mẽſe, aut duobus. Vbi celeris eſt extenuatio, vacuãtur magna ex parte humores & ſpiritus tantùm. Quãdo verò longiori tempore fit, non ſolùm humores & ſpiritus, ſed etiam ſolida corpora abſumũtur. Hęc omnia faciũt ad curationem. Verbi gratia: ſi longiore tẽpore ſit extenuatus æger, intelligimus non ſolũ humores & ſpiritũ, ſed & ſolidas partes reparari debere. Si verò celeriter, intelligimus humores tantũ & ſpiritus eſſe refouẽdos. Gal. com. in 6. Epid. paucis verbis docet extenuatorum curationem: oportere nimirùm ſex res non naturales, omnes eſſe moderatas. Cuiuſmodi ſunt, labor, cibus & potus, ſomnus, excremẽtorum excretio, animi affectus, ambiens aër. Additur his aliquando venus. Ponamus conualeſcentem quemdã extenuatũ nobis eſſe refouendũ, oportet exercitationẽ eſſe moderatã, moderatas & molles frictiones, vt poſſimus & humectare corpus & leuiter calefacere. In cibo & potu tria obſeruabimus,

vt demus boni ſucci alimentum modicum, nutriens mediocriter, & breuibus interuallis. Siquidem in eiuſmodi extenuatis (ponimus autē longiori tempore extenuatos) calor natiuus ſolidarum partium eſt imbecillus, nec poteſt ſimul magnam alimenti copiam cōficere. Breuibus ergò interuallis, vt ter aut quater in die, nutriemus. Oportet ſomnum quoque eſſe moderatum. Nam ſomnus longior aliquando exiccat, ſed per accidens, cùm per ſe humectet. Quòd exiccet, cauſa eſt: quia calor natiuus cùm non habeat in ſomno longiore alimentū, langueſcit, & cogitur agere in ipſas corporis partes. Prætereà cùm viæ fuliginoſorum excrementorum intercludantur, ea remanentia in corpore exiccant. Oportet item mediocrem eſſe excretionem, vt per vrinas, ſudores, &c. Immoderata enim excretio & vacuatio attenuat & ſiccat. Debent item animi affectus eſſe moderati. Ira namque & mœror ſiccant. Debet eſſe moderatus aër. Calidus enim humores digerit & exiccat. Quare quicunque extenuati ſunt, ſex rerū non naturaliū moderatione vti debent. Neque verò vacuatione tantùm ſeu abſumptione fit extenuatio, verùm etiam repletione: ita vt ſit & vacuatio & repletio. Proponatur (exempli gratia) hiſtoria illa Gal. de muliere 6. Epid. Mulier erat admodum extennata: vocati medici vt extenuationem curarent, vocatus & Galenus. Hic ſtatim phlebotomiam inſtituit, teliquis tamen medicis reluctantibus. Vicit tandem Gal. detrahítque ſanguinem per vices ad tres aut quatuor libras. Eiuſmodi autem remedium à Galeno inuentum, quòd extenuaretur mulier à ſuppreſſis menſibus. Quod coniecit ex venis totius corporis tumidis & vitioſo ſanguine repletis, quo tanquam ingrato mi-

to minúſque familiari alimento non poterant nutriri partes ſolidę. Nam quemadmodum ventriculus alimétú iucundum & familiare ſtatim vel nondum ſatis prę-manſum attrahit & amplectitur, contrà inſipidum & iniucundú non attrahit: ita ſolida corpora alimentum gratum & familiare ex venis attrahunt, vitioſum verò minúſque familiare reſpuunt. Gal. itaque in ea muliere ſanguiné detraxit non ſemel, ſed paulatim. Quod ſemper faciédú vbi vitioſus eſt humor: neque ſolú in phlebotomia, ſed etiam in purgationibus. Ergò vbi videm' extenuatum corpus, non ſemper eſt replendum, ſed & aliquando vacuandú. Sic in conualeſcentibus extenuatur plerunque corpus, quia id non ſatis eſt purgatum, relictúmque eſt à criſi vitiú humorú in corpore, quod efficit ne ſolidæ partes nutriantur: tunc eſt vacuandú, non replendú. Illud autem intelligemus ita ſe habere, ſi videamus venas corporis eminere, turgere, & duras eſſe. Duras dico venas, quia aliquando plenę ſunt à flatu, non tamen duræ deprehenduntur. Quæ igitur corpora ſunt extenuata vel à repletione vel vacuatione, ídque longiore tempore, reficere oportet lentè, hoc eſt alimento modico quantitate, mediocriter nutriente, & breuibus interuallis: deinde reliquis rebus non naturalibus moderatis. Cauſa eſt, quia calor ſolidarum partiú omniú eſt imbecillus. Quæ verò breui ſunt extenuata, refouere oportet ὀλίγως, hoc eſt (Gal. interprete) διὰ ταχέων καὶ ἁδρῶς, celeriter & pleniùs. Statim auté extenuatur corpus ob vacuationem tum ſenſibilem, tum inſenſilem. Per ſenſibilé, vt per hæmorrhagiá, ſudores, &c. Per inſenſilem, vt in febribus colliquantibus & diaphoreticis: quia humor eſt bilioſus, acer, & tenuis qui humores & ſpiritus abſumit. Ad refocillandos humores, & præ-

ſertim ſpiritus remedio ſunt deſtillata noſtra, vt quæ celerrimè coquantur & diſtribuantur in noſtrum corpus. Item vina optima, & odoramenta: vt odores roſarum, aqua roſata (præſertim admixta ambra griſea) naribus admota. Aliquando nodulos aqua roſarum aſperſos naribus admouemus. Vtimur nonnumquam epithematibus, quæ applicamus regioni cordis, vel è regione oris ventriculi. Interdum medulla panis vino maluatico & odorato intincta naribus adhibetur. Arnaldus de Villanoua ſanguinem humanum deſtillatum maximè probat ad refouendos ſpiritus, ita vt dicat mortuos eo dato reuiuiſcere. Idem pollicetur de aqua chelidoniæ. Hæc omnia odoramenta admota tum cordi, tum ori ventriculi & naribus, plurimùm ſpiritus refocillare dicuntur. Valent & in cõſumptis longa fame, qui cibo dato ſæpe ſtrangulantur. Quod accidit non ſolùm propter retracta & exiccata inteſtina (quod etiam vulgus dicere ſolet) ſed etiam quòd à longa fame fiat motus inteſtinorum ad ventriculum: quæ vi attracto cibo quum implentur nimium, ſæpe rumpuntur.

## *SCHOLIA.*

*Cautiones aliquot reſtaurandi corporis conualeſcentium proponuntur. Prima eſt, in quibus corporibus extenuationis perfectæ non inchoatæ ſigna apparent, eáque ab exhauſto partium ſolidarum non ſolùm humorum & ſpirituum petita, qualia ſunt cutis laxitas primùm, deinde diſtentio cum pallore coniuncta, immutatio partium nutritioni dicatarum in habitu, temperamento & actione: ea parca manu, cibiſque liquidis, imbecillimis, concoctu facillimis, miniméque ſiti feris reficere oportet: quòd infirmæ ſint partes ſolidæ, quarum proprium munus*

*eſt concoctio: nec facilè partes nutritioni dicatæ ab otio diuturno ad negotium ſui immemores ſe conuertant. Quæ verò diſsipatis tantum ſpiritibus & humoribus, ſuperſtite adhuc partiū ſolidarum integritate, nec aluo diuturna officij vacuitate multum facta ignaua, neque collapſa, extenuata ſunt: cuiuſmodi extenuationis ſignum eſt cutis tentio primū, deinde laxitas cum pallore coniuncta: ea celeriter & abunde in qualitate, copia, & frequentia reficienda ſunt: quia oportet vt id quod influit proportione reſpondeat ei quod effluxit. Notandum verò per ſolidas partes non tantùm carnoſas, eáſque externas intelligendas, ſed internas, hepar nimirum & interna viſcera. nō enim veriſimile eſt, carnoſis partibus alimoniam deſyderantibus, internas habere ſatis. Cæterùm doctiſsimus Duretus hic facit initium ſecundi libri: cuius hic ſcopus eſt, vt propoſitis libro primo momentis quibus oporteat conuenienter purgare, diætam præſcribere, & morborum reliquias expellere, doceatur ratio rite & conuenienter cibandi ægros à morbo. Prima itaque ratio captabitur ex morbi longitudine aut eiuſdem breuitate, vt ſi longo tempore corpus eſt extenuatum, corpus lentè reficiatur: ſin minus, contrà.*

## APHOR. VIII.

ΗΝ ἐκ νόσου τροφὴν λαμβάνων τις, μὴ ἰσχύῃ, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ τὸ σῶμα χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντος, τοῦτο γίνηται, χρὴ εἰδέναι, ὅτι κενώσιος δεῖται.

*SI quiſpiam à morbo capiens cibum, vires non recipiat, copioſiore alimento corpus onerari indicat: ſi verò modicè epulanti idem eueniat, vacuatione indigere ſciendum eſt.*

Cibum capere(Galeno authore)eſt bene appetere, & iuſta quantitate cibũ ſumere. Quòd ſi conualeſcentes cùm bene appetãt, & iuſta quantitate cibũ capiant, non corroborantur,indicium eſt corpus vti copioſiore alimẽto,quod facultates naturales à morbo adhuc imbecillæ,neque in ſuccum conuertere, neque in ſanguinem mutare poſſunt. Itaque his cibum dare modicum & mediocriter nutrientem oportet. Cæterùm quod conualeſcentes qui nutriuntur non reficiantur, peccatum eſt vel in ipſo calore,vel in alimento. In calore, quia languidior eſt, quàm vt poſſit tantum cibi conficere : in alimento,quia copioſum eſt quãtitate vel qualitate.Quòd ſi conualeſcentes cibum prorſus non appetant,indicium eſt eſſe morbi reliquias,quæ impediãt ne natura appetat. Quare vacuatione indigent, vt corpus ſuum robur recipiat. Loquitur autem hoc in loco de appetentia naturali, quam quidem propter partium quæ in morbo facta eſt, inanitionem,eſſe validam neceſſe eſt.

## SCHOLIA.

*ALtera reſtaurandi corporis cautio. Si quis morbo defunctus cum ſignis & cauſis criticis, cibi appetens,genióque indulgens,non excitato ſolùm ſuctionis ſenſu, vt in canina appetentia, ſed à multo exhauſto, vires non recuperet, nec quicquam edendo proficiat, in corporis charactere,colore,actione & motu, denegata ſcilicet aſsimilatione ob ſucci vitiũ & naturæ infirmitatem : id arguit pleniore victu corpus vti: quia naturalis œconomia quæ diſtribuendo, coquendo, & excernendo abſoluitur : ipſaque adeò ſolidæ partes ſatietate nimia à cibo, largiore manu, aut breuioribus interuallis, aut paulò ſuccu-*

*lentiore adhibito, fatiſcunt: eiúſque ſatietatis ſigna apparent in aluo, hepate, venis & habitu corporis. Quòd ſi quis non auidè appetens, nec genio indulgens, ſcilicet reſoluta ac labefactata facultate quæ eſt cibi appetens, à ſuperſtite adhuc calore & humore febrili: ob ídque paruo contentus nec ſatietate affluens, quicquam proficiat: nulláque ex alui infirmitate cibíve copia aut contumacia, excuſatio poßit adferri: vacuatione tum opus eſſe ſciendum: quòd ſcilicet reliquiæ quædam ſuperſint morbificæ, quibus naturalis œconomia labefactatur, ſolidæque partes genio defraudantur: vnde recidiui accidunt morbi, niſi quis vacuando occurrat. Hîc autem duo conualeſcentium genera notantur. Vnum eorum qui bellè appetunt, genióque indulgent, ſed edendo non proficiunt: hi ergo, lentè reficiendi veniunt, parcáque manu nutriendi, ita vt de cibo conſueto aliquid ſubducant, & velut ſemiſaturi è menſa decedant: Quæ enim lentè extenuata ſunt corpora, lentè reficere oportet. Alterum eorum eſt, qui nec cibum auidè appetunt, nec genio indulgent, nec tamen proficiunt: quod ſignum eſt impuritatis alui & venarum: alui quidem, ſi non appetunt: venarum, ſi appetunt quidem, ſed non proficiunt partes in colore, mole, charactere & actione.*

## APHOR. IX.

ΤΑ μὴ καθαρὰ τῶν σωμάτων, ὁπόσῳ ἂν θρέψῃς, μᾶλλον βλάψεις.

*IMpura corpora quò plus nutriueris, eò magis læseris.*

Vocat Hippocrates impura corpora, conualeſcentium, in quibus reliquiæ quædam ſunt mate-

rię morbi. Contra hunc Aphoriſm. multa obiiciuntur, eáque ſumpta maximę ex Aphoriſm. decimòſeptiimo libri primi, Et quibus ſemel aut bis offerendum ſit, &c. Sed ille huic Aphoriſm. nil repugnat. Nam illic agit de victus ratione primis morbi temporibus inſtituenda: hîc de morbi declinatione in conualeſcentibus. At Celſus ait, Vbi multum eſt materiæ vitioſæ, optimum eſſe multum materiæ optimæ miſcere. Cui rei aſſentiuntur Arabes (vt Auicennas) qui aſſerunt in peſtilentia optimum eſſe impleri cibo multo & boni ſucci. Prætereà ad id alludit quod ait Hippocrates in Epid. Cœlum quum eſſet auſtrinum, &c. denique quũ eſſet aëris conſtitutio peſtilentialis, multi peſtem incurrerunt. Ex his quicunque ſe bene ad cibos habebant, & multùm nutriebantur, priſtinam ſanitatẽ recuperabant: qui verò cibos auerſabãtur, neque nutriebantur, ij lædebantur magis. Vidẽtur iſta facere contra hunc Aphoriſmum: quia dicit, ſi multùm nutries, lædes: non faciunt tamen quicquam. Nam quemadmodum agricolæ, ſi oleum aut vinum vitium fecerit, aliquid vitioſi vini detrahunt, deinde vas optimo vino replent, ſed paulatim, ſic vinum vel oleum in integrum reſtituitur; ita in corpore humano vbi intelligimus aliquid vitioſi humoris ſupereſſe, eius partem vacuamus ſenſim, partem paulatim appoſito boni ſucci alimento temperamus. Hoc autem dicitur propriè ἐπίχυσις. Cæterùm quòd in commentariis ait Galenus, ſi nutrias, fore vt alimentum à prauis humoribus corrumpatur, & ita eorum humorum quantitas augeatur, qualitas ſeruetur, nihil his quæ diximus repugnat. Nam quantitas quidem augebitur, niſi purges: at Hippocrates vult,

purgemus. Qualitas verò vitioſa ſeruari poteſt, ſed remittitur: quemadmodum album remiſſum remanet album, & acidum remiſſum remanet acidum. Ergò conualeſcentium corpora impura propter reliquias materiæ morbi ſi nutries, lædes: niſi vtaris epicraſi: hoc eſt, niſi ex præcepto Hippocratis ſuperiore Aphoriſm. Si quiſpiam à morbo, &c. vel ſemel reliquias morbi vacues purgantibus medicamentis, vel paulatim (per ἐπίκρασιν) ſubiecto bono alimento qualitatem vitioſam temperes, & paulatim vacues.

## *SCHOLIA.*

*Tertia eſt cautio adferens rationem membri poſterioris præcedentis Aphoriſmi: Cur qui à morbo conualeſcunt non ſunt cibi appetentes, nec vllum è cibis robur virium acquirunt: quia corpora cacochymia obſita vel in aluo, vel in venis, vel in habitu corporis, quò plus alimenti in qualitate, copia & numero aſſumunt, eò pluribus damnis augentur: ſuperſtite materia morbi, quæ in ſuam naturam alimentum conuertit, facitque acceſſionem impuritatis in omni regione corporis, & alimenti corruptione: ſyncerum enim niſi vas quodcunque infundis, aceſcit. Iſta autem impuritas, ceu cacochymia à morbo quæ metum recidiuæ adfert, duplex eſſe poteſt. Vna, à morbi reliquiis, eáque aut in aluo eſt, aut in venis, aut in habitu corporis: altera ſuccreſcens, quæ fit à pleniore cibo, à quo opprimitur natura: nam aluus facta ignauior vacuitate officij non poteſt omnes cibos, præſertim ſi plenius offerantur, mitificare, quò fit vt plerunque corrumpantur, vnde cacochymia ſuccreſcit.*

## APHOR. X.

ΤΑ σώματα χρὴ, ὅκου ἄν τις βούληται καθαίρειν, εὔροα ποιέειν.

*Corpora vbi quiſpiam purgare vult, fluida faciat oportet.*

Hic Aphoriſmus magni eſt vſus. Eſt enim fere tota vis & methodus medendi. In conualeſcentibus qui cibum non appetunt, vacuatione indigere indicio eſt. nam ſi nutrias impura corpora, eò magis lædes. Ergo purgandæ ſunt illæ morbi reliquiæ: ſed priuſquam purges, oportet corpus eſſe fluidum. Vt autem ſit fluidum corpus, & pharmacum inſtituat medicus, quatuor ſunt ſpectanda: vt natura benè ſit comparata ad excretionem, materia non repugnet, viæ per quas fit purgatio ſint liberæ, & medicamentũ analogum materiæ excernendę. Natura parata eſt ad excretionem duobus modis: vbi materia tenuis eſt calidáque, ac turget, vt in cholerá morbo: vbi materiã coxit, ac vtile ab inutili ſeparauit, ſiue ea ſit bilis craſſior, ſiue pituita, ſiue ſuccus melancholicus. Materia rurſùs bifariam, quum vel turget, vel maturata eſt, parata eſt ad excretionem. Materia enim tenuis & calida cedit: at craſſa, lenta & viſcida non item (vt in morbo regio) quare eam prius incidimus, tenuamus, tergemus, quàm pharmacum inſtituamus. Tertiò oportet vias eſſe liberas, hoc eſt, primas venas quæ ſunt in hepate & circa hepar, necnon inteſtina. Nam ſi aut illæ habeant obſtructiones, aut hæc duro ſtercore ſint offarcta, prohibebitur purgatio &

humoris fluxus. Addunt prętereà veteres oportere vias eſſe laxiores, rarefactas, & molliores. Vnde nonnulli (vt & quidam Arabes) ante medicamentum dant cibũ vel potum (vt ſemen althææ ad drach. duas, aut circiter) quò viæ emolliantur & relaxentur. Quartò oportet medicamentum eſſe analogum, hoc eſt, habere rationem quandam & proportionem cum humore. Analogia autem medicamenti ſpectatur in qualitate aut quantitate. Qualitatem intelligimus eſſentiam illam ſeu formam eſſentialem, aut proprietatem quæ eſſentiam ſequitur, qua proprietate medicamentum hunc vel illum humorem trahit. Non itaque ſatis eſt conſiderare, hoc medicamentum trahit bilem, pituitam, aut melancholiam, ſed videre etiam oportet quanta vi attrahat: quod quidem facimus habita ratione eius cui medicamentum præſcribimus. Æger eſt (verbi gratia) qui haud ita dudum à morbo conualuit: tum intelligimus reliquias eſſe morbi, & nonnihil bilis à febre ſupereſſe. Scammonium bilem attrahit, elleborus bilem atram: hæccine præſcribam? Minimè verò id quidem. Nam maiore vi attrahunt, quàm pro humore conueniat. Igitur ſi cætera adſint ex animi ſententia, leue aliquod medicamentum inſtituemus, vt catholicum diaprunum ſimplex, rhabarbarum, aut medicamentum quod purget melancholiam, ſi eſt febris, quia in febris declinatione ſemper eſt bilis aduſta, quæ eſt vacuanda. Poſtremò vt fluida corpora facias, vteris medicamentis & alimentis. Vt, ſi ſit leuis obſtructio, vtemur oxymelite, radice petroſelini, prætereà fœniculi rad. (ſi vehementior ſit obſtructio) ad detergendum. Inſtituemus etiam colatitia ex capis

cum amygdalis, vinum, &c. Hoc loco Hippocr. quum vult corpora fluida fieri, intelligit de purgatione quæ fit per vomitum, & ea quæ per aluum: hanc tamen tractationem diſtulit Gal. in lib. quartum.

## SCHOLIA.

*QVarta cautio. Si corpus impurum refici ac reſtaurari alimento non poßit, niſi quæ ſubeſt in eo impuritas tollatur medicamento purgante: purgandum ergo corpus illud eſt conualeſcens, quod obſitum eſt cacochymia, aut ſuperſtite ac relicta à morbo, aut ſuccreſcente in dies à pleniore victu poſt criſim: vt ſcilicet recidiuæ metus tollatur, ipſúmque corpus locum habeat reficiendi ſui, nec damnis augeatur edendo. Cùm autem purgare humorémque qui qualitate in eo corpore peccat, per vias conuenientes excludere conſilium eſt, oportet corpus fluidum ac meabile efficere: excitata natura ad frequentem alui ſubductionem per clyſteres aut iuſcula emollientia, aut ſimilia. fruſtra enim cathartica propinauerit, ſi ſtercus paulò durius in inteſtinis reſtiterit, liberatis obſtructis, oſculíſque venarum adapertis: & præparata materia, vt humor qualiſcunque is fuerit, ſiue blioſus aut alius, qui in vitio eſt, placidè & inoffenſo curſu ad excluſionem feratur, natura expellenti & medicamento trahenti cedendo: eámque purgationem ægri ferant alacriter, & alleuentur. Proinde tribus modis præparandum eſt corpus ad cathartica: aluum ſæpius ſubdendo, oſcula venarum aperiendo, & materiam quæ impedire poteſt, diſſecando ſi lenta ſit, attenuando ſi craſſa, incraſſando ſi paulo tenuior fuerit, vt bilis pallida aut flaua, ſi credamus Auicennæ: quanquam humor quantumuis tenuis ac ſubtilis exiſtat, ſiue bilioſus, ſiue ceroſus, incraſſandus non videtur ad expulſionem, ſed potius deturbandus, aut etiam magis extenuandus ad excretio-*

*nem, ne aliò feratur in perniciem. Hippocrates his tribus modis præparandi corporis, tres alios addit in ſexto Epid. ad vehementium medicamentorum ſumptionem neceſſarios, vnus eſt vt balneo ceu fotu humor vacuandus liquetur: alter, vt cibus ſumatur ad humectationem: tertius, vt in ipſa purgatione corpus moueatur. Veratrum epotum, ſi purgare vis, inquit, lauare, aut cibum ſumere oportet: mouere autem in ipſa purgatione.*

## APHOR. XI.

PAον πληρoῦσθαι ποτοῦ, ἢ σιτίου.

*Potu quàm cibo refici, facilius eſt.*

HÆc ſententia eſt de conualeſcentibus, qui egent reparatione triplicis ſubſtantiæ. Nam per morbum multum ſubſtantiæ ſolidæ detractum eſt, multum humidæ deperditum, & multum ſpirituoſæ. Quòd attinet ad inſtaurationem, ſolidæ partes refici debent alimento ſolidiore: humores, humidis & liquidis: at ſpiritus, ex ſententia Pythagoræ, Platonis, & Hippocratis refocillantur & nutriuntur maximè odoribus. Neque verò ſolùm in conualeſcentibus, verumetiam in ſanis. Vnde refert Diogenes Laërtius, Democritum iam ſeniorem vitam in multos dies prorogaſſe, medullam panis vino optimo & odorato intinctam cùm geſtaſſet, naribus ſępe admouendo. Ergò in conualeſcentibus, ad ſpiritus inſtaurandos naribus, regioni cordis, orificio ventriculi admouebimus quæ ſint odorata. In potu, ſit aliquid odoris: vt detur vinum maluaticum, & alia eiuſmodi. In alimentis, configantur perdices, roſtrulæ caryophyllis, cinamomo, zinzigebere, &c. In hac denique ſententia duo habemus, cibum & potum. Per cibum intelligit alimentum ſolidius, βρῶν Græci

vocant. Per potum verò alimentum omne humidum ſiue liquidum Quidam per potum intelligi volunt vinum. Reuera nihil eſt quod citius reparet vires (hinc eſt quòd vulgus quum vult ſtatim vires reficere, medullam panis optimo vino intinctam exhibet) ſed tamen intelligenda etiam alia liquida alimenta. Et quia tum in ſanis, tum in ægris periculoſa eſt omnis ſubita mutatio, in conualeſcentibus oportet initiũ reſtaurationis fieri per ea alimenta liquida: cuiuſmodi ſunt intrita, colatitia, conſumpta, expreſſa, deſtillata, & gelatina. Poſſumus etiam exhibere carnes: ſed quia intelligimus calorem natiuum eſſe imbecillum redditum à morbo, & ventriculi vires eſſe deiectas, illas ab initio reficere malumus. Quò igitur conualeſcentem ægrum refoueamus, dabimus optimũ vinum giluum, dabimus gelatinam, expreſſa, colata, deſtillata: poſteà carnes caporum aut perdicum contritas & comminutas: deinde paulatim veniemus ad ipſas alas caporũ & perdicum: poſtremò ad cibum ſolidiorem. Verùm quare potus celeriùs reficiat quàm cibus, præter eam rationem quam paulò antè diximus (quòd videlicet calor imbecillior cibo coquendo non ſit ſatis) alia eſt, quia potus (de potu nutriente loquimur hoc loco) facilior eſt diſtributu & aſſimulatu partibus nutriendis, & prætereà naturæ eſt familiarior. Huius rei argumenta ſunt, quia longè maior percipitur voluptas bibendo quàm edendo: prætereà quia ſitis longè grauius toleratur, quàm fames.

## SCHOLIA.

*Qvinta cautio. Vt in reſtaurando ac reficiendo conualeſcente corpore cibi liquidi, potuis quàm ſolidi exhi-*

*beantur : vt vitetur cacochymia ſuccreſcens , effœta aluo, quæ totius corporis neceſsitati ſatisfacere nequit. Eſt enim facilius partes ſolidas alimentis conſiſtentia humidis recreari ac refici, quàm ſolidiore cibo : quòd & celerius concoquantur, facilius diſtribuantur , & melioribus naturæ rebus aſsimilentur, præſertim ſi integra ſit partium ſolidarum facultas. Hunc ergo Aphoriſmum intellige non de ſanis, in quibus partes ſolidæ ſolidiore potius quàm liquidiore cibo replentur : ſed de ægris, qui à declinatione morbi , partibus ſolidis diuturnitate aut vehementia morbi debilitatis , affectant viam ad priſtinum ſtatum. notabis interim hîc πληρῦσθαι pro refici , non pro repleri aut ſatiari vſurpari.*

## *APHOR. XII.*

ΤΑ' ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νόσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

*QVæ à morbis relinquuntur poſt criſim , recidiuos morbos facere conſueuerunt.*

HOc Aphoriſmo cauſam reddit Hippocrates, cur conualeſcentes qui cibum non capiunt , vacuatione egeant:quia (inquit)quæ à morbis relinquuntur, &c. Ad cuius Apho. intelligentiam ſciendum eſt, quid ſit criſis, & quæ ſint ea quæ relinquuntur. Criſis (initio ſtatim de criſ. ) eſt ſubita mutatio morbi ad ſalutem vel ad mortem. Hic agitur de criſi ſalutari : criſis enim ſimpliciter dicta intelligitur ad ſalutem. Deinde dicitur etiam criſis, mutatio morbi in melius aut deterius. Rurſus criſis aliquando eſt perturbatio critica, ταραχὴ κριτικὴ : aliquando eſt excretio critica. Interdum & perturbatio & excretio ſimul. Iam,vt ſciamus quæ in morbis relinquuntur , Gal. in comm. & interpretes ferè

omnes meminerunt vnius rei reliquæ in morbis quæ recidiuam faciat. Aliquando (verbi gratia) eſt imperfecta criſis, tunc relicta eſt materiæ morbi pars, quæ cùm putreſcat (loco præſertim calido, neque ita tranſpirato) & corrumpat alimentum, febrim reducet ſequenti die critico. Dieb. enim criticis fieri ſolent recidiuæ. Gal. in ſextum Epid. ait duo eſſe quæ relinquuntur, vnde fiunt recidiuæ. Vnum eſt, materia illa reliquà quæ putreſcit tempore, & præterea alimentum corrumpit, vnde fit noua materia nouæ febris. Alterum eſt, quòd etiamſi nulla relinquitur materia, tamen à febre relinquitur qualitas quædam ſeu diſpoſitio morboſa in corpore, quæ collectis excrementis recidiuã facit. Quemadmodum ſi ignis è foco ſubducatur, remanet tamen caliditas quædam in foco languida. Ergò quæ relinquuntur: hoc eſt, tum diſpoſitio morboſa, tum materia quæ putreſcit, recidiuas facere conſueuerunt diebus criticis ſequentibus. Sed quomodo intelligemus recidiuam fore, aut non fore die critico ſequẽti? Intelligemus (authore Hipp. 6. Epid.) ex antecedentibus, & ſequentibus. Ex antecedentibus, animaduertemus quanta & qualis præceſſit vacuatio. Vt, ſi facta fuerit criſis per hæmorrhagiam, ſed imperfectè, coniiciemus ſupereſſe materiã quæ recidiuam ſit factura. Præterea ex ſequẽtibus: ſi à criſi manet oris ſiccitas & inſuauitas, ciborum faſtidium, ſitis, indicium eſt recidiuæ futuræ. Si itaque deprehendamus materiam reliquã eſſe, propterea quòd excretio critica (vt per hæmorrhagiam aut abſceſſum) non præceſſit integra, pugnabimus medicamentis purgantibus non ſolùm bilem, ſed etiã melãcholiam: quia, vt antè diximus, in febris declinatione ſolet eſſe aduſtabilis. Sin ſuperſit à febre morbida qua-

litas ſeu diſpoſitio, contra eam pugnabimus refrigerantibus & humectantibus. Poſt criſim igitur, hoc eſt, excretionem criticá, tum relicta materia, tum diſpoſitio morboſa recidiuas facere conſueuerunt: niſi anteuertamus purgatione, vel alteratione. Accidit tamen aliquádo, etiamſi nulla ſubſit materia, nulla morboſa qualitas, vt fiat recidiua ob intemperantem victum ægri, quum ſcilicet plura ſumpſit quàm conficere poſſit. Recidit etiam in morbum ſæpe conualeſcens propter externas iniurias. Verumtamen id præter alia notandum eſt, à criſi perfecta, neque eſſe oris ſiccitatem, aut inſuauitatem & amarorem, neque ſitim, neque ciborum faſtidium. Quòd ſi hæc adſint, criſis imperfecta eſt, timendúmque de recidiua. Adde his ea quæ notantur in Apho. Quæ iudicantur, &c.

## SCHOLIA.

*SExta cautio rationem adferens poſterioris membri Aphoriſmi octaui: Cur qui à morbis conualeſcentes non appetunt cibos, purgatione indigent? Quia ſi non purgentur, rurſus in morbum incidunt: nam ſuperſtes morbi materia, aut empyreuma, quæ à criſi imperfecta & inchoata, aut propter materiæ cõtumaciam, meatuum obſtructionem, aut naturæ infirmitatem, relinquitur, recidiuos morbos facere conſueuerunt primo die critico: ſcilicet ante viceſimum diem, quaternario proximo: ante quadrageſimum diem ſeptenario proximo: ante centeſimum, vicenario proximo. In diuturnioribus etiam morbis quæ relinquitur materia facit recidiuas, ob pepaſmi difficultatem, quæ in materiæ contumacia conſiſtit. Signa autem recidiui morbi ſunt ſitis, oris ſiccitas, inſuauitáſque, ciborum faſtidium, vigiliæ, ſomni turbulenti, laßitudo totius corporis, ſi febris ſine ſignis iudicatoriis, die non critico euaneſcat, ſi vrinæ crudæ remaneant poſt febris diſceſſum: & alia quæ ab Hip. 2. ſectione lib. 6. Epid. deſcribuntur.*

## APHOR. XIII.

ὉΚόσοισι κρίσις γίνεται, τουτέοισιν ἡ νὺξ δύσφορος ἡ πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ· ἡ δὲ ἐπιοῦσα, εὐφορωτέρη ὡς ἐπιτοπολύ.

*QVibus criſis inſtat, iis nox, quæ acceßionem præcedit, grauis eſt: quæ verò ſubſequitur, magna ex parte leuior ſolet exiſtere.*

IN omni criſi quæ fit aut ad ſalutem aut mortem nox præcedens grauis eſt: ſi quidem (vt eſt primo ad Glauconem) futura eſt criſis interdiu. Contrà, ſi futura eſt noctu, dies pręcedens eſt grauis. Quod fit ob perturbationem criticam, quæ nihil aliud eſt quàm naturæ certamen cum morbo. Nam quemadmodum dum pus conficitur, fiunt febres & dolores vehementes: ſic in materia concepta in venis, vbi naturæ magnum eſt certamen cum morbo, fiunt grauia ſymptomata: vt deliria, ſpirandi difficultas, caligo oculorum, æſtus vehemens & ſitis, dolor ſtomachi, lacrymæ inuoluntariæ, & alia quæ cap. ſecundo primi de criſ. & comm. in Aph. 71. lib. quarti, & in comm. in Apho. 12. lib. primi, Acceſſiones & conſtitutiones, &c. referuntur. Ante acceſſionẽ, πρὸ τοῦ παροξυσμοῦ.) Aliquando παροξυσμοὺς intelligere ſolet criſes Hippoc. vt hoc loco. Dicit autẽ ὡς ἐπιτοπολὺ, magna ex parte: quia interdum duos dies, interdum tres integros perſeuerat illa perturbatio critica. Prætereà accidit aliquando vt criſis ſit imperfecta: quod ſæpe experiri licet in his regionibus. Nam in febribus quidem acutiſſimis ſolent eſſe criſes perfectiſſimæ: in febribus verò non ita acutis (quales ſunt plurimum in his regionibus) non per vnam ſubitam mutationem, ſed multis iudicationibus ſolent liberari ægri.

SCHO-

## SCHOLIA.

*QVia Aphoriſmo præcedenti criſeos facta eſt mentio, explicatur ratio præcognoſcendæ criſeos ex proprio ſigno, nimirum moleſtia quæ nocte antecedente criſim ægrum fatigat. Quibuſcunque in febribus criſis eſt in procinctu, certaménque illud naturæ & morbi, vnde repentina fit mutatio ad ſalutem vel ad mortem, ad melius vel ad deterius, eſt in propinquo: nox ea quæ eſt ſuperior eo paroxyſmo in quam criſis incidit, vt debet incidere: (nam quæ paribus diebus accedunt, paribus iudicantur: quæ verò imparibus, imparibus: itaque fit ſemper criſis in paroxyſmo) permoleſta ac difficilis eſſe ſolet, ob ſymptomata perturbationis criticæ, vt delirij, irritationis, cephalalgiæ, marmarigarũ, venarum in temporibus ac collo micantium, vertiginum, oculorum lacrymantium ac rubentium, reſpirationis difficilis, contractionis præcordiorum, ciborum faſtidij, nauſeæ, tremoris labij inferioris, ruboris & inflationis faciei, vigiliarum, ſomni turbulenti, iactationis corporis, palpitationis cordis. Quæ omnia ſymptomata aboriuntur, cum natura humores bonos à malis ſecernit, quod citra multam in corpore tempeſtatem fieri nequit: nam vel vapor inde ſuſcitatur, qui ad varias partes, præſertim cerebrum, fertur, vel humores huc ac illuc mouentur. Hæc autem perturbatio, noctu potius quàm die excitatur: vel, quòd criſes magna ex parte motum lunæ ſequantur, luna autem noctu potius quàm die vires ſuas exerit: vel, quia ſæuitia perturbationis criticæ quæ noctu fit, magis ſentiatur nocte quàm eius criſis quæ die fit, ob vigiliam, quæ ſua inſolentia magis noctem turbat quàm diem: vel, quia obſeruauerit Hipp. plures noctu quàm interdiu criſes contigiſſe. Vel, quia politicè ſit locutus, quia noctu non adſint amici, qui familiari colloquio leuiant moleſtiam morbi, vt de die. Proxima verò nox quæ paroxyſmo criticæ ſuccedit, facilior: quòd in eo*

*certamine, vi naturæ concocta,ſecreta & excreta ſit materia morbifica,non ſemper tamen facilior,ſed magna ex parte: nam ſi non perfecta,ſed tantùm inchoata fuerit criſis,nox ita facilis non eſt.*

## *APHOR. XIIII.*

EN ταῖσι τῆς κοιλίης ῥύσεσιν, αἱ μεταβολαὶ τῶν διαχωρημάτων ὠφελέουσιν, ἢν μὴ ἐς τὰ πονηρὰ μεταβάλλῃ.

*IN profluuiis alui mutationes excrementorum iuuant, niſi in praua commutentur.*

VEntris profluuia de alui profluuiis criticis & à natura factis interpretatur Philotheus: at Gal. de profluuiis in genere. In his mutationes excrementorum, quæ (Galeno interprete) multas humorum ſpecies formáſue vacuant, iuuant: quia illa permiſtione & varietate excrementorum corpus à pluribus humoribus repurgatur. Vt,ſi priùs flaua excreta ſint, vel pallida,deinde excernantur pituitoſa, indicium eſt,corpus à flaua bile & pituita expurgari. Sed videndum,an mutatio fiat in peius. Tunc enim non iuuant illa excrementa varia, imò exitium potiùs quàm ſalutem ſignificant. Vt ſi nigra aut liuentia fuerint, vel colliquationis & putredinis ſigna adſint. De quibus vide ſecundum Progn. Sic Gal. mala excrementa exponit. At Oribazius τὰ πονηρὰ διαχωρήματα intelligit ea quæ vocamus ἐπιγινόμενα, quæ ſunt mala ſymptomata morbis ſuperuenientia. Vt, ſi ab alui profluuio ſequatur dyſenteria, aut ab hac, lienteria, malum.

## *SCHOLIA.*

*QVoniam criſis omnis quæ fit in febribus duplex eſt: vna, per excretionem: altera, per abſceſſum: hic ſigna cer-*

*tiſſima adfert, unde perfecta ac fida criſis dignoſci poſſit: ac prius quæ excretio ceu alui ſolutio ſpontanea laudabilis iudicanda ſit, explicat. Ergo, in ſpontaneis alui profluuiis per criſim commotis, tum particularibus, maximè verò vniuerſalibus, varietates excrementorum licet multiplicem materiam morbificam, ac proinde difficilem arguant, iuuant tamen: inde enim omnium partium ſeſe exonerantium robur ſignificatur, humoríſque qui vacuatur bonitas, ſine putredine pepaſmi experte, aut colliquatione: adde quòd omnis humoris meraci excretio ſymptomatica eſt, ac toto genere præter naturam, niſi ad peiora fiat mutatio. Vt ſi opima albæ, ſuccedat flaua opima: ſi flauæ, ramentoſa: ſi ramentoſæ, caruncula.*

## APHOR. XV.

Ὅκου φάρυγξ νοσέει ἢ φύματα ἐν τῷ σώματι ἐκφύεται. τὰς ἐκκρίσιας σκέπτεσθαι χρή. ἢν γὰρ χολώδεες ἔωσι, τὸ σῶμα ξυννοσέει, ἢν δὲ ὅμοιαι τοῖσιν ὑγιαίνουσι γίγνωνται, ἀσφαλὲς τὸ σῶμα τρέφειν.

*VBi fauces ægrotant, aut puſtularum eruptiones exoriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet. Quippe ſi bilioſa fuerint, corpus vnà ægrotat. Sin ſanorum excrementis ſimilia, tutò corpus alere poteris.*

SEntentia hæc magnam vim habet in inſtituendo victu & purgando, vbi in corpore apparent tubercula, abſceſſus, exanthemata, & tumores pręter naturam, ſiue ſit à iudicatione, ſiue ſine iudicatione. Natura enim quum vitioſos humores, neque per vomitum, neque per vrinas, neque per alui excretionem poteſt vacuare, ad cutim propellit: vbi quum reſtitant propter craſſitiem, fiunt tubercula & abſceſſus. Sæpius verò & fauces afflictantur

defluẽtibus à capite humoribus.Superiore Aphoriſmō docuit Hipp.quo pacto perfecta iudicatio quę per alui fit excretionem,ſit dignoſcenda: nunc qua ratione ea quæ fit per abſceſſum,cognoſci poſſit,monſtrare videtur. Agere, inquam,videtur de tuberculis,abſceſſibus, tumoribus pręter naturam qui à natura fiũt à criſibus. Vbi ergò fauces ægrotant, primùm quidem à iudicatione,deinde etiam ſine iudicatione,&c. φάρυγξ nomen eſt ambiguum apud medicos.Eſt enim aliquando ſpatium oris interioris ad radicem linguæ:interdum ſumitur pro larynge, id eſt, extremitate aſperæ arteriæ quæ tribus conſtat cartilaginibus. Diſtinguũt tamen Grammatici. Siquidem genere fœminino fauces ſignificare aiunt, maſculino verò laryngem. Verùm φάρυγξ nonnumquam etiam ſignificat œſophagum:vt apud Ariſtotelem de Philoxeno, qui gruis φάρυγγα, id eſt, collum ſeu œſophagum optauit. Hoc loco φάρυγξ, eſt ſpatium illud oris interioris ad radicem linguæ,fauces interpretãtur. fiunt autem abſceſſus aliquando in faucibus, aliquando in palato,ſed rarius,ſępius in labris & in parte exteriore ſub auribus. Iam phymata in variis ſignificationibus accipiuntur.Nam phyma in genere,eſt tumor omnis pręter naturam, tranſlato nomine ab iis quæ naſcuntur è terra,φυόμενα vocant.Aliquando eſt inflammatio glandularum in inguinibus:neque verò inflammatio omnis,ſed à ſanguine bilioſo tantùm, quæ celeriter naſcitur,& celeriter ſuppurat. Eſt & quando ſumitur pro ſuppuratione, vt alicubi 6.Epid. Hic ſumamus in genere,pro omni tumore pręter naturam excitato in corpore, pręſertim parte exteriore. Vbi ergò ſunt exulcerationes & tubercula,ſiue à iudicatione ſiue abſque iudicatione naſcantur, vtrum nutrire licet,

an purgare? Cùm natura malum foras expulerit,videtur corpus eſſe ſanum,& tutum eſſe nutrire. At ſi purgamus materiam,reuocamus in corpus. Et Hippoc. in Epid. Quum eſſent, inquit, orta exanthemata Simoni, inſtitutæ vomitiones,quibus tamen lędebatur. Ac Galeno quidem in huiuſmodi exanthematibus, tuberculis, abſceſſibus externis periculoſa videtur purgatio, ſiue per vomitum, ſiue per inferiora reuocemus materiam intrò. Quando igitur in his abſceſſibus externis & aliis tumoribus prętet naturam purgandum eſt? Vbi videmus internum corpus abundare excremētis. Nam tunc non ſolùm purgamus,ſed etiam aliquādo ſanguinem detrahimus in eiuſmodi exanthematibus, & vbi adeſt ſpirandi difficultas. Sed quomodo cognoſcemus corpus eſſe excrementis plenum? Inſpicere excretiones oportet: poſteà de nutritione & vacuatione ſtatues. Per excretiones,& vrinæ & alui excrementa veniūt intelligēda. Hæ excretiones ſi bilioſæ fuerint,corpus vnà ægrotat,& adhuc ſunt intùs praui humores,quos nondum natura ad cutim depoſuit, neq; tutum eſt nutrire, ſed potius purgare oportet. Nam impura corpora,&c. Sunt qui excretiones bilioſas interpretantur non de ſolis bilioſis,ſed de iis etiam quæ referūt vitium alîus materiæ à bile. Hipp. reuera intelligit de bilioſis,quòd eiuſmodi abſceſſus fiant ferè à bile. Si bilioſæ fuerint: addendum,& ſuperfuerint ſigna illa priùs notata,oris ſiccitas & inſuauitas,ſitis,ciborum faſtidium,purgandum eſt. Ponamus Dioni eſſe exulceratas fauces, excitata tubercula, furunculum: tum in ratione nutriendi & purgandi conſiderabimus excretiones. Si hæ ſint bilioſæ, inſpiciemus an vnà adſint illa,ſitis,ciborum faſtidium, &c. Quæ quum aderunt,intelligemus nondum eſſe nu-

triendum,ſed potiùs purgãdum, quia corpus habet reliquias materiæ morbi. Sin excretiones ipſæ ſanis ſimiles fuerint,totum corpus excrementis & vitioſis humoribus vacuum iudicatur:tutumq́; eſt nutrire. Nutrimus autem duobus modis, vt conſeruemus vires, vt vires augeamus. Si itaque Dioni propoſitó videamus eſſe excretiones bilioſas, annon nutriemus? imò ſanè,vt vires conſeruemus. Quòd ſi ſint ſanis ſimiles, nutriemus ad vires augendas. Rurſus vrinæ in eodem Dione ſint admodum bilioſæ : inſtituámne ob id purgationem? Diſtinguendum, an ita tinctæ ſint ob vitium corporis, an quia natura criticè vacuat vitioſam materiam. Nam ſæpe contingit vt etiamſi morbus iudicatus ſit ſalutariter, vrinæ tamen ſint admodum croceæ, vel etiam nigræ. Si ſint bilioſæ ob corporis vitium, purgandum : ſin quia natura criticè corpus expurgat, ſinendum eſt, neque quicquam mouendum.

SCHOLIA.

*PRofert iudicia perfectæ criſeos per abſceſſum. Cum fauces ægrotant inflammationibus aut tumoribus in illis obortis: aut parotidibus ad aureis: aut tuberculis, exanthematibus, furunculis,vlceribus totum corpus eſt obſitum, poſt criſim (aut etiam quouis alio morbi vel ſanitatis tempore) quod contigiſſe legimus Simoni ſect. 2.lib. 6.Epid. vrinæ aut deiectiones inſpiciendæ. Nam ſi bilioſæ fuerint, interna viſcera ægrotant, ob id purgandi : ſin autem ſanarum excretionum ſpeciem præ ſe ferunt in ſubſtantia qualitate & excernendi modo, corpus alere tutum eſt, non autem purgare. Poteſt autem hic Aphoriſmus & ad aliud excrementum, & ad alios morbos quàm bilioſos, forte etiam ad raucedinẽ transferri. ſimilium enim eadem ratio.*

## APHOR. XVI.

*OΚου λιμὸς, οὐ δεῖ πονέειν.*

*Vbi fames, minimè laborare oportet.*

GAl. in comm. duplicem famem cõſtituit. Eſt enim fames popularis, ſeu extrema eſuritio, quæ propter frugum & ciborum penuriam accidit. Eſt & fames cibi defectus, ſeu inedia, quæ conſilio ac voluntate aut iuſſu ſuſcipitur. Hoc in ſignificatu accipitur hoc loco. Corn. Celſ. Aphor. hunc ita vertit, Si quibus de cauſis inedia futura eſt, labor vitandus eſt: non ſatis tamen vertit. Sic eſſet dicendum, Si quibus de cauſis inedia futura eſt, vel anteceſſit, &c. Labor autem hîc intelligitur pro exercitatione, ſeu motu vehementi corporis: adde & animi. Qui motus tum animi, tum corporis eſt infeſtiſſimus inedia laborãtibus: hoc ergo motu vtroq; eos prohibebimus, qui ab eodem motu cibum non ſunt ſumpturi, ſed inedia potiùs vſuri: aut in quibus præceſſit fames. Cùm enim vt fames, ita & motus eiuſmodi tum exiccet, tum vires reſoluat, ſi eum adhibebimus, nocebit. Eſt autem hic Aphor. & ad ægros & ad ſanos referendus: ita vt neque ſanis neque ægris ſimul inedia & exercitationibus vti liceat.

## SCHOLIA.

*SEptima cautio reſtaurandi corporis conualeſcentium: conualeſcentibus non labor, ſed quies omnis generis concedenda: quemadmodum enim per ſanitatem in inedia non eſt laborandum, ne vires ab exhauſto per inediam laborantes, accedente*

*labore labefactentur: ſic ægris cum certis de cauſis, inedia futura eſt, vel anteceßit, nunquam purgandum, aut, ſanguis vena inciſa mittendus: aut vomendum: aut ſudor prouocandus: aut deambulationibus, aut frictionibus vehementioribus incumbendum: ſed omnino quieſcendum, potißimum in declinatione morbi: ſecus in morborum acutorum principiis, in quibus licet fames victúſque tenuißimus imperetur, tamen venæ ſectio ac purgatio ſunt ex vſu.*

## APHOR. XVII.

ΟΚου ἂν τροφὴ παρὰ φύσιν πλείων εἰσέλθῃ, τοῦτο νοῦσον ποιέει, δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ἴησις.

*VBi præter naturam copioſior cibus ingeſtus eſt, morbum inde creari indicat ſanatio.*

APhoriſmi huius ſenſus eſt. Siquis in corpus cibum ingerat, plus quàm naturæ modo cõueniat, faciet morbum: hoc eſt, gignet plenitudinem modò ad vaſa, modò ad vires. Hic de plenitudine ad vires intelligitur. Verùm illud, plus cibi, variè exponitur, & de quantitate, & de qualitate, & de vtraque. Si itaque ingerat quis cibum, qui naturam ſuperet, vel quantitate, vel qualitate, vel vtraque, gignetur plethora ad vires. Eiuſmodi copia collecta pręter naturam neceſſariò putreſcet celeriter, ſi ſuccedat febris: paulatim ac tardius, ſi non ſuccedat: morbum igitur faciet. Morbum autem factum eſſe ex eo quòd plus cibi pręter naturam ſit ingeſtum, oſtendit ſanatio, quæ ſequitur ad euacuationem. Hoc teſtimonium ab euentu vocat Gal. Qui quidem euentus, eſt non fortunæ filius (quo vtũtur empirici) ſed qui cõſilium & rationẽ ſequitur. Curatio ergò hęc eſt. Spectabimus in quo ſit vitium. Si ſit in quantitate, ſanguinem detrahemus: ſin minus, ſcarificabimus.

Quòd ſi hæc prætermittamus, imperabimus exercitia, balnea, frictiones, inediam. Si in qualitate, purgabimus. Si & in quantitate & qualitate, primùm vacuabimus phlebotomia, deinde purgationem adhibebimus.

## SCHOLIA.

*SExa autem cautio: conualeſcentibus vt laborandum non eſt, ſic neque nimiis cibis corpus replendum. Nam quemadmodum nimia ſatietas ſanitati officit: ſic, ſi plenior ſuprà naturam in morbo cibus capiatur, quo ſcilicet vires opprimantur, non confirmentur: quod accidit iis qui à morbo cibos auidè appetunt, genióque indulgent, & tamen nihil proficiunt: cibus hic morbum facit, in aluo ſcilicet oppreſſionem, ſpirandi difficultatem, dyſenteriam quoque aut lienteriam, in genere venoſo, obſtructiones & febres, in habitu corporis extenuationem & phymatum genus omne. Quod ita eſſe declarat rei euentus. Etenim eorum morborum, qui à nimia cibi abundantia ſuccreſcũt, curatio vacuatione perficitur: ſiue per vomitum, ſiue per ſeceſſum, aut aliter.*

## APHOR. XVIII.

TΩν τρεφόντων ἀθρόως καὶ ταχέως, ταχεῖαι καὶ αἱ διαχωρήσιες γίγνονται.

*EOrum quæ confertim & celeriter nutriunt, excretiones quoque celeres fiunt.*

Huius Aphor. vſus eſt in ratione victus conualeſcentium, deinde etiam ſanorum. In conualeſcentibus duo ſunt: imbecillitas caloris natiui, & prætereà

defectus atque inopia alimenti. Vtriuſque ratione ſæpe in illis nutrimus, alimentis præſertim humidis & liquidis, quæ vt ſtatim coquuntur & diſtribuuntur, ita facilè exhalant, efficiúntque vt ſæpe ſit nutriendum. Propoſitis duobus alimentis: vno, quod ſit ſpirituoſum, aëreũ, calidum: altero, quod ſubſtãtia ſit duriore & denſiore: illud quidem vt facilè concoquitur, diſtribuitur, aſſimilatur, ita celeriùs diſſipabitur & exhalabit: hoc verò, vt difficiliùs concoquetur & aſſimilabitur, ita aſſimilatum magis nutriet, firmiorémque corpori ſubſtantiam præſtabit: hîc tamen poſito firmo ventriculo, & robuſto calore natiuo. Ob id Hipp. eos aſſerit breuioris eſſe vitæ, qui cibis illis concoctu facilibus, & ob id ſubſtantiam fluxilẽ & facilè exhalabilẽ habentibus, nutriuntur. Cõtrà longioris eſſe vitæ qui vtũtur cibis durioribus ac denſioribus: vt quorum ſubſtantia pertinaciùs hæreat in corpore, neque facilè diſſipetur: cuiuſmodi eſt bubula, limaces, &c. Cũ igitur duplici de cauſa in conualeſcẽtibus nutriamus ſępius, pręſertim alimẽtis quæ celeriter & vniuerſim nutriunt, qualia ſunt ea quæ naturã habent ſimilarem, aëreã, & ſpirituoſam: vniuerſim quidem nutriunt, quæ ſemel à natura euicta breui temporis ſpatio aſſimilantur, & totum de ſe præbent corpori alimentum, vt ſunt carnes ſuillę: ταχέως verò nutriunt, quæ ſtatim alterantur in ventriculo, diſtribuuntur, & aſſimilantur, vt ſunt olera, piſces ſaxatiles, &c. Quæ autem ita nutriunt, celeriter excernuntur. Quæ quidem excretiones non ſolùm de iis intelliguntur quæ per aluum & vrinas fiunt: verùm etiam de iis quæ fiunt per inſenſilem tranſpirationem.

## SCHOLIA.

*Nona cautio reſtaurandi corporis conualeſcentium. Vt conualeſcentes nec labore, nec nimia ciborum plenitudine fatigandi: ſic neque alimentis craßis, viſcidis, ſolidioribus plus æquo concoctu difficilibus, tardámque excretionẽ habentibus reficiendi veniunt: ſed iis quæ ſubſtantia, qualitate, copia, numero, & præparationis modo, celerrimè confici, diſtribui, in ſubſtantiam corporis conuerti, & excrementa ſua facillimè expellere poßint, ne ſua mora paulo diuturniore oppreßionem ac grauitatem in ventriculo, venoſo genere & habitu corporis pariant. Etenim eorum quæ omni ex parte & celeriter nutriunt, vt quæ ſunt vniuſmodi, cõcocta facilia, meabilia, qualis eſt ptiſana, oua, teſtes gallinacei, & vinũ, celeres quoque ſunt excretiones. Nam ctionis, diſtributiõis, & expulſionis id eſt, affluxus, & effluxus, æquabilis ratio eſſe ſolet. Com. ad Aph. 15. primæ ſect. et 7. ſecũdæ. Ita vt facilis nutritionis ſignum ſit, facilis excretio per aluum, vrinas, ſudores, & inſenſilem tranſpirationem: ſi modò omnia ſint paria, cibi nimirum naturæ ſimilis, expertes omnis alienæ qualitatis, ſimilis eorum præparatio, corporum diſpoſitio ſimilis: accedat quoque rerum externarum æqualitas: exempli gratia, ne ſuper aſſumptum cibum hic dormiat, ille verò vigilet. Tales autem cibi licet citißimè vires reſtaurent, non tamen ad robur multũ conducunt, ſed ea quæ ſenſim & tardè concoquuntur, plurimúmque nutriunt, ac tarde ſecedunt. Ita vt inde colligas, ad reſtaurandas vires opus eſſe cibis qui vniuerſim ac celeriter nutriant, non quidem vniuerſim, ita vt qualibet eorum pars in alimentum vertatur, nihílque excrementi ſuperſit, quoniã nihil ſub cœlo inuenias, quod ſit vndique nobis ſimillimum, ſed ſemper ineſt aliqua portio, quæ in excrementum abit: quo autem cibus minus habet excrementi, eo nobis ſimilior exiſtit. Ad augendas verò vires, cibis opus eſt, non celeriter, ſed tardè nutriẽtibus, & tardè ſecedentibus.*

## APHOR. XIX.

Τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης.

*IN acutis morbis non omninò certæ ſunt mortis, aut ſalutis prædictiones.*

Gal. in lib. de natura humana commen. ſecundo οὐ πάμπαν interpretatur μὴ παντελῶς, non omninò, non in totum certæ ſunt prædictiones: hoc eſt, aliquando fallunt, ſed raro. Hippocrates enim multas ſanè prænunciationes firmas eſſe dicit, non tamen omnes. Iam quod ad præſentem ſententiam attinet, acuti morbi duorum ſunt generum. Nam alij naſcuntur ex præcedente aliqua cauſa manifeſta: alij latenter, ſine vlla cauſa manifeſta. Addendum, quoſdam etiam naſci ex latente vitio, accedente prætereà cauſa externa. Exempli gratia, duo ſint qui in hepate aut liene habeant abſceſſum: in altero poſt tres aut quatuor dies naſcitur febris acuta. Hæc non eſt à cauſa manifeſta, dùm nullum anteceſſerit frigus, aut æſtus, &c. In altero priùs excitatur ob frigus vel æſtum. Hæc febris eſt & à latente vitio, & à cauſa externa. Qui itaque morbi acuti ex aliqua cauſa manifeſta ſola contigerunt, rarò præiudicia falſa: qui verò vitium habent latens & internum, ſunt admodum periculoſi, fallúntque medicos. Abſceſſus enim illi interni, cùm viſcera non ſentiunt, ſæpe nullum de ſe ſignum produnt: adeò vt, dum medicus febrim oppugnat, interim abſceſſus latens ſæpe ſuppuret & ſuffocet ægrum. Siquidem in huiuſmodi morbis ſubitæ contingunt mutationes, hu-

morum morbificorum naturam ſequentes: & præterea nonnunquam humor noxius ex aliis in alias partes transfluit; vt ab ignobilibus partibus ad nobiliores, & rurſus à principibus ad ignobiles. Quare non mirum, falli interdum etiam bonos medicos. At in quibus morbis acutis latens eſt abſceſſus, quem tamen cauſa aliqua externa excitauit, ſæpe etiam fallimur. Sic in morbis quoque peſtilentialibus ſæpe fallunt iudicia. Nam in his videtur aliquando morbus dare inducias naturæ: ex vrinis, pulſibus videtur bene habere æger, qui tamen paulo pòſt interit. Cæterùm quòd ex tertio Progn. dicat quidam interpres difficilius eſſe iudicium in morbis diuturnis quàm in acutis, id verùm non eſt. Illic enim non confert morbos acutos cum diuturnis Hippocrates, ſed acutiſſimos cum minùs acutis.

## SCHOLIA.

*Etſi criſis præcognoſci poßit ex perturbatione critica, quæ nocte præcedente criſim, moleſtiam facit: tamen ſubita ac temeraria morborum acutorum prognoſis eſſe non debet, quòd vt plurimum turgeat eorum materia, faciléque qui eos committit humor de parte in partem transferatur. Quamuis autem morborum acutorum, qui celeriter, continenter, & vehementer mouentur, ſiue illi habeant ſymptomaticam febrem, vt peripneumonia & pleuritis: ſiue eſſentialem, vt cauſus, propria ſit criſis, è qua funeſtus aut ſalubris exitus multo faciliùs in his quàm in diuturnis præſagiri poßit: tamen quia non omnes morbi acuti ſunt bene morati, benéque conſtituti, neque in ſpecie, neque in indiuiduo, incerti admodum indicij ad ſalutem aut ad mortem exiſtunt. Hi enim ferè partis aut corporis*

*ſuſcipientis & efficientis cauſæ naturam ſequitur : cuius tanta eſt inconſtantia, vt de morbis qui inde pendent, nihil tutò præſagiri poßit. Nam fit ſæpenumero, vt ex humoris morbifici commigratione ad locum nobiliorem leuis morbus ingraueſcat: ex tranſitu ad ignobilem, ſanetur grauißimus. Sunt & aliæ cauſæ, quæ medici etiã docti ac periti præſagia interturbãt: quales ſunt externæ & fortuitæ: non enim prædictio, futurorum diuinatio eſt, qualem profitentur vates fatidici: ſed præſentis conſtitutionis cognitio, cuius effectum in poſterum prædicimus. Quæ autem externa ſunt, nullam habent in corpore ſuæ generationis cauſam, nec igitur prædictionis. Præterea etiam ſi humor firmus ſit, nec turgeat, exitus non ſemper prædicendus. Nam licet modò quieſcat, mox moueri poteſt: & aliquando, nondum ita cum natura conflixit, vt iudicia victoriæ medicus explorata habere queat. Quo tempore ſuſpendendum iudicium: & vt iuriſperiti ſolent, formula illa vtendum: nondum liquet. Huc accedit, quòd natura quæ format corpus, ea ipſa eſt quæ ſanat: quæ, vt in formando nonnunquam errans monſtra parit: ita & in morborum ſanatione, quæ monſtra ſuperant uniuerſam præſagiendi artem. Obſeruato ergo humorum motu, vbi certus iam & conſtans manifeſta & perſeuerantia ſigna vincentis aut victæ naturæ exhibuerit, exitus certò præſagiri poterit, non ſecus quàm luctæ periti poſt aliquot conflictus agnoſcunt, vter ex luctatoribus victurus ſit. In erratico humorum motu, aut incerta ante pugnam quiete, prædictio tegenda, eſt aut differenda. Hic enim Galenus tutò prædicebat morborum euentum, vbi conſtitiſſet de morbi ſpecie, parte affecta, humorum motu, trium facultatum robore, & dierum numero.*

## APHOR. XX.

Ὁκόσοισι νέοισιν ἐοῦσι, αἱ κοιλίαι ὑγραί εἰσι, τουτέοισιν ἀπογηράσκουσιν ξηραίνονται. ὁκόσοισι δὲ νέοισιν ἐοῦσιν, αἱ κοιλίαι ξηραί εἰσι, τουτέοισι πρεσβυτέροισι γινομένοισι ὑγραίνονται.

*Qvibus adhuc iuuenibus aluus humida eſt, iis ſeneſcentibus ſiccatur. Quibus verò adhuc iuuenibus ſicca eſt aluus, iis ſeneſcentibus humectat, laxáque fit.*

In hac ſententia loquitur tantùm Hippocrates de duabus ætatibus, iuuentute & ſenectute: vt per iuuentutem intelligamus ἀκμάζοντας, ætate florentes. Eſt autem quod hic docet ex eorum numero quæ magna ex parte accidunt, & non ſemper. Quod oſtendit huius lib. Aphoriſm. 53. Quicunque aluos humidas habent, &c. Verùm non ſimpliciter aluos humidas & ſiccas ſumere oportet, ſed in vtraque ætate, ſeruata eadem victus ratione. Porrò vt mutationis huius cauſas (quæ à Gal. in comment. recenſentur) intelligamus, videndum eſt & noſſe oportet cauſas tum naturæ & temperamenti partium, tum etiam ventris liquidioris atque ſiccioris. Itaque (vt ab inſtrumentis nutritoriis incipiamus) primùm accipiamus os ventriculi. Hoc refrigerato plus cibi appetimus & aſſumimus, quàm poſſimus conficere. Quare tunc fit humidior aluus, deſcendítque celeriùs excrementum. Iam ſi in ventriculo omnia habeant ſecundum naturam, ſimilitérque hepar tantum alimenti quanto ſibi

opus eſt attraxerit, fiet etiam facilis aluus. At ſi is ventriculus calidior eſt & ſiccior, ſicciora quoque erũt excrementa. Calor enim efficit, vt & minùs appetamus, & citiùs impleamur: prætereà torret alimenta, ita vt paucum ſuperſit excrementum, atque id quidem ſiccius. Contrà liquidius erit excrementum, ſi ventriculus frigidior ſit & humidior. Humiditas enim vim ventriculi retentricem imbecilliorem reddit: at frigiditas, quòd non concoquat, plura relinquit excrementa. Verùm hoc loco obiiciat aliquis ex Hippocrate in Epid. Refrigeratio excrementa indurat, & aſtringit ea quæ circa ventrem ſunt. Prætereà ex tertio Aphor. Aquiloniæ conſtitutiones aluos duras faciunt. Eſt diſtinguendum. Partes quidem externæ ab aëre frigido refrigeratæ aluos duriores efficiunt: internarum verò refrigeratio facit molliores. Ratio autem quare per flatus aquilonios & aërem frigidum dura excernamus, eſſe poteſt, quia omnes corporis partes condenſantur & conſtringuntur. Sed ratio hæc non ſufficit. Nam ſi propter frigus conſtringatur cutis, plura in corpore coaceruabuntur excrementa, quæ aluos lubricas efficient. Dicendum ergò conſtricta cute per frigora calorem internum fortiorem reddi, qui quantò fortior eſt ac validior, eò melior fit concoctio, & maior diſtributio, vnde ſicca relinquuntur excrementa. Altera ratio eſt, quia per frigora, recti inteſtini extremum ſeu podex aſtringitur: quo fit vt moueantur inteſtina potiùs ſurſum quàm deorſum. Prætereà cùm ſic diutiùs retineantur in aluo excrementa, à robuſto calore exiccantur & indurantur. Quod vbi intelligunt nonnulli, podicem fouent aqua tepida, aut deſidentes eiuſdem aquæ vaporem per anum recipiunt. Hic enim

vapor

vapor & diſſoluit ac humectat ſiccius excrementum,& durius emollit. Veniamus nunc ad inteſtina. Hæc ſi vim retentricem habeant imbecillam, aut etiam expultricem fortem, facilè fluet aluus. Contra, pigra erit, ſi nimium ſint reſiccata vel natura vel euentu aliquo externo. Vt curato alui profluuio medicamentis nimium aſtringentibus, ita ſæpe aſtringuntur & ſiccantur inteſtina, vt æger in duos aut tres dies nequeat excernere. Tunc autem ſolui & laxari debet venter, iure ex decocto (vt vocant) triparum, vel potionibus, alimentis humidis, &c. Hepar prætereà vbi calidius eſt & ſiccius, reſiccat inteſtina, neque hæc ſolùm, ſed & renes, & vterum ob vicinitatem. Reddit, inquam, excrementa duriora, niſi accedat imbecillitas eiuſdem, quæ eſt à frigiditate. Tum enim humida & bilioſa erunt excrementa. Si ergo frigidius ſit hepar, & ob id imbecillius, quia non attrahit, aluũ relinquit humidiorẽ: ſin calidius eſt, maior fit attractio & diſtributio in corpus, & ſiccior fit aluus. Ob quam etiam cauſam in conualeſcentibus ſolet eſſe pigra aluus: quia videlicet hepar & partes morbo exinanitæ plurimùm attrahunt, magnáque fit alimenti in corpus diſtributio. Quinetiam hepar vt copioſiorem pauciorémve bilem gignit, & ad inteſtina tranſmittit, ita aluum duriorem aut molliorem reddit. Nam ſi multa bilis per ecphyſin defluat ad inteſtina, ea aluum proritabit ad excretionem. Contrà, ſi parum defluat bilis, fiet aluus pigrior. Nonnunquam via illa ad inteſtina intercipitur, & tunc per totum corpus ſpargitur bilis, aut in ventriculum regurgitat, & poſteà euomitur. Hi ſolent eſſe aluo duriſſima, feréque poſt duos aut treis dies duriſſima excernere & bilioſa. Deinde ſpectandus etiam corporis habitus. Denſitas

enim cutis excrementa facit mollia: raritas verò dura & ſicca. Atqui videtur iſtud illi repugnare quod paulò antè diximus, frigus videlicet conſtricta cute aluum reddere ſicciorem. Intelligendum à contrariis cauſis ſequi poſſe eundem effectum, ſed diuerſa ratione. Siquidem per frigus (vt diximus) calor intrò compulſus, & validior factus indurat excrementa. Per raritatem verò cutis multa excrementa fuliginoſa, & aliquando ſeroſa (vt ſudores) exhalant & diſſipantur: quæ excrementa ſi remanerent in corpore, ad inteſtina deferrentur, & humidiorem facerent aluum. At quibus denſior cutis eſt, ea retinentur, & ad vias excernendi fugientia deiectionem accelerant: niſi fortior ſit calor natiuus, & conſtrictus podex. Poſtremò habenda quoque eſt ratio alimentorum, & rerum non naturalium. In alimentis, potu præſertim & cibo, ſpectamus tum quãtitatem, tum qualitatem. In quantitate, ſi pauciora fuerint alimẽta, tardior erit aluus: ſin copioſiora, citatior. In qualitate, ſi alimenta ſint acria, aut etiam ſalſa vel nitroſa, ad excretionem irritant. Sin terrena ſint ſubſtantia, & craſſa, dura, auſtera, & plurimùm aſtringente, aluũ aſtringent. De aëre, vide lib. 3. Aphor. At motus multus reſiccat aluum: quies verò humectat. Animi prætereà affectus aluum ſæpe deturbant: vt in metu apparet, & in ira. In hac enim ſæpe ita commota bilis ruit ad inteſtina, vt ſoluatur aluus. Somnus quoque longior excrementa deſiccat, præſertim ſi quis cubet in renes. Item venus aluum reddit duriorem, corpore laxato & rarefacto. His itaque memoratis cauſis ventris durioris aut mollioris, quibus iuuenibus aluus humida eſt, iis ſeneſcentibus ſiccatur. Nam temperamentum oris ventriculi, ventriculi ipſius hepatis frigidius & hu-

midius in iuuentute, commutatur in ſenectute. Siquidē fit adhuc frigidius, ita vt appetētia deficiat, excrementáque deſiccentur inopia cibi. Præterea fit ſiccius, vt vis retentiua ventriculi euadat robuſtior. Multa item bilis quæ ventrem irritabat, in ſenectute fit paucior. Quibus verò iuuenibus ſicca eſt aluus, iis ſeneſcentibus humectatur. Nam temperamentum calidius anteà & ſiccius in ventriculo, hepate, ſeneſcentibus commutatur in contrarium. Vbi robuſta erat retentiua, vbi robur erat ventriculi, fit mutatio ad contraria. Anteà rarior cutis faciebat excrementa dura, iam in ſenectute denſior facit molliora. Sic denique in aliis cauſis eſt diſquirendum.

## SCHOLIA.

*Qvā ſit difficilis corporū ipſorū diſtinctio, ex quorū varietate efficitur morborum acutorum non tutas omnino præſagitiones eſſe interitus aut ſalutis, hoc familiari exemplo licet coniicere. Quibus enim iuuenibus fluxit aluus, non ob diætæ vicium, ſed ob bilis acerrimæ copiam aluum ad excretionem ſtimulantis, & ventriculi, ex ardore nimio, infirmitatem: iiſdem ſeneſcentibus ſiccior fit: quòd bilis miteſcat, eiúſque æſtus deferueſcat: quòd item vetus alui infirmitas ab æſtu iuuenili contracta temperamenti per ætatem mutatione, ſanatur. Quibus verò in adoleſcentia, corporis raritate, hepatis calore, & bilis ad ſuperiora motu fuit aſtricta aluus, in ſenectute ſoluetur corporis denſitate: non aliter quam (vt ait Hippocrates ſection. 6. lib. 6. Epid.) bilioſum corpus ſi perſpiratione careat, melancholicum efficitur: & quod aluum pigram habuit, humidam habere incipit. Eiſdem quoque adoleſcentibus ſoluitur aluus in ſenectute ob hepatis remiſsiorem calorem, deinde ob motum*

*contrarium bilis: vnde fit, vt cauſi in ſenibus fere per dyſenteriã iudicentur, vti olim in iuuenibus per hæmorrhagiam: quod Dioni contigiſſe legimus hiſtoria 3. vniuerſali lib. 1. Epid. ſententia 66. Sunt autem quinque occaſiones, quæ ventrem mutant. Bilis à folliculo ſuo in inteſtina defluens, virtutis retentricis, expultricis, concoctricis, appetentis varietas. Quæ omnes ad ventriculum, hepar, inteſtina referendæ ſunt, vt de aluo humida aut ſicca poßit ferri iudicium. Notandum verò iuuenibus bene conſtitutis, aluum ſemper humidam eſſe: & ſenibus, ſiccam.*

## *APHOR. XXI.*

ΛΙμὸν θώρηξις λύει.

F*Amem vini meracioris potio tollit.*

Breuis hæc ſententia docet curationem morbi, qui dicitur caninus appetitus. Sunt autem antiquæ voces λιμὸς & θώρηξις, quarum ambiguitatem explicat Galen. Nam fames eſt & naturalis, & præter naturam. Interdum Hippocrati eſt popularis quædam calamitas ob deperditas fruges: fames naturalis, nihil eſt aliud quàm ſuctionis ſenſus, quæ ſequitur euacuationem. De qua non agit hoc loco Hippocrates, ſed de ea quæ præter naturam eſt, quæ nullam ſequitur euacuationem, famis autem præter naturam duplicis meminit in comment. Gal. vnius quæ canina dicitur: alterius, quæ βούλιμος ſeu βουλιμία dicitur. Confunduntur tamen aliquando hæc duo, adeò vt nonnulli (vt Gaza) βουλιμίαν ſæpe vertant caninam famem: quanquàm βουλιμία ge-

neralior eſt fame canina. Vt itaque à dictione βούλιμος incipiamus, componitur ἀπὸ τοῦ βοῦ (quod auget) & λιμὸς, fames: ita vt ſecundum Grammaticos βούλιμον ἢ βουλιμίαν vocemus omnem excedentem, & propè inſatiabilem famem. Aliquando Ariſtoteli affectus eſt, qui à vehementi frigore externo accidit, præſertim incedentibus per niues. Nam tunc cutis conſtringitur, calor natiuus intrò compellitur, & prætereà refrigeratur os ventriculi ac ſiccatur. Gal. alicubi in ſimpl. libris, & in comment. dicit eos qui hac bulimia laborant, initio quidem vehementiſſimè appetere, pòſt nihil appetere. Ratio eſt: quia initio mediocris eſt refrigeratio, poſteà vbi ingens eſt refrigeratio & ſiccatio oris ventriculi, concidit appetentia. Vbi ergo calor ille natiuus intrò eſt coactus, ſi nihil reperiat pabuli, ſubſtantiam corporis conſumendo, langueſcit. Aliquando conuertitur ad ventriculum, vbi pituita, ſi qua eſt, abſumpta & minor & imbecillior redditur, fit interdum vt confugiat ad thoracem, quò quum peruenit, efficit ſpirandi difficultatem, & mutos reddit, ita vt mortui videantur: Lingua Gallica ſic affectos vocamus *tranſys*. Bulimos denique fit quum ſtomachus penuria, ob cibi defectum, & imbecillitate ob vehementem refrigerationem infeſtatur, de Sympt. cauſis lib. 4. Gal. lib. de comp. med. κατὰ τόπους bulimia laborantes curari vult calfacientibus & humectantibus. Sed vt rectè procedat curatio, diligenter conſiderandum eſt quantus ſuperſit calor. Nam ſi ſit minimum caloris, & ſtatim luculento igni ægrum admoueas, derepente morietur. Imo nonnulli moriuntur ſæpe nondum igni admoti, ſolutis niuibus, & aëre ſtatim tepidiore facto. Ratio poteſt eſſe: quia calor

exiguus & languidior factus, vbi ſeſe explicat, diſſoluitur & euanescit. Vbi igitur paucus erit calor, paulatim calfacere & nutrire oportet, & paulatim adhibere balnea atque frictiones. Nam ſi ſtatim ſaties, derepente ſuffocabitur calor. Si protinus laues, balneo cute rarefacta, is euocabitur foras & diſſoluetur. Quòd ſi ſatis ſuperſit caloris, audaciùs balneum & frictiones inſtitues, celeriùs calefacies & ſatiabis. Iam verò in ea appetentia quæ canina dicitur, intelligimus aliquādo inanitionem totius corporis, quæ vel immodici caloris vim, vel retentricis imbecillitatem ſequitur. Aliquando intelligimus ὀρέξιν & vehementem famem ob refrigerationem oris ventriculi. Nonnunquam & per caninam appetentiam & per bulimum ſignificamus picam: hoc eſt, prauarum cibi & potus appetētiam qualitatum. Hoc loco canina appetentia propriè eſt accipienda, quæ videlicet fit propter refrigeratum os ventriculi. Sed refrigeratio iſta, vel eſt à ſimplici qualitate frigida, vel cum humore frigido & acido (qualis eſt pituita vel melancholicus ſuccus) imbibito ori ventriculi, qui humor roſionem inducit, ſuctioni ei, à qua appetentia ſecundum naturam fit, proportione reſpondentem. Iam ſpectanda curatio. Si caninus appetitus ſit ab inanitione corporis, tātum abeſt vt vinum ieiunis proſit, vt etiam neruos lædat, & conuulſiones atque deliria inducat. Præſumptis ergo cibis, dabimus his vinum. At iis, qui canino appetitu laborant à ſimplici ventriculi refrigeratione, & ieiunis & pranſis vinum offerre poterimus. Itidem iis quibus cum frigida intemperie humor eſt cōbibitus tunicis ventriculi: ſed inſtituto priùs medicamento aridam pituitam aut melancholiam purgante. Poſteà dentur alimenta pinguia & oleoſa. Nam cum in hoc affectu duo ſint, conſtrictio oris ventricu-

li,& conſequens fames præter naturam: pinguia quod eſt conſtrictum elaxant, prætereà famem citò profligant. Eos autem ſtatim ſatiari vult Gal. quia ingerunt plura quàm oportet, & ingurgitant multa quæ ſtatim reuomunt aut deiiciunt. Huic verò appetentiæ refrenandæ maximè conueniunt pinguia. Deinde vinum dari debet copioſè & largiter, non ſolùm his pinguibus præſumptis, ſed etiam nondum pranſis, vt vult Aëtius. Vinum ſit non auſterum, aut acerbum, ſed abſque aſtrictione tenue & calidum, ϗ κίῤῥον τὴν χρόαν, id eſt, colore fuluum. Hoc enim ob tenuitatem ſtatim penetrabit, & prætereà corriget humorem illum frigidum ſua caliditate. Adhæc vinum ſatiat, vt videre eſt in ebrioſis, qui cùm multum bibant, minimum comedunt. Porrò vt λιμὸς, ita & θώρηξις nomen eſt ambiguum. Nam Grammatici ita ſcriptũ volunt armaturam ſignificare: vbi verò ſcribitur per ι, ϗ ι, meri potionem. Sed ea dictione vtuntur medici pro vini potu, vel ebrietate, vt interpretatur Gal. in exegeſi vocum Hippocratis. Philotheus ἀκρατοποσίαν, id eſt, vini meracioris potionem exponit. Sed etiamſi non addas, meracioris parum refert: quippe cùm ſatis intelligatur in huius affectus curatione. Dicitur autem θώρηξις οἰνοποσία, vini potio, quòd thoracem armare & calefacere videatur. Famem igitur vini potio ſoluit, præcedente tamen purgatione acidi humoris (ſi ita accidit) præſumptis verò pinguibus, aut etiam poſt vinum ſumptis.

## SCHOLIA.

*DEcima cautia reſtaurandorum conualeſcentium. Si qui à morbo defuncti iure ſuo cibis veſcantur, nullâque neceſſitate adducti neſcio quo modo aut negligentia, aut immemores, aut occupati negotiis ſuum genium defraudent,*

*indéque ſame premantur, mero die ſequenti ſunt reficiendi, alioquin in grauiſsima incurrent ſymptomata. Nam vini generoſi, aut etiam meri potio caninam appetentiam, ceu inexplebile cibi capiendi deſiderium, excitato ſolùm ſuctionis ſenſu in ſtomacho ab intemperie frigida ſicca; aut humore acido ſanguinem venarum per tunicas alui ſparſarum cogente, eximit. Nam cum fames canina cauſam habeat intemperiem frigidam & ſiccam: vel concretionem ſanguinis venarum ab acido humore: quicquid eiuſmodi eſt vt ſolida laxet corpora, laxandóque diſſoluat, tum autem fundendo humores extendat, id famis caninæ remedium eſt, vt oleum ſimplex, vel hydraleum, omniſque adeo res opima & pinguis. Sed vini generoſi non auſteri ſaporis, non acerbi vis ſalubritati hominum ſic affectorum eſt accommodatiſsima: quòd id non ſolùm pugnet cum appetentiæ caninæ cauſis, ſed & ipſi naturæ ſtudeat.*

## APHOR. XXII.

Ἀπὸ πλησμονῆς ὁκόσα ἂν νοσήματα γένηται, κένωσις ἰῆται· καὶ ὁκόσα ἀπὸ κενώσιος, πλησμονή. καὶ τῶν ἄλλων ἡ ὑπεναντίωσις.

*QVi à plenitudine fiunt morbi, vacuatione curantur. Et qui ab inanitione proficiſcuntur, ſanantur plenitudine, cæterorúmque contraria ſunt remedia.*

Hæc ſententia eadem eſt cum axiomate medico, Contraria cõtrariorũ remedia. πλησμονὴ propriè eſt ſatietas, cui opponitur fames. Hîc tamen intelligitur de repletione non ſolùm cibi, ſed & humoris: cui opponitur vacuatio. Gal. com. de natura humana (ſiue hic liber ſit Theſſali, ſiue Hippocratis) authorẽ reprehendit quòd cùm poſuiſſet πλησμονὴν, non tamen addiderit contrarium, ſed potius euacuationem. Hic tamen

( vt diximus ) πλησμονὴ etiam intelligitur de repletione humoris. Quare malè vertit Fuchſius, ſatietas. Morbi ergò ex repletione curãtur euacuatione: vt per inediã, clyſterem, balnea, &c. Vide Aphor. Athletarum firmæ conſtitutiones &c. Hîc autem agit Hippo. de morbis, non quidem factis, ſed qui adhuc fiunt: quorum eſt vacuatio.

## *SCHOLIA.*

*RAtio Aphoriſmi præcedentis. Vt enim qui à ſaturitate incidunt morbi, exhauſto curantur, dum ſcilicet illi fiũt, non autem cum ſublata iam cauſa ſuperſtites manent. Ita qui ab exhauſto, refectione ſanantur: atque pari ratione aliorum modicè adhibita contrarietate. nam quicquid rectum eſt, id ſymmetrum eſt, mediúmque & omnis vitioſi exceſſus expers: Cui enim nec demere quicquam, nec adiicere non partem aliquam, non qualitatem poßis, id prorſus rectè ſe habet: Contrà, quod demi ſibi aliquid, aut adiicere ſibi aliquid poſtulat, id ab optimo naturæ ſtatu receßit: ad quem redire aliter non eſt, niſi id quod ſuperuacuum eſt tollatur: & quod deficit, adiungatur: id autem fit æquali contrariorum vſu.*

## *APHOR. XXIII.*

TA ὀξέα τῶν νοσημάτων κρίνεται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι.

*Acuti morbi intra quatuordecim dies iudicantur.*

IAm antè lib. primo diximus, quid eſſet morbus acutus. Diximus & differentias. Ad huius ſententiæ intelligentiam ponamus tantùm duplex genus acutorum morborum, ſimpliciter videlicet acutum, & acutum ἐκ τῆς μεταπτώσεως, ex decidentia vocant. Acutus

morbus ſimpliciter iudicatur 14. diebus: ἐκ μεταπτώσεως verò, dieb 40. Verumtamen cum hæc ſententia intelligatur magna ex parte, acutus ſimpliciter morbus terminari poterit non ſolùm die 14. ſed etiam infra 14. vt 11. vel aliquando (ſed rarius) 17. aut 20. Poſt 20. ad 40. erit morb. acutus ex decidentia, qui etiam poterit iudicari non ſolùm die 40. ſed etiam intra 40. vt 34. Sed quomodo cognoſcemus terminationem ſeu iudicationem morbi fore his diebus? Aduertere oportet ad morbi magnitudinem & celeritatem motus. Qui enim morbus ſtatim vehemens eſt, & celeriter mouetur, primo quaternario, aut ſeptimo die iudicabitur. Qui verò non ita vehemens eſt, neque adeò celeriter mouetur (ſed mouetur vt die quarto aut quinto) iudicabitur die 14. aut circiter.

## SCHOLIA.

*Videtur velut quædam appendix eſſe Aphor. 19. licet in morbis acutis certa prognoſis ſtatui non poßit ſalutis aut mortis: hoc tamen de illis certò licet prædicere, quod intra decimum quartum diem quilibet morbus acutus ſuam criſim habeat, ſiue perfectam ſiue imperfectam: potißimum verò, qui à bile excitatur, regione calida, ætate, & anni tempore calidis, & qui pleno curſu, nec intermiſſo aut impeditu à victu, vel medicamento, vel alia ratione ad iudicium properat. Cuius motus tam celeris ad criſim cauſa non tam ad vehementiam ſymptomatum quàm ad robur naturæ, aut humoris feruorem ac orgaſmum partiſue obſeſſæ dignitatem, videtur referenda. Acutus enim morbus aut ab humore fit calido ac tenui, qui celeriter mouetur: aut principem partem obſidet, quæ diu pati non poteſt. Vt autem non omnes*

*morbi qui intra 14. diem terminantur, ſunt acuti (ephemera enim febris vno die, tertiana, pura diebus quatuordecim terminatur.) Sic neque omnes acuti intra 14. diem iudicantur, ſed vt plurimum: aliquando enim ad 17. & 20. aut eò longius procedunt. Qua de re ſic certa ratio ſtatui poteſt. Acutorum duo ſumma ſunt genera. Alij, qui febrem aſsiduam habent coniunctam, eámque eſſentialem vel ſymptomaticam. Alij qui principem partem obſident, qualis apoplexia, & epilepſia. Priores iudicantur: poſteriores non item. Rurſus, acutorum, qui febrem habent comitem, quatuor ſunt genera. Acuti ſimpliciter, peracuti, extreme peracuti, & acuti ex decidentia. Acuti ſimpliciter ad diem 14. protenduntur. Peracuti ad 5. vel ſeptimum diem, vt febris ardens. Extremè peracuti tertio aut ad ſummum quarto die terminantur, vt febris peſtilens. Acuti ex decidentia 40. vel 60. aut etiam centeſimo vigeſimo, nimirum quarto menſe ſoluuntur: Sic enim Hip. in Epid. dierum criticorum finē ſupremum cōſtituit centeſimū vigeſimum: vt primum, tertium diem. Hic agitur de acutis ſimpliciter, quorum terminus decimuſquartus ſtatuitur: qui terminus non ad dierum numerum & totius morbi hiſtoriam eſt referendus, ſed potius ad acumen morbi, hoc eſt ad tractum illum temporis, in quo morbus celerrimè & vehementer mouetur cum acumine & vehementia ſymptomatum. Hoc enim tempus amplius duabus ſeptimanis durare non poteſt. Nam cum criſis repentina ſit mutatio ad ſalutem vel ad mortem, celeritate & vehementia motus perficitur, qui ex certamine naturæ & morbi ſubſequitur: & quanto vlterius morbi proceſſerint, diuturnioréſque facti fuerint, tantū ſumma perturbatio quæ præcipitē mutationem præcedit, lāgueſcit & remittitur, fatiſcente natura. Hinc fit, vt non ſemper primo die incipiat, ſed interdum exacto primo quaternario, interdū ſecundo, hoc certamē morbi & naturæ eluceat: nā qui morbi primo quaternario blādè mouētur, ad 17. diē perueniunt. Qui verò*

*per duos quaternarios, id eſt vſque ad ſeptimum ſunt mites, deinde à ſeptimo vehementer & acutè moueri incipiunt, vigeſimo ſolent iudicari. Hos Galenus quaſi cohibitos freno morbos, nec laxis habenis ad ſuum terminum properantes appellat. Verùm qui ſtatim ab initio citatiores ſunt & vehementiores, 14. diem non prætergrediuntur. Ita omnes vehementiam celeritatémque finiunt ante duas ſeptimanas. Ponamus exempli gratia, ægrum febre acuta laborantem, quinto die phrenetide corripi, ad 17. peruenire poterit, nec vltrà ſine criſi progredietur, id eſt, ſine magna mutatione ad vitam aut mortem: ad deterius, aut melius. Totidem enim mutationes poſuit Hippoc. 1. Epid. Galenus vero 3. de criſ. ſex mutationum differentias numerat, duas ſubito ad ſalutem aut mortem: duas ſenſim ad vtrunque morbo decreſcente, vel virtute diſſoluta: totidem mixtim, ſubitò facta mutatione in deterius aut melius. Horum omnium cauſa eſt, quia ſtati ratique ſunt naturæ motus, tum in morbis ſuperandis, tum in omni alia actione. Vt fœtu excludendo, & excrementis excernendis, & hi motus nunquam euariant, niſi interturbentur ab aliqua cauſa externa vel interna. Neque enim vterus unguibus irritatus fœtum eiicit, ſed paret legibus ſui conditoris, vt & in ſtata criſi: cuius motionis cauſa non ad elementa, ſed ad formas quaſdam occultas referenda eſt. Proinde in his ſenſibus acquieſcendum ac experientiæ: nunquam enim aliter fieri viſum eſt, vt natura vehementiam certaminis in morbis acutis vltra id tempus 14. dierum ſuſtineret.*

## *APHOR.* XXIIII.

Τῶν ἑπτὰ ἡ τετάρτη ἐπίδηλος· ἑτέρης ἑβδομάδος ἡ ὀγδόη ἀρχή· θεωρητὴ δ' ἡ ἑνδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη καὶ ἑτέρης ἑβδομάδος. θεωρητὴ δὲ πάλιν ἡ ἑπτακαιδεκάτη. αὕτη γάρ ἐστι τετάρτη μὲν ἀπὸ τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης, ἑβδόμη δὲ, ἀπὸ τῆς ἑνδεκάτης.

*QVartus dies ſeptimi eſt index. Octauus ſequentis ſeptimanæ principium exiſtit. Eſt verò & vndecimus ſpectandus. Ipſe enim quartus eſt ſecundæ ſeptimanæ: ſpectandus rurſum decimuſſeptimus: is enim à quartodecimo, quartus eſt: ſeptimus verò ab vndecimo.*

DIes criticos diuidamus in tria genera. Primum genus eorum eſt qui dicuntur ἐπίδηλοι, hoc eſt, indices aut contemplabiles, vel conſiderandi. Secundum eorum, qui propriè appellãtur κρίσιμοι, ſeu κρισιμοὶ Hippocrati. Tertium genus eſt eorum qui dicuntur παρεμπιπτόμενοι, hoc eſt, intercidentes, ſiue intermedij. Hoc loco Hippo. meminit tantùm duorum primorum, lib. huius operis quarto etiã intercidentium. Differunt autem hi virtute inter ſe. Nam diebus indicibus indicat & ſignificat natura, quid ſit futurum die critico ſequenti. Dieb. criticis fit certamen naturæ & morbi, vnde mutatio ſubita ad ſalutem vel mortem, ad melius vel deterius. Dieb. intermediis aliquando abſoluitur quod fuit incœptum die critico. Cæterùm indices dies ſunt, vt quaternarij: critici verò ſeptenarij. Horum non perſeuerat ſemper vis. Nam poſt vigeſimum diem elangueſcit peritque vis quaternariorum: poſt 40. verò, ſeptenariorum. Sunt tamen (diuiſa vſq; ad vigeſimum vnaquaq; ſeptimana in duos quaternarios, ita vt idem dies quartus ſit finis pręcedentis quaternarij, & initium ſequentis) quaternarij tres, quartus, 11. 17. At ſeptenarij ſunt ſex, ſeptimus, 14. 20. 27. 34. 40. Inter hos incidunt tertius, 5. 9. &c. aliquando ſextus, ſed malè ſemper indicat. Quartus itaque dies index eſt ſeptimi, vndecimus 14. decimuſſeptimus 20. Notandum tamen eſt, maiorem ſemper vim ineſſe primis quaternariis in in-

terminus, per ea quæ explicata ſunt Apho.12.lib.1.multò vero certius per dies indices. Proinde hic agitur de ſeptimanis quæ per quaternarios digeſtæ ſunt: item de diebus indicibus & contemplatoriis, qui in febribus tum continuis tum intermittentibus obſeruandi veniunt. Ergo ſeptenorum dierum in febribus continuis: & periodorum in intermittentibus, quarta dies, aut quartus paroxyſmus. ſignificat ad criſis apparentia in propriis excrementis. Alterius ſeptimanæ octauus dies, vel octaua periodus principium exiſtit ſecundæ ſeptimanæ: duóque illi ſeptenarij ſunt ſeparati à ſeinuicem: obſeruabilis item eſt & ipſa vndecima dies, seu vndecima periodus, ſi ad hiſtoriam morbi referatur, non autem ad ſymptomatum acceſsionem: eſt enim dies illa vndecima, aut periodus vndecima ſecundæ ſeptimanæ, quarta. Rurſum obſeruabilis eſt decimaſeptima dies aut periodus index futuri viceſimi. Eſt enim quarta à decimo quarto, ſeptima vero ab vndecimo: vt diuerſa ratione & indicandi & iudicandi vim poßit obtinere: indicandi ſi referatur ad viceſimum, iudicandi ſi ad vndecimum. Id autem vt clarius intelligas ſic habeto. Morborum, alij diebus: alij, menſibus: alij totis annis iudicantur. Acuti omnes, diebus: longi vero menſibus aut annis. Ex acutis, alij paucioribus: alij pluribus diebus, pro celeri aut tardo eorum motu. Extremè peracuti, intra quartum diem: peracuti intra ſeptimum. Acuti exactè, intra 14. Acuti ex decidentia intra quadrageſimum, aliquando etiam intra centeſimum vigeſimum: ſed illi quum ſuperant 40. dum nomen acutorum amittunt, & longis annumerãtur. Suus nimirum cuique morbo acuto ſtatus ac ratus eſt dierum terminus, intra quem ſuos motus celeres ac vehementes obeunt. Hoc interea temporis tractu dum mouentur, & ad ſuum terminum properant, inſignes mutationes ſubeunt ob certamen quod natura cum illis inſtituit. Inſignes autem illæ mutatio-

*nes non quibuſcunque ſed certis ac ſtatis etiam diebus elucent. Qui dies, triplices ſunt. Alij, indices nominantur, in quibus natura certamen incipit. Alij, critici, in quibus velut conſertis manibus natura pugnat. Alij, pro victoria, aduerſus morbum intercidentes, ceu intercalares ac medij, in quibus abſoluitur aliquando certamen quod fuit incœptum die critico. Dies indices, quid ſit futurum diebus criticis prænunciant, quia in illis iam apparent argumenta concoctionis bona aut mala: tales autem omnes ſunt quaternarii, vſque ad diem viceſimum. Poſt diem viceſimum, ſeptenarii ad quadrageſimum. Poſt quadrageſimum, vicenarij ad centeſimum vigeſimum. Dies autem critici, ad quadrageſimum vſque diem ſunt omnes ſeptenarij, quod natura ſuos motus inſignes ſemper, per ſeptenarios obeat, ſiue dies illi fuerint, ſiue menſes, ſiue anni. Sic enim quidam morbi ſeptimo menſe finiuntur: Temperatura corporis ſingulis ſeptennis variat. Dies intercidentes ſunt quibus & ſua vis ineſt ad iudicandum, vt tertius, quintus, nonus, non tamen tam potens quàm quæ diebus criticis: quemadmodum & diebus indicibus ſua quoque vis ineſt iudicandi, non tamen tam potens quàm indicandi. Quarta his addi poteſt differentia dierum, in quibus vt plurimum mala criſis euenit. Hi fere à quarto pares ſunt, vt 6.8.10.12.16.18. Eorum verò peßimus eſt ſextus, qui, quòd eo plures pereant, tyranni nomen meruit. Rationem horum omnium dierum & iudicantium, & indicantium, & intercidentiũ Galenus à motu lunæ repetit: quam tamẽ ab occulta nobiſque incognita, & Hippocratis experimento tantùm comprobata cauſa præſtat repetere. Si enim ad motum lunæ vim iſtorum dierum referas, oporteret, morbos acutos vnà cum luna incipere, aut eius etiam quadris: niſi ſingulis momentis nouas velis lunationes initiari, ac ſingulis eandem vim attribuere: oporteret quoque exacerbationes ac paroxyſmos, in quos neceſſariò incidit criſis motum lunæ ſequi: quos tamen non aſtra reſpicere*

*cere, ſed humorum conditionem ſequi certum eſt. Sed de his alias.*

## APHOR. XXV.

ΟΙ θερινοὶ τεταρταῖοι, τὰ πολλὰ γίνονται βραχέες. οἱ δὲ φθινοπωρινοὶ μακροὶ, καὶ μάλιστα οἱ πρὸς τὸν χειμῶνα συνάπτοντες.

*Æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues ſunt, autumnales verò longæ, præſertim quæ ad hyemem vſque perueniunt.*

FEbris quartanæ multiplex eſt generatio: aliquando enim generatur æſtate, propterea quòd hyeme pręcedente aut vere collectus eſt craſſus quidam humor viſcidus & frigidus, vt in pueris præſertim, quòd intēpeſtiuè & exerceantur & comedant. Indicio ſunt, dolor ventriculi, & pituitoſa quæ vomunt. Interdum generatur quartana æſtate in iuuenibus & viris, non ſolùm ab humore craſſo ac frigido per hyemē collecto, ſed etiam ratione vitæ intemperantis, & qualitatis alimentorum, non autem ratione ætatis aut temporis. Cùm enim æſtate imbecillus ſit calor natiuus, multa ingurgitant, quæ cruda in corpore relicta febrem gignunt. Plerunque verò fit quartana à melancholia, maximè declinante ætate & autumno. Ætatis autem declinantis certus præſcribi modus non poteſt: quippe cùm aliis ætas declinet celeriùs, vt anno 30. aliis tardius, vt 40. & 50. Verùm eiuſmodi febres ferè accidunt autumno, & ab anno ætatis 40. ad 50. Æſtiuæ igitur quartanæ, hoc eſt, quæ primùm æſtate naſcuntur, non ratione temporis, ſed ratione vitæ intemperantis, & qualitatis alimentorum, breues ſunt. Nam omnis materia febris quartanæ craſſa eſt & frigida: at calor ex-

ternus calfacit, tenuat, fundit, & è profundo corpore materiam illam trahit in ſuperficiem corporis quæ laxa eſt. Magna verò ex parte dicit: quia aliquando, niſi adhibeantur iuſta remedia (vt phlebotomia interdum Oribaſio) & conueniens vitæ ratio præſertim, protrahuntur in longum tempus, vel ad hyemem, idque maximè ſi cauſa vehementior ſit, & humor copioſior ac craſſior. At autumnales ſunt longæ, tum quia humor iam craſſior & frigidior factus eſt per autumnum, tum quia qui per æſtatem mouebantur humores ad corporis ſuperficiem, nunc ad centrum mouentur. Hæ tamen nonnunquam hyemem attingunt. Nonnunquam ab aliquo vitio internæ partis, vt lienis aut hepatis natæ tertio menſe ſoluuntur, orta aliqua inſigni vacuatione, vt per hæmorrhoidas, aut vrinas nigras. Quibuſdam finiuntur ſexto menſe, caloribus incipientibus. Aliis nono menſe; vt Iunio, quo ceraſia ſunt matura. Vnde vulgo perſuaſum eſt, ea ſanare quartanas, in eámque rem ceraſia deſtillant. Sed calor ſanationis cauſa eſt, non ille fructus. Aliis hæ febres durant in annum, in duos, in tres. Auicenna affirmat durare nonnullis ad annum 12. Ab his præterea quidam in paralyſin incidunt, quum materia illa frigida & craſſa ad neruos imbecillos ſe confert, eóſque ſtupefacit. Alij incidunt in hydropem, toto ſanguine refrigerato. Hæc autem mutatio dicitur ex metatheſi.

## SCHOLIA.

*Qvemadmodum acuti morbi diebus terminantur: ita & longi, menſibus. Et quemadmodum acuti ad motum lunæ mouentur: ſic & longi, ad motum ſolis: ita vt tem-*

*porum mutationes, annique conſtitutio plurimum faciant ad breuitatem aut longitudinem morborum. Indicio ſunt quartanæ, quæ non erraticæ, non ſymptomaticæ, ſed eſſentiales & primigeniæ, ſi à diætæ aut inſtituti vitio in æſtatem cadant, ſunt breues: quòd cœli beneficio earum materia facilè pepaſmum recipiat, & excernatur facilè, accedátque naturæ irritatio quæ antè deſiderabatur. Non tamen ſemper breues ſunt, ſed maximam partem: quia nonnunquam cœli inclementia vires effœtæ languent: à quibus nec concoqui, nec excerni tam promptè earum materia poßit: adde quòd fieri poteſt, vt pars tenuior ſanguinis ac bilis per vomitum reddita fuerit, ſuperſtite craſſiore. Si vero quartanæ in autumnum inciderint, ſunt longæ: maximè, quæ hyemem attingunt: quòd eo cœli ſtatu è corporibus noſtris nihil omnino exudet, ſitque materia multo contumacior quàm aliis anni tempeſtatibus. Cæterùm apud nos, vbi celerius æſtiuus calor langueſcit, inclinante æſtate nec expectato autumno multæ quartanæ fiunt: & ſi quæ autumno, magna ex parte, eius initiis fiunt. Hyeme verò, cuius principium definitur circiter nonas Nouembris, rariſsimæ ſunt quartanæ. Ac contrà fit, vt autumno & æſtate declinante genitæ ſolſtitio hyberno vel deſinant, vel leuiores fiant. Id apud nos accidit inclinante Decembri. Hippo. in Coacis ſcripſit quartanas mutari in acutos morbos, quod raro fit: frequenter vero in quartanam duplicem & triplicem tranſeunt. Raro in quintanam.*

## *APHOR. XXVI.*

Πυρετὸν ἐπὶ σπασμῷ βέλτιον γενέσθαι, ἢ σπασμὸν ἐπὶ πυρετῷ.

*Febrem conuulſioni accedere ſatius eſt, quàm conuulſionem febri.*

Conuulſio motus eſt inuoluntarius & præter naturam, in parte quæ voluntariè & arbitrio mouetur. Duas habet cauſas, repletionem, & inanitionem. A repletione eſt, quando totum neruoſum genus, aut principium, & pars neruorum, aut pars principij imbibuntur humore aliquo craſſo & frigido, qualis eſt pituita. Hic humor aliquando concreſcit & congelatur, fitque in membris tenſis & rigentibus ὀρθόκυλον, in inflexis verò & quæ contendi non poſſunt, ἀγκύλη apud Chirurgos. Conuulſio præterea fit à qualitate materiæ quæ mordeat acrimonia, vt eſt ſanies acris in punctura nerui: fit aliquando à frigore externo, detecto neruo. Quæ duo ſunt etiam includenda in repletione. At quando fit ab inanitione aut ſiccitate (vt in ardentiſſimis febribus) reſiccantur omnes nerui corporis: eáque eſt incurabilis, aut curatu admodum difficilis. Vbi itaque conuulſioni ex repletione à pituita craſſa, viſcida, & frigida, imò omni affectioni ab eadem materia ſuperuenit febris, melius eſt quàm ſi conuulſio febri ſuperueniat. Febris enim frigidam illam materiam calfacit, tenuat, & diſcutit. Sed quæritur, an excitanda in conuulſione ſit febris, necne? Excitata aliquando interficit, aliquando parum iuuat. Si grauior & vehementior moueatur febris, diſſoluentur vires ægri. Si leuior & languidior, parum iuuabit. Vt in Numeni filio (in Epid.) excitata eſt febris, quum apoplexia laboraret: interiit tamen ille, quia febris leuior eſſet & languidior: vt quæ non potuerit materiam craſſam & frigidam incidere, attenuare, & excalfacere. At oportet proportionem eſſe agentis & patientis. Quòd ſi ſua ſponte fiat febris, magis iuuabit. Meliùs autem dicit, quia

ea febris non ſemper iuuat: contrà verò, peius eſt conuulſionem febri ſuperuenire. Magnam enim indicat ſiccitatem neruorum, & eorumdem natiuam humiditatem eſſe conſumptam. Quod malum ferè eſt inſanabile, ſolétque ſuccedere febribus ardentibus.

## SCHOLIA.

*Calor quicunque fuerit, ſiue externus, ſiue internus, ſiue naturalis, ſiue præter naturam, curat morbos. argumento eſt febrilis calor, qui morbos frigidos, & qui ab humoribus frigidis pendent, curat. Etenim febris conuulſioni ſuperueniens eam ſoluit: eam nimirum quæ à repletione eſt, modò nulla excuſatio vel ætatis, vel inſtrumentorum conuulſorum, vel temporis morbi poßit adferri: quia calor febrilis coquit ac diſcutit materiam craſſam conuulſionem committentem, frigidámque intemperiem, quæ pituitoſi humoris effectus eſt & cauſa, ad calidiorem permutat. Conuulſio autem ſuperueniens febri, mala eſt & periculoſa, ſi modò ea ab exhauſto fiat, ceu conſumptione humidi primigenij neruorum: quod cum non poßit reparari, magis ac magis nerui exſiccantur adueniente febre. Non tamen quibuſcunque febris conuulſionem ſoluit, ſed moderata tantum, id eſt, nec ita debilis vt nihil vel parum efficiat: nec ita vehemens & maligna, vt vires exſoluat. Ob id ſcriptum eſt ab Hippo. Aphor. 70. lib. 5. qui quartana corripiuntur non admodum conuulſionibus tentari: ſi verò prius tentati fuerint, ſuperueniente quartana, liberari. Conuulſio quoque ſuperueniens febri non ſemper periculoſa, ſed ſalutaris, ſi modo ea in motu ſit, non diu perſeueret, nam à ſtabili cauſa oriatur, initio febris accidat per repletionem, non inanitionem, tranſlata nimirum materia à venoſo genere in habitum corporis per concuſſionem & violentam motionem,*

*quam conuulſio intulit: qua occaſione mittere ſanguinem erit optimum: interdum etiam concalfacta, tenuata, inciſáque materia, & transmiſſa ad genus neruoſum. Sic enim Hippoc. in Coacis lib. 4. Com. 4. conuulſio in febre mota, ſedat febre eadem die, aut poſtera, aut tertia: & libro de locis in homine. A conuulſione ſi febris inuaſerit, ſedatur eadem die, aut ſequenti, aut omnino tertia. De conuulſionis natura & cauſis, poſteà fuſius ſub initium lib. 5.*

## *APHOR. XXVII.*

Τοῖσι μὴ κατὰ λόγον κουφίζουσι, οὐ δεῖ πιστεύειν, οὐδὲ φοβεῖσθαι λίην τὰ μοχθηρὰ γινόμενα παραλόγως. τὰ γὰρ πολλὰ τῶν τοιούτων ἐστὶν ἀβέβαια, καὶ οὐ πάνυ τι διαμένειν οὐδὲ χρονίζειν εἴωθεν.

*Non, ſi quid in morbis fiat præter rationem leuius, fidere oportet: nec turbari, ſiquid temerè grauius acciderit. Iſtiuſmodi enim multa ſunt incerta, nec durare diu aut perſiſtere ſolent.*

Hic Aphor. eſt de accidentibus in morbis, non de ſignis. quòd autem hîc dicit μὴ κατὰ λόγον, non ex ratione, Hippo. exponit in Prorrhet. ἀσήμως καὶ ἀκρίτως. nunquam enim fit mutatio ſubita in morbis, quin præcedant ſigna quædam eiuſmodi mutationis, aut ſolutionis. Quod igitur hîc dicit vniuerſaliter, in prorrh. tradit particulariter. Non eſt itaque (inquit Hippoc.) fidendum iis quæ præter rationem leuant: hoc eſt, quæ idipſum efficiunt citra aliquã vel ſponte vel arte factam euacuationem, aut nullis coctionis ſignis præcedentibus. Quæcunque enim ſic ſine ratione leuant, recidiuam minantur. Proponatur (verbi gratia) æger. Hic primo, ſecundo & tertio die valde febricitat: at quarto ſtatim leuiùs habet, hoc eſt, melius appetit, me-

lius dormit, quàm anteà. Animaduertere oportet an id fiat cum ratione, an ſine ratione. Si nullum præceſſit ſignum coctionis, nulla vacuatio è corpore vnde melius habeat, quia id ſine ratione fit, non eſt credendum. Sic ſi die ſeptimo aut octauo benè habeat æger, cùm tamen nulla præceſſerit vacuatio neque per ſudorem, neque per vrinas, neque per alui excretionem, aut profluuium ſanguinis, nullum item ſignum coctionis die quarto, fidendum non eſt. Aliquis prætereà fuit curatus à morſu canis rabidi, bene habet per 2. aut 3. menſes, poſt incipit aquam metuere, & pati ea ſymptomata quæ à cane rabido demorſis accidunt, vt tandem moriatur. Hic profectò leuiùs quidem habebat, ſed ſine ſignis & ſine ratione; quare recidiuam paſſus eſt. Idem ſæpe accidit febre peſtilenti laborantibus. hi enim aliquando bene habét tres, quatuor horas, etiam duos dies, quum derepente moriuntur. Id fiebat ſine ratione & ſignis: latebátque vis virus & veneni in corpore, quæ vis vbi ſtatim emicuit, ægrum ſuffocauit. Quemadmodum non eſt temerè confidendum iis quæ præter rationem leuant: ſic non ſunt temerè formidanda mala quæ preter rationem accidunt. Hoc verò maximè locum habet in perturbatione critica. In hoc ægro (verbi gratia) apparuerút die quarto ſigna coctionis, & ſalutaria omnia, bene habet quinto die & ſexto a ſeptima incipit delirare, difficulter ſpirare, vehementius febricitat, magno rigore corripitur, terreri non debes neque timere. Ea enim fiunt preter rationem, cùm preceſſerint ſigna coctionis: ac tunc potiùs predices ſalutem quàm mortem, quia ab illis vehementibus ſymptomatis ferè ſequitur criſis.

## SCHOLIA.

*Qualis adhibenda fides ſignis, quæ in diebus contemplatoriis apparere ſolent, & quæ criſes antecedunt. Quæ haud conuenienter leuant ſine cauſis criticis, nec vlla criſi conſentanea, neque iuſta in ſpecie, materia & ſubiecto: iis nullomodo acquieſcendum: quòd fractæ naturæ, & effœti caloris natiui ſignificatio fiat: quibus ex cauſis efficitur, vt morbi & naturæ nullus fiat congreſſus. Neque admodum verenda ſunt quæ præter rationem apparent, cuiuſmodi ſunt ſymptomata perturbationis criticæ, & ſigna futuræ criſeos, quæ vulgò ſiniſtri iudicij metum adferunt: medicos verò doctos ſpe conſolantur: qualia ſunt delirium, diſtenſio hypochondriorum, lacrymarum profuſio. Horum enim plurima ſunt fugacia, cauſámque non habent ſtabilem. Idem propemodum Hippoc. in Coacis. 2. Quæ in ſignis prauis leuius habent, quique in bonis non agunt melius, difficili morbo laborant. Hinc ergo collige non ſemper ſignis coctionis fidendum, niſi ea quæ exeunt verè cocta ſint, & ab eo humore ſecreta qui morbum committit, & niſi gradatim, ordine & ſine intermiſsione talia appareant. Etenim in materia inæquali, aut vitio partium cocta, coctionem tantùm oſtendunt in his, ex quibus ſecreta ſunt. Proinde damnantur ab Hippo. in prognoſt. vrinæ, quæ repente & parum coctæ ſunt: quæ item interciſæ: in Epid. quæ ex pernicioſiſsimis ſubitò in meliores ſunt mutatæ. Natura enim particulatim qualitates introducit, neque quicquam repentinum vel patitur vel molitur: per media namque fit motus ad extrema. Et natura ipſa, inquit Ariſto. eſt cauſa ordinis omnium. Ergo per gradus agit, certis temporibus mouet, diebus criticis quod coctum eſt aut profert, aut excernit. Huius ordinis mutatio, materiæ vim malignam oſtendit, cui dominari natura non poteſt: aut errorem aliquem ægri vel medici: aut partis mortificationem. Tum*

*igitur omnia leuiora fiunt, vt cum in ſphaceliſmo dolor & febris remittuntur, calore naturali extincto. Hæc etiam fiunt interdum natura extremos conatus edente: interdum eadem ceſſante, quæ præ infirmitate non agitat materiam, cuius interim vis malefica augeſcit paulatim, ac diſſoluta totáque ſubſtantia naturæ contraria, vel mediocriter habentem necat.*

## *APHOR. XXVIII.*

*Τῶν πυρεσσόντων μὴ παντάπασιν ἐπιπολαίως τὸ διαμένειν, καὶ μηδὲν ἐνδιδόναι τὸ σῶμα, ἢ καὶ συντήκεσθαι μᾶλλον τοῦ κατὰ λόγον, μοχθηρόν. τὸ μὲν γὰρ μῆκος νούσου σημαίνει, τὸ δὲ ἀσθένειαν.*

*Corpus eorum qui non omnino leuiter febricitant, ſibi cõſtare nec minui, aut etiã plus æquo colliquefieri, malum. hoc ſiquidẽ viriũ imbecillitatẽ: illud, morbi diuturnitatẽ ſignificat.*

Duplex huius Aphoriſmi fructus eſt, ad prognoſticon, & therapeuticon. Ad prognoſticon ibi, diuturnitatem morbi aut imbecillitatem ſignificat. Ad therapeuticon, quia vtriuſque cauſa intellecta facilè curabimus, & quibus remediis ſit pugnandum ſciemus. Proponemus ergò duo genera febrium, vt Aphoriſm. facilius intelligamus. Vnum, in quo corpus non emaciatur nec extenuatur: alterum, in quo præter rationem emaciatur & comminuitur. Prima febris non vehemens eſt, ſed leuis, ſoléтque iis accidere qui ocioſè & voluptuoſè viuunt, præſertim autumno. In hac autem non extenuantur ægri, primùm ratione febris quæ leuiſſima eſt: deinde ratione conſtipationis & materiæ crudæ ac craſſæ, atque adeò difficulter reſolubilis. Videndum tamen eſt, an corpus non minuatur, non ratione materiæ crudæ & glutinoſæ ac conſtipationis pororum, ſed potiùs quia ægri nimium nutriũtur: quod ſæpe experiaris his in regionibus. Verùm hoc febris genus non ſolùm generatur autumno, ſed etiam & Maio menſe, initióque æſtatis (quia hyeme

collectus eſt multus humor craſſus & viſcidus) & vere ipſo, eò quòd colliguntur multi humores crudi ventriculo imbecillo duabus de cauſis: tum ob calorem externum & inuſitatum, & tum etiam quia multa ingurgitamus, quibus concoquendis eſt impar. Sed hæ febres ſolent eſſe breuiores quàm autumnales, quia eo tẽpore ferè multũ materiæ reſoluitur. At in autumnalibus copioſior materia per æſtatem (dũ refrigerantib. & humectantibus immodicè & intẽpeſtiuè vtimur) collecta putreſcit, neque tantũ reſoluitur: ob id ſunt lõgiores. Altera porrò febris eſt vehementiſſima, quæ corpus colliquat & comminuit: primùm ratione ſui, deinde etiam quia eſt & tenuitas humorũ, & cutis raritas. Tertiũ gen⁹ febrium eſt mediocre, inter vehementiſſimam videlicet febrim, & leuiſſimã: de quo genere hoc loci agitur. Eorum igitur qui non omninò leuiter febricitant, corpus in eodem ſtatu permanere, & nihil comminui, malum eſt. Nam & ratione febris quæ nihil reſoluit, & ratione materiæ craſſæ ac glutinoſæ, & ratione conſtrictionis pororum indicatur morbi longitudo: niſi (vt diximus) corpus nimium nutriatur. Quare materiæ ipſius cauſſa, mediocriter calefacientibus, incidentibus, & attenuantibus vtemur. Mediocriter dico: ſiquidem ſi valde calfacientibus vteremur, febrem augeremus. Prætereà periculum foret, ne humores intempeſtiuè liquati, atque ad neruos tranſlati paralyſin efficerent: aut apoplexiam, ſi in cerebrum: aut ſi in thoracem, ægrum derepente ſuffocarent. Deinde quia ſunt denſati pori, vtendũ erit laxãtibus: vt igni lucul ẽto, frictionibus mollibus, multis ſtragulis, &c. Porrò malũ eſt etiã corpus prædicta febre (quæ leuicula eſt) affectũ magis quã ratio poſtulat extenuari. Signũ enim eſt imbecillitatis viriũ: præterea interdũ raritatis pororũ, & tenuitatis humorũ. Cæterũ

multis de cauſis extenuatur corpus. Extenuatur enī quia calor eſt lãguidus & imbecillus, vt in iis quæ nó nutriũtur. Extenuatur & ſtatim in ſanis qui ſyncopé patiũtur, quia ſtatim ſpirit⁹ diffluũt: imò aliquãdo ſine ſenſu excernit, proſtrata retẽtrice facultate. Emaciatur prętereà ob magnitudinẽ febris, morbi diuturnitaté, regionem, anni tẽpus. Itẽ ob ætaté, vt in pueris & decrepitis: ſed in illis, quia ſunt calidi humidi, & fluxili ſubſtantia, in his propter viriũ imbecillitaté. Contabeſcit etiã corpus & cõminuitur ob ſenſibiles euacuationes: vt profluuium ſanguinis multũ, ſudores plurimos, vrinã copioſam, vomitũ, alui excretionẽ. His accedunt vigiliæ immodicæ, dolores, curæ, inediæ, motus cõplures & vehemẽtes. His autẽ omnibus ſublatis, ſi corpus præter rationẽ collabatur & marceſcat, ſignificatur viriũ imbecillitas, & prætereà alia diſpoſitio quæ (authore Gal.) cauſa eſt extenuationis in febribus: nempe humorũ tenuitas, & cutis raritas. Quapropter vbi ita in febre exigua & leuicula contabeſcet corpus, vires collabẽtes refouebimus multis odoribus tũ naribus admotis, tum etiã in modũ epithematũ applicatis è regione cordis, aut oris ventriculi. Prætereà vtemur alimẽtis nõ quidẽ actu calidis (hęc enī rarefaciũt, & facilè diſſoluũtur) ſed frigidis actu, & quę prçterquã quòd refrigerãt, habeant aliquid lctoris, cuiuſmodi eſt gelatina. Valẽt & hic deſtillata, quibus miſcere poteris ſyrupum de limonibus, & alia eiuſmodi, ſi velis vt ea non tam citò reſoluantur.

## *SCHOLIA.*

*VNde dignoſcenda ſit morbi longitudo & virium imbecillitas in febribus non admodum leuibus, explicatur. Si in febre non admodum leui corpus nihil concidat in mole, colore & charactere: aut etiam plus æqui extenuetur, vt appareat facies illa Hippocratica narium acutarum, oculorum*

*concauorum & collapſorum temporum, calamitoſum id eſt: nam corpus in ſuo ſtatu manere, diuturnũ morbum ſignificat, ob materiæ contumaciam, & meatuum denſitatem: tabeſcere verò plus æquo, imbecillitatem virium: id eſt caloris natiui, quæ eſt mala, vt ſignũ & vt cauſa.*

## APHOR. XXIX.

Ἀρχομένων τῶν νούσων. ἤν τι δοκέῃ κινέειν, κίνει· ἀκμαζουσῶν δὲ, ἡσυχίην ἔχειν βέλτιόν ἐστιν.

*Qvum morbi incipiunt, ſiquid mouendum videtur, moue Quum verò conſiſtunt & vigent, quieſcere melius eſt.*

APhor. hic eſt de occaſione vacuationis & purgationis, in morbis præſertim acutis. Propoſito itaque morbo acuto, primùm intelligere debemus an ſit mouendum: deinde ſi mouendum ſit, id faciendum eſſe initio, quo parte materiæ detracta reliquum poſſit faciliùs concoquere natura. Per principium autem morbi inaudiendum venit vniuerſale & totum illud tempus quo morbus crudus eſt. Per κινεῖν verò intelligit præſertim phlebotomiam & pharmaca. Ponamus ergò morbi initium, hoc eſt, crudum eſſe humorem primis quatuor diebus, videndum eſt an ſit aliquid mouendum, necne. Si humores ſint fixi, & aliqua in parte hæreant nondum concocti, nihil mouendum. Sic, vbi deſperata eſt ſalus. At in morbis à quibus ſperamus ægros conualituros, mouendum initio purgantibus medicamentis, vbi materia turget. Vbi verò videmus eam parte aliqua deſediſſe, adhibenda phlebotomia. Cæterùm Gal. lib. de optima ſect. aſſerit, ſententiam hanc, conſilium habere tranſlatum non ex tempore morbi, ſed ex viribus præ-

ſertim animalibus, quæ ſunt initio robuſtæ. Quòd ſi vitalis & naturalis ſint imbecillæ & debiles, id fit impropriè, per viam videlicet aggrauationis: hoc eſt, quia oppreſſæ ſunt multitudine materiæ. Nam debiles quoque ſunt aliquando vires propriè, quando diſſoluta eſt ſubſtantia, in qua conſiſtit animalis facultas, vitalis, & naturalis. Porò quum morbi conſiſtunt & vigent, quieſcere melius eſt, & abſtinere à venæ ſectione, & medicamentis, tribus de cauſis & rationibus. Prima reddetur Aphor. ſequenti. Secunda eſt, quia in vigore defatigata eſt magna ex parte virtus animalis: licet aliæ duæ, vitalis ſcilicet & naturalis, fortes perſiſtant; ſed non tã fortes quã initio. Aut ſi ſint fortiores, intelligendũ eſt, quia liberiùs agunt, non grauatæ multitudine materiæ. Tertia ratio eſt, quia virtutes naturalis & vitalis in coquendo morbo ſunt occupatæ.

## SCHOLIA.

*Non ſolùm purgandi locus eſt ad cacochymiam ſuperſtitem aut ſuccreſcentem, cum utriuſque diagnoſin ineundam præcepimus ex ſignis antecedentibus, adnatis & conſequentibus: item ex cauſarum & temporum criticorum diſtinctione, tum etiam prouidendi rationem recidiuæ metu aperuimus: ſed etiam purgandi locus eſt in cacochymia primigenij morbi parente, cum ea apparent & fiunt, quæ his traduntur Aphoriſmis. Ergo ineuntibus morbis, eo ſcilicet tempore quo natura morbificis cauſis opprimitur, eſtque humorum cruditas: ſi quid mouendum videtur, ut in orgaſmo uniuerſali aut particulari, in partis nobilis impedimento: in cacochymia alui, ſiue humorum refluxu qui ſurſum aut deorſum viam affectat: in plethora uniuerſali aut particulari: purga aut mitte ſanguinem:*

*nam vt orgaſmus (in quo cunctari periculoſum eſt) reuellatur: impedimentum nobilis partis tollatur: doloris acerbitas leniatur: materiæ nimiæ pepaſmus, & excretio procuretur: corpore facto perſpirabili per venæ ſectionem prima regio corporis expurgetur. Quandò autem vigent morbi, ſymptomatúmque ſumma ſunt omnia, quieſcere præſtat: vbi enim fames, laborandum non eſt, Aphoriſm. 16. lib. 2. Adde quod animalis facultas, quæ vna ex reliquis facultatibus vim & motum medicamentorum regit, in vigore fatiſcit, ob nimium calorem morborum acutorum, qui omnes & cauſſa & ſymptomatibus calidiſſimi ſunt.*

## *APHOR.* XXX.

ΠΕρὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα· περὶ δὲ τὰς ἀκμὰς, ἰσχυρότερα.

*CIrca initia & finem morborum remiſsiora ſunt omnia, in vigore vehementiora.*

HIc Aphor. præcedentis (vt diximus) rationem exponit. Per omnia autem intelligit & morbum, & propria eius ſymptomata: vt ſunt acceſſiones, vigiliæ, dolores, inquietudo, ſitis. Quæ omnia ſunt leuiora & initio morbi, quia nondum natura aggreſſa eſt certamẽ contra morbum: & in declinatione, quia iam victoria eſt naturæ. At in vigore omnia ſunt vehementiſſima, quia vehemens eſt certamen naturę cum morbo. Cæterùm vt ſententia ſuperior de generalibus ac vniuerſalibus morbi temporibus & minimè particularibus eſt accipienda: ita etiam & præſens.

## SCHOLIA.

RAtio Aphor. præcedentis. Si quid mouendum in morbis acutis, mouendum in principio: quieſcendum vero in ſtatu. Quia inchoatu vel affectu iam morbo, cum ſcilicet natura morbificis cauſis opprimitur, potius quàm ſymptomatum vehementia, adéſtque humorum cruditas: vel etiam, editis pepaſmi ſignis, ſublatáque phlegmaſia & inchoata criſi, non autem perfecta, ſymptomatum omnium vis eſt infirmior: ſiquidem ineuntibus morbis nondū irritata eſt natura, nec ſubeſt adhuc conſummata putredo, nec inchoatus pepaſmus: vigentibus verò morbis ſymptomatum ſumma ſunt omnia: irritata natura, conſummata putredine, inchoato pepaſmo: quia dum pus conficitur, maiores fiunt dolòres & febres, quàm pure confecto. Fortaſſe autem Hippocr. omnia cenſuit in ſtatu fieri grauiſſima, quum curatio tota naturæ committitur, vniuerſáque morbi materia reſeruatur in criſim extremam. Tum quippe ratione optima. & criſis ipſa vehementi perturbatione fit, & ſtatus quoque criſim præcedens vehemens exiſtit: quanquam ſi initiis morborum, non parum materiæ morbificæ ſit purgatione & miſsione ſanguinis ſubtractum ante coctionem: & febris & ſymptomata in ſtatu mitiora fieri poſſe credibile eſt.

## APHOR. XXXI.

TῼΩ ἐξ ἀῤῥωστίης εὐσιτέοντι, μηδὲν ἐπιδιδόναι τὸ σῶμα, μοχθηρόν.

SI à morbo bellè comedenti corpus non proficiat, malum.

HÆc ſententia eſt de conualeſcentibus, iámque expoſita eſt 8. Aphoriſm. huius ſectionis. Illic Hippocrates cauſam referebat, quare non corroborarentur conualeſcentes, etiamſi cibum caperent: quia videlicet copioſiore alimento vterentur. Ergò vt colligamus cauſas cur non recorporantur ægri, neque priſtinas vires recipiunt, id fit vel quia alimento copioſiore aut quantitate aut qualitate vtuntur: vel quia nutritoria facultas eſt infirma, neque concoquit: vel quia in ventriculo reliquóque corpore copia eſt malorum humorum qui alimentum quamuis bonum corrumpunt. Partes igitur hunc ſuccum vitioſum non attrahunt, & ſi attrahunt, non nutriuntur. Ἐπιτέοντες autem dicũtur, hoc loco ὀρεγόμενοι, ἢ τροφὴν λαμβάνοντες, hoc eſt, qui bene appetunt, & cibum haud exiguum capiunt.

Porrò non mirum eſt, aliquem bene appetere, & non proficere corpus: ſiquidem fieri poteſt, vt ventriculi orificium ſit incolume & ſanum, ob ídque bene appetat, venæ autẽ interim abundent vitioſis ſuccis, quibus non poſſunt nutriri partes. Quapropter vbi videbimus conualeſcentes non recorporari, neque priſtinas vires recipere (ἐπιδιδόναι enim non ſolùm ad molem corporis, ſed etiam ad eiuſdem vires debet referri) quærenda nobis cauſa. Nam ſi ſit peccatum in quantitate alimenti, nutriemus: ſi in qualitate, mutabimus, & boni ſucci cibos offeremus. Si eſt imbecilla nutritoria facultas, corroborabimus. Si vitium eſt humorum, paulatim vacuabimus, atque temperabimus alimentis euchymis.

*Eadem*

## SCHOLIA.

EAdem propemodum ſententia cum ea quæ Aphoriſmo octauo, de conualeſcentibus reſtaurandis ſcripta eſt. Niſi quod hic quidpiam maius ac deterius videtur, non proficere, quã illic non corroborari: quia non corroborari ad vires infirmas: non proficere, ad vires, carnem, colorem, & characterem, quæ quatuor in morbis deperire ſolent, refertur. Adde quod alterum alterius ſignum, alterum cauſa eſt. Nam quod corpus proficiat, robur potentiæ in cauſa eſt: quod potentia corroboretur, promotio corporis præſens ſignum eſt. Si ergo conualeſcens cibum appetat, ac larga manu ſumat, nec tamen edendo quicquam proficiat, in corporis charactere, colore, carne, actione & motu, malum eſt: idque triplex: duplex quidem quod Aphor. 8. explicatũ eſt: vnum quod conualeſcens, plus cibi ingerat quam poßit conficere, ideoque eius demendam eſſe copiam: alterum, impuritatem ſubeſſe in corpore, ideóque opus eſſe vacuatione: ſimplex verò Aphoriſmo ſequente, quod conualeſcens eò tandem deuenit, vt nihil penitus appetat. Adde & quartum ſi vis, quod excitato ſuctionis ſenſui non ſit analogia ſuctionis, ob vaſorum impuritatem, quam omnes carnes reſpuunt. per Aphoriſm. 23. partic. 4. lib. 6. Epid. Qui calido ventriculo præditi ſunt, frigidas habent carnes, tenuéſque exiſtunt: conſpicuas denique eminentéſque venas obtinent, ac iracundiores fiunt.

## APHOR. XXXII.

ΩΣ τὰ πολλὰ πάντες οἱ φαύλως ἔχοντες, κατ' ἀρχὰς μὲν εὐσιτέοντες καὶ μηδὲν ἐπιδιδόντες, πρὸς τῷ τέλει πάλιν ἀσιτέουσιν. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἀσιτέοντες ἰσχυρῶς, ὕστερον δὲ εὐσιτέοντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι.

*QVi aduerſa valetudine abundè initio comedunt, nec proficiunt, iÿ ferè tandem omnes in cibi faſtidium incidunt: contrà, qui initio inedia vſi, cibum poſtea appetere incipiunt, inualetudine faciliùs liberantur.*

HIc Aph. non ſolùm pertinet ad conualeſcentes è morbo, ſed poteſt etiã de toto morbi decurſu intelligi. Agitur itaque hoc Aphoriſm. de mutatione eius ægri qui initio bene appetebat, in eum qui poſteà non appetit: & rurſus de mutatione eius qui non appetebat, in eum qui iam appetit. Cauſa autem cur ægri per initia appetãt, & nihil interim proficiant, eſt, quia cum oris ventriculi incolumitate & firmitate praui ſunt in venis humores, qui alimentum corrumpunt. Verùm eiuſmodi ægri in fine rurſus neque appetunt neque cibum capiunt, eo quòd humorum vitium quod priùs erat in venis tantùm, iam communicatur ipſi appetendi inſtrumento. Iſtud ſæpe videas accidere in febre quartana, vt quæ materiam habeat craſſiorem & lentiorem: at in febre continua & tertiana, rariùs, quia in his materia calida eſt, & citiùs reſoluitur. Cæterùm in his qui ita bene appetunt, ſiquidem pro conſuetudine edũt & bibunt, morbus erit longior & periculoſior, magíſque recidiuæ obnoxius: quia natura cibo concoquendo occupata non coquit materiam morbi, quæ interim ob cibi dati multitudinem augetur. Contrà, morbus erit breuior & tutior in iis qui inter initia plurimùm à cibo abhorrent, deinde autem bene appetunt & comedunt. Initio enim imbecillum eſt os ventriculi (quòd nos terrere non debet, reliquis ſignis ſalutaribus) & corpus repletũ vitioſis humoribus: verùm per id tempus quo parum cibi aſſumunt, natura morbi materiam quę

ciborum faſtidium adferebat; concoquit & diſſipat; quo fit, vt ſub finem probè appetant & comedant, necnon celeriùs, quàm priores, à morbo liberentur. Quamobrem vbi vides ęgros circa morbi initium cibos auerſari, terreri non debes. Vbi verò inter initia bene appetunt, parum ſunt nutriendi: quippe cum ſit virium & putredo in venis, vnde alimentum corrumperetur, per Aphor. Impura corpora, &c. Dandum itaque alimentum paucum quantitate, & mediocre qualitate. Denique pro ratione febris minuendus eſt victus: at quò cibus erit parcior, eò minùs renocabitur natura à coctione morbi.

## SCHOLIA.

*Licet per totum morbi decurſum, ita cibos faſtidire vt ne legitimum quidem accipere poßis, ſit pernicioſum: bellè tamen appetere, plurimóſque cibos ingerere, potißimum per initia, malum: morborum enim initia ac augmenta famem ac ſitim deſyderant (inquit Celſus) victúmque tenuem, teſte Hippocrate, requirunt: ne nimirum natura à morbo concoquendo acceßione cibi auocetur: vt quæ inediæ tempore materiã morbificã melius concoquere ſoleat. Malum quoque ſi ægrotantes, qui iam morbo defungi ac conualeſcere incipiunt, quique morbi diuturnitate, & vehementia debilitati ac fracti, cum iure & loco cibis veſcuntur: exempli gratia in pleuritide, quũ os humeſcere ceperit, remiſſa fuerit febris, aliáque ſymptomata, & ſputa ex facili prodierint, cibos auidè appetant & ſumant, vt nihil edẽdo proficiant: illi enim ad extremum inappetentes fiunt omnes, & à canina appetentia in ciborum faſtidium incidũt: quod indicium eſt, ſuctionẽ nõ reſpõdere ſuctionis ſenſui, idq́; corruptione ſecũdæ regionis: hoc eſt firmã eſſe facultatẽ ventriculi qua cibos appetũt.*

*cæterum in venoſo genere poſt morbum remanſiſſe prauum aliquem ſuccum, qui aduenientes corrumpit humores: vnde fit, vt proceſſu temporis aucto illo prauo ſucco, vis appetens fatiſcat, & ventriculus cibos auerſetur: Contrà, qui ineunte cibi vſu, cibum faſtidiunt impuritate alui ſuperſtite, aut aluo ob diuturnam officij vacuitatem ignauiore reddita, poſtea cibum ex animi ſententia capiunt & appetunt, illi meliore ſunt loco, quam priores: quod ſit reſtituta aluus, & cacochymia conſumpta quæ inappetentiam ciborúmque faſtidium pepererat. At omnino eſt calamitoſior noxa in ſecunda & tertia coctione quam in prima: & quantò vitium ſecundæ coctionis deterius eſt, tantò deterius habet is qui auidè principiò cibum capit, eo qui primùm auerſabatur cibos, poſtea autem complexus eſt. Cæterùm per* εὐσιτέειν, *appetere & genio indulgere intellige: per* φαύλως ἔχειν *ambigua valetudine vti, ceu in neutro ſtatu eſſe, hoc eſt medio inter ſanum & ægrum.*

## APHOR. XXXIII.

ΕΝ πάσῃ νόσῳ τὸ ἐῤῥῶσθαι τὴν διάνοιαν, καὶ εὖ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν· τὸ δὲ ἐναντίον, κακόν.

*IN quouis morbo rationem ipſam conſtare ac valere, rectéque ſe habere ad ea quæ ſumuntur, bonum: contrà verò ſe habere, malum.*

PRoponit hoc loco Hippocrates ſententiam prognoſticam. Prædictionem enim ſumit à cerebro & ventre, inquiens, bonum eſſe mente conſtare, & appetentiam non aboleri. Per illud enim ſignificatur cerebrum bene affectum, & neruoſum genus totum ac membranoſum, & ſpinæ medulla, & dia-

phragma. Per hoc verò indicatur partes nutritorias, quæ ad cor, ventriculum, hepar attinent, eſſe ſanas & robuſtas. Quòd ſi his omnibus accedat etiam ſpirãdi facilitas, non parua ſpes poteſt haberi de ægroti ſalute. Cæterùm quòd dicat bonum eſſe aut malum eſſe, id non ſimpliciter eſt accipiendum, tanquam ob id ſit conualiturus æger, aut moriturus: verùm ſi alia bona adſunt ſigna, bonum eſt, & ſperandum omninò de ſalute ægri: ſin alia ſigna mala, malum, & de ſalute eſt deſperandum. Quod autem attinet ad dictionem διάνοιαν, intelligendum eſt Hippocratem aliter diſtinguere partes animæ atque Platonicos: quippe cùm apud eundem γνώμη καὶ διάνοια multò latiùs quàm apud illos ſumantur. Per ea enim intelligit τὸ λογιστικόν, ſiue λογισμόν, hoc eſt, totam vim rationalem: vt mente conſtare dicantur, qui neque phantaſia, neque logiſmo ſunt læſi. Intelligimus autem rationem non valere quatuor modis. Primò, quòd æger delira loquatur & abſurda. Secundò, quia motus habet incompoſitos. Tertiò, quum omnino mutatis eſt moribus & ingenio. Quartò, quòd cum magna ſit doloris cauſa, dolorem tamen non ſentit, per Aphoriſm. Quicunque parte aliqua dolent, &c. Iam verò cùm Gal. tertio Epid. aſſerat, προσφορὰς καὶ τὰ προσφερόμενα ſignificare cibum, potum, & medicamenta: his προσφορὰς non ſolùm de cibo & potu (de quibus primùm & præcipuè dicuntur) ſed etiam de medicamentis poteris intelligere. Ægri ergò ad ea quæ offeruntur non rectè ſeſe habent multis modis. Aliquando enim cibos non appetunt, & tamen oblatos ſumunt, hi ſatis bene habẽt. Plurimi vt auerſantur multos cibos, hos tamen vel illos appetunt & capiunt: qui ſatis etiã bene habent. Sunt alij qui aliquando cibum quem-

piam deſyderant, ſed oblatum reſpuunt ſtatim. Hi habent deterius. Aliqui ſunt qui reuera cibos omnes omnino auerſantur, neque vnquam quicquam deſiderant, hi peſſimè omnium habent. Siquidem in his omnino extincta eſt facultas appetitrix.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt ad euentum morborum pertinens: In quouis morbo, ſporadico, endemio, & epidemio: maximè verò acuto: omnium cerebri actionum naturalium, motricum, ſenſificarum ac principum integritate frui, ſine indecora corporis compoſitione, in diſſimilitudine morum abſurditate verborum, & ἀνεπαισθησίᾳ doloris: ac gaudere rebus conuenienter datis, appetendo & proficiendo, bonum. Quamuis enim non omnium morborum acutorum certæ ſint præſentiones interitus aut ſalutis, ob materiæ feritatem, varietatem, & motus inordinatos: tamen, quicunque morbi acuti cum actionum naturalium, vitalium & animalium integritate coniuncti ſunt, naturæ tandem bonitate vincuntur: ac ſola diuturnitate moleſti ſunt: quod Cleonactidæ contigiſſe legimus hiſtoria.6. partic. lib. 1. Epid. Quod ſi in morbis nec mens conſtet, nec vigeat appetendi facultas, malum eſt: quia quotieſcunque ad calamitoſam vim morbi accedit naturæ infirmitas, tum in anguſto ſpes eſt. Quod ſi alterutrum, vt pote mens, aut appetendi facultas, in vitio ſit, non vtrunque, minus malum. Delyrium tamen maius malum portendit, potiſſimum ſi illud continuum fuerit, quàm inappetentia, ſaltem in acutis: nam fieri poteſt vt humor putris circa os ventriculi oberrans, aut calor febrilis faſtidium ciborum adferat, citra vllum vitæ diſcrimen. At delyrium, nunquam niſi malis ægri rebus*

*poteſt contingere, quantumuis conſtet appetentia. Sic enim tertio Epid. Cydis filius, & uxor Hermoptolemi, licet cibos vehementer appeterent, delyrarent autem grauiter, mortui ſunt die vigeſimo. In pueris tamen ægrotantibus, ubi faſtidium multò deterius eſſe conſueuit, quàm delirium, vt delirium in ſenibus & iuuenibus, quam cibi faſtidium.*

## APHOR. XXXIIII.

ΕΝ τῇσι νούσοισιν ἧσσον κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ἕξιος, καὶ τῆς ὥρης ἡ νοῦσος ᾖ μᾶλλον, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατά τι τουτέων.

*Minus periculoſè ægrotant ij, quorum vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris morbus eſt, quam quibus horum nullo affinis cognatiúſque exiſtit.*

ARiſtot. in problem. (in quibus multa tranſcripſit ex Hippocrate) cauſam reddit huius Aphoriſmi: quòd videlicet minùs periclitantur quorum naturæ, &c. quia cauſa minùs eſt violenta. Quod autem minùs eſt violentum, minùs eſt contra naturam, minúſque periculoſum: & contrà. Huius ergo Aphoriſmi veritas ſic ſe habet, vt quo violentior & vehementior eſt cauſa, eò ſit periculoſior morbus; & contrà. Ponamus duas febres ardentes, vnam quæ ſit genita hyeme, alteram quæ æſtate. Quæ orta eſt hyeme (cùm cauſa ſit violenta magis) periculoſior erit ea quæ æſtate, vt in qua cauſa ſit minùs violenta, & quæ magis tempori cognata ſit quàm illa. Præterea

cùm in eiuſmodi morbis cognatis, breuis ſit in id quod præter naturā eſt lapſus, breuis quoque erit in id quod ſecundum naturam eſt, reditus. Cæterùm natura cùm multis dicatur modis, hoc loco accipienda eſt pro ſubſtantia, ſeu temperatura, quæ conſtat quatuor elementis. Minùs itaque periclitantur qui laborant morbo cognato naturę, id eſt, temperaturę, tempori, &c. Quod quidem ita venit intelligendum, vt morbum conferamus cum cauſa violenta vel non violenta. Aliquando enim propter aliud ſunt periculoſiores morbi, etiam naturæ cognati. Siquidem (quod quærit Aphrodiſieus.) Æthiopes ſi corripiantur febre ardente, ferè moriuntur, etiamſi morbus is ſit illorum naturæ familiaris. Cauſa eſt, quia ab externo calore natiuum calorem habent imbecillum: & prætereà paucam humiditatem, quæ ſtatim à febre abſumitur. Videmus etiam experientia Anglos & Scotos magis à febre ardente periclitari, quàm nos: quia hic morbus minùs eſt eorum naturæ familiaris, quàm noſtræ. Minùs inſuper periclitantur, qui laborant morbo cognato ſuo habitui: habitus corporis intelligitur totum carnoſum genus demptis venis. Id autem dicit, quia veteres conſtituebant morbum duplicem: aſtrictum, & laxum ſiue ſolutum. Si qui ergò aſtricto ſunt corpore, minùs periclitantur in morbo aſtricto quàm in laxo, & contrà. De ætate & tempore verba faciet libro tertio Aphoriſmorum.

SCHOLIA.

*HIc Aphor. veritatem habet, ſi conferatur unus morbus, ſiue exceſſus cum duabus naturis contrariis: non duo morbi ſiue exceſſus contrarij, cum una natura. Item*

*ſi periculum referatur non ad virium imbecillitatem, ſed ad magnitudinem cauſæ, aut ſymptomatum vehementiam, aut opportunitatem curandi. Ergo, in morbis, magnitudine cauſæ, ſymptomatum vehementia & opportunitate curandi, paribus, minus periculoſè ægrotant, aut magnitudine cauſæ, aut ſymptomatum vehementia, aut difficultate curandi, quorum temperamento corporis: & ætati, quæ temperamenti & habitus mutationem adfert: & conformationi corporis: & humorum inclinationi: & temporum viciſsitudini: & tempeſtatum mutationi: tum etiam cœlo & ſolo vernaculo, congener & affinis eſt morbus, vt infantiæ, aphthæ, lumbrici, lithiaſis, epilepſia: pubertati & adoleſcentiæ, ſanguis & hæmorrhagia: iuuentuti bilis & febres acutæ: conſtanti ætati melancholicus humor & hæmorrhoides: quibus iuuenibus fluxit aluus, in ſenectute contrahitur: cardialgia picrocholis parte ſuperiore: febres tertianæ, æſtati: quartanæ, autumno: quam quibus earum rerum exceptione aliqua, eiuſmodi morbus non eſt congener: modo paria ſint omnia in magnitudine cauſæ, ſymptomatum vehementia, & curandi opportunitate.*

## *APHOR.* XXXV.

ΕΝ πάσῃσι τῇσι νούσοισι τὰ περὶ τὸν ὀμφαλὸν καὶ τὸ ἦτρον πάχος ἔχειν βέλτιόν ἐστι· τὸ δὲ σφόδρα λεπτὸν καὶ ἐκτετηκὸς, μοχθηρόν. Ἐπισφαλὲς δὲ τὸ τοιοῦτον καὶ πρὸς τὰς κάτω καθάρσιας.

*IN quouis morbo partes quæ ad vmbilicum & imum ventrem attinent, craſsiores eſſe præſtat. Harum ſiquidem extenuatio & tabes mala. Sed ad inferiores quoque purgationes parum tuta.*

SEntentia hęc magnam vim habet: & certè conſtat experientia. Quum enim accedimus ad ægrum, inſpicimus quomodò ſe habeant partes mediæ à mucronata cartilagine ad pubem vſque. Primùm ergò in-

ducimus manum ſupra vmbilicum, vt cognoſcamus num quis ſit calor præter naturam in ventriculo. Deinde manum transferimus ad hypochondria, vt videamus num quis ſit illic calor præter naturam maior quàm in aliis partibus, aut etiam durities, aut tumor. Si ſit durities aut tenſio in hypochondrio ſiniſtro, non admodum curamus, ſiue ſit à liene, ſiue etiam à flatibus. Poſtremò manum ducimus ſub vmbilicum ad pubem, quia hîc ſolent ſæpe oriri tumores prȩter naturam. Si itaque manu admota neque ſit calor prȩter naturam, neque tenſio, neque tumor, bene eſt. Si prȩtereà corpulentus eſt & mollis totus venter, bene eſt. Indicio enim eſt muſculos abdominis eſſe carnoſos, & prȩtereà multum pingue ineſſe: vnde calor natiuus ſubiectarum partium eſt robuſtus, rectiuſque fit concoctio & ſanguificatio. Contrà, aliquando reperimus calorem prȩter naturã, & tenſa magis hypochondria: aliquando venter qui anteà intumeſcebat, eſt incauatus & extenuatus, quod peſſimum eſt, & vt ſignum & vt cauſa. Signum enim eſt, pingue eſſe abſumptũ, & muſculos cõtabuiſſe. Cauſa verò quòd ciborum concoctio proba non fiat in ventre, neque ſanguificatio in hepate. Quin etiam cum ad purgationes inferiores, hoc eſt, excretiones vel fȩcum vel vrinæ, oporteat robur adeſſe muſculorum epigaſtrij, & prȩtereà inteſtinorum, ſi hæ partes ſint extenuatæ & imbecillæ, purgationes per inferna minùs rectè procedent. Per purgationes autem inferiores intelligendum eſt etiam ſuperiores, hoc eſt, quæ per vomitum fiunt: in quibus etiam partes illæ quæ ad abdomen & imum ventrem ſunt, debent eſſe craſſæ & robuſtæ, necnon ventriculus ipſe, alioqui nunquam rectè fiet vomitus. Vnde rectiſſimè Celſus. Vomitus inutilis

eſt gracilibus, & imbecillum ſtomachum habentibus. Verum Hipp. (inquit Gal.) meminit tantùm inferioris purgationis, quòd omnibus eſſet manifeſtum, omnes quæ infra thoracem ſunt partes debere eſſe robuſtas in ſuperioribus purgationibus. Vocat autem ἦτρον Hippocrates (Galeno authore) partem ventris quæ ab vmbilico incipit, & ad pubem vſque porrigitur. Alio nomine dicitur hypogaſtrium.

## *SCHOLIA.*

*HIc Apho. ad ſimeoticem pertinet. In omnibus morbis vmbilici & aqualiculi, totiuſque adeo abdominis partes ſolidas eſſe ac ſucci plenas, necnon æquales in ſubſtantia, quantitate & qualitate, omniſque doloris expertes, vt ait Hip. 1. progn. melius eſt vt ſignum & vt cauſa: vt ſignum, quia naturalis œconomiæ bene moratæ, viſcerumque inflammationis, omniſque tumoris expertium ſunt argumenta: vt cauſa, quia œconomiæ naturalis actiones in coquendo, diſtribuendo & excernendo adiuuant. Sinautem ſint valdè tenues, ac pene conſumptæ illæ partes, aut duræ, aut inæquales in diſtenſione, contractione, calore, frigore, aut dolore, calamitoſum vt ſignum & vt cauſa. Quin & illud ad purgationes quæ fiunt deorſum, periculoſum: quia muſculi abdominis cum rectè habent, excretioni inſeruiunt: his extenuatis medicamenti acrimoniam natura perferre nequit, ac ſæpe humor attractus ſubſiſtit, qui vehementiſſimis torminibus ægrum diſcruciat. Cæterum licet fiat hic mentio tantùm vmbilici, triplex tamen ventris regio inaudienda venit. Vna, quæ eſt ſupra vmbilicum diducta in duo latera, hypochondria nominata. Altera, quæ vmbilico ſubiicitur, ſumen aut imus venter, cui ſunt à latere ilia. Tertia, quæ medium ventrem occupat circa vmbilicum. In qua triplici regione, cum naturalis facultas ſuas in concoquendo, diſtribuendo, excernendóque*

*functiones obeat, idque caloris natiui beneficio non modo in ſanis, ſed & in ægris: quò vegetior in illis calor natiuus fuerit, ſiue partes contentæ ſpectentur, ſiue continentes, eò feliciores futuræ ſunt naturalis facultatis functiones. Vegetior autem is calor fit à partibus continentibus craßis, à quarum carnea mole ac adipe, tanquam culcitris quibuſdam fouetur, auctiorque redditur: potißimùm verò ea ventris regio quæ vmbilico ſubiicitur: item ea quæ eſt ſub circa vmbilicum: quòd vtraque, ſi contentas partes ſpectes, frigidior ſit, nec niſi hypochondriorum beneficio incaleſcat. Ob id craßitudo abdominis in quibuſcunque morbis ſemper commendatur: licet alias partes in febribus non imminui, ſuamque ſoliditatem ſeruare non adeò ſit laudabile, ex Aphor. 28. huius libri. Quinetiam abdomen tabeſcere, multo grauius malum, quàm alias partes: quòd ventri ſemper aliquid ſuppetat vnde craſſeſcere ac pingueſcere poßit, inquit Ariſt. aliis partibus non item, niſi à ventre accipiant. Vt autem purgationes reformidandæ ſunt in inferiore ventre gracili: ita Hippo. 4. Apho. ad ſuperiores purgationes, ſuperiorum partium tenuitatem ſuſpectam habet.*

## APHOR. XXXVI.

Οἱ ὑγιεινῶς ἔχοντες τὰ σώματα ἐν τῇσι φαρμακείῃσι καταιρεόμενοι ἐκλύονται ταχέως, καὶ οἱ πονηρῇ τροφῇ χρεόμενοι.

*Qvi ſalubritate corporum ſunt præditi, ij purgante hauſto medicamento ſtatim deficiunt, vt & qui prauo vtuntur alimento.*

COnſtituit duo genera corporum, quæ facilè medicamentis purgantibus exoluuntur: nempe corpora eorum qui ſunt ſani, & eorum qui prauo vtuntur cibo. Cùm itaque duplex ſit ſanitas, vna abſolutiſſima: altera quæ à medio receſſit, necdum tamen actiones

lędit:hîc de ea quæ eſt abſolutiſſima, loquitur Hippo. vt vult Fuſch. in comm. Per medicamenta autem intelligenda ſunt, illa veterum medicamenta irritatoria, quale eſt veratrum, peplium, ſcammonium, & id genus alia. Huiuſmodi ergò medicamenta ſanis exhibita, exolutionem faciunt. Cum enim non inueniant ſibi familiarem vitioſum & redundantem humorem, quem attrahant, vim inferunt, & ſpiritus primùm diſſipant, deinde ſanguinem & humores diſcutiunt, poſtremò carnes & ſolidas partes colliquefaciunt: vnde neceſſe eſt confeſtim propter ſummam imbecillitatem animi defectum conſequi. Neque verò putes iſtud fieri ſolùm ab illis medicamentis veterum, cùm etiam accidat ſępe à noſtratibus. Qui prauo pręterea vtuntur cibo, purgati celeriter exoluuntur: idque tribus de cauſis. Vna eſt, quòd in eiuſmodi naturis calor natiuus eſt imbecillus & languidus, paucus eſt bonus ſanguis, & pauci ſpiritus. Altera, quia ſentina illa vitioſorum humorum à prauis cibis natorum, quum à medicamento exagitatur, excitat vapores quoſdam putres ad ventriculum & cerebrum, vnde anima exoluitur. Quod ſępe experimur in tetris odoribus, quum aſcendunt ad cerebrum: necnon in retentis alui excrementis, à quibus vapor putris elatus ad ventriculum, exolutionem adfert. Tertia porrò cauſa eſt, quia quum eiuſmodi vitioſi ſucci tranſeunt per partes ſenſiles, vt ſunt acres & mordaces, dolorem mordicando faciunt, vnde animi defectio ſeu exolutio. Sed dicet hîc aliquis, Quomodo ergò purgamus in iis qui abundant vitioſis humoribus? Reſpondendum, tunc ex interuallis purgandum eſſe medicamentis leuiter & modicè purgantibus: pręthereà inſtituenda eſſe boni ſucci alimenta. Alioqui quandiu

prauo vtuntur cibo, curari non poſſunt.

SCHOLIA.

*PRaceptum eſt Therapeuticum. Abſtinendum à medicamentis cum delectu purgantibus, in ſanis, & his qui prauo vtuntur cibo. nam qui ſanitate fruuntur primigenia, aut reſtituta, in quibus ſcilicet humores quatuor modice ſe habent qualitate, copia, viribus & mixtione: tum autem, quibus excretiones apparent ſanorum ſimiles, quamuis eorum corpus tuberculis ſcateat, aut bile ſuffuſum appareat: ſi pharmaco purgentur, facile in ſyncopem incidunt: medicamenti acrimonia, ſucci alibilis hypercatharſi, & partium ſolidarum reſolutione, fractis item iam morbi diuturnitate & vehementia viribus facilè exoluuntur. Maximè verò ij facilè exoluuntur à pharmaco ſumpto, qui prauo vtuntur victu: quòd iis vires effœtæ langueant: & cum ad virium infirmitatem accedat nimia prauorum humorum abundantia, quòd affectionis remedium eſt pugnat cum virium cuſtodia. Huc accedit quod vapore tetro humorum agitatorum, ſpiritus vitales inficiuntur, humorumque acrimonia partes ſolidæ vellicantur.*

APHOR. XXXVII.

ΟΙ εὖ τὰ σώματα ἔχοντες, φαρμακεύεσθαι ἐργώδεες.

*QVi integrá ſunt corporis valetudine, medicationes ægrè moleſtéque ferunt.*

SEntentia hæc à ſuperiori nil differt, niſi quòd magis eſt generalis. Prius enim vnius tantùm meminit ſymptomatis, quod intempeſtiuam, atque adeò ſanorum ſequitur purgationem, nempe exolutionis: nunc

verò per hanc vocem ἐργώδες (id eſt χαλεπὸν cum Philotheo) multa alia innuit ſymptomata. Sumptum enim medicamentum agitatorium cùm in corpore ſymmetro & commoderato non reperiat humorem vitioſum ſibi cognatum, & ſanguinem & carnes colliquabit: vnde & vertigines, & tormina, difficiliſque admodum purgatio, & præterea exolutio.

## *SCHOLIA.*

*PRaeceptum ſuperiore Aphor. propoſitum, hìc fuſius explicatur. non ſolum enim incidunt in ſyncopem qui ſani purgantur, ſed multis aliis damnis ac moleſtiis afficiuntur. nam qui bene habito ſunt corpore, ex qua habitudine perfectæ nutritionis, proptereáque euchymiæ ſignificatio fit, grauiſſimè habent à pharmacia: quòd nulla eſſe poſſit cathartici & humoris vacuandi analogia, quod etiam humores non ſolo medicamento trahente, ſed & natura expellente abducantur: at natura ſanos humores auidiſſime retinet, exemplo ſanguis eſt, quem omnium nouiſſimum hypercathartica abſtrahunt. Vnde fit vt partes ſolidæ calamitoſam vim cathartici experiantur: ſanguis bene moratus fundatur: ſtomachus cardiognio & ſyncope: cerebrum vertigine: aluus torminibus infeſtetur. Mirum ergo videri non debet, ſi is qui reſtituta ſanitate fruitur, infirmis adhuc viribus, ſed integris humoribus, catharticorum vi exoluatur, cum etiam qui integra & ſecura fruuntur valetudine, quique corpore ſunt bene habito, ſolido & ſucci pleno catharticis offendantur: ſi nulla ſit cathartici & humoris vacuandi analogia.*

## APHOR. XXXVIII.

ΤΟ σμικρῷ χεῖρον ϗ πόμα ϗ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν, ἀηδεστέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον.

*Paulò deterior, ſed ſuauior cibus & potus, melieri quidem, ſed ingrato præferendus.*

HÆc ſententia pertinet ad Dięteticen: oſtendítque Hipp. quemadmodum aliquando gratificandum ſit ægrotis. Idem lib. de victu acutorum, breuiter docet quantum ſit illis indulgendum in cibo potuque. Nam ſi hęc non multùm lædunt, aut ſi noxa quam inferunt poteſt facilè reparari, aliquid poteſt indulgeri. Verbi gratia, ægri aliquando valde appetunt frigidam, condonandum eſt, ſi non multum lædat. Interdum appetunt vinum meracum ( vt pręſertim in morbis pulmonum ) id corrigendum eſt mixta aqua: vel ſi cogamur dare purum, ex pręcepto Hippocratis iubendum vt ſuperbibant frigidam. Nonnunquam appetũt fructus æſtiuos. Ex his parum damus, vel corrigimus in coquẽdo, aut addendo ſacchar vel aliquid aliud. Porrò deterior eſt potus & cibus, quando noſtræ naturæ non conuenit: vt contrà, melior & ſuauior, quíque parum lædit, quum familiaris eſt noſtro corpori. Eſt autem duplex familiaritas alimentorum cum noſtris corporibus. Vna ſumitur à qualitate elementari: vt vinum familiare eſt ràtione qualitatis elementaris, quia aëreum eſt: Sic carnes volatilium, quia aëreæ ſunt, conueniunt nobis. Altera ſumitur à proprietate: quæ rurſus duplex eſt. Nam eſt proprietas quæ conuenit toti ſpeciei, & ipſius indiuiduis: eſt & quæ conueniat huic indiuiduo magis quàm illi. Panis conuenit noſtræ naturæ ratione

ſubſtantiæ

ſubſtantiæ aut proprietatis. Huic carnes bubulæ ſunt magis familiares quàm illi,& ſic de aliis: idq́ue proprietate quadam & cognatione aut ſimilitudine ſubſtantiæ cum noſtris corporibus. Spectanda ergò in alimentis hæc tria,an conueniant in qualitatibus elementaribus, an cognata ſint toti ſpeciei,an ſint familiaria huic indiuiduo.Nam quò cibus erit familiarior, eò erit ægrotanti ſuauior & melior,etiamſi ſit alioqui deterior: ventriculus enim vbi aliquid vehementer appetit, & cum voluptate aſſumit, id arctiùs comprehendit, & facilius concoquit. Prætereà minus inde gignitur excrementi, ventriculo (ſiquid vitij eſt in cibo & potu) emendante, & maiorem partem conuertente in alimentum. Cõtrà,ventriculus refugit ea quæ iniucunda & inſuauia ſunt,neque arctè amplexatur, neque concoquit: vnde flatus,fluctuationes,nauſeæ, & copia excrementorum. Non temerè dictum eſt ab Hipp. paulò deterior: quia ſi valde prauus ſit cibus aut potus, multumq́ue lædat, ægrotanti nulla ratione gratificandum erit: alioqui indulgeri poterit ea conditione, quam ſupra diximus. Accedit his, quòd quum ægro permittimus iis veſci quibus delectatur, ſic facilius medico obtemperabit: quod non parum conducet ad ſanitatem breui conſequendam.

## SCHOLIA.

*PRæceptum eſt Diæteticum. Concedendi aliquando cibi ac potus qui ægris placeant,licet deteriores ſint melioribus,ſed minus ſuauibus. Ergo cibus aut potus paulò deterior, & qui non ita naturæ communi, nec triplicis ſubſtantiæ exhauſto, nec hiſtoriæ morbi accommodatus: ſuauior tamen, qui nimirum vel qualitate elementari,vt aqua frigida tempore febris: vel*

*peculiari quadam ſubſtantiæ proprietate, vt cum hoc potius quam alio cibo quis delectatur: vel modo præparationis, ſit naturæ gratior: melioribus quidem natura communi, exhauſto, & hiſtoriæ morbi magis accommodatis, ſed minus ſuauibus eſt anteponendus: quòd & ſuauitate gaudeat ventriculus, auidiuſque eiuſmodi cibos complectatur, vnde naturalis œconomia & nutritionis ratio melior comparatur. Hoc præceptum repetitur 6. Epid. & libro de affectionibus. Cibos, potus, aut obſonia quæcunque ægri concupiſcunt, ſi non damnum adferant, exhibeto. Sic enim grauidis mulieribus pica aut malacia laborantibus, cibos abſurdos quos appetunt, habentque in deliciis, non denegamus.*

## APHOR. XXXIX.

ΟΙ πρεσβύται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὁκόσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

*SEnes magna ex parte minus quàm iuuenes ægrotant. Semel autem diuturnis morbis correpti, ferè vna moriuntur.*

IAm antè diximus quòd apud Græcos dicuntur aliquando πρεσβύται ἤδη γέροντες, id eſt, vehementer ſenes & decrepiti: aliquando ſenes qui prima in parte ſenectutis agunt. Hic ſumitur in genere pro omnibus ſenibus, in quacunque ſenectutis parte ſunt conſtituti. Hîc ergò ſenes confert cum iuuenibus, dicitque eos magna ex parte minus ægrotare quàm iuuenes. Huic ſententiæ non repugnat, quod veteres ſenilem valetudinem dicebant, quod ſcilicet ſenes minus iuuenibus ægrotarent: quanquam dictum id accipiunt nonnulli & intelligunt de morbo deſperato. Verumtamen contra Hip. conſtat variis morbis affligi ſenes: imò ſenectutem ipſam (quod ait ille) eſſe morbum. Prætereà ipſemet Hippo. lib. primo περὶ διαίτης, ſenes morboſiſſimos eſſe

ſcribit, quum ait: Inter ætates ſani maximè ſunt pueri, ſecundo loco iuuenes: morboſiſſimi, qui maximè ſenes & his proximi ſunt. Dicendum, pueros quidem & iuuenes, ſi ætatem cum ætate conferas, ſaniores eſſe ſenibus: ſi verò ſpectes modum viuendi, non item. Iuuenes enim ob vitam intemperantem & libidinoſam magis & ſæpius ægrotant quàm ſenes: contra ſenes minus & rarius ob vitam temperatam & continentem. Quum ergo in hac ſententia dixit Hipp. ſenes minus ægrotare quàm iuuenes, vitam vtrorumque ſpectauit, non ætatem. Verùm, magna ex parte, addidit. Nō enim omnes ſenes minus ægrotant quàm iuuenes. Duo ſi quidem ſunt quæ ſenectutem efficiunt magis morboſam quàm iuuentutem. Vnum eſt, quia ſenes ipſi admodum libidinoſè & intemperanter viuunt. Alterum, quia prior vita iuuenilis incontinens & intemperans tradidit ſenectuti corpus effœtum & languidum. Ergò & ratione vitæ intemperantis vel præſentis, vel antè actæ, & quia debiliores ſunt iuuenibus ſenes, iis magis ægrotant. Quicunque autem morbi diuturni iis accidunt, ferè ipſis commoriuntur. Hip. 6. Epid. part. quinta Apho. 6. & Gal. in comm. locum hunc explicant: an ſcilicet oporteat morbos comitari ſenes ad mortem. Diſtinguēdi ſunt morbi. Morbi ſenum alij ſunt à cauſa calida, vt cephalæa, hemicrania, & aliquando podagra & arthritis: alij à cauſa frigida, vt ſæpe podagra, iſchias, aſthma, colicus dolor, & alij eiuſmodi. Qui itaq; morbi ſunt à cauſa calida, interdum deficiunt in ſenectute, ob temperamentum ſcilicet quod in ea frigidum eſt. Qui verò ſunt à cauſa frigida, difficulter admodum curantur, & plerunque ſenioribus commoriuntur. Quòd verò non facilè relinquāt eiuſmodi longi ſenum mor-

bi, cauſa eſt: quia cùm eos curari oporteat (loco Epid. citato) vel πεπασμῷ, id eſt, maturatione aut coctione, vel λύσει, id eſt, ſolutione, vel ἀραιώσει, id eſt, raritate: virtus ſenum eſt imbecilla, & calor natiuus debilis, cutíſque denſa & aſtricta. Non tamen ob id eſt deſperandum. Verum quidem eſt morbos diuturnos in ſenecta difficillimè deficere ſolutione aut rarefactione: coctione tamen poſſunt curari facilius & ſæpius. Id quod etiã patet in ſenum tumoribus pręter naturam: hi ſiquidem vix reſoluuntur aut rarefiunt, imò potiùs ſuppurant. Ad cõcoctionem igitur morbi aut ſolutionem, aut rarefactionem, calorem natiuum ſenum imbecillum refouere & augere conabimur tum medicamentis, tum alimentis calidis, boni ſucci, ac concoctu facilibus. Quare perdices, capones, pullaſtri confixi caryophyllis & cæteris aromatibus erunt vtiles. Proderit item vinum quoddam generoſum, quale eſt colore fuluum, ſeu giluum. Sed ſi ſit aſthma, aut arthritis, periculum eſt ne caput repleat eiuſmodi vinum, & fiat noua fluxio in pulmones aut articulos: inſtituendum ergò vinum generoſum & dulce. Ventriculus enim huiuſmodi vinum tanquam naturæ familiariſſimum vehementer amplexatur, & dum diutius illud immoratur in ventriculo, excitat & auget calorem natiuum. Adde, quod veteres dicere ſolebant, Vinum lac eſſe ſenum, tanquam maximè (vti res ſeſe habet) à vino, generoſo præſertim & dulci iuuentur. Poſtremò ad eundem calorem excitandum & confirmandum adhibebimus illis frictiones molles, vnctiones, geſtationes, & alia eiuſmodi. His remediis fiet, vt morbi illi chronici à frigidis & craſſis humoribus profligentur, nec ad mortem vſque perſeuerent.

## SCHOLIA.

*Collatio eſt duarum ætatum in magnitudine, frequentia & diuturnitate morborum. Senes enim, affecta iam ætate, mitius & rarius laborant, quàm iuuenes, morbis eſſentia, loco & cauſa paribus: mitius quidem, quòd nec febribus acutis, ob imbecillum calorem qui in eis viget: nec vlla inflammatione viſcerum interiorum, ob paucum, eumque paulò frigidiorem quem habent ſanguinem, corripiuntur: quòd etiam à debilibus cauſis offenduntur, à quibus non niſi mites ac lenes morbi excitari ſolent. Contrà, iuuenes, dum reſiſtunt non niſi à cauſis vehementioribus ac maioribus ægrotant: quòd item minus ſint obnoxij putredini, quia frigidi ſicci. Denique quod cautiore victus ratione vtantur. Accedit huc quòd, quemadmodum ſcriptum eſt ab Hippo. ſententia. 29. ſect. 2. progn. & Comm. Galeni ad eundem, ſenes omnem inflammationem facilius ferant quàm iuuenes, ſi eam quæ in thoracem & pulmones cadit, exceperis. Rarius verò ægrotant ſenes quàm iuuenes, propterea quòd ſunt frigido & ſicco temperamento: ob id minus obnoxio putredini: quod etiam in commoda ſua minus peccent quàm iuuenes, ſi non omnino, ſaltem maxima ex parte: ſunt enim quidam ſenes qui incontinenter ac libidinoſè viuunt. At quicunque morbi diuturni, ſyntrophi & increſcentes ſenibus accedunt, fere iis commoriuntur: quòd neque coctione, neque ſolutione, neque diſcußione curentur: vt vitia renum & veſicæ poſt quinquageſimum annum ſanata eſſe non vidit Hip. lib. 6. Epid. ſect. 8. & 6. Aph. lib. 6. Aph.*

## APHOR. XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

*Deſtillationes & grauedines coctionem in valde ſenibus non admittunt.*

DVo ſunt affectus, qui etiamſi videantur ſimiles, inter ſe tamen magnopere differunt, raucedo ſcilicet & clangor. Clangor accidit in febribus ardentiſſimis, reſiccata aſpera arteria, & præſertim mēbrana eius interiore. In hoc autem præter ſiccitatem, vox eſt læuis & ſonora. At in raucedine, vox eſt aſpera & obſcura, cauſamque habet humiditatem. Prætereà clangoſa vox mortem denunciat: raucitas verò graue malum eſt, nec ſemper mortem adfert. Eſt itaque raucedo (βράγχος Græcis) quum humor defluit in aſperam arteriam: Latinis etiam dicitur Rauis. Coryza verò (quæ vox eſt Attica, ſiquidem reliqui Græci dicebant μύξαν) fit vbi ad nares deſtillat humor: Latinis dicitur grauedo. Solet tamen aliquando Hippocrates nomine coryzæ intelligere fluxionem omnem, in quācunque partem fiat: καταςαγμὸν vocant recentiores medici. Κατάρρους autem (vt & id obiter dicamus) eſt, quando ad fauces vel palatum humor decumbit. Raucitates igitur & grauedines in valde ſenibus non concoquuntur (inquit Hip.) quia cùm πεπασμὸς, id eſt, concoctio ſit à robore caloris natiui, in ſenibus calor eſt paucus & languidus, vireſque imbecillæ. Raucedinis autem & coryzæ exemplo demōſtrat verum eſſe, quod ſuperiore Aphor. dixit, morbos diuturnos comitari ſenes ad mortem. Neque enim hi ſoli duo morbi (vt ſcribit Gal. in comm.) non concoquuntur in ſenibus, ſed etiam & nephritis, & arthritis, & dolor colicus, & ſplenicus, & aſthmata, & tuſſes, & κυρτώσεις, ſiue κυφώσεις, id eſt, gibbi, & λυρδώσεις, ſeu repanditates aut gibbi ad anteriora, & σκολιώσεις, ſiue obliquitates aut tortuoſitates, aliique morbi frigidi. Quum tamen dixit Hippo. non concoquuntur, intelligendum niſi rariſſimè. Poſſumus enim naturam iuuare il-

lis tribus viis, aut maturatione, aut diſſolutione, aut rarefactione. Verùm cùm (vt diximus proximo Aph.) difficillimum ſit reſoluere materiam in ſenibus & rarefacere, relinquitur nobis concoctio. hæc autem perficietur ea ratione, quam anteà docuimus.

## SCHOLIA.

*EXemplum eſt diuturni morbi in ſenibus vix curabilis. Raucitates enim, & raucitatis ſoboles, vt aſthma & phthiſis, omneque genus catarrhi, ac ſymptomata frigidi catarrhi non concoquuntur in ſenio iam confectis: frigidum enim eſt eorum corpus. Cæterum Hipp. ad finem vſque huius libri perſequitur morbos qui ſpecie, indiuiduo, loco, cauſis, temperamento ægrorum & conformatione corporis, ſunt ſanabiles, aut inſanabiles. Ac primum tres inſanabiles hoc & duobus proximis Aphoriſmis recenſet.*

## APHOR. XLI.

Οἱ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

*QVi ſæpe, & vehementer citra manifeſtam cauſam animo linquuntur, ij derepente moriuntur.*

EXolutio præceps eſt virium lapſus, ſeu ſyncope quædam leuior, quanquam aliquando pro ſyncope grauiore (teſte Gal. lib. de loc. aff.) accipiatur. Ea multis accidit ob virtutis vitalis imbecillitatem, diffuſo videlicet ſpiritu qui in cordis ventriculis eſt collectus. Aliæ tamen ſunt eius cauſæ multæ, vt ſcribit Gal. lib. quinto de loc. aff. cap. primo. Nam vel eſt cordis intemperies, ſiue æqualis, ſiue inæqualis ea fuerit:

vel abſceſſus: vel tumor præter naturam in cordis tunica: vel etiam ὑδατίδες, id eſt, veſicæ & puſtulæ aqua plenæ (vt & ſæpe oriuntur in membrana hepatis) vel præterea aqua collecta præter naturam in pericardio, aut etiam in eodem tumor, qui cordi communicetur: fit præterea frequens exolutio in febre peſtilenti & peſte, propter auram putrem & venenoſam, quæ ſpiritum vitalem afficit. Ab his itaq; ſi fiat leuis diffuſio ſpiritus, leuis erit exolutio: ſin magna, ſyncope grauis. Iam ſi ſit intemperies, videndum quali intemperie cor laboret, calidáne an frigida, &c. repetendáque ſunt ſigna intemperiei cordis ex arte medica Galeni. Si ſit abſceſſus, ſanari non poteſt: vt in illo cui membrana craſſa & putris inuenta eſt in ventriculorum cordis interſtitio. In eiuſmodi autem abſceſſibus & intemperantiis maximè & pulſus & reſpiratio ſunt ſpectanda. Porrò vt quis derepente moriatur exolutione, tres ponit diſtinctiones, vt crebrò id patiatur, vt fortiter, vt ſine cauſa manifeſta. Frequenter dicit, quia ſunt qui quotidie, ſunt qui alternis diebus exoluuntur. Vehementer, quia aliquando breuior, aliquando longior eſt exolutio. Vehemens denique eſt exolutio, vnde non facilè remediis adhibitis reuocantur. Sine cauſa manifeſta, quia ſi ſit à cauſa manifeſta, non moriuntur repente. Vt mulier illa (cuius meminit in comm. Gal.) exoluebatur à balneo, manifeſta cauſa: quia videlicet balneum commouebat materiam quandam, quæ vapore elato ſpiritum vitalem afficiebat. (Hinc colligas πρόφασιν ſignificare non ſolùm cauſam ſimpliciter, ſed etiam cauſam externam.) Nonnunquam tamen etiamſi nulla moueatur materia, fit exolutio ab imbecillitate facultatis vitalis. Vt, quidam aliquando ab ira exoluuntur, moto vehementius ſpiri-

tu,& diffuſo ob imbecillitatem. Sic & à gaudio, & mœſtitia. Celeriter porrò moriuntur, inquit, quia ſi grauis incidat ſyncope, non poſſunt facilè recolligi vitales ſpiritus, & moriuntur.

## SCHOLIÆ.

*PRognoſticum eſt repentinæ mortis. Qui virium præcipiti lapſu deficiunt, ſæpè ex perennitate cauſarum, quæ vel mixtione veneni, vel oppreſſione vel reſolutione, vel ſpiritus interceptione, vel alimenti inopia vitalem facultatem labefactant: & vehementer cum præcipiti & violento omnium viſrium lapſu, vnde vis naturæ infertur, partium ſolidarum & pirituum corruptione: ſine cauſa manifeſta, qui abs re & nulla exhauſti ratione, vt hæmorrhagiæ aut alui profuſioris ratione ſunt impotentes: repente moriuntur, labefactata vitali facultate, quæ facile in ſuæ affectionis ſympathiam animalem trahit: ex Aphoriſm. 5. ſect. 2. lib. 1. prorrh. Qui verò exoluuntur à cauſa manifeſta, vt cui profuſior aluus fuerit, aut hæmorrhagia longior acciderit, non magis vim periculi euadunt, quàm qui ſine cauſa manifeſta exoluuntur.*

## APHOR. XLII.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δ' οὐ ῥηΐδιον.

*APoplexiam vehementem nullo prorſus modo: debilem ægrè curaueris.*

HÆc eſt ſententia Hippocratis magni: quam vt intelligamus, ſciendum eſt apoplexiam multas habere cauſas. Nam aliquando excitatur à ſolis flatibus. Cuiuſmodi apoplexia correpti aliquando eua-

dunt ſine paralyſi aut ſtupore, concuſſi vehementius, & frictionibus, aliiſque remediis calidis adhibitis. Fit præterea venis interceptis copia vel craſſitie ſanguinis, in plexu præſertim retiformi. De qua Hipp.quarto de vict.ac. Quòd quis repente obmuteſcat, id venarum interceptiones occluſionéſque faciunt,&c. Hęc autem maximè iuuatur miſſione ſanguinis. Tertia cauſa eſt, quum ventres,cerebri præſertim anteriores,opplentur & intercipiuntur craſſo quodam & frigido humore, qualis eſt pituita,&aliquando(teſte Hip.lib.de morbis) atra bilis.Quarta cauſa eſt,quum cerebrum obſidet tuberculum aliquod,aut tumor præter naturam, quo viæ intercipiuntur, vt non poſſit defluere ſpiritus animalis ad partes inferiores. Eſt & genus quoddam apop. in fulminatis,vbi fit diſſolutio quædam ſpiritus animalis. Porrò apoplexiæ fortes dicuntur tribus de cauſis. Prima eſt,quia in iis derepente fit grauis dolor capitis.Secunda,quia grauis eſt reſpiratio,inæqualis, inordinata, & intermittens. Tertia,quia ſtertor eſt. Quarta,quoniam profundiſſimus eſt ſomnus.Hi nunquam redeunt ad vitam propter ablationem reſpirationis. Contrà cenſendum de debili apoplexia. Breuiter,vt ſigna grauia ſunt aut leuia, & reſpirationis noxa vehementior aut mitior: ita apop. vehemens eſt aut leuis. In leui apop. non facilè euadunt, niſi magna diligentia adhibitis remediis.Aut etiamſi releuentur, moriuntur, tamen pòſt,vt tertio vel quarto die, paulatim aucta difficultate ſpirandi, deinde remiſſa,& ſic deinceps per interualla,donec moriantur.Vix etiam vnquam ab apop. à flatu aut ſanguinis craſſitie releuantur omninò ſani: ſed ferè incidunt in paralyſin aut ſtuporem ( vt & alij à pituita ) vel etiam dementiam quandam, & tandem

moriuntur. Vidi tamen quoſdam euaſiſſe abſque his ſymptomatis. Denique intereunt ferè omnes apoplectici aut derepente, aut aliquot pòſt diebus: quamuis aſſerat Hipp. in prorrh. & multis aliis locis, apoplexiam ſolui interdum ſuperueniente febre.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticum apoplexiæ fortis aut debilis. Apoplexiam, quæ nil aliud eſt quam motus & ſenſus vniuerſi corporis priuatio: validam ac fortem: quæ fit, repentè oborto dolore graui capitis, mox incidente ſtertore cum ſumma difficultate ſpirandi coniuncto, corporis vniuerſi prolapſu, cum ſenſus & motus vacuitate: quæ omnia fiunt, quando ſpiritus animalis exitu prohibetur: oppreſſione vel obſtructione meatuum cerebri: diſcutere eſt impoſſibile ob magnitudinem cauſæ & ſymptomatum incidentium vim repente funeſtam: reſpiratio enim tollitur, qua ad punctum temporis vita carere nequit. Apoplexiam verò debilem, nec tam vehementibus comitatam ſymptomatibus, quæque in meatuum ad cerebrum viam affectantiũ vitio conſiſtit, quando ſpiritus vitalis aditu prohibetur ad cerebrum, non eſt facile ſoluere: quòd magnitudo cauſæ cum pari ſymptomatum vehementia coniuncta non facilè cedat remediis, nec vllas fere det inducias: animalis enim ſpiritus vitali, ex quo fit, in carotidibus intercepto deſtitutus, ad motum & ſenſum ſatis eſſe non poteſt: proinde eius penuria (vt corpus alimẽti:) tabeſcit. Fit quoque apoplexia debilis, cũ nõ adeſt inſignis obſtructio aut coarctatio, vel ventriculorũ cerebri, vel arteriarũ retis mirabilis, vel carotidũ vt per quas ſpiritus ex corde in cerebri ſinus influit, ita ſenſus quidẽ aut motus adſit, ſed admodũ ſtupidus & incertus. Fit & apoplexia debilis à flatu aut vapore craſſo intercipientæ vaſa: vt accidit ebriis. Has apoplexias debiles, febre ſuperueniẽte*

*ſolui ſcribit Hippocrates in coacis. 7. ſect. non quidem omni febre, ſed quanta & quali eſt opus: quæ nec maior ſit, quam vt vires exoluat, nec minor quam vt nihil proſit: vt pote quæ tum ſpiritum illum flatuoſum, tum humores pituitoſos excalfaciat, attenuet & reſoluat. Id autem fit tribus nonnunquam diebus, aut quatuor, aliquando pluribus, non tamen vltra ſeptimum diem, ob morbi magnitudinem & partis affectæ nobilitatem. Apoplexias quoque Hippocrates in coacis, hæmorrhoidibus ſupernatis curari ait.*

## *APHOR. XLIII.*

Τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσιν ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

*Strangulati aut ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeant, quibus circa os ſpuma collecta apparuerit.*

Hippocrates hîc vocat ἀπαγχομένους ſtrangulatos, quibus collũ laqueo interceptum eſt, aut etiam manu, vice laquei. Poteſt tamen hic Aph. intelligi etiam de ſtrangulatis, via reſpirationis intercepta, aut luxatione, aut tumore aliquo præter naturam, aut tuberculo. Per καταλυομένους autem, id eſt, diſſolutos, intelliguntur qui per vim ſtrangulationis iam neque mouentur, neque ſentiunt, & (vt interpretatur Philotheus) iam morituri ſunt, aut mori debent. In his enim nerui à ſexta coniugatione vocales, venæ iugulares, & carotides arteriæ intercipiuntur. Ergò diſſoluti, quia periit aut propemodum periit ſenſus & motus, intercepto ſpiritu animali per neruos, vitali per arterias, naturali per venas. Qui itaque diſſoluti ſunt ex ſtrangulatu reuocantur ad vitam, ſi nondum ſpuma circa

os apparuerit. Quibus verò circa os ſpuma apparet, non reuocantur: niſi rariſſimè (inquit Gal.) ſiquidem hic Aphor. eſt de iis quæ fiunt magna ex parte, & aliquando eiuſmodi ſtrangulati euadunt, ſed perquàm raró: fit autem ſpuma à ſpumoſa ſubſtantia vehementer permixta humiditate, accedente vehementi motu aut agitatione (vt à vento in mari) vel etiam calore, vt in iis quæ elixantur. Sic irati aliquando ſpumant, agitata vehementius ſpumoſa ſubſtantia, humiditate vehementer admixta. Quo modo fit etiam ſpuma in ſtrangulatis. Vbi enim larynx (per quem debet eſſe liber aëris externi introitus ad caloris refrigerium, exitus verò fuliginoſi excrementi quod à ſanguine thoracis & cordis redundat) intercipitur, natura vehementer commota & agitata commouet fuliginoſum excrementum cum quadam humiditate, adueniente etiam cordis calore. Signum itaque eſt exitiale, quoniam pulmonis violentiam ſignificat, quam patitur dum animal ſuffocatur. Nec natura illum vehementem motum & agitationem vnquam excitat, niſi in maxima neceſſitate: vt in iſtis qui ſtrangulantur & morituri ſunt, in apoplecticis, peripneumonicis, &c. Quòd ſi laqueus iniiciatur ad mentum ſupra laryngem, iis non ſolet ſpuma enaſci circa os, neque commouetur ita natura: quippe cum pateat & aëri externo liber ingreſſus, & excremento fuliginoſo exitus: hi autem faciliùs poſſunt ad vitam reuocari.

## SCHOLIA.

*PRegnoſticum ſtrangulatorum ac ſuffocatorum. Quibus laqueo ſpiritus uia intercluditur, aut vertebrarum ceruicis*

*luxatione, aut laryngis inflammatione, breuiter qui vera ſynanche laborant: ac iidem reſoluuntur, interceptis meatibus vnde ſpiritui animali exitus, vitali aditus denegatur, necdum tamen animam efflarunt: non redeunt ad vitam, quibus in ore ſpuma apparet: quòd ſcilicet copia interceptæ fuliginis ſtranguletur calor natiuus, ex cuius fuliginis interceptione gignitur illa ſpuma. De generatione ſpumæ vide lib. 2. prog. commen. 47. & Aphor. 30. lib. 7. Spuma autem apparet in epilepticis, vt & in ſtrangulatis, ſed illi conuelluntur tantum, non autem reſoluuntur vt ſtrangulati: item in ſtrangulatis ſuffocatur calor, & fuligo ſupprimitur, ſic facultas animalis deſcenſu prohibita non poteſt ſatisfacere thoraci, & vſui aucto & fuligini.*

## APHOR. XLIIII.

Οἱ παχέες σφόδρα κατὰ φύσιν, ταχυθάνατοι γίγνονται μᾶλλον τῶν ἰσχνῶν.

*QVi natura ſunt valde craßi, breuiore vita fruũtur quàm graciles.*

OBeſos natura & graciles inter ſe comparat: docétque præſtare gracilem eſſe quàm obeſum, quòd admodum obeſi gracilibus celeriùs moriantur. Obeſi enim ſunt natura frigidiore, pauciore tum ſanguine, tum ſpiritu, necnon arteriis & venis anguſtis, & textura cutis denſiore. Contrà graciles. Cùm itaque obeſi ſint eiuſmodi, & graciles, neceſſe eſt in illis calorem natiuum & vitalem facultatem imbecillam eſſe: ob ídque eos celeriùs mori, quàm graciles. Sunt prætereà magis opportuni febribus putridis, ob dẽſitatem cutis retentis excrementis fuliginoſis: quæ corrumpent humores in venis contentos. Ad quod plurimũ etiam facit ve-

narum anguſtia: quæ cùm facilè obſtruantur; ab obſtructione fit humorum putredo, vnde febris putrida. Corn. etiã Celſus (qui παχεῖς σφόδρα vertit valde craſſos) dicit eos ob eãdẽ cauſam, hoc eſt, venarũ anguſtiã, morbis acutis, difficultati ſpirãdi, & ſuffocationi eſſe obnoxios. At verò graciles ab huiuſmodi affectibus nõ periclitantur: ſed quia partes principes ita ſunt affectæ vt nullum habeant munimentum, à cauſis externis promptè offenduntur. Non temerè autem adiectum eſt κατὰ φύσιν, natura, id eſt à prima conformatione. Nam (vt ait Gal. in comment.) ſi quiſpiam natura mediocris, victu ſubinde pleniore atque ignauia & ocio factus eſt craſſior, is non citiùs gracili moritur: quòd ſcilicet venas & arterias latas habeat, atque adeò calorem natiuum minimè imbecillum, & extinctioni obnoxium.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt breuioris aut longioris vitæ gracilium, & obeſorum. Qui paruo & craſſo capite præditi, venis anguſtis, corpore denſo & glabro, voce exili, à prima conformatione, per intemperiem frigidam, vt nulla ratio diætæ adferri poſsit, quales vocat Hippocrates lib. de aëre, locis & aquis* ἀνάρθρους, *celerrimè moriuntur fato & caſu: fato, paucitate ſanguinis & ſpirituum, ac infirmitate caloris natiui: caſu, magnitudine morborum, ſymptomatũ, vehementia & difficultate curandi: quàm qui graciles, qui capite ſunt magno, & qui cum inclinantur, ceruicem magnam oſtendunt, grauem edunt vocem, amplas habent venas & arterias, ampla quoque oſſa: quod illi virtute caloris natiui partium ſolidarum atque ſpirituum facilè vincant morbos, corpúſque habeant perſpirabile ad excretionem materiæ morbificæ: denique quòd maiores habeant opportunitates ad ſalubriter viuendum,*

*peculiari quadam ſubſtantiæ proprietate, vt cum hoc potius quam alio cibo quis delectatur: vel modo præparationis, ſit naturæ gratior: melioribus quidem naturæ communi, exhauſto, & hiſtoriæ morbi magis accommodatis, ſed minus ſuauibus eſt anteponendus: quòd & ſuauitate gaudeat ventriculus, auidiuſque eiuſmodi cibos complectatur, vnde naturalis œconomiæ & nutritionis ratio melior comparatur. Hoc præceptum repetitur 6. Epid. & libro de affectionibus. Cibos, potus, aut obſonia quæcunque ægri concupiſcunt, ſi non damnum adferant, exhibeto. Sic enim grauidis mulieribus pica aut malacia laborantibus, cibos abſurdos quos appetunt, habentque in deliciis, non denegamus.*

## *APHOR.* XXXIX.

Οἱ πρεσβῦται τῶν νέων τὰ μὲν πολλὰ νοσέουσιν ἧσσον· ὁκόσα δ' ἂν αὐτέοισι χρόνια νοσήματα γένηται, τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

*SEnes magna ex parte minus quàm iuuenes ægrotant. Semel autem diuturnis morbis correpti, ferè vna moriuntur.*

IAm antè diximus quòd apud Græcos dicuntur aliquando πρεσβῦται ἤδη γέροντες, id eſt, vehementer ſenes & decrepiti: aliquando ſenes qui prima in parte ſenectutis agunt. Hic ſumitur in genere pro omnibus ſenibus, in quacunque ſenectutis parte ſunt conſtituti. Hîc ergò ſenes confert cum iuuenibus, dicitque eos magna ex parte minus ægrotare quàm iuuenes. Huic ſententiæ non repugnat, quod veteres ſenilem valetudinem dicebant, quod ſcilicet ſenes minus iuuenibus ægrotarent: quanquam dictum id accipiunt nonnulli & intelligunt de morbo deſperato. Verumtamen contra Hip. conſtat variis morbis affligi ſenes: imò ſenectutem ipſam (quod ait ille) eſſe morbum. Præterea ipſemet Hippo. lib. primo περὶ διαίτης, ſenes morboſiſſimos eſſe

ſcribit, quum ait: Inter ætates ſani maximè ſunt pueri, ſecundo loco iuuenes: morboſiſſimi, qui maximè ſenes & his proximi ſunt. Dicendum, pueros quidem & iuuenes, ſi ætatem cum ætate conferas, ſaniores eſſe ſenibus: ſi verò ſpectes modum viuendi, non item. Iuuenes enim ob vitam intemperantem & libidinoſam magis & ſæpius ægrotant quàm ſenes: contra ſenes minus & rarius ob vitam temperatam & continentem. Quum ergo in hac ſententia dixit Hipp. ſenes minus ægrotare quàm iuuenes, vitam vtrorumque ſpectauit, non ætatem. Verùm, magna ex parte, addidit. Nõ enim omnes ſenes minus ægrotant quàm iuuenes. Duo ſi quidem ſunt quæ ſenectutem efficiunt magis morboſam quàm iuuentutem. Vnum eſt, quia ſenes ipſi admodum libidinoſè & intemperanter viuunt. Alterum, quia prior vita iuuenilis incontinens & intemperans tradidit ſenectuti corpus effœtum & languidum. Ergò & ratione vitæ intemperantis vel præſentis, vel antè actæ, & quia debiliores ſunt iuuenibus ſenes, iis magis ægrotant. Quicunque autem morbi diuturni iis accidunt, ferè ipſis commoriuntur. Hip. 6. Epid. part. quinta Apho. 6. & Gal. in comm. locum hunc explicant: an ſcilicet oporteat morbos comitari ſenes ad mortem. Diſtinguẽdi ſunt morbi. Morbi ſenum alij ſunt à cauſa calida, vt cephalæa, hemicrania, & aliquando podagra & arthritis: alij à cauſa frigida, vt ſæpe podagra, iſchias, aſthma, colicus dolor, & alij eiuſmodi. Qui itaq; morbi ſunt à cauſa calida, interdum deficiunt in ſenectute, ob temperamentum ſcilicet quod in ea frigidum eſt. Qui verò ſunt à cauſa frigida, difficulter admodum curantur, & plerunque ſenioribus commoriuntur. Quòd verò non facilè relinquãt eiuſmodi longi ſenum mor-

bi, cauſa eſt: quia cùm eos curari oporteat (loco Epid. citato) vel πεπασμῷ, id eſt, maturatione aut coctione, vel λύσει, id eſt, ſolutione, vel ἀραιώσει, id eſt, raritate: virtus ſenum eſt imbecilla, & calor natiuus debilis, cutíſque denſa & aſtricta. Non tamen ob id eſt deſperandum. Verum quidem eſt morbos diuturnos in ſenecta difficillimè deficere ſolutione aut rarefactione: coctione tamen poſſunt curari facilius & ſæpius. Id quod etiã patet in ſenum tumoribus pręter naturam: hi ſiquidem vix reſoluuntur aut rarefiunt, imò potiùs ſuppurant. Ad cõcoctionem igitur morbi aut ſolutionem, aut rarefactionem, calorem natiuum ſenum imbecillum refouere & augere conabimur tum medicamentis, tum alimentis calidis, boni ſucci, ac concoctu facilibus. Quare perdices, capones, pullaſtri confixi caryophyllis & cæteris aromatibus erunt vtiles. Proderit item vinum quoddam generoſum, quale eſt colore fuluum, ſeu giluum. Sed ſi ſit aſthma, aut arthritis, periculum eſt ne caput repleat eiuſmodi vinum, & fiat noua fluxio in pulmones aut articulos: inſtituendum ergò vinum generoſum & dulce. Ventriculus enim huiuſmodi vinum tanquam naturæ familiariſſimum vehementer amplexatur, & dum diutius illud immoratur in ventriculo, excitat & auget calorem natiuum. Adde, quod veteres dicere ſolebant, Vinum lac eſſe ſenum, tanquam maximè (vti res ſeſe habet) à vino, generoſo præſertim & dulci iuuentur. Poſtremò ad eundem calorem excitandum & confirmandum adhibebimus illis frictiones molles, vnctiones, geſtationes, & alia eiuſmodi. His remediis fiet, vt morbi illi chronici à frigidis & craſſis humoribus profligentur, nec ad mortem vſque perſeuerent.

## SCHOLIA.

Collatio eſt duarum ætatum in magnitudine, frequentia & diuturnitate morborum. Senes enim, affecta iam ætate, mitius & rarius laborant, quàm iuuenes, morbis eſſentia, loco & cauſa paribus: mitius quidem, quòd nec febribus acutis, ob imbecillum calorem qui in eis viget: nec vlla inflammatione viſcerum interiorum, ob paucum, eumque paulò frigidiorem quem habent ſanguinem, corripiuntur: quòd etiam à debilibus cauſis offenduntur, à quibus non niſi mites ac lenes morbi excitari ſolent. Contrà, iuuenes, dum reſiſtunt non niſi à cauſis vehementioribus ac maioribus ægrotant: quòd item minus ſint obnoxij putredini, quia frigidi ſicci. Denique quod cautiore victus ratione vtantur. Accedit huc quòd, quemadmodum ſcriptum eſt ab Hippo. ſententia. 29. ſect. 2. progn. & Comm. Galeni ad eundem, ſenes omnem inflammationem facilius ferant quàm iuuenes, ſi eam quæ in thoracem & pulmones cadit, exceperis. Rarius verò ægrotant ſenes quàm iuuenes, propterea quòd ſunt frigido & ſicco temperamento: ob id minus obnoxio putredini: quod etiam in commoda ſua minus peccent quàm iuuenes, ſi non omnino, ſaltem maxima ex parte: ſunt enim quidam ſenes qui incontinenter ac libidinoſe viuunt. At quicunque morbi diuturni, ſyntrophi & increſcentes ſenibus accedunt, fere iis commoriuntur: quòd neque coctione, neque ſolutione, neque diſcußione curentur: vt vitia renum & veſicæ poſt quinquageſimum annum ſanata eſſe non vidit Hip. lib. 6. Epid. ſect. 8. & 6. Aph. lib. 6. Aph.

## APHOR. XL.

Βράγχοι καὶ κόρυζαι τοῖσι σφόδρα πρεσβύτῃσιν οὐ πεπαίνονται.

Eſtillationes & grauedines coctionem in valde ſenibus non admittunt.

DVo ſunt affectus, qui etiamſi videantur ſimiles, inter ſe tamen magnopere differunt, raucedo ſcilicet & clangor. Clangor accidit in febribus ardentiſſimis, reſiccata aſpera arteria, & præſertim mēbrana eius interiore. In hoc autem præter ſiccitatem, vox eſt læuis & ſonora. At in raucedine, vox eſt aſpera & obſcura, cauſamque habet humiditatem. Prætereà clangoſa vox mortem denunciat: raucitas verò graue malum eſt, nec ſemper mortem adfert. Eſt itaque raucedo (βράγχος Græcis) quum humor defluit in aſperam arteriam: Latinis etiam dicitur Rauis. Coryza verò (quæ vox eſt Attica, ſiquidem reliqui Græci dicebant μύξαν) fit vbi ad nares deſtillat humor: Latinis dicitur grauedo. Solet tamen aliquando Hippocrates nomine coryzæ intelligere fluxionem omnem, in quācunque partem fiat: καταςαγμὸν vocant recentiores medici. Καταῤῥοῦς autem (vt & id obiter dicamus) eſt, quando ad fauces vel palatum humor decumbit. Raucitates igitur & grauedines in valde ſenibus non concoquuntur (inquit Hip.) quia cùm πεπασμὸς, id eſt, concoctio ſit à robore caloris natiui, in ſenibus calor eſt paucus & languidus, vireſque imbecillæ. Raucedinis autem & coryzæ exemplo demōſtrat verum eſſe, quod ſuperiore Aphor. dixit, morbos diuturnos comitari ſenes ad mortem. Neque enim hi ſoli duo morbi (vt ſcribit Gal. in comm.) non concoquuntur in ſenibus, ſed etiam & nephritis, & arthritis, & dolor colicus, & ſplenicus, & aſthmata, & tuſſes, & κυρτώσεις, ſiue κυφώσεις, id eſt, gibbi, & λυρδώσεις, ſeu repanditates aut gibbi ad anteriora, & σκολιώσεις, ſiue obliquitates aut tortuoſitates, aliique morbi frigidi. Quum tamen dixit Hippo. non concoquuntur, intelligendum niſi rariſſimè. Poſſumus enim naturam iuuare il-

lis tribus viis, aut maturatione, aut diſſolutione, aut rarefactione. Verùm cùm (vt diximus proximo Aph.) difficillimum ſit reſoluere materiam in ſenibus & rarefacere, relinquitur nobis concoctio. hæc autem perficietur ea ratione, quam anteà docuimus.

## SCHOLIA.

*EXemplum eſt diuturni morbi in ſenibus vix curabilis. Raucitates enim, & raucitatis ſoboles, vt aſthma & phthiſis, omneque genus catarrhi, ac ſymptomata frigidi catarrhi non concoquuntur in ſenio iam confectis: frigidum enim eſt eorum corpus. Cæterum Hipp. ad finem vſque huius libri perſequitur morbos qui ſpecie, indiuiduo, loco, cauſis, temperamento ægrorum & conformatioue corporis, ſunt ſanabiles, aut inſanabiles. Ac primum tres inſanabiles hoc & duobus proximis Aphoriſmis recenſet.*

## APHOR. XLI.

ΟΙ ἐκλυόμενοι πολλάκις καὶ ἰσχυρῶς ἄνευ φανερῆς προφάσιος, ἐξαπίνης τελευτῶσι.

*QVi ſæpe, & vehementer citra manifeſtam cauſam animo linquuntur, ij derepente moriuntur.*

EXolutio præceps eſt virium lapſus, ſeu ſyncope quædam leuior, quanquam aliquando pro ſyncope grauiore (teſte Gal. lib. de loc. aff.) accipiatur. Ea multis accidit ob virtutis vitalis imbecillitatem, diffuſo videlicet ſpiritu qui in cordis ventriculis eſt collectus. Aliæ tamen ſunt eius cauſæ multæ, vt ſcribit Gal. lib. quinto de loc. aff. cap. primo. Nam vel eſt cordis intemperies, ſiue equalis, ſiue inequalis ea fuerit:

vel abſceſſus: vel tumor præter naturam in cordis tunica: vel etiam ὑδάτιδες, id eſt, veſicæ & puſtulæ aqua plenæ (vt & ſæpe oriuntur in membrana hepatis) vel prætereà aqua collecta præter naturam in pericardio, aut etiam in eodem tumor, qui cordi communicetur: fit prætereà frequens exolutio in febre peſtilenti & peſte, propter auram putrem & venenoſam, quæ ſpiritum vitalem afficit. Ab his itaq; ſi fiat leuis diffuſio ſpiritus, leuis erit exolutio: ſin magna, ſyncope grauis. Iam ſi ſit intemperies, videndum quali intemperie cor laboret, calidáne an frigida, &c. repetendáque ſunt ſigna intemperiei cordis ex arte medica Galeni. Si ſit abſceſſus, ſanari non poteſt: vt in illo cui membrana craſſa & putris inuenta eſt in ventriculorum cordis interſtitio. In eiuſmodi autem abſceſſibus & intemperantiis maximè & pulſus & reſpiratio ſunt ſpectanda. Porrò vt quis derepente moriatur exolutione, tres ponit diſtinctiones, vt crebrò id patiatur, vt fortiter, vt ſine cauſa manifeſta. Frequenter dicit, quia ſunt qui quotidie, ſunt qui alternis diebus exoluuntur. Vehementer, quia aliquando breuior, aliquando longior eſt exolutio. Vehemens denique eſt exolutio, vnde non facilè remediis adhibitis reuocantur. Sine cauſa manifeſta, quia ſi ſit à cauſa manifeſta, non moriuntur repente. Vt mulier illa (cuius meminit in comm. Gal.) exoluebatur à balneo, manifeſta cauſa: quia videlicet balneum commouebat materiam quandam, quæ vapore elato ſpiritum vitalem afficiebat. (Hinc colligas πρόφασιν ſignificare non ſolùm cauſam ſimpliciter, ſed etiam cauſam externam.) Nonnunquam tamen etiamſi nulla moueatur materia, fit exolutio ab imbecillitate facultatis vitalis. Vt, quidam aliquando ab ira exoluuntur, moto vehementius ſpiri-

tu,& diffuſo ob imbecillitatem. Sic & à gaudio, & mœſtitia. Celeriter porrò moriuntur, inquit, quia ſi grauis incidat ſyncope, non poſſunt facilè recolligi vitales ſpiritus, & moriuntur.

## SCHOLIA.

*PRognoſticum eſt repentinæ mortis. Qui virium præcipiti lapſu deficiunt, ſæpè ex perennitate cauſarum, quæ vel mixtione veneni, vel oppreßione vel reſolutione, vel ſpiritus interceptione, vel alimenti inopia vitalem facultatem labefactant: & vehementer cum præcipiti & violento omnium viſrium lapſu, vnde vis naturæ infertur, partium ſolidarum & pirituum corruptione: ſine cauſa manifeſta, qui abs re & nulla exhauſti ratione, vt hæmorrhagiæ aut alui profuſioris ratione ſunt impotentes: repente moriuntur, labefactata vitali facultate, quæ facile in ſuæ affectionis ſympathiam animalem trahit: ex Aphoriſm. 5. ſect. 2. lib. 1. prorrh. Qui verò exoluuntur à cauſa manifeſta, vt cui profuſior aluus fuerit, aut hæmorrhagia longior acciderit, non magis vim periculi euadunt, quàm qui ſine cauſa manifeſta exoluuntur.*

## APHOR. XLII.

Ἀπυπληξίην ἰσχυρὴν μὲν ἀδύνατον, ἀσθενέα δὲ οὐ ῥηΐδιον.

*APoplexiam vehementem nullo prorſus modo: debilem ægrè curaueris.*

HÆc eſt ſententia Hippocratis magni: quam vt intelligamus, ſciendum eſt apoplexiam multas habere cauſas. Nam aliquando excitatur à ſolis flatibus. Cuiuſmodi apoplexia correpti aliquando eua-

dunt ſine paralyſi aut ſtupore, concuſſi vehementius, & frictionibus, aliiſque remediis calidis adhibitis. Fit prætereà venis interceptis copia vel craſſitie ſanguinis, in plexu præſertim retiformi. De qua Hipp. quarto de vict. ac. Quòd quis repente obmuteſcat, id venarum interceptiones occluſionéſque faciunt, &c. Hęc autem maximè iuuatur miſſione ſanguinis. Tertia cauſa eſt, quum ventres, cerebri præſertim anteriores, opplentur & intercipiuntur craſſo quodam & frigido humore, qualis eſt pituita, & aliquando (teſte Hip. lib. de morbis) atra bilis. Quarta cauſa eſt, quum cerebrum obſidet tuberculum aliquod, aut tumor præter naturam, quo viæ intercipiuntur, vt non poſſit defluere ſpiritus animalis ad partes inferiores. Eſt & genus quoddam apop. in fulminatis, vbi fit diſſolutio quædam ſpiritus animalis. Porrò apoplexiæ fortes dicuntur tribus de cauſis. Prima eſt, quia in iis derepente fit grauis dolor capitis. Secunda, quia grauis eſt reſpiratio, inæqualis, inordinata, & intermittens. Tertia, quia ſtertor eſt. Quarta, quoniam profundiſſimus eſt ſomnus. Hi nunquam redeunt ad vitam propter ablationem reſpirationis. Contrà cenſendum de debili apoplexia. Breuiter, vt ſigna grauia ſunt aut leuia, & reſpirationis noxa vehementior aut mitior: ita apop. vehemens eſt aut leuis. In leui apop. non facilè euadunt, niſi magna diligentia adhibitis remediis. Aut etiamſi releuentur, moriuntur, tamen pòſt, vt tertio vel quarto die, paulatim aucta difficultate ſpirandi, deinde remiſſa, & ſic deinceps per interualla, donec moriantur. Vix etiam vnquam ab apop. à flatu aut ſanguinis craſſitie releuantur omninò ſani: ſed ferè incidunt in paralyſin aut ſtuporem (vt & alij à pituita) vel etiam dementiam quandam, & tandem

moriuntur. Vidi tamen quoſdam euaſiſſe abſque his ſymptomatis. Denique intereunt ferè omnes apoplectici aut derepente, aut aliquot pòſt diebus: quamuis aſſerat Hipp. in prorrh. & multis aliis locis, apoplexiam ſolui interdum ſuperueniente febre.

## SCHOLIA.

*PRognoſticum apoplexiæ fortis aut debilis. Apoplexiam, quæ nil aliud eſt quam motus & ſenſus vniuerſi corporis priuatio: validam ac fortem: quæ fit, repentè oborto dolore graui capitis, mox incidente ſtertore cum ſumma difficultate ſpirandi coniuncto, corporis vniuerſi prolapſu, cum ſenſus & motus vacuitate: quæ omnia fiunt, quando ſpiritus animalis exitu prohibetur: oppreßione vel obſtructione meatuum cerebri: diſcutere eſt impoßibile ob magnitudinem cauſæ & ſymptomatum incidentium vim repente funeſtam: reſpiratio enim tollitur, qua ad punctum temporis vita carere nequit. Apoplexiam verò debilem, nec tam vehementibus comitatam ſymptomatibus, quæque in meatuum ad cerebrum viam affectantiũ vitio conſiſtit, quando ſpiritus vitalis aditu prohibetur ad cerebrum, non eſt facile ſoluere: quòd magnitudo cauſæ cum pari ſymptomatum vehementia coniuncta non facilè cedat remediis, nec vllas fere det inducias: animalis enim ſpiritus vitali, ex quo fit, in carotidibus intercepto deſtitutus, ad motum & ſenſum ſatis eſſe non poteſt: proinde eius penuria (vt corpus alimẽti:) tabeſcit. Fit quoque apoplexia debilis, cũ nõ adeſt inſignis obſtructio aut coarctatio, vel ventriculorũ cerebri, vel arteriarũ retis mirabilis, vel carotidũ vt per quas ſpiritus ex corde in cerebri ſinus influit, ita ſenſus quidẽ aut motus adſit, ſed admodũ ſtupidus & incertus. Fit & apoplexia debilis à flatu aut vapore craſſo intercipiente vaſa: vt accidit ebriis. Has apoplexias debiles, febre ſuperueniẽte*

*ſolui ſcribit Hippocrates in coacis. 7. ſect. non quidem omni febre, ſed quanta & quali eſt opus: quæ nec maior ſit, quam vt vires exoluat, nec minor quam vt nihil proſit: vt potè quæ tum ſpiritum illum flatuoſum, tum humores pituitoſos excalfaciat, attenuet & reſoluat. Id autem fit tribus nonnunquam diebus, aut quatuor, aliquando pluribus, non tamen vltra ſeptimum diem, ob morbi magnitudinem & partis affectæ nobilitatem. Apoplexias quoque Hippocrates in coacis, hæmorrhoidibus ſupernatis curari ait.*

## *APHOR. XLIII.*

ΤΩ͂ν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων, οὐκ ἀναφέρουσιν, οἷσι ἂν ἀφρὸς ᾖ περὶ τὸ στόμα.

*STrangulati aut ſuffocati, nondum tamen mortui, ad ſe non redeunt, quibus circa os ſpuma collecta apparuerit.*

HIppocrates hîc vocat ἀπαγχομένους ſtrangulatos, quibus collũ laqueo interceptum eſt, aut etiam manu, vice laquei. Poteſt tamen hic Aph. intelligi etiam de ſtrangulatis, via reſpirationis intercepta, aut luxatione, aut tumore aliquo præter naturam, aut tuberculo. Per καταλυομένους autem, id eſt, diſſolutos, intelliguntur qui per vim ſtrangulationis iam neque mouentur, neque ſentiunt, & (vt interpretatur Philotheus) iam morituri ſunt, aut mori debent. In his enim nerui à ſexta coniugatione vocales, venæ iugulares, & carotides arteriæ intercipiuntur. Ergò diſſoluti, quia periit aut propemodum periit ſenſus & motus, intercepto ſpiritu animali per neruos, vitali per arterias, naturali per venas. Qui itaque diſſoluti ſunt ex ſtrangulatu reuocantur ad vitam, ſi nondum ſpuma circa

os apparuerit. Quibus verò circa os ſpuma apparet, non reuocantur: niſi rariſſimè (inquit Gal.) ſiquidem hic Aphor. eſt de iis quæ fiunt magna ex parte, & aliquando eiuſmodi ſtrangulati euadunt, ſed perquàm rarò: fit autem ſpuma à ſpumoſa ſubſtantia vehementer permixta humiditate, accedente vehementi motu aut agitatione (vt à vento in mari) vel etiam calore, vt in iis quæ elixantur. Sic irati aliquando ſpumant, agitata vehementius ſpumoſa ſubſtantia, humiditate vehementer admixta. Quo modo fit etiam ſpuma in ſtrangulatis. Vbi enim larynx (per quem debet eſſe liber aëris externi introitus ad caloris refrigerium, exitus verò fuliginoſi excrementi quod à ſanguine thoracis & cordis redundat) intercipitur, natura vehementer commota & agitata commouet fuliginoſum excrementum cum quadam humiditate, adueniente etiam cordis calore. Signum itaque eſt exitiale, quoniam pulmonis violentiam ſignificat, quam patitur dum animal ſuffocatur. Nec natura illum vehementem motum & agitationem vnquam excitat, niſi in maxima neceſſitate: vt in iſtis qui ſtrangulantur & morituri ſunt, in apoplecticis, peripneumonicis, &c. Quòd ſi laqueus iniiciatur ad mentum ſupra laryngem, iis non ſolet ſpuma enaſci circa os, neque commouetur ita natura: quippe cum pateat & aëri externo liber ingreſſus, & excremento fuliginoſo exitus: hi autem faciliùs poſſunt ad vitam reuocari.

## SCHOLIA.

*PRognoſticum ſtrangulatorum ac ſuffocatorum. Quibus laqueo ſpiritus uia intercluditur, aut vertebrarum ceruicis*

narum anguſtia: quæ cùm facilè obſtruantur; ab obſtructione fit humorum putredo, vnde febris putrida. Corn. etiã Celſus (qui παχεῖς σφόδρα vertit valde craſſos) dicit eos ob eãdẽ cauſam, hoc eſt, venarũ anguſtiã, morbis acutis, difficultati ſpirãdi, & ſuffocationi eſſe obnoxios. At verò graciles ab huiuſmodi affectibus nõ periclitantur: ſed quia partes principes ita ſunt affectæ vt nullum habeant munimentum, à cauſis externis promptè offenduntur. Non temerè autem adiectum eſt κατὰ φύσιν, natura, id eſt à prima conformatione. Nam (vt ait Gal. in comment.) ſi quiſpiam natura mediocris, victu ſubinde pleniore atque ignauia & ocio factus eſt craſſior, is non citiùs gracili moritur: quòd ſcilicet venas & arterias latas habeat, atque adeò calorem natiuum minimè imbecillum, & extinctioni obnoxium.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon eſt breuioris aut longioris vitæ gracilium, & obeſorum. Qui paruo & craſſo capite præditi, venis anguſtis, corpore denſo & glabro, voce exili, à prima conformatione, per intemperiem frigidam, vt nulla ratio diætæ adferri poßit, quales vocat Hippocrates lib. de aëre, locis & aquis* ἀνάρθρους, *celerrimè moriuntur fato & caſu: fato, paucitate ſanguinis & ſpirituum, ac infirmitate caloris natiui: caſu, magnitudine morborum, ſymptomatũ, vehementia & difficultate curandi: quàm qui graciles, qui capite ſunt magno, & qui cum inclinantur, ceruicem magnam oſtendunt, grauem edunt vocem, amplas habent venas & arterias, ampla quoque oſſa: quod illi virtute caloris natiui partium ſolidarum atque ſpirituum facilè vincant morbos, corpúſque habeant perſpirabile ad excretionem materiæ morbificæ: denique quòd maiores habeant opportunitates ad ſalubriter viuendum,*

*& ad curationem recipiendam, ſi forte in morbos incidant. Vocat autem Hippocrates obeſos ceu craſſos* ἀνάρθρους, *non quod neruis careant, ſed quia ita ſunt obeſi, vt neruus in illis nullus appareat.*

## *APHOR. XLV.*

TΩ͂ν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι.

*EPilepſia laborantes iuuenes cùm loci, temporum, & victus, tum maximè ætatis mutatio liberat.*

SCribit Hippocrates lib. de aëre & aquis, & 6. Epid. comment. 1. Aphor. 4. morbum comitialem vocatum eſſe τὴν τῶν παιδίων νοῦσον, quòd ſit pueris familiaris, regionum præſertim calidiorum. Cauſas habet varias & inter ſe diuerſas. Immodica enim humiditas cerebri morbum hunc excitat in pueris. Et quanquam Ariſto. lib. de ſomno, & Hipp. lib. de flatib. aſſerant fieri aliquando à flatibus: nihilominus tamen fatendum eſt flatibus illis mixtam eſſe humiditatem, vnde etiam ſpuma illa in ore epilepticorum. Siquidem fieri non poteſt vt abſque humiditate tantus ſit flatus qui ventriculos cerebri obſtruat. Magis propriè Gal. qui velit epilepſim in pueris fieri ab immodica humiditate ventriculos cerebri intercipiente, & eam maximè partem qua è cerebro exortus eſt ſpinalis medullæ. Gignitur præterea in iuuenibus ob vitam ocioſam & intemperantem, humore craſſo & frigido occupante ventriculum aut cerebrum. Tertiò fit in viris & ſenibus ab atra bile. Redeamus ad Hippocratem: τῶν ἐπιληπτικῶν (inquit) τοῖσι νέοισιν, &c. Senſus eſt: inter eos qui epileptici ſunt,

ſunt iuuenes, liberantur propter mutationẽ ætatis, &c. ac ſi vellet dicere, pueri epileptici non facilè curãtur, ſed iuuenes facti facilè euadunt beneficio ætatis, &c. Vt conſtet νέους verti debere iuuenes, non pueros. νέους enim Hippocrates vſurpare non ſolet pro pueris, quin hos vocat potiùs τὰ νήπια καὶ παῖδας, ad decimũquartum videlicet annum vſque. In epilepticis itaque, hoc eſt, inter epilepticos, iuuenes curantur mutatione ætatis &c. ſiquidem à pueritia fuerit contractus morbus. Quòd ſi morbum incurrerint ab intemperante vita, à remediis peti poteſt auxilium. At in viris & ſenibus expectandũ eſt tantùm auxilium naturæ, non ab ætatis mutatione, nec remediis. Poſſumus tamen remediis quibuſdam efficere vt prohibeatur morbi incrementum, & acceſſiones non ſint tam graues. Pueri verò & mutatione ætatis, hoc eſt, quum iuuenes (vt diximus) facti ſunt, & remediis facilè curantur. Iuuantur enim & frictionibus (quas maximè probat Gal. in corporibus mollibus ac raris, in iis præſertim qui à medicamentis abhorrent) & leuibus ſuppoſitoriis & amuletis, & medicamentis, & ratione victus. Neque eſt expectanda ætatis mutatio, ſi his iuuare ægrum poſſis. Liberantur autem epilepſia pueri ætatis mutatione, hoc eſt, humidioris temperamenti in calidius & ſiccius. Quæ mutatio accidit, vbi iam peruenerunt ad pubertatem. Epilepſiæ enim puerorum pubertate deſinunt. Hæc porrò ſuum habet principium & finem. Quod ad principium attinet, Galeno definitur decimoquarto anno, aliis decimooctauo. Sed cùm alij citiùs, alij tardiùs pubeſcant, in maribus rectè erit pubertatis initum, vbi primùm hircire incipiunt, & ſemen emittere. In fœminis verò, quum

primùm fluunt menſes, & ſemen excernitur. Vbi obiter notandum eſt, fœminas hac ætate iuuari magis quàm mares excretione ſeminis. At pubertatis finis extendi ſolet vſque ad annum vigeſimum, aut circiter. Secunda mutatio in epilepticis eſt locorum. Rectè Auicenna & multi alij Arabes ſcripſerũt Septentrionales homines rarò fieri epilepticos, quòd ſcilicet in iis magna vis inſit caloris interni. Sæpiùs enim generantur epilepſiæ in calidis regionibus. Nam etſi videatur non colligi in his humiditas, colligitur tamen multa in pueris, necnon multi humores exuſti. Ponamus aliquem qui ab humiditate & frigiditate laboret epilepſia in regione frigida humida, vt in hac: in regionem aliam calidiorem & ſicciorem eſt transferendus. Hic habenda eſt ratio non ſolùm morbi, ſed etiam temperamenti. Conſiderare enim oportet, vt aër regionis, in quam ægrum transfers, non è diametro repugnet morbo: ſed paulò minùs calfaciat: & ſiccet, ita vt ſit medius inter morbi materiam, & ægri temperamentum. Ita enim habebitur ratio temperamenti. Idem erit ſpectandum in mutatione victus in calidiorem & ſicciorem. Neque verò in hac victus ratione intelligendum eſt ſolùm quæ calfaciunt, ſiccant, incidunt, tenuant: ſed etiam intelligere oportet alias res non naturales, vt frictiones, affectus animi, &c. Quod ad venerem attinet, quidam volunt vtilem eſſe epilepticis: ſed id non ſemper. His enim non confert venus niſi fuliginoſis excrementis corpus abundet, etſi ſint viribus imbecillis. Ea tamen debet ſemper eſſe mediocris, ſi permittatur.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticum curandæ epilepſiæ. Puerorum ac puberum epilepſiæ ſanantur potiſsimum ætatis mutatione: puerorum quidem, ſimulatque pubertatis annos attigerint, veneremque agnoſcere, ac vocem aſperiorem edere cœperint: Puberum verò, vbi primum vigeſimum quintum annum appulerint, & pro voce aſperiore grauem vocem edere cœperint, per eclampſin caloris natiui, & firmitatem neruorum. Sanantur etiam mutatione regionum: vt qui ex Gallia Narbonenſi migrant ad Belgas: aut qui ex regione frigida ac humida in regionem calidiorem & ſicciorem: aut ab auſtrina ad aquilonem transferuntur: ſub regione, aërem ambientem & anni tempus comprehende. Sanantur quoque mutatione diætæ, vt ſi abſtineant venere & vino: aut ſi relicto victu humido, vtantur ſicco ac tenui: relicto ocio, labores plurimos ſubeant, &c. Citatur hic Aphor. lib.5. huius operis: 6. Epid. & 1. de diæta: notabis interim epilepſiam ideo pueris familiarem dici Hippocrati, non tam quia ſunt flatulenti pueri, vt nonnulli putant: quàm ob conuulſiones frequentes, quibus illi obnoxij ſunt præ cæteris ætatibus; propter excrementorum copiam à victu, & neruorum humiditatem ac laxitatem: de quibus conuulſionibus ſic ſcribit Ariſt. 8. de hiſt. animal. cap. 12. Solent (inquit) pueri plurimi conuulſione excipi, & præcipue corpulentiores, & lacte veſcentes copioſiore ac craſsiore, & nutricem lactentes ſucci plenam & corpulentiorem. Plurimi ante ſeptimum diem intereunt, vnde fit vt 7. die nomina imponantur, tanquam ſaluti pueri iam magis credentes. Aut ſane quemadmodum Gorræus annotauit, epilepſia morbus puerilis dicitur, quod à pueritia maximè incipiat, & fere ſemper conſeneſcat. Doctiſsimus Duretus putat dici comitialem, non quia vt putant*

*nonnulli, dirimerentur comitia ſi quis repentè epilepſia corriperetur: ſed quia in concionibus maximè eluceſcit epilepſia, & ea facilè prehenduntur homines, ídque propter metum quo ſolent ij teneri qui in concionem prodeunt aliquid dicturi. In concione enim, inquiebat Alcibiades, eſſe aliquid diuinum videtur concionanti.*

## APHOR. XLVI.

ΔΥο πόνων ἅμα γινομένων, μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν τόπον, ὁ σφοδρότερος ἀμαυροῖ τὸν ἕτερον.

*EX duobus ſimul doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior eſt, alterius ſenſum obſcurat.*

SEnſus huius Aphor. hic eſt: Si duo dolores ſimul, hoc eſt, eodem tempore diuerſas corporis partes, vel (ſi mauis) eandem partem (quæ tamen habeat latitudinem) occupent, maior minorem obſcurat. Hîc ergò πόνος accipitur pro dolore, hoc eſt triſti & moleſto ſenſu. Grauior autem dolor leuiorem obſcurat, quia quò natura cum ſanguine & ſpiritu concurrit ad partem maiore cum impetu, eò grauat, & diſtendit magis, vnde fit vehementior dolor, ad quem tota vis ſenſifica diſtrahitur, ita vt minùs ſentiatur leuior dolor. Prodicus quidam, qui tuebatur, non contraria contrariis, ſed ſimilia ſimilibus curari, citabat hunc Aphoriſm. & prætereà alium, Dolor dolorem ſedat. Sed quod dolor dolorem ſedet, dicendum eſt, fieri impropriè & per accidens.

## *SCHOLIA.*

*PRæceptum eſt therapeuticum. Ei malo quod magis vrget ſuccurrendum. Siquidem duarum affectionum ſimul eodémque temporis articulo & conſecutione, nec in eadem parte ſed diuerſa obortarum, vehementior obſcurat minorem, ob id vehementiori ſuccurrendum. Quòd autem maior ac vehementior dolor minorem obſcuret, ideo fit quia quoties imaginatiua vis animæ in diuerſa diſtrahitur, ſingula minus bene cognoſcit. Vnde ſpiritus, qui animæ ſentientis organa ſunt, in partem grauius laborantem ſubſidij ergò euocati, impediunt ſenſionem rei tranſlatæ in ſenſum alterius partis minus dolentis: adde quod raro accidit, vt duæ partes tam ſint ſui diſsimiles, vt æqualiter afficiantur: ſic arthriticus oborto dolore colico, alleuatur.*

## *APHOR.* XLVII.

ΠΕρὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ ξυμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένου.

*DOlores & febres accidunt magis quum pus conficitur, quàm iam confecto.*

PVs eſt tranſmutatio ſanguinis in ſubſtantiam albam, læuem, & æqualem: ídque beneficio caloris natiui, & naturæ integræ partium ſolidarum. Sanguis enim vbi excidit extra vaſa nutrire ampliùs non poteſt, ſed putreſcit partim à calore naturali, partim à calore præter naturam, fitque pus, hoc eſt, ſubſtantia & materia quædam media inter eam quæ benigna ſit, & eam quæ ſit omninò aliena. Quòd ſi calor natiuus ſit imbecillus ſimul cum partibus ſolidis, non

iam ſit pus, ſed gangræna. Obiter tamen hîc notandum eſt, concocta à calore natiuo dici etiam aliquando Hippocrati putria & purulenta: vt & ea quæ ſunt olida, & à calore præter naturam alterata. Dum igitur fit alteratio & generatio puris, fiunt maiores dolores & febres, quàm vbi iam confectum eſt. Ratio eſt: quia quum incipiunt & finiunt morbi, omnia ſunt leuiſſima: in vigore autem vehementiſſima. huius rei cauſam dicebamus, quia in vigore vehementiſſimum certamen eſt naturæ cum morbo. Iam quemadmodum morbus acutus ſua habet tempora vniuerſalia: ita & inflammatio. In vigore itaque inflammationis quia natura cum calore natiuo & ſpiritu maximè arteriarum omninò contendit ne materia putreſcat, fit maior alteratio, vnde ſenſus vehemens, à quo vehemens dolor. A concurſu igitur ſpiritus cum natura fit diſtentio, à qua vehemens dolor: calor præterea maior excitatur, & à calore febris, concalefacto corde per arterias, dum ſanguis in parte ebullit, & fit pus. Pure iam confecto, hoc eſt, vbi vicit natura, & iam attenuata eſt materia, extinctáque ignea caliditas, ſedatur dolor & febris. Sic etiam ſedantur dolores in moribundis, vbi ſcilicet natura ſuccubuit, & victa eſt à morbo. Hunc autem Aphor. citat aliis verbis Gal. lib. de ſympt. cauſis, quum inquit: Dum naturæ permutantur & corrumpuntur, dolores fiunt, non quum iam permutatæ & corruptæ ſunt.

## *SCHOLIA.*

*Diagnoſticum eſt vigoris ac declinationis inflammationum. Dum pus conficitur, vigor adeſt inflammationum: vbi pus*

*factũ eſt, declinatio. Dum enim materia ſuppurabilis, potiſſimũ ſanguis, rarò alij humores niſi ſanguini admixti, degenerat in vomicam, abitque in ſuppuratũ, grauiores dolores fiunt, diſtenta ac lacerata parte tumente: febréſque maiores vapore multo feruenti ab humore ſuppurante in cor tranſmiſſo, quàm pure iam confecto, laxiore facta parte, quæ prius diſtenta erat, & feruore depreſſo vaporis puris. Notabis verò pus fieri à ſolo calore naturali, agente tamen in partem, caloris præter naturam participem: nec ſemper generari ex materia quæ continetur extra vaſa, ut in tumoribus & vlceribus, quemadmodum ſcripſit Galenus cap. 6. lib. 1. de febr. ſed etiam ex materia quæ continetur intra vaſa. Sic enim Hippocrates lib. 1. de morbis mulierum, ait ſanguinem menſtruum, qui in venis mulierum per duos aut tres menſes ſtabulatur, ſuperueniente febre fieri ſuppurabilem, & ſuppuratum concipere. In eiuſmodi autem ſanguinis ſuppuratione dum fit, dolor quoque excitatur, vt in ea quæ fit in tumoribus & vlceribus, nimirum ob diſtenſionem partium. Quæ autem differentia ſit inter pus, ſaniem & ichor, vide apud Celſum lib. 5. cap. 16. pus ex ſanguine ſolo ſuppurato aut carne contuſa fit. Sanies extrementum tenue & aquoſum extra corpus, quod emanat ex vlcere malo, maximè vbi neruo leſo inflammatio ſequuta eſt. Ichor, aquoſa vel feroſa humiditas intra corpus, ſiue ſanguinis aut alterius humoris.*

## APHOR. XLVIII.

ἘΝ πάσῃ κινήσει τοῦ σώματος, ὁκόταν ἄρχηται πονέειν, τὸ διαναπαύειν εὐθὺς, ἄκοπον.

*QVoquo modo corpus moueatur, ſimul ac laborare cœperit, quies ſtatim laſſitudinem leuat.*

Gal. 6. Epi. hũc Aph. interpretatur, vbi per κίνησιν intelligit omnẽ vehemẽtem corporis motũ ſeu exercitiũ

quale ætate noſtra conſueuit eſſe in curſu, lucta, pila, & olim in palæſtra. Per motum tamen corporis innuit etiam vehementiorem animi motum. Quia igitur ex illo axiomate: Contraria contrariorum remedia, omnis motus immoderati remedium erit quies. Verùm cùm πονεῖν non ſolùm κάμνειν, hoc eſt, fatigari, ſed & ἀλγεῖν, i. dolere ſignificet, ſic poterit exponi hæc ſententia: Quum dolere cœperit quis, aut fatigari ob immoderatum exercitium, quies erit doloris aut laſſitudinis remedium. Exercitium autem eſſe immoderatum colligimus ex ſignis tum propriis, nempe quum languere cœperit pulſus, & moles corporis ſubſidere: tum communibus, vt ſi ſit ſudor immoderatus, & ſi facies quæ anteà rubuerat, expalleſcat. Porrò διαναπαύειν de ſomno interpretantur alij, vt Celſus, quum ait: Seſe committere ſomno poſt exercitium, bonum. Sed hoc intelligendum, præſertim vbi ab exercitio eſt oris amaror. Et ſanè iſtud natura fieri videmus, vt ſi quis ſit defatigatus, ſtatim petat lectum, aut decumbat in herbam. Alij διανάπαυσιν exponunt intermiſſionem exercitij (vt Gal. 6. Epid.) ſiue ea fuerit in horas aliquot, ſiue in aliquot dies: quantum ſcilicet exigit labor factus ac exercitium.

## *SCHOLIA.*

*PRaceptum tuendæ valetudinis. Laboris, omniſque paulò vehementioris exercitationis, ac laßitudinis remedium, quies eſt. Etenim in omni corporis motu (qui duplex eſt: vnus carnium & articulorum: alter viſcerum: carnes enim recreantur exercitiis: viſcera verò ſomno & potu ex Hipp. labor*

*articulis & carnibus, ſomnus & potus viſceribus) cum is qui mouetur cœperit fatigari, dolendo, aut ægrotando, aut etiam laborando ex immoderato labore, vel repentina mutatione ab otio ad negotium, aut ab vno exercitationis genere ad aliud ſe conuertendo, aut ſi interquieſcat, laboris aliqua remiſsione, aut quietis viciſsitudine, repentinam ſuæ laſsitudinis vacuitatem ſentiet. Eſt enim quies remedium laſsitudinis: eſtque facilior conuerſio à negotio ad otium quàm ab otio ad negotium. Vt præſtat hominem ſaturum ieiunare, quàm ieiunantem ſe ſaturare.*

## APHOR. XLIX.

Οἱ εἰθισμένοι τοὺς συνήθεας πόνους φέρειν, κἂν ὦσιν ἀσθενέες ἢ γέροντες, τῶν ἀσυνήθων ἰσχυρῶν τε καὶ νέων, ῥᾷον φέρουσι.

*Quotidianis laboribus aſſueti, etiamſi inualidi ſint, aut ſenes, inſuetis, quamuis robuſtis & iuuenibus, facilius conſueta ferunt exercitia.*

HÆc ſententia manifeſta eſt, quia conſtat experientia. Siquidem experientia certum eſt, quòd per exercitia roboratur & confirmatur noſter calor natiuus: adeò vt fortior ſit in iis qui ſe exercent, quàm in iis qui in ocio degunt: fit præterea robuſtior nutrix facultas. Nam quum per exercitia mouentur non ſolùm articuli, ſed & tendones, ligamenta, nerui, muſculi, incaleſcunt & ſicceſcunt. At in calore & ſiccitate conſiſtit robur facultatis nutricis. Quòd autem articulorum motus augeat calorem natiuum, indicium eſt, quia in iis quibus calor natiuus eſt imbecillus, nec bene concoquit, & tamen nequeunt per infirmitatem corpus exercere, frictiones articulorum inſtituimus his

HIc Aph. eſt de conſuetudine, quæ eſt altera natura, & de mutatione conſuetudinis. Differt autem à ſuperiore: quia quod anteà ſpeciatim docuit de conſuetudine in exercitiis, nunc generatim tranſfert ad omnes res alias nō naturales, vt cibum, potum, aërem, ſomnum, curas, vigilias. Hæc enim longo tempore aſſueta, quamuis ſint deteriora, minùs iis quæ inſueta ſunt, moleſtare ſolent. Videmus itaque pleroſque omninò eſſe aſſuetos alimentis prauis, aëri turbido, & aliis rebus non naturalibus: quibus tamen, etiamſi natura deteriore, non læduntur. Contrà alij iiſdem læduntur, quia non ſunt aſſueti. Iam in altero de mutanda conſuetudine, vel non mutanda diſtinguēdum eſt. Si enim conſuetudo ſit confirmata multis annis, aut etiam initium habuerit à familiaritate quadam naturæ (vt quum eſt hæreditaria & gentilitia) non eſt mutanda. Quòd ſi vi & per accidens contracta ſit conſuetudo praua, mutanda eſt. Vt, peregrè profectus aliquis conſuetudinem alimentorum coactus mutauit in peius: Ea permutari debet: idque præſertim in iuuenibus & robuſtis. Si quidem in mutatione conſuetudinis oportet adeſſe vires. Quare in ſenibus, qui ſunt imbecilliores, non erit mutanda conſuetudo. Verùmtamen vbi videmus certum malum, quod in dies augetur, mutare poſſumus: ſed paulatim. Tulit enim multa prior ætas quæ ferre non poteſt ſenectus, vtpote debilior. Verbi gratia, ſiquis in iuuentute aſſuetus potui frigidæ aut crudis fructibus, & iam in ſenectute ab his ſentiat dolorem & grauitatem ſtomachi, mutanda paulatim conſuetudo. Aquam itaq; & fruct⁹ illos tēperare conabimur coctione, vel addito ſacch. Sed ſi ſenex ab his non habeat deterius, ſinendum erit, neque conſuetudinē immutabimus.

Porrò ad inſueta tranſire oportere dicit Hipp. quia vita humana opportuna eſt multis caſibus & iniuriis, ita vt non liceat perpetuò iiſdem rebus vti, ſed cogamur aliquando derepente ad inſueta tranſire, vnde magnopere lædimur. Vnius igitur formæ conſuetudo eſt periculoſa, neque oportet vnum vitæ genus pertinacius retinere. Vnde Celſus ſcribit, minus ocioſam vitam nō eſſe vtilem: quia aliquando incidit neceſſitas laboris. Hinc etiam Germani dicere ſolent, vexandam eſſe naturam. Et Arabes affirmant vtile eſſe ſemel in anno inebriari. Neque enim ſemper viuendum eſt temperanter, ſed iuuat aliquando viuere intemperanter. Neque omninò agendum eſt ocium, ſed nonnumquam ſuſcipiendus labor & exercitium, ne ſi quando exerceri cogamur, moleſtum ſit.

## *SCHOLIA.*

*Conſilium in omnibus rebus non naturalibus aut retinendæ, aut immutandæ conſuetudinis proponitur. Quæ enim iampridem ſunt aſſueta in cibis, potibus, aëre, exercitio, inedia, balneo, ſomnis, vigiliis, impletionibus, inanitionibus, & animi pathematibus, maximè verò in aluo, in qua potiſſimum conſuetudo naturam efficit acquiſititiam, minus inſuetis infeſtare conſueuerunt, quamuis peiora ſint: proinde retinenda eſt conſuetudo. Vt diæta ſuſquedeque habita nunquam ſibi impar, iampridem aſſueta, accuratiori naturæ eſt magis conſentanea. Quinetiam & inſueta ſunt nonnumquam vſurpanda, vt cum iis neceſſario vtendum fuerit, natura minus afficiatur, nec inſolitis rebus & ex improuiſo accidentibus lædatur. Itaque ab aſſuetis quantumuis bonis, ad inſueta, quamuis deteriora, conſuetudinis immutationem facere licet aliquando. Hoc conſilium repetitur part. 8. ſect. 6. Epid. Aph. 31.*

## *APHOR. LI.*

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁκωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερόν. καὶ γὰρ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον· τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές, καὶ ἄλλως ἢν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ.

*Semel multum & repente vel vacuare, vel replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut alio quouis modo corpus mouere, peciculoſum. Omne ſiquidem nimium naturæ inimicum eſt. Quod vero paulatim fit, tutum, cùm aliàs tum maximè vbi ab vno ad aliud facienda eſt mutatio.*

Gal. Aph. hunc explicat in præceptis ſalubribus, & maximè in rebus non naturalibus. fundamentum itaque huius Aph. eſt, quòd natura non poteſt ferre ſubitas mutationes. Primùm (exempli gratia) ſiquis tres aut quatuor dies coactus ieiunarit, & derepente comedat, moritur ſtatim: quia ſubitam hanc mutationem natura non ſuſtinet. Deinde (quod anteà dicebamus) ſi quis à vehementiſſimo frigore ſtatim ad ignem accedat luculentum, animam protinus efflat. nam cum per vehemens frigus calor natiuus & imminuatur, & intro ſe colligat, quàm poteſt arctiſſimè, ad ignem vicinum ſtatim ſe explicat, diffunditur atque euaneſcit, vt qui ſit exiguus & languidus. Sic de aëre: videmus enim vt ij qui diutius in cuſtodia fuerunt detenti, obcæcentur, ſi protinus lucidum & ſplendidum aëra intueantur. Quare periculoſæ ſunt ſubitæ mutationes. At quæ fiunt paulatim, & per medium quoddam cognatum vtrique extremorum contrariorum, tutæ ſunt, periculóque vacant: præſertim ſiquis ab altero ad alterum, hoc eſt, ab eo cui aſſueuit, ad inſolitum progreditur. Iſtud autem videas in ipſis elementorum tranſmuta-

tionibus, quæ non fiunt abſque mediis quibuſdam. Item in animalium conformatione: in his enim ſiquid natura ex molli velit efficere durum, ſolet mediam quandam materiam interponere, vt chartilagines, ligamenta, &c. Breuiter hic Aphor. continet exempla particularia illius generalis ſententiæ 6. Epid. Mutationes repentinæ cauendæ. Ratio huius eſt, omne nimis eſt naturæ inimicum. Quod (inquam) nimium eſt in quantitate, in qualitate, & quia celeriùs fit quàm oportet. At quod paulatim fit, &c. Paulatim, hoc eſt, vel à medio ad contrarium, vel à contrario ad medium, vel à contrario ad contrarium. Gemina enim ſunt contraria apud medicos, extrema contraria extremis, & extrema contraria mediis. Neque eſt quòd aliquis obiiciat contra hunc Aphoriſmum, plurimam & repentinam purgationem & euacuationem aliquando locum habere in arte medendi: ſic enim ad animi deliquium ſæpe mittitur ſanguis. Sed id fit per accidens: quia vnde natura magis eſt opis indigens, inde illi maximè ſuccurrendum. In febre continua, quia morbi maxima habetur ratio, ideo mittere ſanguinem plurimum & repente confert. nam tum oppugnatione morbi natura recreatur, non impeditis partibus quarum potentia corpus adminiſtratur. Proinde hic Aphor. locum habet in his morbis quorum prouiſio & curatio in ſola vacuatione conſiſtit. nec enim pleuritis vnam habet indicationem, ſed duas, euacuationem & explicationem partis principis. Syluius olim dicebat plurimum vacuandum quando à contraria in contrarium facienda eſt mutatio, non cum à medio in contrarium.

## SCHOLIA.

*PRæceptum obſeruandum in facienda mutatione ab aſſuetis ad inſueta, vt fiat ſenſim, non affatim ac repente. Etenim vacuare, vel abſoluta inedia, vel ſanguinis detractione, vel purgatione non ſolum vniuerſi corporis, ſed etiam partis alicuius, vt in hydrope & ſuppurato: aut replere, ad vaſa & vires, vt ſi quis ab inedia, cibo ſaturetur abunde: aut calefacere, aut refrigerare: adeóque vniuerſum corpus mouere plurimum & repentè, non paulatim neque viciſsim (quæ duo in omni morborum curatione potiſsimum à medico vſurpari debent) periculoſum eſt, infirmitatis metu in vacuatione (niſi forſan oppugnatione morbi natura ſit recreata expeditis partibus quarum officio ipſa carere nequit) oppreſsionis in repletione: mutatione temperamenti in calefactione & refrigeratione: humorum refluxu, concretione: partium necroſi: inflammatione & effœminatione partium ſolidarum, & neruorũ. Et verò omne nimiũ naturæ inimicum, quia naturæ hyparxis cõſiſtit in elementorum ſymmetria. Quod verò ſenſim atque viciſsim fit, tutum: quandoquidem par eſſe debet ratio ſtudendi naturæ, & oppugnandi morbum: idque cum alias, tum ſi quis ab vno ad aliud ſpecie, temperamento, proprietate communi & ſingulari ſe conuertat.*

## APHOR. LII.

Πάντα κατὰ λόγον ποιέοντι, καὶ μὴ γινομένων τῶν κατὰ λόγον. μὴ μεταβαίνειν ἐφ᾽ ἕτερον, μένοντος τοῦ δόξαντος ἐξ ἀρχῆς.

*NOn, ſi recta ratione gerenti omnia ſecundum eam minus ſuccedat, protinus ad aliud eſt tranſeundem, modò illud conſtet quòd ab initio viſum fuit.*

VAria fuit diſputatio hæc apud veteres, de commutandis remediis, vel non mutandis. Alij enim, quum remedium vnum non ſucceſſiſſet, ad aliud ſta-

tim tranſibant. Alij contrà, quod ab initio inſtituerant, etiamſi nullum adferre commodum videretur, non mutabant. Videndum igitur quando ab vno remedio ad aliud ſit tranſeundum, & quando non. Omnis curandi ratio ducitur à morbi natura cognita, loco affecto, ægri temperatura, ætate, viribus, regione, anni tempore, aëre, conſuetudine, &c. Quæ vbi recta ratione & ſcientificè inueneris, curationem quoque ſcientificam indicabunt. Verùm cùm διάγνωσις, id eſt, diſtinctio & cognitio morborum ſit magna ex parte (præſertim vbi morbus eſt in intimo corpore) coniecturalis, neceſſe etiam erit cognitionem remediorum eſſe non ſolùm ſcientificam, ſed & coniecturalem. Duplex tamen eſt cognitio morborum coniecturalis, vna quæ propè accedit ad cognitionem ſcientificam, altera quæ longè ab eadem recedit. Quare duplex quoque erit remediorum cognitio coniecturalis. Morbi igitur cognoſcuntur ſcientificè, id eſt, cum recta ratione & certis ſignis: vt pleuritis à dolore lateris punctorio, difficultate ſpirandi, &c. Sed cùm non ſemper liceat cognoſcere ſcientificè, cognoſcimus aliquando coniectura quæ proximè accedat ad cognitionem ſcientificam, aliquando coniectura quæ longè ab ea recedat. Si itaque morbum habeas ſcientificè cognitum, ſcientifica quoque erunt remedia, & à quibus inſtitutis nunquam recedes: etiamſi non videantur morbum imminuere. Sic in iiſdem remediis eſt perſiſtendum, vbi morbum cognoueris coniectura quæ proximè accedit ad cognitionem ſcientificam. At in coniectura quæ longè recedit, vbi remedia præſcripta non proſunt, in his non eſt perſeuerandum, ſed tranſeundum ad remedia contraria. Vnde Senecæ illud peruulgatum, vbi remedia

dia (inquit) conſueta non proſunt, tranſeundum eſt ad contraria, medicorum more. Hoc enim intelligendum de ea coniectura quæ longe abeſt à cognitione ſcientifica, non de cognitione ipſa ſcientifica, aut coniectura, quæ ad eam proximè accedit, in quibus, vt dictum eſt, non ſunt mutanda remedia ad contraria. Gal. in comm. proponit exemplum in graui obſtructione. Accedo itaque ad ægrum, conſidero antecedentia, vt victus rationem, naturam ægri, &c. ex antecedentibus deprehendo obſtructionem in primis venis ab humoribus craſſis & crudis. Cùm ſcientificè morbum cognoſcam, ſcientificè quoque remedia inſtituam: vtputa frictiones, & alia quæ calfaciunt, concoquunt, emolliunt: denique præſcribam primùm quæ ſint mediocri calore, deinde quæ maiore. Non tamen tranſibo ad remedia facultate diuerſa, etiamſi nulla ab illis remediis appareat vtilitas. Quòd accidit, quia contumax eſt malum, neque facilè cedit remediis: ſed poſteà remedia ſæpius iterata fortaſſe actionem ſuam perficient, & ita proderunt. Eſt quidem (ait Celſus) perpetuum in medicina quod fieri debeat, non tamen perpetuum eſt quod ſequi conueniat, hoc eſt, vt ſeruetur æger. Siquidem multa latent in corpore ignota medico, multa intercidunt, propter peccatū ægri & miniſtrorum. Quòd ſi permutētur ſigna morbi, mutabitur & iudicium: quo mutato commutabuntur & remedia. Corn. Celſus hāc Hipp. ſententiam diſtinguit, dicitque in acutis morbis oportere remedia commutare, in longis non tam citò. Sed non aſſecutus eſt mentē Hippocratis. Duplex enim cùm ſit remedij cōmutatio, remedij ad remedium eiuſdem generis & facultatis, & remedij cōtrarij ad contraria: de hac hoc loco loquitur Hipp. neque eadem habet

locum in morbis acutis, in quibus à remedio ſcientificè inſtituto non eſſe tranſeundum ad contrarium cenſet Hipp. At commutatio remedij ad remedium eiuſdem generis ( vt quum à medicamento minus refrigerante tranſimus ad magis refrigerans,& contrà) locum habet & in acutis,& in longis.

## *SCHOLIA.*

*PRaeceptum eſt ad praxim medicam plurimum neceſſarium. Non temere immutanda remedia. Si quis ergo medicus omnia faciat in diæta, vacuatione, alteratione, & alexipharmacis, conuenienter & prudenter, adhibita remediorum prouiſione ducta ex morbo, viribus ægri, natura communi, & peculiari cuiuſque, conſuetudine, loco affecto, temperatura aëris, regionis, &c. quamuis remedia votis medici non reſpondeant: in victus ratione & medicamentis, tamen non ſe conuertat ad aliud diuerſum aut contrarium, quamuis nihil efficiat, ob morbi contumaciam, corporis peculiare vitium, aut cæli vel ſoli morbum, adde etiam animi pathemata, imò verò & diuinam morborum quorundam cauſam: ſunt enim multi morbi qui diuinitus immittuntur ob noſtra ſcelera, quoad eiuſmodi fuerit morbus & ſpecie & indiuiduo, qualis ab initio extitit, & ſi permaneant ſigna, vnde ſcientifica cognitio vel certè coniecturalis, quæ proximè accedit ad ſcientificam cognitionem, collecta eſt. Quod ſi permutentur ſigna, mutabitur & indicium, quo mutato, commutabuntur & remedia.*

## *APHOR. LIII.*

ΟΚόσοι τὰς κοιλίας ὑγρὰς ἔχουσι νέοι μὲν ἐόντες, βέλτιον ἀπαλλάσσουσι, τῶν τὰς ξηρὰς ἐχόντων· ἐς δὲ τὸ γῆρας, χεῖρον ἀπαλλάσσουσι. ξηραίνονται γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῖσιν ἀπογηράσκουσι.

*Quibus aluus eſt humida, iuuentam quidem agunt facilius quam qui eandem ſiccam habent: ſed ſenectute difficilius defunguntur. Ipſis ſiquidem ſeneſcentibus ferè reſiccatur.*

COrn. Celſus hunc Aphor. ita vertit: Melior eſt fuſa aluus in iuuene, ſicca in ſene. Cui ſubſcribit Oribaſius. At Gal. aliter exponit. Senſus ergò Aphoriſmi erit duplex, vnus ſimplex, compoſitus alter. Simplex ſic: In iuuenibus humida aluus melior eſt, in ſenibus ſicca aluus melior eſt. Compoſitus ſic ſecundum Gal. Melius eſt humidam aluum iuuentutis mutari in ſiccam ſenectutis, quàm contra, ſiccam iuuentutis mutari in humidam ſenectutis: Vt ἀπαλλάττεται hoc loco non malè exponi poſſit, mutari. Idem ferè eſt hic Aphoriſmus cum vigeſimo huius ſectionis.

SCHOLIA.

*Expoſitio eſt amplior Aphoriſmi viceſimi huius ſectionis, magna enim ex parte, eſt additum: Qui ergo habent aluos humidas naturali temperamento non diæta ratione, in iuuentute: meliore ſunt conditione, quam quibus aſtricta eſt, vnde picrocholi ὑγροὶ melius degunt quam picrocholi ξηροὶ: nam fluxili exiſtente ventre, minus congeruntur excrementa, quæ per aluum facilius & copioſius purgantur, quam per ſuperiora aut per habitum corporis. Quoniam tamen aluus quæ humida fuerat in iuuentute, aſtrictior tandem in ætate prouectis redditur: ideo peiore ſunt loco, vbi conſenuerint. Seneſcentibus enim magna ex parte aſtringitur aluus; quod in illis appetitus minor ſit,*

*atque inualida concoctrix ac excretrix facultas. Eſt tamen aliquando in illis aluus humidior, ſed non à robore concoctricis aut expultricis, potius ab infirmitate retentricis facultatis alui & inteſtinorum: adde quod ſenum alimenta nec celeriter nec vniuerſim nutriunt: ergo eorum veloces non ſunt excretiones.*

## *APHOR. LIIII.*

Μεγέθη δὲ σώματος ἐννεάσαι μὲν, ἐλευθέριον, καὶ οὐκ ἀηδές· ἐγγηρᾶσαι δὲ δυσχρηστον, καὶ χεῖρον τῶν ἐλασσόνων.

*VT traducenda iuuentute liberalis eſt ſpecioſa corporis magnitudo; ita ſenectuti inutilis, & paruitate deterior.*

COrporis proceritatem ſeu μῆκος rectè vertit Celſus longam ſtaturam, quũ præſentem ſententiam his exprimit verbis lib. ſecundo cap. primo. Longa ſtatura vt in iuuẽta decora eſt, ſic matura ſenectute conficitur. Gal. longitudinem vocat. Quemadmodum itaque ſuperiore Aphoriſmo cõparauit humidam aluum iuuentutis cum ſicca ſenectutis, & contrà: ita nunc confert proceram iuuentutis ſtaturam cum procera ſenectutis: & contrà, breuitatem cum breuitate: vúltque in iuuentute pulchram eſſe corporis lõgitudinem propter rectitudinem, in ſenectute verò magis conuenire paruitatem. Nam longi & proceri ſenes quum ob pedum infirmitatem non poſſunt tantam corporis molem ſuſtinere, incuruantur, & gibboſi redduntur. Longitudo autem corporis eſt à calido humido, quæ duo faciunt plurimùm ad incrementum. Contrà paruitas eſt à caliditate & ſiccitate. Ob ídque omnium ferè conſenſus eſt, paruitatem facere ad prudentiam, ſa-

gacitatem, & ingenij acumen: quia ſenſus in ſicco expeditiſſimi, quæque in rem ſiccam imprimuntur, pertinaciùs inhærent. At ſtatus corporis longus facit ad pulchritudinem, magiſque (vt diximus) iuuentutem decet, quàm ſenectutem.

## SCHOLIA.

*Qvadratura corporis, quoniam optimæ temperaturæ eſt argumentum, in iuuenibus ac ſenibus laudatur. Craſsitudo in vtriſque redarguitur. Carnoſitas in vtriſque commendatur. Latitudo medium inter vtrunque obtinens, nec laude nec vitio caret, quoniam cerebri magnitudinem & cordis calorem imitatur, & vulgò viuaces perhibentur, qui latis humeris naſcuntur. Sola igitur corporis longitudo in iuuenibus liberalis ac decora, in ſenibus verò inutilis: quia vires effœtæ languent, nec ſpiritus tantæ molis potentes ſunt: eadem in ſenibus peior eſt breuitate, quia hi ſtatim adueniente ſenectute gibboſi fiunt & incuruantur.*

Secundæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIVS TERTIVS.

## *APHOR. I.*

Αἱ μεταβολαὶ τῶν ὡρέων μάλιστα τίκτουσι νοσήματα, καὶ ἐν τῇσιν ὥρῃσιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαὶ ἢ ψύξιος, ἢ θάλψιος, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον οὕτως.

*Mutationes temporum potiſſimum pariunt morbos & in ipſis temporibus magnæ mutationes aut frigoris aut æſtus, cæterorúmque ad proportionem his reſpondentium.*

IN hoc primo Apho. mutationes temporum (interprete Gal.) ſunt alterationes aëris ſecūdum tempeſtates anni. hæ autem alterationes cùm fiant ſecūdum quatuor primas qualitates, primùm animaduertere oportet ad calidum & frigidum: deinde ad humidum & ſiccum. Ea itaque eſt Hippocratis ſententia: in temporum mutationibus colligi ſolent morbi multi, vt quum mutatur hyems in ver, & ſic de aliis. Verbi gratia: vere gignuntur febres continuæ, tertianæ, gignuntur denique morbi multi à plenitudine, ob copioſam materiam hyeme collectam. Quæ materia cùm hyeme quieſceret, iam cum veris tepido calore mouetur, ac in hanc vel illam partem (vt quæque imbecilla eſt) defluit. Mutationes igitur tem-

porum pariunt morbos, ſed potiſſimùm & longè facilius, vbi eæ ſunt magnæ & repentinæ. hoc quidem dictum eſt in genere: non tamen ſatis eſt. Nám quemadmodum eſt mutatio hyemis in ver, &c. quæ morbos creat: ita etiam mutatio eſt caloris in frigus, frigoris in calorem, &c. in vnaquaque anni parte, in ſingulis menſibus in vno & eodem die. In vere (verbi gratia) mutatio inducit morbos: vt quum menſe Martio, aut etiam Aprili, aliquando calor tepidus derepente mutatur in vehemens frigus: præſertim vbi Sol Taurum ingreditur. Sic quum autumno eadem die calor eſt & frigus. Alia præterea eodem modo morbos excitant, hoc eſt, aliæ mutationes repentinæ & magnæ: vt ab humiditatibus ad ſqualores, à ventorum copia ad eorundem defectum.

## SCHOLIA.

*HAc ſectione tertia duo explicantur. Vnum, quantas vires temporis cuiuſque temporumque ádinuicem mutationes habeant ad morborum generationes, & ad ſeruandas alterandáſque naturas: quóſque ſingula anni tempora morbos procreent. Alterum, ſingularum ætatum proprij ac peculiares morbi numerantur. Initium autem potiſſimum ducitur ab anni tempeſtatibus: quòd illæ ab aere, qui inter cæteras cauſas morborum, vires habet potentiſſimas ad morbos procreandos, ſuas alterationes ac viciſſitudines nanciſcantur. Sunt enim omnium morborum tres generales occaſiones. Error victus, temperaturæ vitium, & aeris intemperies. Eſt autem duplex anni tempeſtas, particularis & vniuerſalis. De particularibus anni tempeſtatibus agit Hipp. in Epid. in quibus incipit ab autumno, deinde de hyeme, tum de vere, poſtremo de æſtate: ſecutus morem veterum qui initium anni faciebant ab æquinoctio autumnali. Hîc vero deſcribit vniuerſales anni tempeſtates, in quibus pri-*

mum conſiderat qualitates actiuas, calorem & frigus: deinde paßiuas, humiditatem & ſiccitatem: ſimulque expendit vim ventorum, potißimum auſtri & aquilonis, non neglectis interim aliis, vt qui Zephyrorum mentionem faciat in Epid. fructus autem huiuſce ſectionis is eſt. Vt medicus animaduerſa, vbicunque medicinam faciet, anni conſtitutione, morbos futuros præſagiat, eoſdemque remediis anteuertat, & præſentibus medeatur. Exempli gratia, ſi tota anni conſtitutio fuerit calida, morbi quoque erunt calidi: ſi humida, humidi &c. Si tota fuerit ſalubris, vt cum potius eſt ſicca quàm humida, ſalubria erunt corpora. Ita, ſi gignantur morbi, cognitis ex anni conſtitutione cauſis, faciliùs inſtitues remedia: vt, ſi annus humidus præceſſerit, intelliges morbum fieri à multa humiditate: dabis itaque remedia concoquentia & ſiccantia: ita in aliis. Ergo ſeptem anni partium importunitates, & à ſuo naturali ſtatu defectiones, cum ſcilicet neque ὡραῖα neque ὡραίως fiunt (vt cum æſtatis calidæ in frigidum: & hyemis frigidæ in calidum fit mutatio) quales fuiſſe legimus tres illas deſcriptiones lib. 1. Epid. potißimum, quod ſcilicet in aëre ſit maior vis ad immutandum corporis habitum & humorem, quam in diæta: pariunt morbos epidemiæ ſimplices & peſtilentes, qui ſub diſperſorũ ſpecie in hominum vitã inuadũt: atq; hi omnes aëris vitio ſpiritus, humores, parteſque ſolidas immutantis principia cauſaſque ducunt à cacochymia aut corruptione. Pariunt quoque morbos, quæ in ſingula tempora inſignes cadunt mutationes, frigoris aut caloris, humiditatis aut ſiccitatis, non modo diuerſis diebus, ſed eodem die, quãuis cætera bene morata, aliáque omnia ſint pro cauſſæ cuiuſque efficientis natura & ſuſcipiẽtis affectione: quales ſunt vẽtorum flatus, & regio quæ ab aeris tẽperatura vim habent immutandi corpora. Tempeſtates autẽ anni, earumque partes non à ſolis motu, nec à certo menſiũ numero, vt aſtrologi, ſed ab ipſa aeris affectione ac tẽperatura diſcernũt medici.

*Quomodo ſeptem anni tempora ex antiquis aliqui ſtatuerunt, vt annotauit Gal. in libris de morbis vulgaribus: & Hippocrates libro de ſeptimanis: ver, ab æquinoctio verno vſque ad Vergiliarum ortum: Æſtatem, ab ortu Vergiliarum ad canis exortum: Tertium, ὀπώρα à canis exortu. Quartum, φθινόπωρον, hoc eſt autumnum ab ortu arcturi. Quintum, σπόρητον, id eſt ſementem, ab occaſu arcturi: ſextum, hyemem ab occaſu pleiadum: ſeptimum φυταλίαν, quod inſerendis arboribus ſit opportunum, à flatu Fauonij circa decimum diem Februarij, cum violæ purpureæ florere incipiunt.*

## APHOR. II.

Τῶν φυσίων αἱ μὲν πρὸς θέρος, αἱ δὲ πρὸς χειμῶνα εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι.

*NAturarum quædam ad æſtatem, aliæ ad hyemem benè aut malè ſe habent.*

NAturam hîc accipit pro κράσει & temperatura, quę ex quatuor conſtat elementis. Iam quoniam ex axiomate medico intelligimus ſimilia ſimilibus conſeruari, & contraria contrariis corrigi atque immutari: ponamus duo corpora calida & ſicca: vnum, quod ſalubriter viuat (poteſt enim eſſe corpus calidũ ſiccum, quod tamen ſit ſanum & temperatum) alterum, quod inſalubriter: vt quod vltra modum ſit calidum ſiccum. Quæ ſalubriter viuunt corpora calida ſicca, vt conſeruentur, egent ſimilibus, calefacientibus & ſiccantibus, qualis eſt æſtas. Quæ verò vltra modum calida ſicca inſalubriter viuunt, vt immutentur in melius, & propiùs reuocentur ad medium temperamentum, egent contrariis, nempe humectantibus & refrigerantibus, ídque paulatim. Itaque naturæ quædam bene ha-

bent æſtate, vt ſenes temperamento frigidiore & humidiore quam par ſit: Æſtas enim eos reuocat ad melius temperamentum. Sic fœminæ frigidiores & humidiores bene afficiuntur æſtate. Præterea iis qui in calido ſicco temperamento ſalubriter viuunt, familiaris eſt æſtas. Illæ verò naturæ bene habent hyeme, quæ temperaturam habent hyemi contrariam: quę tamen modum excedit, Iis præterea hyems eſt familiaris, qui cùm ſint humido & frigido temperamento, in eo tamen ſalubriter degunt. Quemadmodum piſces etiamſi ſint frigidi humidi, viuunt tamen ſalubriter in aquis: vt potę quæ illis ſunt familiares.

## SCHOLIA.

*MAximum eſt in cuiuſque natura momentum ad ea quæ cuique accidunt ſuſcipienda aut declinanda. Nomine autem naturæ, temperaturam intelligemus non modo genuinam, ſed & acquiſititiam ſiue ratione ætatis, ſiue aëris, ſiue victus, ſiue cuiuſuis alterius conſuetudinis fuerit contracta. Natura itaque cuiuſque, quæ habet exceſſum, bene ſe habet ad temperaturam aëris ſibi contrariam: nam à ſimilibus ſuæ intemperiei cauſis læditur, ſeruatur autem modico contrariorum vſu. Quæ verò nullum habet exceſſum, à ſimili bene habet, malè autem à contrario. Sic enim pituitoſa corpora benè habent æſtate, malè autem hyeme. Bilioſa & gracilia corpora bene hyeme, malè autem æſtate. Temperatè calida corpora, benè ad æſtatem, malè ad hyemem: ſi quidem ab æſtate ſeruantur, ab hyeme alterantur.*

## *APHOR. III.*

ΤΩ͂ν νούσων ἄλλαι πρὸς ἄλλας εὖ ἢ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας, καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

*MOrbi alij ad alia tempora benè vel malè ſe habent, & quædam ætates ad tempora alia & loca, & aliud victus genus.*

QVemadmodum mutationum temporum maleficium eſt, ita & eſt beneficium. Nam vt gignuntur morbi certa conditione tempeſtatis, ita & ſoluuntur. Ac cum in morbis generationem & ſolutionem ſpectemus, generatio quidem eſt à ſimilibus, ſolutio verò à contrariis. Itaque vt æſtas gignit morbos calidos ſiccos, ita ſoluet frigidos humidos. Contrà de hyeme. Eodem modo & ætates gignunt & ſoluunt hos vel illos morbos. Exempli gratia: iuuentus cùm ſit calida ſicca, opportuna eſt morbis ſimilibus: & contrà corrigit frigidos humidos, vt epilepſiam pituitoſam. Procliues item ſunt magis & minùs ad hæc vel illa tempora Nam iuuentus biliosa peius ſe habet æſtate, & contrà meliùs hyeme. Regiones quoque ætatibus accommodantur, & victus rationes. Nam ætatem calidam ſiccam ſi velimus conſeruare, id faciemus in regione ſimili, & ſimili victus ratione: ſin immutare contrariis, transferemus ad regionem frigidam humidam, & talem victus rationẽ. Quare huius Aph. ſenſus eſt: Morbi quidam gignuntur magis quibuſdam anni temporibus, & aliis ſoluuntur magis. Sic ætates aptæ ſunt magis aut minùs his temporibus, locis, victus rationibus.

## *SCHOLIA.*

*VT naturæ corporum benè vel malè ſe habent ad tempora: ſic morbi, benè aut malè ſunt conſtituti ad anni tempe-*

*ſtates, non ſolum quod ad generationem aut ſolutionem ſui, ſed & quod ad ſpeciem, magnitudinem morum & motum attinet. Naſcuntur ſiquidem tum per ſe, tum ex euentu: ac exacerbantur facilè in temporibus ſuæ intemperiei ſimilibus: propulſantur, aut abiguntur in contrariis. Sic febres ardentes facilè generantur æſtate: ſoluuntur ac abiguntur hyeme, ob ſuppreſſionem humoris bilioſi, qui in peculiari natura cuiuſque redundare conſueuit. Ætates quoque benè vel malè ſunt affectæ aut conſtitutæ ad anni tempora, vt Aphor 10. & 11. lib. huius patet: & ad regiones, vt iuuentus benè habet in regionibus frigidis: ſenectus benè degit in calidis: & ad victus rationem cum inſtituto coniunctam: vt Thaſius vini generóſi vſu, quo abundabant cum ſitu Aquilonibus expoſito, peſtilentiæ periculum vitabatur.*

## *APHOR. IIII.*

ΕΝ τῇσι ὥρῃσι, ὅταν τῆς αὐτῆς ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γένηται, φθινοπωρινὰ τὰ νοσήματα προσδέχεσθαι χρή.

*IN temporibus cùm eodem die modò quidem calor, modò frigus, autumnales morbos expectare oportet.*

QVi ſint Autumnales morbi in genere dicet pòſt Aphor. 22. Qui verò ſint morbi Autumnales ab Autumni inæqualitate, habes tertio ſtatu Epid. hoc enim lib. proponit ſententias vniuerſales, quarum particularis exercitatio ſumi debet à lib. Epid. Sunt qui putant Hippocratem hîc loqui tantùm de vnius diei inæqualitate, quando ſcilicet eodem die modò calor eſt, modò frigus: ſed non id tantum innuit. Nam (vt eſt ſeptimo ſtatu Epid.) ſi etiam non ſolùm in vno eodémque die, ſed etiam in duobus, tribus, quatuor,

aut pluribus diebus ſeſe deinceps conſequentibus alij ſint calidi, alij ſtatim frigidi (quæ dierum inæqualitas omnibus anni tempeſtatibus, potiſſimum verò Autumno fit) morbos Autumnales expectare oportet, hoc eſt, inæquales. Duplex autem genus eſt morborum inæqualium. Quidam enim dicuntur ἀνώμαλοι, nempe qui non ſeruant ordinem in temporibus ſuis vniuerſalibus: ſed modò torpent, modò excitantur, aliquando per interualla, aliquando per certos dies. Alij ſunt ἄτακτοι qui nullum ordinem ſeruant, neque iudicantur ſecundum dies criticos. Sed cùm in morbis inæqualibus nulla ſit obſeruatio dierum criticorum: hîc intelligemus Autumnales morbos, qui modò torpent, modò excitantur. Huiuſmodi autem morbi anomali & atacti ferè iudicantur mali: ſiquidem ab his æger aut moritur, aut difficulter releuatur. quales morbi quia autumno potiſſimũ fiunt (aliis enim tempeſtatibus fieri poſſunt) ideo Autumnales dicuntur.

## *SCHOLIA.*

*Prognoſticum eſt morborum futurorum ratione temperaturæ aëris, è qua potius quàm à ſolis motu, anni tempeſtates definiendæ ſunt, ita vt quacunque anni tempeſtate modò calor modò frigus vigeat (qualis aëris conſtitutio Autumno propria eſſe conſueuit) Autumnales morbi ſint ſperandi: ſiquidem temporum temperaturæ non ipſorum appellationes morborum ſunt cauſæ. In ea ergo aëris conſtitutione, cum eodem tempore aut die modo caloris modo frigoris dominatu cœlum tenetur, ea aëris conſtitutio diu perſeuerarit, & pluribus diebus contigerit: Autumnales morbi expectandi ſunt; ſpecie & indiuiduo Autumnales: ac ſpecie quidem, humoris melancholici, qui Autumno viget, ſoboles: quales ſunt quartanæ febres, erraticæ,*

*lienes, aqua inter cutem: Indiuiduo, inconſtantes, mali iudicij, concoctu & excretu difficiles, quales in inconſtantibus temporibus morbi fiunt potiſsimum in iis, in quibus caloris & frigoris mutationes celeriores & breuiores accidunt.*

## *APHOR.* V.

Νότοι βαρήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι πάσχουσιν· ἢν δὲ βόρειον ᾖ, βῆχες, φάρυγγες, κοιλίαι σκληραὶ, δυσουρίαι, φρικώδεες, ὀδύναι πλευρέων, στηθέων· ὁκόταν οὗτος δυναστεύῃ, τοιαῦτα ἐν τῇσιν ἀρρωστίῃσι προσδέχεσθαι χρή.

*AVſter auditũ hebetat, caliginẽ viſui obducit caput grauat, membris tarditatẽ & languorem conciliat. Quum itaque ea tempeſtas increbreſcit, talia inualidis accidunt. Contrà aquilo tuſſes mouet, fauces exaſperat, aluum indurat, vrinam ſupprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hoc itaque dominante, talia infirmos expectare oportet.*

VEteres (vt Homerus & alij) quatuor tantùm ventos ponebant, Notum, Boream, Zephyrum, & Eurum, qui etiam dicitur Subſolanus. Hipp. meminit tantùm duorum, Noti & Boreæ: vnde tamen non inferendum eſt, eum duos tantùm ſtatuiſſe ventos, cùm in Epid. meminerit etiam Zephyrorum. Porro Auſter Latinis, νότος Græcis ita vocatur, quia ferè nebuloſus eſt, & humectus, authore Gellio. Vnde qui de hoc vento ſcripſere, omnes humidum & calidum fecerunt. Sed (Gal. teſte) duplex eſt medicis Auſter. Vnus Auſter ſimpliciter dictus, qui calidus eſt &

humidus, nebuloſus, pluuius; aliquando mollis; & aliquando vehemens. Alter (de quo mentionem facit Hippocrates in Epid.) Leuconotus, qui dicitur ſiccus, quia purum facit cœlum, & ferè ſine pluuiis eſt: vnde etiam Ariſt. in problem. ἄνυδρον vocat, non quòd nullo modo ſit humidus, ſed quia minus habet humiditatis quàm ſiccitatis. Et præterquàm quòd ſiccus eſt, aliquando etiam eſt frigidus. Hîc itaque intelligimus non Leuconotos, ſed Auſtros ſimpliciter, id eſt calidos & humidos ventos, nebuloſos & pluuios: non eos qui ſunt coniuncti cum ſqualoribus, vt lib. 1. Epid. Verùm in huiuſmodi Auſtris non ſolùm conſiderandum eſt, quod calidi ſint & humidi: ſed etiam quomodo ſe habeant ad regionem in qua agis. Nam cùm ex Auſtris alij ſint mediterranei, alij mi: hi (vt cæteri omnes maritimi) vicinis regionibus & inſalubres: nobis verò qui ab huiuſmodi ventis ſumus quodammodo auerſi, & prætereà, quia franguntur antequam ad nos perueniant, non multum nocent. Maritimi verò & Occidentales venti huic regioni ſunt inſalubres: Mediterranei & Orientales, ſalubres. Contrà in Italia ſe res habet. Verùm ex Mediterraneis periculoſi ſunt in hac regione venti, qui oriuntur ex lacubus, paludibus, quales ſunt antelucani, qui flare ſolent donec ſol incaluerit. Si qua regio vel ciuitas obiecta eſt auſtris, quod proditum eſt de Aſia & Mitilene ea obnoxia deſtillationibus à capite, & aliis morbis quos adfert Auſtrina conſtitutio, de quibus hîc fit ſermo. Sic Rotomagum vrbs eſt admodum inſalubris, quia ab auſtris maritimis & occiduis perflatur. Vtrimque enim montes

oppoſiti prohibent vrbe Aquilones & ventos Orientales, quos diximus nobis eſſe ſalubres. At ventus Aphricus, qui flat non longè ab occidente, eſt hîc periculoſiſſimus, ſolétque morbos peſtilentiales inuehere. His poſitis, Auſter auditum hebetat, &c. Quod non ſolùm de auditu, ſed & reliquis ſenſibus eſt intelligendum. Cerebrum ſiccum (vt eſt primo lib. Epid.) expeditiſſimum eſt ad ſuas actiones, meliúſque ſe habet ad imaginationem, ratiocinationem, memoriam, viſum, auditum, &c. Deinde cùm duo ſint animæ ſeu facultatis animalis inſtrumenta, ſpiritus & nerui: ſpiritus quò purior eſt & magis æthereus, eò rectiùs ſuas functiones obit: item, nerui quò ſunt ſicciores, & minus flaccidi. His accedit quòd ad perfectam viſionem, auditionem, &c. oportet medium ipſum, hoc eſt, aërem eſſe purum & minimè tenebricoſum. Atqui Auſtri humiditate ſua immodica cerebrum replent multis humoribus & vaporibus craſſis: ſpiritus reddunt turbulentos, craſſos, & caliginoſos: neruos faciunt languidos & imbecilles: aërem efficiunt impurum & caliginoſum. Eadem ratione auſtri ſunt ἀχλυώδεις: ſiue intelligas de oculis qui viſum habent impurum & caliginoſum: ſiue etiam de ſpiritu illo interno tum viſorio, tum ſenſorio & motorio. Αχλυὼ aëris perturbationem vocant Græci: vnde oculi dicuntur ἀχλυώδεις, idque duobus modis. Nam ἀχλυώδης eſt oculus, qui nobis aſpicientibus apparet impurus & tenebricoſus, vt in mortuis. ἀχλυώδης etiam eſt oculus, quando nobis viſus eſt impurus & caliginoſus. Sic auſtri ſunt καρηβαρικοὶ, id eſt, capitis dolores graues inferunt, quia immodica humiditate & vaporibus multis opplent caput. Hinc eſt, quòd vbi videmus quem-

piam

piam cerebro & aliis partibus ſuperioribus eſſe imbecillum; vetamus alimenta vaporoſa: quemadmodum vbi quis opportunus eſt partium inferiorum morbus, vt herniæ, calculo, ei alimentis craſſis & terrenis (qualis eſt aqua limoſa, vinum craſſum, &c.) interdicimus. Quinetiam pigros reddunt & languidos: quia neruorum principio humiditate nimia læſo, neceſſe eſt neruos quoque humectari & diſſolui, languidóſque effici: vnde redditur pigrum corpus ad motus voluntarios, & languidum. Horum autem omnium cauſa eſt auſtrina conſtitutio quæ præualuit (hoc enim eſt δυναστεύῃ) id eſt, quum Auſtri flant & diutiùs, & vehementiùs, & magna parte anni. Niſi enim ſint vehementes, & longo tempore durent, cæteris ventis præualere ac dominari non poterunt. Exempli gratia, ab initio Februarij ad medium Martium flant Fauonij, qui terram laxant & molliunt, ſuccúmque mouent: iis ſuccedunt Auſtri qui fundunt & liquant terræ ſuccum, vt fiat rerum generatio. Hi Auſtri quia molles ſunt, nec diu durant, non efficiunt Auſtrinam conſtitutionem. Per Auſtros autem hoc loco intelligimus ventos calidos & humidos, vt comprehendamus & Euronotum, qui flat præſertim inter meridiem & occaſum hybernum: & Libanotũ, qui flat inter meridiem & ortum hybernum: ſoléntque ij venti, præter ea ſymptomata quæ ex Hipp. allata ſunt, gignere etiam putria vlcera, præſertim in ore & pudendis. Atque hactenus de Auſtrina conſtitutione. Altera ſententiæ pars nobis proponit Aquiloniam cõſtitutionem, τὸ βόρειον κατάστημα. Vbi per Aquilones intelligemus & Aparctiam, qui flat à puncto Septentrionis, & Aquilonem, qui flat inter Aparctiã & æſtiuum, ſiue ſolſtitia-

lem ortum, ac deinceps Eteſias, qui quidem omnium confeſſione omnium ſunt ſaluberrimi, adeò vt etiamſi præceſſerint Aphrici, multa denique quæ morbos peſtilentiales & alios ſignificent, tamen aquilones & Eteſiæ, morbos ſuo aduentu pellant, reddántque annum ſaluberrimum: intelligendum tamen ſaluberrimos dici, non quod morbum nunquam immittant, ſed aliorum ventorum comparatione, vt ver dicitur ſaluberrimum, non quod nullos morbos admittat, ſed quia minimum omnium eſt inſalubre. Per hanc ergò conſtitutionem fiunt tuſſes: inſpirato videlicet aëre frigido, qui aſperam arteriam aliáque inſtrumenta reſpirationi inſeruientia lædit. Aquilo enim omnibus thoracis partibus eſt inimicus. Hæc quidem tuſſis eſt à ſola intemperie (in qua nihil expuitur) ſed tamen eſt & alia tuſſis ex humorum à capite in thoracē fluxione, vt quum auſtrinam conſtitutionem Aquilonia ſequitur. Poſtquam enim Auſtri repleuerunt caput multis humoribus & excrementis, ſuperueniens Aquilonis frigus, è cerebro tanquam è ſpongia comprimendo exprimit illam materiam, delabíque facit in fauces, vnde tuſſis in qua plurimùm expuitur. Sic φάρυγγες, id eſt faucium morbi ſeu aſperitates (ſic enim ſæpe Hippocr. notato loco affecto morbum eiuſdem loci intelligit) fiunt imbibito aëre frigido, qui eas inæqualiter deſiccat & exaſperat. Itē fiūt alui duræ quinque de cauſis: trib. ex Gal. com. in hunc Aph. & duabus (quas etiam lib. ſuperiore in Aph. vigeſimū memorauimus) ex lib. 6. Epid. part. 5 Aph. 2. vbi ait Hipp. frigiditas ea, quæ circa ventriculum ſunt, indurat. Prima eſt, quia frigido ſicco vis retentrix confirmatur, & expultrix de-

bilitatur. Secunda, quia per Aquilonem corpus vniuerſum exſiccatur. Tertia, quia corpus ita reſiccatum attrahit ab inteſtinis humiditatem, vt excrementa relinquantur ſicciora. Quarta, quia calor natiuus intrò à frigore compulſus, vt maior eſt, ita fit melior concoctio, melior diſtributio & nutritio, vnde minus excrementi ſupereſt. Quinta eſt, per vehemens frigus iis maximè qui femoralia non geſtant, vt ſunt mulieres, ſaltem vrbanæ, non aulicæ, in quibus ſphincter ani & rectum inteſtinum conſtringuntur, adeò vt inteſtinorum motus ſit potius ſurſum quam deorſum. Vrinæ difficultates facit Boreas, quia cùm veſica ſit neruoſa, membranacea & exanguis, promptè à frigido offenditur. Hi autem meiunt cum dolore. Quòd item horrores excitet, non eſt mirum: cùm ſit admodum frigidus. Sic de laterum & pectoris doloribus: quia reſpiratoriis partibus eſt infeſtus. Hinc etiam hyeme multæ pleuritides, præſertim vbi præceſſerunt Auſtri Aquilones. Nam cum partes thoracis ſint imbecillæ à frigore, Aquilo humiditatem per Auſtros collectam in eas exprimit à capite, & cum ob imbecillitatem nequeant illam materiam aliò tranſmittere, ibi gignuntur pleuritides. Quamobrem quando præualuerit Aquilonia tempeſtas, hoc eſt, Aquilo vehementiùs, diutiùs, & magna parte anni flauerit, talia in morbis ſymptomata expectare oportet.

## SCHOLIA.

*QVod generatim de aëris mutatione ad morbos procreandos vim maximam habente dictum eſt: hîc ſpeciatim confirmatur, exemplo petito à ventorum flatibus, à quibus aëris conſtitutio magna ex parte dependet. Eſt enim ventus nil aliud quàm motus aër, qui diuerſa ſortitur naturam ac qualitatem pro variis regionibus ac locis vnde ſpirat. Licet autem quatuor præcipuè ſint venti, tot nimirum quot ſunt mundi cardines: inter cæteros tamen Auſter & Aquilo vim habent potentiſſimam ad pariendos morbos: qui hic intemperaturas inſignes obtinent. Auſtrina ſiquidem tempeſtas quæ à meridie ſpirat, quia ventis placida humida eſt & calida, auditui grauis eſt, reſoluta vi audiendi, oppletis meatibus, & impuritate ſpiritus animalis, caliginem ac tenebras obducit oculis, humoris aquei, ſpiritus viſorij & aëris impuritate. Capitis grauitatem adfert augendo cerebrum ſymptomate plenitudinis pituitoſa. Toti corpori lentitudinem & reſolutionem parit, madefacto neruorum principio, & impedito ſpiritus animalis appulſu, & carnibus effœminatis. Quotieſcunque igitur talis tempeſtas diu multúmque cœli potens fuerit, vel ſuo dominatu cœlum tenuerit, huiuſcemodi ſymptomata ferè in morbis experiuntur ægri, non tam naturæ aut morbi ipſius motu, quàm pro cathartica ipſius cauſæ potentia: fiunt enim (exempli gratia) vlcera ſordida flante auſtro, humoris vitioſi ad partem vlceratam affluxu, & alimenti inopia. Sin autem Aquilonia tempeſtas (quæ à Septentrione ſpirat) fuerit & ingruat, quia ſicca eſt & frigida, tuſſes mouet, partim ſiccas, exaſperatis inſtrumentis reſpirationis ab intemperie frigida, partim humidas, à defluente humore à cerebro compreſſo vi frigoris Aquilonij. Faucium aſperitates, imo etiam inflammationes earundem, vt anginas ſecundæ & tertiæ ſpeciei. Aluos duras, coctionis & diſtri-*

*butionis bonitate, infirma vi expultrice & robuſtá retentrice, excrementi humoris facibus permixti conſumptione, ſphincteris aſtrictione, & inteſtinorum motu orbiculari contrario naturali infernè ſurſum. Difficultates vrinæ, vrinæ ipſius acrimonia, & partium vrinæ dicatarum vitio. Horrores, tum febris expertes, tum ſymptomaticos. Dolores laterum, inflammationis participes, à ſanguinis affluxu, aut expertes, ab humore ſeroſo. Pectoris etiam dolores, quia frigidum inimicum pectori. Quanquam hæc omnia in ægris ſemper ſub Aquilonia tempeſtate expectare non debes, ſed ſi diutius durauerit. Non enim in momento, ſed ſpatio temporis corpora vitiantur.*

## *APHOR. VI.*

Ὁκόταν θέρος γένηται ἦρι ὅμοιον, ἱδρῶτας ἐν τοῖσι πυρετοῖσι πολλοὺς προσδέχεσθαι χρή.

*QVando æſtas fit ſimilis veri, ſudores in febribus copioſos expectare oportet.*

VEr temperatum eſt, hoc eſt, calidum humidum: cui ſi contingat æſtatem eſſe ſimilem, copioſi erunt ſudores in febribus. Ratio eſt, quia multa eſt materia, eáque vere attenuata, calor internus materiam illam diffundit in corporis ſuperficiem, calor externus attrahit, vterque calor laxat cutim: quare neceſſe erit multos ſequi ſudores. Intelligit autem ſudores criticos, hoc eſt, qui fiunt diebus criticis non ſolùm in febribus, ſed etiam in aliis morbis qui ſudore finiuntur. Quando verò fiant ſudores critici, docebit ſectione quarta. Gal. lib. 1. de criſibus citat ex hoc loco Aphoriſmum. Quando ver fit ſimile Autumno, morbos Autumnales expectare oportet: qui Aphoriſm. cum

in hoc libro non reperiatur, poterit huic ſententiæ adjungi, vel certè ex quarto huius ſectionis repeti, Quando eodem die, &c.

### SCHOLIA.

*PRognoſticum ſudorum in febribus ex mutatione temperaturæ æſtatis, quæ calida ſicca eſſe debet, in conſtitutionem vernam, quæ calida ac humida eſt temperatè. Tales autem ſudores non tam à natura febris, & motu humoris morbifici fiunt, quàm à redundante humore tum morbifico, tum alieno ob aëris conſtitutionē calidam & humidam. Per ſudores autem tales, criſim habent febres huiuſmodi. Quia, quò natura & humor viam affectant, eò criſeon inclinationes fiunt. Nam non ſolum anni tempora morborum hyparxin conſtituunt in humore morbifico & partibus: ſed etiam vt ſunt anni tempora huiuſmodi aut illius modi: ſic variæ criſeon, aut periodorum, aut paroxyſmorum inclinationes fiunt, ſecundi aut ſiniſtri iudicij.*

### APHOR. VII.

Ἐν τοῖσιν αὐχμοῖσι πυρετοὶ ὀξέες γίνονται. καὶ ἢν μὲν ἐπὶ πλεῖον ᾖ τὸ ἔτος τοιοῦτον ἐὸν, οἵην τὴν κατάστασιν ἐποίησεν, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ καὶ τὰ νοσήματα τοιαῦτα δεῖ προσδέχεσθαι.

*MAgnis ſiccitatibus febres acutæ fiunt. Quod ſi annus magna ex parte talis eſſe pergat, qualem temporis ſtatum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet.*

ΑΥχμὸν vocant proprie Græci ſiccitatem extremam. Hîc tamen αὐχμοὺς intelligit Hippo. ſiccitates modum ſuperantes, & maiores quàm conueniat: ſiue eæ ſint extremæ, ſiue non. Poteſt enim eſſe ſiccitas extre-

ma, quæ tamen ſit temperata. Ergò per ſiccitates, hoc eſt, anni tempora iuſto ſicciora, febres acutæ fiunt, id eſt, celeres & periculoſæ: quia in eiuſmodi conſtitutionibus ſiccitas reddit humores bilioſos, qui ſubinde febres pariunt acutas. Notandúmque, in omni exceſſu quatuor primarum qualitatum partes corporis principes imbecilliores reddi. Hinc colliguntur multi humores crudi & craſſi, à quibus quum ſe explicare non poteſt natura infirma, fiunt venarum interceptiones & obſtructiones, ab his putredines, à quibus febres. Ruſſus tamen hîc per feb. acutas intelligit febres peſtilentes, carbunculos, bubones: & rectè ſanè. Nam verum quidem eſt humiditatem minùs ſiccitate eſſe ſalubrem, & in conſtitutione calida humida febres peſtilentes gigni ſolere: gignuntur tamen etiam in vehementiſſimis ſqualoribus. Per hos enim exuritur humor, materia peſtis & carbunculorum: quam materiam cùm per imbecillitatem nequeat expellere natura, fit obſtructio & putredo, vnde febris peſtilens & carbunculi. Addit porrò Hippocr. Et ſi quidem annus magna ex parte talis fuerit, qualem fecerit conſtitutionem: hoc eſt, vt magis vel minùs ſuperet iuſtum modum ſiccitatis, morbos quoque tales, id eſt, magis vel minùs acutos, magis periculoſos vel minùs periculoſos expectare oportet.

## *SCHOLIA.*

*Prognoſticum morborum futurorum, vbi conſtitutiones temporum plus æquo ſiccæ ſunt, non extremè ſiccæ. Per ſquallores igitur cen ſiccitates quæ potius ab ardore quàm,*

*à frigore, aut pluuiarum inopia fiunt, & quæ coniunctum habent calorem, non inſignem tamen: febres acutæ fiunt, continuæ vel intermittentes, eſſentiales & ſymptomaticæ: quòd ſcilicet venulæ arefactæ attrahunt ad ſeſe bilioſos humores, quorum perennis generatio eſt in ſiccis temporibus. Atque ſi bona pars anni euiſmodi fuerit, qualem cepit inire conſtitutionem, Aquiloniam ſcilicet, vel Auſtrinam, inæqualem, calidam ſiccam, frigidam ſiccam: maximam partem expectare oportet morbos, qui earum tempeſtatum naturam ſequantur, eſſentia, materia, parte obſeſſa, vt Auſtrina tempeſtate caput afficiatur, Aquilonia thorax: deinde ſymptomatis cauſis, periodis, paroxyſmis & criſibus.*

## *APHOR. VIII.*

ΕΝ τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὡραῖα ἀποδιδῶσιν, εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι.

*CErtis temporibus & ſuam tempeſtiuitatem ſeruantibus, certi & tempeſtiui, ac iudicatu faciles morbi fiunt. Incertis autem & alienis, incertæ quoque ægrotationes fiunt, & ad iudicandum difficiles.*

MOderata tempora, vocat conſtantia. Conſtans annus eſt in eo maximè, quum tempora ordine quodam ſeruant ſuam temperaturam, ita vt in qualitatibus nullus ſit exceſſus. Verbi gratia, ver quum ſeruat ſuam temperaturam, calidum eſt & humidum, ſed ſine exceſſu: ſic æſtati non ſatis eſt vt ſit calida ſicca, ſed debet eſſe abſque exceſſu. Et autúnus non debet excedere modum in æqualitate caloris & frigoris, nec in ſiccitate: ſed deſcendant pluuiæ, inquit Hippo. hyems ſeruato

debet mediocritatem in frigiditate & humiditate. Atque ita totus annus conſtans erit. Quinetiam in conſtantib. temporibus ſpectandæ ſunt ſerenitates & ſiccitates tempeſtiuæ, pluuiarũ per interualla deſcenſus, ventorum ordo tempeſtiuus. In quo ſemper cauet natura, ne ſubitam (quæ periculoſa eſt) faciat mutationem. Si quidem ne repentinus tranſitus ab hyeme ad ver graues morbos pariat, à medio Aquarij ad principium Arietis, hoc eſt ab initio Februarij ad medium Martium, aut circiter, immittuntur Zephyri qui corrigãt hyemis temperaturam, & laxent atque emolliant terram & corpora, ſuccoſque moueant. Quo etiam tempore adueniunt hirundines & aliæ auiculæ: vnde hi venti dicuntur quoque Chelidonij & auiculares. his ſuccedunt Auſtri molles, qui fundunt & eliquant corporis humores, ſuccumque terræ, vt fiat rerum generatio. Sub his comprehendimus & Lybonotum, qui flat inter meridiem & ortum hybernum: & Euronotum, qui flat præſertim inter meridiem & occaſum hybernum: & Aphricum, qui flat non longè ab occidente. Qui venti ſolent hîc peſtilentiales morbos gignere, & putria etiam vlcera, præſertim in ore & pudendis. hi omnes venti calidi & humidi non flant diutius, ſed non multo pòſt conuertuntur rurſus in Zephyros, qui ſpirant vſque ad ortum Vergiliarum. Per quos flatus medius Martius & tot⁹ Aprilis cum magna parte Maij debet eſſe temperatus. In Vergiliarum ortu oriuntur Subſolani, venti maritimis humidi, nobis calidiores & ſicciores, flantque vſque ad Caniculam, hoc eſt, ad Iulium menſem. Per totum hoc tempus debet paulatim aër incaleſcere & ſiccari: vt ſub canicula ſit magnus ardor & æſtus. Sed exortum Caniculæ (inquit Plin.)

præcedunt octo ferè diebus Aquilones, qui dicuntur πρόδρομοι. At poſt ortum Caniculæ ad temperandum eius æſtum & ardorē immittuntur Eteſiæ, qui flant quadraginta dies, vel (vt aliis placet) 60. quanquam hi ferè in omnibus anni partibus ſpirant, vnde etiam Aquilones anniuerſarij dicti. hos ventos vocabant veteres delicatos: quòd ſint molles & blandi. Aliorum quoque ventorum comparatione hi venti ſunt ſaluberrimi, adeò vt morbi geniti vere & initio æſtatis ferè ſoluantur per eorum flatum: ſi etiam præceſſerint Auſtri, Aphrici venti periculoſiſſimi & peſtilentiales, Eteſiæ morbos ſuo aduentu fugant, redduntque aërem ſalubriorem. Oportet tamen ſub ortum Canis & Eteſiarum deſcendere quaſdam pluuias. Poſt dies Caniculæ oritur Arcturus verſus medium Septembrem: quo tempore debent eſſe pluuiæ: has ſequitur ſerenitas circa initia Octobris: vocant, *l'Eſté ſainct Denis.* Tunc temporis ſpirant venti occidui, vt Cauri (qui ſunt inter Aquilonem & occaſum hybernum, & qui in hac ciuitate tranſeunt per cœnobium Chartuſianorum, aut non procul ab eo) vſque ad Vergiliarum occaſum, ſub quem ſemper fit aliqua mutatio in aëre. Tuncque flare debent Aquilones hyemi dicati. Quum igitur ita conſtat annus, eaque eſt temperatura ſingularum anni partium, vt fiant pluuiæ per interualla, ſerenitates & ſiccitates tempeſtiuæ, venti tempeſtiui, eo ordine quo diximus, morbi quoque conſtantes & boni iudicij fiunt. Conſtantes morbos vocat, qui in ſuis temporibus vniuerſalibus quendam ordinem ſeruant: hoc fit, quum principio apparet cruditas, initio incrementi obſcura concoctio, in progreſſu manifeſta, in vigore & declinatione perfecta concoctio. Morbi verò boni iudicij intel-

liguntur, qui ad ſalutem, vel cum ſymptomatis non periculoſis, vel ſine recidiuis iudicantur. Ratio eſt, quia per ea tempora natura robuſta eſt, & materia ſimplex: contrà vbi inconſtãs eſt annus, fiunt morbi inſtabiles, quia natura redditur infirma, & multiplex colligitur materia, vnde morbi non ſeruant ſuas periodos, nec edunt ſigna tempeſtiuæ coctionis, morbi quoque mali iudicij, vt qui vel ad mortem, vel cum grauibus ſymptomatis, vel cum recidiuis finiuntur.

## SCHOLIA.

*Axioma criticum hîc ponitur. Temporibus anni bene moratis beneque conſtitutis, bene morati, bonique iudicij naſcuntur morbi. At malè moratis, maléque conſtitutis temporibus, inconſtantes & mali iudicij fiunt morbi. Si enim morbi efficientium cauſarum naturam potiſſimum ſequuntur, ſuntque fere eiuſmodi, cuiuſmodi eſt ipſe annus, in eſſentia, materia, parte obſeſſa, & omnibus circunſtantiis, vt anteà explicatum eſt: ſanè in temporibus anni benè moratis benéque conſtitutis, ſi tempeſtates anni, quæ ſeptem ſunt, propriis qualitatibus caloris, frigoris, ventorum, pluuiarum, ſerenitatis definitæ, optimo loco & tempore ſuccedant, neque anteuertant, neque morentur: neque continenter, neque repente, ſed paulatim atque viciſſim fiant: benè morati etiam naſcuntur morbi ſpecie, forma, & numero: qui ſcilicet æquabiliter & inoffenſo curſu ſuam abſoluant hiſtoriam: nec inflammatione, nec venenata qualitate, nec tranſlatione ſymptomatica formidabiles: denique nulla ſymptomatum superuenientium vi calamitoſa interrupti: faciles quoque & ſecundi iudicij, ita vt ad ſalutem iudi-*

*centur ſua quique propria criſi, tempeſtiuo tempore perfectè non in alium morbum tranſeant: nec cum laboribus aut ſæuis ſymptomatis iudicentur: nec vllum periculi metum adferant, nec recidiuæ, ob materiæ bonitatem & naturæ integritatem. Contrà: malè moratis maléque conſtitutis, malè morati maléque conſtituti gignuntur morbi, cum ſymptomatum ſuperuenientium calamitoſa vi, venenata qualitate, tranſlatione ſymptomatica, & recidiuæ metu.*

## *APHOR. IX.*

ἘΝ φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν, ἦρ δὲ ὑγιεινότατον, καὶ ἥκιστα θανατῶδες.

*AVtumno in vniuerſum morbi acutiſsimi & pernicioſiſsimi: ver autem ſaluberrimum, & minimè exitioſum.*

QVemadmodũ reliqua anni tempora circũſcribere nõ ſolemus Aſtrologorũ more, ſic nec Autũnum definiemus. Sed pro medicorum conſuetudine intelligemus Autumnum ex commutata æſtatis temperatura in temperaturam Autumni: quæ commutatio fit nunc celerius, vt menſe Auguſto, nunc tardius, vt Septembri. Autumni autem temperatura (teſte Gal. ſtatim initio primi Epid.) eſt, vt ſit magna ex parte frigidus & ſiccus, etiamſi inæqualis ſit. Quippe per noctem & manè frigus viget, meridie æſtus, rurſus veſpertino frigus. Hoc quidem accidit Autumno magna ex parte, alioqui temperaturam ſuam non ſeruat. Autumno igitur magna cacochymia eſt, inquit Gal. in 6. Epid. eaque duplex: altera à bile quæ æſtate exuſta eſt, aſſata, & craſſior facta: altera à pituita cruda & craſſa, quæ quidem

colligitur multa, tum propter fructuum autumnalium immodicum vſum,& frigidæ potionem, tum quia ab horum fructuum atque herbarum crudarum eſu, potúque aquæ frigidæ frequenti,calor natiuus ventriculi redditus eſt per æſtatem debilior. Prętérea humores vitioſi qui per æſtatem à calore externo ad cutim attrahebantur & diſſlabantur, autumno ob aëris ambientis frigiditatem confugiunt in profundum corporis,& ad medias venas. his accedit quòd per æſtum vires redditæ ſunt imbecilliores, adeò vt humores malignos nequeant euincere. Denique nullam queas notare partem anni, qua natura ſit ita infirma atque Autumno. Nil ergò mirum, ſi hac parte anni dum imbecillis viribus cruda illa pituita craſſiori bili permixta ſeſe confert in venas & principes corporis partes,parit pertinaces obſtructiones, vnde febres acutiſſimæ, hoc eſt,celerrimæ ( vt etiam finiantur ſæpe die quarto ) vel etiam vehementiſſimæ. Quum enim natura ob imbecillitatem morbo non reſiſtit,aut ſi id facit, id præſtat languidè, tunc fit celere iudicium: contrà ſi naturæ vires ſuperſint,morbi erunt longi,&qui terminentur cũ grauibus accidentibus & recidiuis. Sunt & pernicioſiſſimi morbi autumno propter materiæ malignitatem. Atque hæc quidem de Autumno,aliorum temporum comparatione. Ver autem ſaluberrimum eſt, collatione quoque ad alia tempora ſuam naturam ſeruantia. Veteres definiebant ver ab ortu Fauoniorum ad Vergiliarum ortum, qui eſt circa initia Maij. Sed medici ſpectant tantum veris qualitates ( vt de autumno dicebamus ) tuncque apud eos ver eſt, quum mollitur ac miteſcit hyems, & mutatur temperatura hyemis in temperaturam veris. hoc ſaluberrimum dicit Hippo. quia quali-

tates habet maximè conuenientes & vitæ & generationi. Vere prætereà euchymia eſt, hoc eſt, multus eſt ſanguis bonus & pituita, non quidem à natura alienus humor, ſed naturæ admodum familiaris, materia deniq́ue caloris natiui. Vnde etiam huius ſubſtantiam ponimus in ſanguine & pituita. Adhæc verno tempore vires ſunt robuſtiſſimæ. Nam multus eſt calor natiuus & validus, multi ſpiritus, & boni. Quòd ſi hac tempeſtate excitantur morbi, ferè ſunt à plenitudine, periculóque vacant. Imò huiuſmodi morbi ſunt (vt ita dicam) ſalubres, quia à vitioſis humoribus corpus noſtrum expurgatur. Cæterùm ſi ſit mouendum phlebotomia vel purgatione, id boni præter cætera habet in ſe ver, vt natura tunc cedat & pareat medicamentis meliùs multò & faciliùs quàm aliis temporibus.

## SCHOLIA.

*Diſsimilitudo inter ver & Autumnum, quòd ad morborum generationem attinet. Autumnus enim, qui definitur ab ortu Arcturi ad occaſum Vergiliarũ, id eſt ab 8. Sept. ad idus Nouembris, cæteris anni partibus* ὡραῖα ὡραίως *reddentibus, procreat morbos acutiſsimos, non tam celeritate motus, quàm ſymptomatum ipſorum vehementia: ac ferè funeſtiſsimos, ſcilicet labefactata naturæ vi ab exhauſto ſuperioris æſtatis: tum duplici cacochymia bilis retorridæ, & cruditatis ob diatæ vitium, & profunditatem humorum motu naturali contrario intrò recluſorum, ob temporis inæqualitatem in calore & frigore: poſtremo difficultate curandi, ob humoris contumaciam. Ver verò, ſua temperie ſalubritati corporis eſt accommodatum, miniméque mortiferum natura, ſed tantum ex euentu: ob impuritatem in interno corpore deliteſcentem: vt in tabidis, quibus*

*ver lethale eſt cum ficus folia cornicis pedum ſimilia erumpunt. Aphor. 13. ſect. 7. lib. 6. Epid. hoc eſt initio veris, quod autumno ſimile eſt, in quo nimirum, matutino tempore frigus, à meridie calor, ac veſperi frigus item fit, haud aliter quàm in autumno. non ſolum autem ver ſaluberrimum eſt, ob ſuam temperiem, quam temperatam, vel temperatè calidam ac humidam eſſe magis vel minus pro ſitu regionis, conſtat: ſed maximè, quia in vere ſol accedit ad nos, qui autor eſt vitæ & generationis & conſeruationis omnium. Inæqualitas autem illa frigoris ac caloris quæ ineſt autumno an aſtrorum, an nubium, an ventorum per id tempus flantium ſequatur inconſtantiam, an ad abditum atque inexplicabilem cauſam referenda ſit, inquirit Aphrod. probl 70 lib. 2. Certum tamen eſt, iſtam inæqualitatem cauſam eſſe præcipuam peſtilentia atque omnis alterius corruptionis quæ autumno contingit: non tam quia humores nunc intrò frigore pelluntur, nunc foràs calido adducuntur, (cùm humores non è ſuis egrediantur conceptaculis, ſed iiſdem contineantur) quàm quia viciſſitudinaria eſt calidi & frigidi actio in autumno licet modica, quæ ſanguinem corrumpit, non aliter quàm ferrum corrumpitur, dum viciſſim nunc calido, nunc frigido tingitur. illa autem viciſſitudinaria actio calidi & frigidi, ſolum ſanguinem, non alios humores corrumpit, quia ſanguis calidus humidus ſit, ideoque corruptioni obnoxius: indicio ſunt carbones & carbunculi, qui autumno fiunt: adde quòd non qualibet corpora citius putreſcunt autumno quàm æſtate, ſed tantum calida & humida, aut humida tantum.*

## APHOR. X.

ΤΟ φθινόπωρον τοῖς φθίνουσι κακόν.

*Autumnus tabidis malus.*

TAbes nihil aliud eſt, quàm quũ totum corpus ſyderatur, marceſcit, & cõtabeſcit. Hæc eſt ferè vel ab exulceratis pulmonibus, vel à diſtillatione ex capite in pulmones. Quanquam ob menſtrua detenta in mulieribus, vel hæmorrhoides in viris: item ex materia podagræ & arthritidis, poteſt fieri tabes eroſis pulmonibus. fit quoque quum in magna vociferatione non præmollitis pulmonibus vaſa in ipſis rumpuntur: fit & ſæpe ab exulceratione renum. Sæpius tamen ab vlcere pulmonum, quàm ab aliis cauſis, aliiſque partibus. Nocet ergò autumnus huiuſmodi tabidis & ab exulceratione pulmonum, & à deſtillatione è capite. Neque autumnus tantùm, ſed etiam omnes inſignes conuerſiones mutationéſque aëris ſunt tabidis periculoſæ. Vnde duo tempora obſeruauit vulgus in quibus interire ſolent tabidi: autumnale videlicet, quum folia decidũt: & vernum, quum germinant. Hipp. ſexto Epid. part. ſeptima tertium addidit, quum ficus folia producit in modum pedis corniculæ: quod accidit etiam per initia veris. Quæ tamen non ſolùm tabidis ſigna letalia ſunt, verum etiam in aliis morbis periculoſis: vt in hydropibus & cephalæis. Duæ itaque ſunt aëris conſtitutiones periculoſiſſimæ generationi tabis & incremento. Vna eſt autumno propter frigiditatem & inæqualitatem. Refrigeratio enim vehemens pulmones ſubiens vaſa in ipſis rumpit, & vlcus facit. Prætereà factã iam tabem auget, quia frigidũ vlceribus mordax. Altera conſtitutio eſt vere calida humida, quæ cerebrum replet multis excrementis: quæ quum defluunt in imbecillos pulmones, augetur neceſſariò tabes. Deinde humores calore fuſi & liquati cum magnam corporis partem occupent, & pulmones inuadãt, difficultatem ſpirandi con-

tingere

tingere neceſſe eſt, vnde ſæpe tabidi derepente ſuffocantur. Accedit huc, quod pluuia conſtitutio per id tempus prohibet inſenſilem excrementorum tranſpirationem: quare aucto excremento in pulmonibus augetur quoque tabes. Cæterum extenuantur homines tabidi, quia pulmones exulcerati plus ſanguinis conſumunt, quàm à corde ſuppetat: quòd item perpetuus ſit conſenſus pulmonum cum capite: quòd denique ſpiritus per pulmones tranſiens acquirit vim tabificam, vnde non recreantur partes. Tabes autem dicta eſt ab antiquis θηρίωμα duabus de cauſis: vt ſignum, quia homines tabidi habent aduncos vngues: vt cauſa, quia abſumunt omnia more lupi.

## *SCHOLIA.*

*AVtumnus, qui definitur à nonis Septembris ad nonas Decembris, morborum ex ſua natura aliis tēporibus magis ferax eſt, ob ſuam inæqualitatem, qua ſanguinem corrumpit: non tamen omnibus eſt lethalis: nam calidis & humidis naturis plus confert quàm æſtas, vireſque magis recolligit. Tabidis tamen præ cæteris funeſtum adfert exitum, tam iis quibus pulmō exulceratus eſt, quàm iis qui quomodocunque extrema ſunt macie confecti: denique omnibus qui vitiatos habent pulmones, ſiue ab intemperie ſicca, ſiue ab humorum aut puris infarctu, ſiue à venenata quadam qualitate. Eſt enim autumnus ad deſtillationem omnibus aliis temporibus magis opportunus ob ſuam inæqualitatem. unde non tantum tabidis, ſed & omnibus ferme longis morbis noxius. Hunc Græci* φθινόπωρον *vocant, quòd deſinente* τῇ ὀπώρᾳ, *hoc eſt poſtrema parte æſtatis, ſic appellata, incipiat.* φθίνειν *enim deſinere ſignificat. qua ratione etiam quidam* μετόπωρον *eum nominant, quaſi* τὸ μετὰ τὴν ὀπώραν.

## APHOR. XI.

ΠΕρὶ δὲ τῶν ὡρέων, ἢν μὲν ὁ χειμὼν αὐχμηρὸς καὶ βόρειος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ ἔπομβρον καὶ νότιον, ἀνάγκη τοῦ θέρεος πυρετοὺς ὀξέας. καὶ ὀφθαλμίας. καὶ δυσεντερίας γίνεσθαι, μάλιστα τῇσι γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσι τοῖσιν ὑγροῖσι τὰς φύσιας.

*INter anni tempora ſi hyems inſtò ſiccior & aquilonia fuerit, ver autem pluuium & auſtrinum, febres acutas fieri æſtate neceſſe eſt, & lippitudines & difficultates inteſtinorum, præſertim mulieribus & viris natura humidioribus.*

HIpp. in hoc libro aliter conſtituit tempeſtates anni, quàm in Epid. Siquidem in Epid. eas notat ex obſeruatione, habetque rationem locorum. Hic nulla habita ratione locorum. Deſcribit autem tantum quatuor anni cõſtitutiones: non quòd plures eſſe non poſſint, ſiquidem annus dicitur cal. frig. humid. ſiccus: & rurſus, cal. humid9, frigidus humidus, calidus ſiccus, frig. ſiccus: ita vt debeant cõſtitui octo ſtatus anni: ſed hos quatuor ſtatus tantum proponit tanquam exẽpla aliorum ſtatuum. Hoc Aph. vnus ſtatus proponitur, hyems vt naturaliter habeat, debet eſſe magna ex parte frigida humida, intermixtis quibuſdam ſiccitatibus. Quòd ſi ſiccior fuerit & frigidior quàm temperamento hyemis conueniat (hic enim αὐχμὸς ſiccitas eſt non extrema, ſed maior quàm par ſit) iam recedit à ſua temperatura. Hoc tamen loco neceſſe eſt nos non medicorũ, ſed Aſtrologorum more definire hyemem: ab occaſu videlicet Vergiliarũ, hoc eſt, ab initiis Nouembris aut Decẽbris vſq; ad æquinoctium vernum. Verùm Hip. in conſtituendis anni tẽporibus notat & qualitates cœli, & pluuias, & võtos, &c. Iam conſtituamus ver ab æquinoctio verno ad ortum Vergiliarũ, hoc eſt ad initia Maij. Sic Æſtatẽ ſtatuimus ab ortu Vergiliarum ad ortum Arcturi, qui eſt circa finem Septembris. Hanc diuidit Hippo. in tres partes: ab ortu Vergiliarum ad Solſtitium æſtiuum, à

Solſtitio ad Caniculam, & ab hac ad ortum Arcturi. Ponamus ergò præceſſiſſe hyemem ſiccam & Aquiloniam, bene quidem habebant per id temporis corpora & cerebrum, per Aphor. 17. huius lib. quoniam huiuſmodi conſtitutio reſiccat cerebrũ, qualis reſiccatio conuenit cerebri operationibus. Sed quia excedebat in ſiccitate, neceſſe fuit & cerebrum, & oculos, & venas, & inteſtina lædi: huic conſtitutioni ſucceſſit ver ἐπόμβριον, id eſt, iuſto magis pluuium, & pręterea auſtrinũ, id eſt perflatũ Euronoto, Libanoto & Aphrico: à quibus ventis corpus repletur multis excrementis, accedẽte pluuioſo cœlo quo cutis denſatur, nec poſſunt excrementa per inſẽnſilem tranſpirationem exhalare, vnde maior copia excrementorum colligitur. Eiuſmodi quidem conſtitutio ſatis ſalubris eſſet, vt quæ vitium anteà contractum cõmoderare poſſet, ſi duraret tantùm treis aut 4. ſeptimanas: ſed quia diutius perſeuerat, caput & corpus repletur multis excrementis. Quo fit vt cauſis naturaliter agentibus, nec impeditis, ſequatur æſtatis effectus, nimirum calidorũ morborum prouentus: ſaltẽ initio ęſtatis, hoc eſt in Solſtitio æſtiuo, aut ſub Canicula: quanquam vigente Canicula, Etheſiæ ceu Aquilones anniuerſarij (ſic dicti quod fere in omnibus anni partibus ſpirant) dum ſpirant æſtum Caniculæ temperant, indeq; morbos vere aut initio æſtatis genitos nõ ſolũ demulcẽt, ſed & fere ſoluũt: quo fit vt veteres eos vẽtos molles, blãdos, delicatos & ſalubres nominarint. Si itaque talis hyemis ac veris conſtitutio qualẽ prædiximus pręceſſerit, ſequatur autẽ ęſtas ſuam ſeruans naturalẽ ac legitimã conſtitutionẽ (quæ eſt, vt eius initio calor increſcat paulatĩ, qui ſit vehemẽtior in Solſtitio, vehemẽtiſſim' & in vigore ſub Canicula) neceſſe eſt vt naſcãtur

ſebres acutæ, necnon putridæ: quippe materia in capite concepta, aut quæ à capite in venas defluxit, ob calorem externum putreſcit. Fiunt etiam lippitudines, hoc eſt, inflammationes tunicæ corneæ & extimæ humore per ver tenuato, & fuſo per calorẽ æſtiuum decũbente in oculos imbecilliores redditos per aquilonem hyemis præcedentis oculis infeſtum, perinde atque per ipſum Auſtrum veris præcedentis: & in oculis ipſis putreſcente, vt in febre fit. Fiunt præthereà dyſenteriæ: quia & frigora infeſta ſunt inteſtinis, & prætereà cœlum Auſtrinũ elaxat diſſoluitque inteſtinorum robur: vnde ſi corpore repleto venæ & oculi ſint robuſtiores, materia illa putris tranſmittetur ad inteſtina. Iſta porrò accidunt mulieribus præſertim, & viris natura humidis: addit & pueris Hippo. lib. de aëre, aquis, & locis. Ratio eſt triplex. Prima, quia in humidis copioſior eſt materia: ſecunda, quia venæ ſunt anguſtiores, ob idque promptè intercipiuntur: tertia, quia minus tranſpirant excrementa ob cutis denſitatem, & augentur etiam in corpore retenta. ob has cauſas in humidis magis fiunt hi morbi, quàm in ſiccioribus: minus tamen periclitantur, quando æſtas contraria eſt eorum temperaturæ. Contrà de calidis ſiccis. Cæterum ex hoc Apho. & libro hic fructus colligendus medicò. Vbicunque medicinam faciet medicus, tria ſpectabit ſtatim, aquas, locum, ceu ſitum, & ventos. videbit primùm, an aquæ ſint ſalubres, an inſalubres: Si ſint ſalubres, meliores eliget: ſin inſalubres, eas corriget, aut ſaltem minus inſalubres ſeliget. Situs loci ſpectandus, pro ratione ventorum ſpirantium, exempli gratia, Cranon apud Hippo. expoſita erat Auſtris, Thaſij aquilonibus, ob id Cranonij minus ſalubriter viuebant,

quàm Thaſij, quòd Auſtri aquilonibus ſunt magis no-
ij. Tertiò, obſeruandum ſitne ſalubris anni conſtitu-
io, quod vt dignoſcamus, incipiendum ab ortu Ar-
turi. nam vt anni conſtitutio ſit ſalubris, ſub ortum
rcturi debēt eſſe pluuiæ, has ſequitur ſerenitas quam
ocant, *l'Esté ſaint Denis*, hinc venti occidui vel Cauri
ant vſque ad Vergiliarum occaſum. Sunt autem illi
nter aquilonem & occaſum hybernum. Sub Vergilia-
um occaſum ſemper fit aliqua mutatio, & tunc de-
ent flare magna ex parte aquilones, & hyems debet
ota eſſe frigida humida. Sub initia Februarij flare de-
ent Zephyri, & frigora perſeuerare. Ineunte vere Ze-
hyri mutātur in Auſtrum, aut Aphricum, aut Libano-
um, ſed huiuſmodi Auſtri ſunt molles, nec flant diu-
us, imò non multò poſt conuertuntur viciſſim in
ephyros, qui ſpirant vſque ad ortum Vergiliarum,
er quos flatus debet eſſe medius Martius, & totus
prilis temperatus. Ab ortu Vergiliarum oportet cœ-
m incaleſcere paulatim, & ſiccari vſque ad Solſti-
um. In Solſtitio aër ſit calidior vſque ad Caniculam,
o tempore magnus æſtus vigere debet: ſed exortum
aniculæ (inquit Plinius) præcedunt octo ferè diebus
uilones, qui dicuntur πρόδρομοι. At poſt ortum Cani-
læ, ad temperandum eiuſmodi æſtum immittuntur
heſiæ, qui flant 40. diebus, vel de aliorum ſenten-
, ſexaginta, oportet tamen ſub ortum Canis & Ethe-
rum quaſdam pluuias deſcendere. Poſtremò, medio
ptembri, aut certe circa finem ſpirare debent Auſtri
que ad ortum Arcturi, id eſt initia Octobris. Conſti-
a itaque ſalubri anni conſtitutione, videndum erit,
m ſingulæ anni partes excedant modum ſuæ tempe-
uræ. Deinde etiam qualis ſit aëris ſtatus, & ſingulis

menſibus, & ſingulis etiam diebus, vt antè dictum eſt.

## SCHOLIA.

*Sigillatim explicatur in ſequentibus, quos morbos ſingulæ defectiones ac mutationes temporum pariant, de quibus propoſitum eſt dicere Apho. 1. huius ſectionis. Mutationes temporum &c. Et cum ex mutationibus temporum aliæ ſint quæ compoſita & per plura anni tempora accidunt, aliæ ſimplices: hic primum agitur de compoſitis. Si ergo hyems, quæ definitur ab occaſu Vergiliarum ad æquinoctium vernum, vacua ſit pluuiis, ventiſque perfletur aquiloniis, proptereáque neruos, oculos atque thoracem infirmiores fecerit: aluos aſtrictas reddiderit, cum proprij excrementi, quod in peculiari cuiuſque natura redundare conſueuit, ſuppreſſione: ver autem magnis ac diuturnis imbribus obruatur, auſtriniſque flatibus plenum ſit; febres acutas, potiſſimum ſynochos quæ celeriter, vehementer, & continenter mouentur æſtate oriri neceſſe eſt, à motu, putredine & ſynatriſmo humoris calidi & humidi veris ſtatu collecti. Oculorum item inflammationes, nam ſi pars aliqua anteà laborarit, in ea ſe morbus obfirmat. Dyſenterias quoque, à pituita ſalſa & bile, quæ abradendo & exaſperando inteſtinis moleſta ſunt: maximè vero mulieribus, quarum corpus nimia humoris abundantia obtunditur, nec eſt perſpirabile: ac viris, natura humidioribus, qui glabro ac læui ſunt corpore, nigris oculis, nigriſque ac rectis capillis, vocem edunt acutam, & qui ſunt procliues ad excandeſcentiam.*

## *APHOR. XII.*

Ἢν δὲ νότιος ὁ χειμὼν καὶ ἔπομβρος γένηται, τὸ δὲ ἔαρ αὐχμηρὸν καὶ βόρειον, αἱ μὲν γυναῖκες ᾗσιν οἱ τόκοι πρὸς τὸ ἦρ, ἐκ πάσης προφάσιος ἐκτιτρώσκουσιν· αἳ δ' ἂν τέκωσιν, ἀκρατέα καὶ νοσώδεα τὰ παιδία τίκτουσιν, ὥστε ἢ παραυτίκα ἀπόλλυσθαι, ἢ λεπτά καὶ νοσώδεα ζῆν ἐόντα· τοῖσι δὲ ἄλλοισι δυσεντερίαι, καὶ ὀφθαλμίαι ξηραὶ γίνονται· τοῖσι δὲ πρεσβυτέροισι κατάῤῥοοι συντόμως ἀπολλύντες.

*SI vero hyems auſtrina & admodum pluuia fuerit, ver autem ſiccum & aquilonium, mulieres quibus partus vere imminet, ex quacunque occaſione abortiunt: aut ſi pariant imbecilles & morboſos partus edent: ita vt vel ſtatim ipſi intereant, vel tenues & valetudinarij viuant. Cæteris verò dyſenteriæ & ophthalmiæ ſiccæ fiunt: ſenioribus autem catarrhi breui perniciem allaturi.*

HÆc conſtitutio contraria eſt ſuperiori: oportet autem ponere, æſtatem præcedentem & autumnum naturaliter habuiſſe: iam accedat hyems & ver quæ prçter naturam habeāt. Auſtrina nimirum hyems, id eſt, flatibus meridianis, auſtro nimirum, Aphrico, euronoto, & libanoto plena: & cœlum iuſto magis pluuium. Hoc loci poſt ἔπομβρος quidam volunt addi dictionem εὔδιος, quidam expungi. Non magnum eſt diſcrimen, ſi addatur, vel dematur. Sed ſi adiiciamus, τὸν χειμῶνα εὔδιον non interpretabimur hyemem ſerenam) vt Leonicenus) neque etiam tepidam, vt fecit Gaza: verùm potiùs tranquillam & ſine ventis, ſecundum Grammaticos Græcos. Suidas enim, εὐδία (inquit) ἐστὶν ἡ ἄνευ ἀνέμων ἡμέρα ἢ ἀβροχία, ἢ αἰθρία, id eſt, aëris eſt tranquillitas, aut ſiccitas, aut ſerenitas. Hipp. vocat etiam ἀπνοίαν, καὶ νηνεμίαν, id eſt, cœlum ſine ventis. Eſt autem εὐδία ſiue tranquillitas aëris duplex. Altera Borealis, exactè ſerena, quæ propriè dicitur αἰθρία, ἢ αἴθρα. vnde Boreas Homero vocatur αἰθρηγενέτης καὶ αἰθρηγενὴς, quaſi ſudificus, aut ſerenificus,

Altera auſtrina, lenis, molliſve, ſed nebuloſa & turbida. Huic εὐδία Hipp. lib. de vulneribus opponit τὸ χειμέριον, id eſt, cœlum procelloſum & ventis áſperum. Tranquillitatem igitur hîc accipiamus, quæ ventis careat, ſed nebuloſa ſit. Verum quidem eſt per hanc conſtitutionem eſſe quaſdam ſpirationes & motus aëris, ſed hi ſunt tàm exigui vt vix percipiantur. Itaque ſi præcedente eiuſmodi hyemis ſtatu, ver ſequatur ſiccum, id eſt, iuſto ſiccius (αὐχμηρὸν enim ſemper dicitur de ſiccitate, quæ naturalem tempeſtatis modum ſuperat) & aquilonium, mulieres &c. abortiunt. Nec mirum, quandoquidem ſcribit Gal. frigidos omnes ſtatus facere abortiones & difficultates partus. Nam cùm ad facilitatem partus requirantur hæc duo, vt & mater ſit robuſta, & robuſtus fœtus, contrà accidit ab huiuſmodi ſtatu. Si quidem matrum corpora imbecilliora facta per hyemem auſtrinam, & rarefacta, promptè admittunt vernam frigiditatem: ita vt fœtus antè aſſuetus calori tepido & æſtatis & hyemis, ſentiat magnam noxam à frigore inſueto. Prętereà per hyemem illam auſtrinam collecta eſt multa pituita, quæ imbibita tunicis ligamentiſque vteri, ea laxat, diſſoluit, ac flaccida reddit, vt non facilè retineatur fœtus in vtero vere ſuperueniente. Verùmtamen non omnes mulieres per hunc ſtatum abortiunt, ſed eæ pręcipuè quæ vnà cum fœtu redditæ ſunt imbecilliores, & quæ etiam aſſuetæ fuerint abortioni. Ob id addit Hipp. ex quauis occaſione, Pręter has cauſas, aliæ ſunt tum internæ, tum externæ abortus. Interna eſt pituita cruda in vteri collecta corpore, quæ vterum reddit imbecillum ad fœtum continendum. Externæ ſunt vehemẽs motus tum animi tum corporis, qualis eſt metus grauis, ſaltus, extenſiones membrorum, veluti aliquando brachij: vacuationes inſignes,

vt hæmorrhagia per nares,per venas quæ pertinent ad collum vteri,aut per venas quæ vterum nutriunt, qualis multò periculoſior eſt: pharmaci aut phlebotomiæ vſus: videat itaque mulier grauida in hac conſtitutione,vt diligenter foueat & calidas ſeruet partes, præſertim infernas, ſi modo abortioni aſſueta ſit: eíque propinetur leue aliquod pharmacum, ſanguíſque parca manu mittatur in tali conſtitutione aëris. Quæ verò pepererint imbecilles,&c.hoc experientia cõſtat.Nam ſi fœtus ſit malè nutritus in vtero (vt quum mulier vtitur immodicè & intempeſtiuè aqua, fructibus, herbis crudis, & aliis prauis alimentis) & prætereà cùm ſit imbecillus cum matre ob hyemem Auſtrinam, ſi accedat verna frigiditas magna & vehemens quum exit in lucem, aut ſtatim perit,aut viuit valetudinarius. Cæteris accidunt dyſenteriæ, maximè pituitoſis. Inter dyſenteriæ cauſas eſt pituita hæc per hyemem Auſtrinam & pluuiam collecta, tum ob calorem coniunctum(vnde contrahit ſalſuginem) tum ob impeditam per pluuias tranſpirationem parata ad putrendum: quæ dum inhæret inteſtinis, tempore putreſcit, ſæuiſſimáſque facit dyſenterias. Sic ſæpe quum præceſſit æſtas Auſtrina & pluuia,ſimulatque accedit frigus Autumnale, fiunt dyſenteriæ multæ, à pituita videlicet, quæ ob calorem ſalſuginem in capite contraxit, ac deinde defluxit ad inteſtina. In his autem dyſenteriis primùm ſunt tineſmi, deinde excernunt mucoſa & ſimilia ouorum albuminibus, poſtremò putrida & varia, dolor enim humores attrahit. Porrò & hîc & in Epid.vocat ophthalmias ſiccas, vbi lemæ ſunt ſiccæ & aridæ, nulláque decurrit humiditas ad oculos. Aliæ enim ſunt cum lacrymis, à pituita frigida humida. At ſiccæ fiunt à

pituita ſalſa vel bile. Nam pituita in cerebro collecta à calore (vt diximus) fit ſalſa, deinde per frigus defluit in oculos imbecillos, vnde ſiccæ lippitudines. Quòd ſi ſalſa hæc pituita in cerebro incluſa comprimatur à frigore verno tanquam ſpongia humore imbuta, & defluat in os, fauces, aſperam arteriam, fient ſenibus catarrhi, aliquando apoplexiæ, paralyſes, conuulſiones, tabes: vt quæque pars recipiet fluxionem. Notandum tamen, deſtillationes fieri etiam à calore humores fundente. Sed à frigore fiunt magis in venas & partes interiores, quia frigus intrò compellit: à calore verò magis in exteriores.

## *SCHOLIA.*

*Sin autem auſtrina, pluuioſa, tepida ac ventis ſonoris placida fuerit hyems, vt quodammodo ſit tranquillus ac temperatus aër, iuuétque eſſe ſub dio, proptereáque ſalſæ pituitæ & putris parens ac effectrix. Ver autem ſi ſiccum & Aquilonium cuius vi pituita putris intrò cogatur, & frigoris Aquilonij acrimonia, poris apertis, partes internæ labefactentur. Mulieres quæ vere ſunt perfectè pariture, & quarum fœtus hyeme ſuperiore fuit ſemeſtris, & inoffenſo curſu conformationis & motus, vere nouo ſuam abſoluit entelechiam, quauis de cauſa procatharctica abortiunt: quòd ſcilicet impuritate ſpiritus materni fœtus laboret, & alimenti corruptione, iam grandior ſuo defraudetur genio, accedente etiam vinculorum vteri laxitate per mucoris circa vterum collecti ob defluxionem à cerebro, copiam. Quòd ſi quæ perfecto partu nec ante diem pepererint, imbecilles & morbidos partus edunt, adeò vt paulò poſt moriantur, vel tenues & valetudinarij viuant, labefactata*

*ſpiritus & nutricatus œconomia, aut principis alicuius partis vitio. Alius autem quibuſque hominum naturis, nimirum pro varia cuiuſque naturæ diuerſitate, fiunt dyſenteriæ, præſertim mulieribus & viris natura humidioribus: & inflammationes oculorum cum ſiccis ſordibus coniunctæ, præſertim viris natura calidioribus, quod nihil humoris qui inflammationem facit exudet ab oculis, tum ob humoris ſalſi conditionem, & aëris ſiccitatem, tum ob tunicarum oculi denſitatem, à frigore & ſiccitate aëris contractam. Senibus vero & ætate iam prouectis, mox ab influxu, catarrhi funeſti, quod partes impediant quarum officio vita carere nequit. Cuiuſmodi ſunt apoplexiæ & paraplegiæ deſcriptæ hiſtoria tertia vniuerſali libri primi Epidem. Apoplexia quidem, ſi ad venas iugulares deferatur defluxio: paraplegiæ ſi ad neruos.*

## *APHOR. XIII.*

ΗΝ δὲ τὸ θέρος αὐχμηρὸν καὶ βόρειον γένηται, τὸ δὲ φθινόπωρον ἔπομβρον καὶ νότιον, κεφαλαλγίαι ἐς τὸν χειμῶνα γίνονται, καὶ βῆχες, καὶ βράγχοι, καὶ κόρυζαι, ἐνίοισι δὲ καὶ φθίσιες.

*Æſtate verò ſicca & Aquilonia, Autumno pluuioſo admodum, & Auſtrino vehementes capitis dolores in hyemem, & tuſſes, & raucitates atque grauedines, nonnullis etiam tabes expectandæ.*

Æſtas naturaliter ſe habet cum eſt calida ſicca: non quidem tota ſicca & Aquilonia, ſiccitatibus enim intercedere debent pluuiæ, non quidem initio, aut ſub canicula, ſed in

opora, hoc eſt in vltima parte æſtatis, in qua Auſtri ſuccedunt Etheſiis. Autumnus item naturaliter ſe habet cum eſt inæqualiter frigidus & ſiccus, ita tamen vt initium eius ſit pluuioſum, medium, ſiccum & ſerenum, vtpote circa ferias S. Dionyſij, quod ad ſementes faciendas plurimum conducit, finis pluuioſus, appetente nimirum Vergiliarum occaſu. Si ergo æſtas tota fuerit Aquilonia, hoc eſt tota plena ventis Aquiloniis, qui flant inter Septentrionem & ortum æſtiuum: Autumnus verò ſupramodum pluuioſus & Auſtrinus, hyeme fient morbi pauciores quidem & minus periculoſi, ſi non diu duret Autumni ſtatus. Sic enim erit veluti remedium vitij æſtatis paulò ſiccioris cum humectabit ea quæ reſiccarit, denſabit quæ rarefecerit. Quòd ſi flant Auſtri diutius vſque ad medium Octobris, aut per totum Autumnum, morbi erunt plures & periculoſiores. Itaque per eiuſmodi ſtatum fiunt cephalalgiæ, præſertim in imbecillis capite, excrementis, quæ per Auſtros fuerant collecta, retentis in capite propter frigiditatem hyemis, & auctis propter eiuſdem humiditatem. Fiunt & tuſſes duplici de cauſa, tum ob intemperiem ſpiritalium partium frigidam, tum ob humorum deſtuxum à capite in aſperam arteriam. Sic raucitates, nimium vel humectata ab humoribus à capite delapſis, vel refrigerata, vel exaſperata arteria aſpera, aut faucibus. Item grauedines, materia ad nares delata. At materia pulmones è cerebro petente, fiet tabes nonnullis, hoc eſt, iis qui ſint ad eam apti: quos φθινώδεις appellat Hippocrates. Hi autem ſunt collo oblongo, anguſto thorace, & reſtricto, vt à tergo in morem auium prominean ſcoptulæ: vnde etiam

Hippocrati 6. Epid. πτερυγώδεες dicuntur. Et hæ tabes incipiunt ferè à tuſſiculis aridis, pòſt malum paulatim augetur: proinde in his ſtatim diuertenda fluxio in alias partes ad præcautionem tabis.

## *SCHOLIA.*

*SI duo tempora contrariam intemperaturam habentia ſeſe ſubſequantur, ea ſua mutatione nullos aut paucos parient morbos, quia ſubſequentis intemperies præcedentis intemperiem emendat.: hoc modo. Si præcedat æſtas ſicca & frigida, Autumnus autem ſubſequatur calidus & humidus, nullos morbos iſta temporum mutatio adferet. Verum perſeuerante Autumni humiditate ad hyemem, hyeme etiam ſeruante ſuam naturam, in ipſa hæc ſymptomata fient: Cephalalgiæ fortes ab humiditate nimia diſtendente cerebrum: & tuſſes, expreßione humoris à cerebro per Autumnum collecti: raucedines & grauedines: nonnullis etiam tabes, quibus ſcilicet ſcapulæ alarum inſtar prominent: potißimum tabes illæ quæ pulmonum exulcerationem ſequuntur ex pituitæ prolapſu. Nam quæcunque deſtillationes à capite tußiculoſos & raucos homines faciunt, niſi progreſſu temporis conquieſcant, alteram efficiunt tabis differentiam.*

## *APHOR. XIIII.*

ΗΝ δὲ βόρειον ᾖ καὶ ἄνυδρον, τοῖσι μὲν ὑγροῖσιν ἐοῦσι τὰς φύσιας, καὶ τῇσι γυναιξὶ ξύμφερον. τοῖσι δ' λοιποῖσιν ὀφθαλμίαι ἔσονται ξηραί, καὶ πυρετοὶ ὀξέες, καὶ κόρυζαι χρόνιαι. ἐνίοισι δὲ καὶ μελαγχολίαι.

*AQuilonio vero & ſicco Autumno, hominibus natura humidis & mulieribus commoditas parabitur: Alios ophthalmiæ ſiccæ, & febres partim acutæ, partim longæ, quoſdam etiam melancholia malè habebunt.*

NAturaliter habentibus hyeme & vere, deinde æſtate ſicca & Aquilonia, ſi Autumnus quoque ſit Aquilonius & ſiccus (idem enim eſt ἄνυδρον quod ἀυχμηρὸν καὶ ξηρὸν, id eſt, ſine pluuiis) natura humidi, hoc eſt, humidiores (qui alibi ab Ariſtot. & Hippocrate dicuntur pituitoſi) bene habebunt. Hoc autem dicitur de redundante humiditate, vt in mulieribus. Pueri natura ſunt humidiores quàm iuſto temperamento hominis conueniat: ſed quia humiditate illa egent ad incrementum, non eſt minuenda. Itaque conſtitutio eiuſmodi, pueris non eſt ſalubris, quia nimiùm ſiccat humiditatem illam naturalem. Adultis verò humidioribus ſalubris eſt, eò quòd humiditatem exuperantem abſumit. At reliquis, hoc eſt, bilioſis & durioribus corporibus, vel (vt exponit Gal.) temperaturis ſiccioribus lippitudines ſiccæ accident. Sunt enim aliæ humidæ ſeu ῥυώδεις Hippocrati. Et quia ſæpe notatis extremis intelligitur medium, erunt etiam mediæ inter ſiccas & humidas. Siccarum lippitudinum cauſa eſt, quia natura in corporibus noſtris bilem ne acrior ſit & craſſior, diluit ac temperat aquoſo excremento. Vbi igitur ab æſtate & autumno ſiccioribus abſumptum eſt quicquid erat in bile ſeri aut aquoſitatis, iam pars bilis acrior & craſſior facit ſiccas lippitudines, quum defertur ad oculos. Eandem ob cauſam fiunt acutæ febres: quòd nimirum tenuiſſima & humidiſſima bilis parte reſoluta, manet acerrima, quæ intrò compulſa à frigore ſuperueniente, putreſcit. Fiunt quoque febres longæ, vt quartanæ, quia bilis relicta craſſiſſima ab aſſatione & exiccatione (etiamſi ſit alioqui calidiſſima) refrigeſcit. Addit Hippocrates quòd hæ etiam fiunt à ſanguine incraſſato. Hoc loco poſt πυρετοὶ ὀξέες qui-

dam legunt οἱ χρόνιοι, id eſt, longæ febres (vt legimus) quidam pro χρόνιοι legunt κόρυζαι. Nihil ſanè vetat, quò minùs legamus κορύζας, vt quæ poſſint etiam billioſis accidere: adeò vt quemadmodum ponebamus duas ophthalmias, ita poſſimus conſtituere duas coryzas, humidam & ſiccam. Humida eſt, vbi multus humor aquoſus decurrit ad nares. Sicca verò, in qua humor is ibi concreſcit, & veluti cruſtas facit, adeò vt aliquando obſtruat & intercipiat vias narium: quod videre eſt experientia. Huiuſmodi coryzæ fieri ſolent propter cerebrum nimis reſiccatum, quod & minus gignit excrementi & ſiccius. Accidunt porrò & melancholici morbi nonnullis, iis nimirum qui atra bile abundant. At in hac conſtitutione temporis abundat bilis craſſiſſima, id eſt, atra bilis, præſertim in bilioſis.

## SCHOLIA.

*SIn autem æſtas ſicca fuerit & frigida, Autumnus autem Aquilonius & pluuiarum expers, viris natura pituitoſis, id eſt, quibus nares ſunt humidiores, & ſemen humidius, corpore glabro, albo, venis anguſtis, voce exili, nigris oculis, nigriſque capillis & rectis: & mulieribus, præſertim mollioribus: item modicè ſiccis confert: quia intemperatæ naturæ modico gaudent contrariorum vſu, ac ſimilem intemperiem grauius ferunt, quam temperatæ contrariam. Cæteris hominum naturis, calidis nempe & ſiccis, atque adeo bilioſis, lippitudines ſiccæ aderunt, denegato humori bilioſo exitu, tum propter ipſius craſsitudinem, tum propter membranarum denſitatem quam facit frigoris Aquilonij vis. Et febres acutæ, tum cauſæ magnitudine, tum etiam ſymptomatum vehementia abſumpta seroſa humi-*

*ditate bilis, & ipſa intra venas acriori reddita: Et longæ febres, ab aucto nimirum ſucco melancholico, aut à bile craßiore facta, & conuerſa in atram bilem. Nonnullis autem & melancholia ceu delyria cum triſtitia & metu ſine cauſa manifeſta coniuncta, ab eadem atra bile genita.*

## *APHOR. XV.*

TΩν δὲ καταστασίων τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ μὲν ὅλον οἱ αὐχμοὶ τῶν ἐπομβρειῶν εἰσιν ὑγιεινότεροι, καὶ ἧσσον θανατώδεες.

*EX tempeſtatibus anni in vniuerſum ſiccitates imbribus aſſiduis ſunt ſalubriores & minus letales.*

COmparatio eſt pluuij temporis cum ſicco, ita vt hoc ſit ſalubrius, illud vero morboſius. κατάστασις Galeno comment. in Aphor.12. lib.1. eſt forma & idęa rei alicuius. Proinde hîc κατάστασις eſt conſtitutio aëris præter naturam, hoc eſt, aëris intemperies. Quaſi dicat Hippocrates. Si cœlum intemperatum eſt, quia ſiccius, ſalubrius eſt quàm intemperatum, quia humidius. Et ſi qui fiunt morbi per ſiccitates, minùs ſunt periculoſi minúſque putrilaginoſi quàm qui per plùuias. Nam cùm ab alimentis colligantur in nobis neceſſariò excrementa duo, alterum fuliginoſum, alterum ſeroſum & aquoſum: horum vtrumque per ſiccitates (quum etiam aperta ſint corporis ſpiracula) facilè diffluit reſoluitúrque. Pręterea per eaſdem ſiccitates minimum colligitur excrementi. Contrà per pluuias multæ humiditates ſuperfluæ & colliguntur & retinentur in corpore: vnde morbi multi putrilaginoſi. Sed ea ſiccitas, vel eſt per ſe (vt diſtinguit Gal. in 6.

in 6.Epid.)vel cum calore aut frigore. Si ſit per ſe, aut etiam coniuncta cum calore non ſuperante temperaturam temporis(vt æſtate)vel coniuncta cum temperato frigore,non erunt multi morbi neque epidemij.Sin coniuncta ſit immodicæ caliditati aut frigiditati, fienẽ morbi epidemij multi: intemperatus enim aër morbos gignit epidemios. Quod ſi habeat morbos aër temperatus,vt fieri ſolet, morbi illi non ſunt ab aëre, ſed à victus ratione.

## SCHOLIA.

*HActenus quos morbos compoſitæ temporum anni conſtitutiones pariant,dictum eſt, nunc de ſimplicibus agitur. Ergò inter ſeptem anni partium deſcriptiones atque hiſtorias,ſiccitates in vniuerſum, ex pluuiarum vacuitate ortæ:cuiuſmodi ſunt in quibus auium genus abundat, aſsiduis imbribus ſunt ſalubriores, tum per ſe,tum ex euentu: ac per ſe quidem, ſpiritus animalis puritate, humorum congenerum motus & quietis viciſsitudine & integritate, corporis perſpiratione, & eiuſdem robore. Ex euentu autem, quòd in excrementitij humoris (à cuius colluuie magna pars morborum ortum habet) vacuitate, catharticis non ſit opus, quorum conſuetudo peſsima eſt, & analogia difficilis. Quòd ſi ſiccitate temporis vigente, morbi accidant, minus erunt funeſti (qui nimirum ab humorum copia,non ab inanitione fiunt:) quia malè ſunt affecti ac conſtituti ad morborum generationem, optimè vero ad curationem.*

## APHOR. XVI.

NΟσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρείῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι, καὶ κυνάγχαι. ἐν δὲ τοῖσιν αὐχμοῖσι, φθινώδεες, ὀφθαλμίαι, ἀρθρίτιδες, στραγγουρίαι, καὶ δυσεντερίαι.

*MOrbi per aßiduos imbres magna ex parte fiunt, febres longæ, alui fluxiones, putredines, comitiales morbi, apoplexiæ, & anginæ. Per ſiccitates autem morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, ſtillicidia vrinæ, & dyſenteriæ.*

HOc dicere vult Hippocrates. Vbi pluuiæ modum ſuperant, morbi generantur multi, & particulatim hi, febres longæ, &c. Inter febris cauſas eſt materiæ quantitas, qualitas, & denſatum corpus. Si ergò ſit multitudo materiæ vnà cum imbecillitate naturę quæ non poſſit materiam illam euincere, ſi etiam viæ ſint interceptæ, febres erunt longæ. Fient quoque alui deiectiones, vel (vt Leonicenus, & Philotheus meliùs) diarrhœæ. Etenim per pluuiarum multitudinem neceſſe eſt in corpore plurimum excrementi ſeroſi & fuliginoſi colligi: quatuor maximè de cauſis. Vna, quia per aërem humidum corpora noſtra plurimùm humectantur. Secunda, quia à terra pluuiis humectata vſque ad profundum, plurimi vapores humidi efferuntur, à quibus corpus humectatur; quemadmodum accidit iis qui iuxta aquas, paludes & ſtagna habitant. Tertia, quia quantò humidius redditum eſt corpus, tantò plus colligit ſeroſi excrementi. Quarta, quò pori ſunt aſtrictiores per pluuias, eò plus excrementi re-

tinetur & plus colligitur. Natura igitur grauata multitudine ſeroſi excrementi quod à corpore toto præfluit, deponit in inteſtina. Rectè Philotheus, Collectis (inquit) per longas pluuias excrementis multis, ſi hæc ad inteſtina deſcendant, & illic putreſcant ac corrumpantur, faciunt dyſenterias, ſi non putreſcant, diarrhœas. Interpretatur enim κοιλίας ῥύσιας, διαῤῥοίας: σηπεδόνας verò dyſenterias, aut ſi mauis, putrida vlcera inteſtinorum. Celſus videtur σηπεδόνας exponere cancros, hoc eſt, putrilaginoſa vlcera in habitu corporis. Ex primo Epidem. & octauo meth. med. Gal. intelligit humores qui putreſcunt in venis, vnde febres putridæ. Proinde ſi (tribus putredinis cauſis concurrentibus, nẽpe multa humiditate, calore præter naturã, & prohibita trãſpiratione) fiat humorũ putredo in venis, erunt febres putridæ: ſi in habitu corporis, putrilaginoſa vlcera: loquimur autem hîc præſertim de excrementis fuliginoſis & ſeróſis, à quibus putredo: qualis putredo magis expectanda eſt, vbi viget ἄπνοια. Quinetiam, cum per eiuſmodi tempora pluuioſa gignantur in capite (præſertim iis qui id habent imbecillum) multa excrementa pituitoſa, ſi hęc afficiant principes cerebri ventriculos, poſtremum & medium (vt vult Gal.) aut omnes (vt Philo.) fiet apoplexia. Si verò cerebri partem, vt ventriculum poſteriorem, qua parte eſt ſpinalis medullæ exortus, fiet epilepſia. Quòd ſi pituita illa in cerebro collecta expurgetur in fauces, fient anginæ, de hybernis intelligit: eſt enim & angina æſtiua. Sed in hybernis tumor eſt externus magis, multùmque emittunt pituitæ, in quibus inſtituimus quæ calfaciunt, incidũt, tenuãt. In æſtiuis, quæque fiũt per ſiccitates, tumor eſt magis internus, fitque ab acri & bilioſo humore.

Cæterùm per ſiccitates, (quę ſcilicet vel ſunt extremę, vel coniunctam habent immodicam caliditatem aut frigiditatem) fiunt tabes. Id quod Gal. non videtur probare, tum quòd ſiccitates ſint remediũ tabis, tum etiam quod per has cerebrum bene habeat. Nihilominus tamen ſi ſicca conſtitutio diutiùs perſeueret, poterit imbecillius reddi cerebrum, vnde (præſertim ſi caliditas coniuncta ſit ſiccitati) contrahet multam bilem, quæ ſi defluat in pulmones, exulcerabit, & tabem faciet. Ponemus ergò tabem & ſiccam & humidam, vt dicebamus de lippitudine. Sic articulis per hanc conſtitutionem redditis imbecillioribus, ſi collecta bilis (maxime ſiccitati caliditate iuncta) in eos decumbat, fient arthritides biliosæ. Item ſtranguriæ, veſicæ retentrice imbecilla & materia acri, vt bile, vrinis permiſta. Fiunt & (vt ferè ſemper in ſenibus) à pituita ſalſa, eadem retentrice debili. Sic quoque accidunt dyſenteriæ per ſiccitates, bile defluente ad inteſtina, & erodente. Vnde in febribus fit ſæpe iudicium aliquando per ſtranguriam, ſi bilis ad veſicam, aliquando per dyſenteriam, ſi ad inteſtina defluat, vt eſt motus bilis. Experientia tamen docet eſſe etiam dyſenterias, quæ ſequantur conſtitutiones humidas & pluuioſas, vt antea monſtrauimus. Vt cum per æſtatem pluuiam & auſtrinam collecta eſt multa materia, quæ ad putrendum parata, putreſcit ſequenti Autumno in inteſtinis aſtrictione aëris frigidi: in quibus dyſenteriis primum fiunt teneſmi, deinde excernuntur mucoſa, poſtea putrida & varia. Verum alia eſt ratio curandæ dyſenteriæ, quæ ſequitur conſtitutiones calidas ſiccas, & alia eius quæ ſequitur pluuioſas, vt etiam oſtendunt cauſæ.

## SCHOLIA.

Licet ſiccitas imbribus ſit ſalubrior: vtraque tamen temporis conſtitutio, ſuæ intemperaturæ congeneres morbos inuehit. Qui pluuiali ſtatu incidunt morbi, huiuſmodi fere ſunt. Febres, à motu, putredine & ſynatriſmo humoris, qui à venis aut viſceribus exitum non habet, non à culpa medici ortæ: eæque diuturnæ, concoctu ſcilicet & excretu difficiles, quales febres vt plurimũ per abſceſſum in articulis iudicantur. Alui profluia, aut per infirmitatem partium nutritioni inſeruientium: aut, obſtructionem meſaræi, hepatis aut lienis: aut, confluente in ventrem vndiquaque ſero, quod multum eo tempore gignitur, & exitu per cutis ſpiracula probibetur, præſertim in balbis & acidum ructantibus. Putredines ceu affectiones cutis putres, vt alopecia, ophiaſis, phthiriaſis, menti & pudendorum furfures, vlcera cacoethia, præſertim partium pudendarum, carnium corruptiones, oßium denudatio. Epilepſiæ, & apoplexiæ, aucta in cerebro pituita. Anginæ, præſertim hybernæ, quæ in faucium potius quàm laryngis inflammatione conſiſtant, maioremque deglutiendi, quàm reſpirandi difficultatem adferunt. At vero ſicco & pluuiarum experte anni ſtatu, tabes ſiccæ, à calida & ſicca pulmonum intemperie, aut atrophia, vel febre eorundem hectica, quam ſe aliquando vidiſſe ſcribit Galenus, nos autem ſæpe vidimus. Lippitudines ſiccæ, conſumpta bilis & ſanguinis parte craßiore, ſero eiuſdem ſuperſtite. Arthritides ſiccæ, conſumpto humido oleoſo ac pingui articulorum, aut acri humore in articulos decumbente. Vrinæ ſtillicidia, ab vrinæ acrimonia, aut imbecillitate veſicæ præ ſiccitate nimia. Dyſenteriæ à bilioſi humoris feritate confluente in inteſtina.

## *APHOR. XVII.*

AI δὲ καθ' ἡμέρην καταστάσιες, αἱ μὲν βόρειοι τά τε σώματα συνιστᾶσι, εὔτονα καὶ εὐκίνητα. καὶ εὔχροα. καὶ εὐηκοώτερα ποιέουσι, καὶ τὰς κοιλίας ξηραίνουσι, καὶ τὰ ὄμματα δάκνουσι, καὶ περὶ τὸν θώρηκα ἄλγημα, ἤν τι προϋπάρχῃ, μᾶλλον πονέουσιν· αἱ δὲ νότιοι διαλύουσι τὰ σώματα καὶ ὑγραίνουσι, καὶ βαρυηκοΐας καὶ καρηβαρίας ποιέουσιν, καὶ ἰλίγγους ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσι, καὶ τοῖσι σώμασι δυσκινησίην, καὶ τὰς κοιλίας ὑγραίνουσι.

*QVotidianæ tempeſtates, Aquiloniæ cogunt corpora, firmantque, mobiliora item & expeditiora, coloratiora & auditu valentiora reddunt. Aluos prætereà exiccant, oculos mordent: & ſi dolor aliquis thoracem prius habuerit, exaſperant. Contrà Auſtrinæ corpora languida efficiunt, & humectant; auditum hebetant, caput grauant, vertiginem oculis, tarditatem & langorem corporibus adferunt: & aluum humectant.*

IAm antè egit de anniuerſariis & diuturnis conſtitutionibus, nunc docet quomodo vnaquæque conſtitutio diurna alteret & afficiat noſtra corpora. Aquilones, qui Galeno rigidi ſunt & ſicci magna ex parte, corpora robuſtiora reddunt, propterea quòd colligunt calorem & ſpiritus, omnia denique quæ faciunt ad robur naturæ. Tunc etiam fit melior concoctio, ſanguificatio, diſtributio in corpus, vnde melior nutritio. Qua ratione etiam corpora ſunt bene colorata, vt videre eſt in hominibus Septentrionalibus. Sic per Aquilones meliùs ratiocinamur, recordamur, mouemur, audimus, videmus, &c. quia tunc cerebrum vacat excrementis & vaporibus, illis quibus ſolet perturbari: ſpiritus tenuiores ſunt & puriores: nerui ſunt ſicci, contenti, & robuſtiſſimi, vnde facilior motus. Aluos exiccant, quia tunc minus ſeroſi excrementi colligitur, &

reſiccatū corpus externum attrahit ab interno corpore illā humiditatē, qua fœces humectantur: item propter alias cauſas Aph. 5. huius ſectionis commemoratas. Verùm oculos mordent, quoniam hi ſunt maximè frigori expoſiti, cúmque ſint rari, facilè admittunt tenuem illum & purum aërem frigidum, à quo eorum ſubſtantia quodammodò diuellitur conſtringendo & condenſando. Sic thorax offenditur à frigore, ſed non tam per poros cutis, quàm ab inſpirato aëre. At auſtrini ſtatus vertigines adferunt. Apud Grammaticos Gręcos ἴλιγξ καὶ ἴλιγγος propriè eſt vertigo, quæ fit à ſtomachi, vacui præcipuè, morſu & nauſea. Hoc loco ἴλιγγοι ſimpliciter intelliguntur vertigines quæ fiunt primario cerebri affectu, quum ſcilicet humiditates & ſpiritus flatuoſi ac vaporoſi per auſtrinam conſtitutionem in cerebro collecti agitantur à calore. In oculis difficilem motū concitant, quia vidēdi facultas occupata eſt multis humiditatibus & vaporibus, ſpiritus viſorius craſſus eſt & caliginoſus, videndi quoque medium eſt impurius & caliginoſius. Aluos denique humectant, eò quòd nulla humiditas feroſa eſt euacuata, elaxata ſunt, mollia & languefacta inteſtina: concoctrix facultas reddita imbecillior.

## SCHOLIA.

*QVos affectus pariant diuturnæ conſtitutiones aquiloniæ & auſtrinæ, ſupra dictum eſt. Nunc quas noxas quæue commoda eadem adferant quæ quotidianæ ac diariæ ſunt. Ergo tempeſtates quæ repente oriuntur & incidunt in tempora alioqui bene morata benéque cōſtituta, nec diu durant, ſed vnius aut plurium dierum clauduntur ſpatiis: aquiloniæ quidē, cum*

*ſcilicet flatuum Aquiloniorum dominatu cœlum tenetur, ſolida reddunt corpora, modicè partes cogendo, & excrementitium humorem abſumendo. Et firma, à moderata ſiccitate partium. Et ad omnem motum expedita, facultatis animalis virtute, & inſtrumentorum robore. Et bene colorata, colore, charactere & mole ſalutariter conſtituta, œconomiæ facultatis naturalis & vitalis beneficio: nam vt ſe habet alimentum partium, id eſt ſanguis, ita & color, ex Aphor. 28. ſect. 4. lib. 6. Epid. Acerrimos integroſque ſenſus omnes, potiſſimum vero auditum, quòd is tenuiſſimus ſit, facultatis animalis virtute, inſiti inſtrumēti integritate, meatus ſenſorij libertate, & externi medij puritate. Aluos deſiccant, virtute caloris natiui per antiperiſtaſin, coctionis & diſtributionis benignitate, infirma expultrice, robuſta retentrice, ſeroſi excrementi fæces proluentis conſumptione, & ſphincteris muſculi aſtrictione. Oculos ipſos mordent, id eſt, oculorum tunicas longè tenerrimas & cute carentes. Veteres thoracis affectus, vt tuſſes, raucedines, aſthma, phthiſin acerbiores reddunt: nam frigus thoraci & pectori inimicum tum per ſe, tum ex euentu, venas rumpit, & humorem in thoracem exprimunt. Contrà Auſtrinæ tempeſtates quæ repentè oriuntur, corpora omnino reſoluunt, & in mouendo pigra reddunt, facultatis animalis & inſtrumentorum infirmitate. Et humore nimio mollia reddunt & effœminant, principióque neruorum madefacto toti corpori ſtuporem inducunt. Auditui ſunt graues, facultatis animalis, & inſtrumenti inſiti infirmitate, meatuum obſtructione & externi medij impuritate. Vertigines tenebricoſas faciunt ab inordinato motu ſpiritus animalis, apoplexiæ vel epilepſiæ prænuncias.*

## APHOR. XVIII.

Κατὰ δὲ τὰς ὥρας. τοῦ μὲν ἦρος καὶ ἄκρου τοῦ θέρεος, οἱ παῖδες, καὶ οἱ τουτέων ἐχόμενοι τῇσιν ἡλικίῃσιν ἄριστά τε διάγουσι καὶ ὑγιαίνουσι μάλιστα· τοῦ δὲ θέρεος καὶ τοῦ φθινοπώρου μέχρι μὲν τινὸς, οἱ γέροντες. τὸ δὲ λοιπὸν φθινοπώρου καὶ τοῦ χειμῶνος. οἱ μέσοι τῇσιν ἡλικίῃσι.

*Quod ad tempora verò attinet, vere & prima æſtate pueri & his ætate proximi optimè degunt, valentque maximè. Æſtate verò & autumno ad aliquam vſque partem ſenes. Reliquo autumno & hyeme qui mediam ætatem degunt.*

TEmperata gaudent temperatis, & intemperata contrariis. Ergò (vt ſupponamus & tempora & ætates ſeruare ſuam temperaturam) vere & prima æſtate pueri & adoleſcentes optimè degent. Sed ita meliùs diſtinguemus. Pueri cùm ſint calidiores & humidiores meliùs ſe habebunt initio æſtatis, vt menſe Maio: adoleſcentes verò ab anno 14. ad 22. aut 25. (qui maximè omnium ſunt temperati, aut proximi temperatis) vere temperato. At ſenes æſtate & prima autumni parte (vt menſe Septembri) quæ calida eſt & ſicca, bene degunt, vt qui ſint frigidiores & ſicciores, & prętereà humidiores excrementis. Reliquo autem autumno & hyemis tempore rectius valent, qui ſunt inter adoleſcentes & ſenes medij, hoc eſt, ἀκμάζοντες ab anno 25. ad 40. & qui ſunt in ætate declinante à 40. ad 60. vtrique calidi ſicci, ſed non in eodem gradu caloris. Nam ἀκμάζοντες ætate declinantibus ſunt calidiores & ſicciores, vnde etiam hos vocat interdum percalidos Hipp. In ætate declinante manet caliditas & ſiccitas, ſed non tanta, quanta eſt in ætate florentibus. Itaque non inepte dicas ætate declinantes ita vocari calidos ſic-

cos, quemadmodum dicuntur calidi ſicci qui ſunt in vigore febrium continuarum: vt eos qui ſunt in declinatione ætatis vocare poſſis calidos ſiccos, quomodo appellantur calidi ſicci in intermiſſionibus & declinationibus earundem febrium.

## SCHOLIA.

*Quibus anni tempeſtatibus ſingulæ ætates optime habeant. Ergo per anni tempora, in quibus ὡραῖα ſunt ὡραίως, vere quidem, quod in ſuo genere temperatum eſt, omniſque exceſſus expers. Et primæ æſtatis parte, quæ fortaſſe Maio incipit, pueri ab anno ætatis ſeptimo ad decimum quartum. Et qui hos ſequuntur, adoleſcentes ſcilicet, quorum ætas omnium temperatiſſima eſt ac ſalubritati corporis accommodatiſſima, integra ſanitate fruantur, quòd temperata ætatum natura ſimilium rerum vſu in ſua naturæ ſymmetria contineatur. At, æſtate vigente & affecta, in qua ſiccitatis & caloris ſumma ſunt omnia: & autumno ad idus vſque Octobris, aliquantiſper quidem ſenes meliore ſunt loco: quia intemperatæ naturæ gaudent modico contrariorum vſu, ac ſimilem intemperiem difficilius ferunt, quàm intemperatæ contrariam. Quod reliquum eſt autumni & hyemis, qui inter hos ætate ſunt medij, vt iuuenes & homines conſtantis ætatis, melius degunt.*

## APHOR. XIX.

Νοσήματα δὲ πάντα μὲν ἐν πάσῃσι τῇσιν ὥρῃσι γίνεται, μᾶλλον δ' ἔνια κατ' ἐνίας αὐτέων καὶ γίνεται καὶ παροξύνεται.

*Quælibet in quibuſuis temporibus morbi fieri poſſunt: Nonnulli tamen in quibuſdam magis tum fiunt, tum irritantur.*

MOrbi fiunt cognati aëris, ab aëre: alieni vero à natura aëris ex victus ratione. hoc certum eſt. Aëre enim temperato poſſumus ab vſu immodico calidorum, aut frigidorum morbum incurrere, qui quidem erit non ab aëre, ſed à victus ratione. Morbi itaque quidam ſunt communes, ratione aëris omnibus communis, aquarum, locorum communium. Quidam ſporadici, qui contrahuntur ratione victus peculiaris vniuſcuiuſque. in quibuſdam tamen temporibus magis fiunt morbi: exempli gratia, apoplexiæ magis oriũtur hyeme. Si quis tamen otioſè & intemperãter viuat æſtate, & ſtatim dormiat à paſtu, incurret apoplexiam, etiamſi aër ſit calidus ſiccus.

## SCHOLIA.

*PRæfatio quædam eſt ad enumerationem morborum, qui ſingulis anni temporibus fiunt. nam nihil eſt in rebus non naturalibus quod morbum non poßit committere: proinde non ſolis temporum intemperaturis aſcribendæ ſunt cauſæ omnium morborum, endimiorum, epidemiorum, ſporadicorum, ſiue ſint hæreditarij, ſiue ſyntrophi, ſiue à communis aut particularis cuiuſque naturæ vitio, ſiue per cacochymiam, ſiue per plethoram, ſiue per intemperiem, ſiue occultam corruptionem. Hi enim omnes omnibus anni temporibus accidunt, plures tamen accidunt occaſione temporis, quàm vitio victus, & naturæ. Qui omnes fiunt vel ratione loci ſolis: ſic enim æſtus mouet febres ardentes. Vel ratione motus eius: ſic enim ver morbos cutaneos gignit, propulſis à natura foras humoribus. vel ratione temporũ præcedentis. ſic enim ver generat furores, melancholias &c. ob humores genitos autumno qui non potuerunt diſcuti hyeme.*

## APHOR. XX.

TOῦ μὲν γὰρ ἦρος τὰ μανικὰ, καὶ τὰ μελαγχολικὰ, καὶ τὰ ἐπιληπτικὰ, καὶ αἵματος ῥύσιες, καὶ κυνάγχαι, καὶ κόρυζαι, καὶ βράγχοι, καὶ λέπραι, καὶ βῆχες, καὶ λειχῆνες, καὶ ἀλφοὶ, καὶ ἐξανθήσιες ἑλκώδεες πλεῖσται, καὶ φύματα, καὶ ἀρθριτικά.

*VEre enim inſania, melancholiæ, morbi comitiales, ſanguinis profuſiones, anginæ, grauedines, raucitates, tuſſes, lepræ, impetigines, vitiligines, puſtulæ vlceroſæ plurimæ, tubercula, & articulorum dolores accidunt.*

ENumerat deinceps qui morbi ſint magis peculiares veri, æſtati, autumno, hyemi. Vere autem alias ſaluberrimo fiunt morbi, quia humores, qui hyeme pigri, immoti & tardi deliteſcebant in profundo corpore, ſimulatque adeſt calor vernus, ac ſpirant Fauonij, funduntur & liquantur, mouenturque ad corporis ſuperficiem. Si itaque huiuſmodi materia ſit craſſior nec ſatis attenuata, ſi viæ ſint intercluſæ, ſi natura totius corporis & ſingularum etiam partium ſit imbecilla, gignentur tunc morbi. Contrà ſi materia ſit ſatis tenuata natura robuſta, viæ liberæ, ver morbis liberabit. Ver ſiquidem ob id dicitur ſalubre, quod ſi ſanum excipiat corpus, ſanum conſeruat: ſin morbidum, ſanat: modò nihil prohibeat, vt oſtendimus. Vere ergò accidunt τὰ μανικὰ, id eſt, furores ſeu maniæ. Mania & τὸ μανικὸν apud Hipp. voces ſunt ambiguæ. Aliquando enim dicuntur de mania propriè dicta, aliquando de vehementi furore, & de melancholia. Mania propriè dicta, eſt perpetuum delirium ſine febre, vt author eſt Gal. in Epid. & Prorrh. Rurſus hæc duplex eſt, altera mitior, altera crudelior & vehementior. Mitior, eſt à flaua bile

cerebri ſubſtantiam occupante. Quæ ſæuior eſt, ab atra bile, quam generauit vel flaua bilis exuſta, vel ſuccus melancholicus vſus. Vterque enim humor niſi celeriter vacuetur, malignam quandam acrimoniam contrahit, & conuertitur in atram bilem. Aliquando mania fit à ſanguine, vt in viduis à ſanguine menſtruo: hic enim retentus aliis interdum tabes, aliis ſanguineas vomitiones excitat, aliis manias facit, quando ſe confert ad cerebrum. Sed ſanè credibile eſt, ſanguinem hunc, dum diutius immoratur in vtero, cõtraxiſſe malignam quandam acrimoniam, vt eiuſmodi mania verius dici poſſit à flaua bile exuſta aut exuſto ſucco melancholico originem habuiſſe, quàm à ſanguine. hoc loci agit Hipp. de mania propriè dicta. Platonici faciunt duplicem maniam, vnam à deo inſpiratam (ἐνθουσιασμὸν vocant) alteram vitio corporis contractam, qua de hic loquimur. Iam quod mania ſeu μανικὸν extẽdatur etiam ad melancholicum morbum, docet Hipp. lib. 6. Apho. 56. vbi per μαινομένους intelligit eos qui melancholico morbo laborant. Notandumque obiter, libellos de mania & melancholia non eſſe Hippocratis, ſed potiùs ab aliquo collectos ex Archigone, Poſidonio, & Rufo medicis. *Melanch.*) Melancholiæ triplex eſt genus. Vnum flatulentum & hypochondriacum. Alterum, vbi per totum corpus ſparſus eſt ſanguis melancholicus craſſus, niger, & fæculentus. Tertium, vbi idem imbibitus eſt ventriculis & ſubſtantiæ cerebri, reliquo corpore illæſo. De hoc genere hic intelligitur. Nonnunquam tamen Hipp. per melancholicos denotat vehementer furentes, quanquam propriè magis maniaci vocarentur. Morbi comitiales qui materiam habent craſſam vt pituitam, vel atram bilem, quæ occupat ce-

rebri ventriculum poſteriorem, qua parte eſt exortus ſpinæ: vel magnam cerebri partem. Si enim materia totum cerebrum occuparet, eſſet apoplexia. *Sanguinis profuſ.*) Intelligit omnes ſanguinis profuſiones, ſiue per nares (quæ profuſiones dicuntur propriè hæmorrhagiæ) ſiue per vomitum, per hæmorrhoidas, per vterum fiant, ſiue etiam (quod rarò accidit) vbi ad cutem venularum orificia aperiuntur. Fit autem ſanguinis profuſio vere, natura vel grauata quantitate ſanguinis per hyemem collecta, vt non poſſit vaſis contineri: vel irritata qualitate, quum ſcilicet ſanguis vel acrior eſt, vel ſalſuginoſior. Fiunt quoque vere anginæ à ſanguine, præſertim pituitoſo diffuſo & defluente ad fauces imbecillas, vbi inflammationem procreat. hæ porrò comprehenduntur ſub hybernis, de quib. anteà. Eandem habent cauſam grauedines, raucitates, tuſſes. Accidunt & vere lepræ & lichenes ſeu impetigines, qui duo affectus maximè conueniunt, cùm eandem habeant materiam, vtranque ſcilicet bilem & pituitam ſalſam. Sed diſtinguűtur ſecundum magis & minus: quòd in lepra craſſior ſit, ſæuior, & profundior materia: in impetigine minùs craſſa, minùs erodens, minúſque profunda. Prætereà in lepra magna eſt exulceratio & dolor (à bile flaua, & atra) color ex albo nigricans, cutis ſcabrities, ſquamæ magnæ, duræ, nigriores, craſſæ, pruritus ingens à pituita ſalſa craſſiore. In impetigine verò ſuperficiaria ſcabies eſt, tenuis, furfuracea, calor albidior, pruritus non ita magnus, non ſunt ſquamæ nec cruſtæ denſæ. In equis impetigines, Chelidonas vocat Aurelianus. At pſora, eſt veluti quidam medius affectus inter lepram & impetiginem. habet & furfures per ſummam corporis cutem ſer-

pentes, & cruſtas denſas, ſed paucas, diuerſóque colore, materia eſt feroſior & tenuior, neque tam alta & profunda ſunt vlcera quàm in lepra. *Alphi.*) Vitiligo cutis eſt vitium; cuius duæ ſunt ſpecies, Alphos & Leuce. Rurſum Alphos apud nos multiplex eſt. Quibuſdam enim ſunt maculæ albæ per totum corpus ſparſæ, vocant *Ladrerie blancke*. Aliis ſunt maculæ ſparſæ colore caſtaneo. Vidi in quadam muliere ſpeciem Alphi, in qua per totum pectus cutis erat ſubalbida, aſpera, denſa, dura in modum membranæ. Reuera hi omnes morbi, vitiligines, impetigines, pſora, ſunt initium & indicium lepræ futuræ. Denique Alphus vitiligo eſt in ſumma tantùm cute reſtitans à pituita, vel humore melancholico. Λευκὴ verò profundior eſt & periculoſior: quia vel à pituita viſcoſiore oritur, vel plus habet atræ bilis. *Puſtulæ vlceroſæ.*) Ἐξανθήσεις ſeu exanthemata ferè ſemper vere oriuntur. Ex his quædam dicuntur variolæ, quæ ſi durent vſque ad autumnum, letales ſunt. Quædam rubiolæ ſeu morbilli appellantur, habentque ortum à feruore ſanguinis. Aliquando contingit eſſe malignum quendam humorem, qui per corpus excitat puſtulas & maculas, quæ referunt vibices, & veluti puncturas ab vrticis, σίγματα vocant. Porrò ex variolis aliæ ſunt albæ, minus periculoſæ: aliæ rubræ, periculoſiores: nonnunquam ſunt liuidæ, & nigræ ac fœtidæ, quæ mortem planè adferũt. hæ materiã habent magna ex parte ſalſam, aliquãdo bilioſam. Quum enim natura ſeſe expurgat vere, ad cutim materiam expellit: quæ quum reſtitat, (in epidermide præſertim) neque poteſt diſcuti, facit eiuſmodi exanthemata.

In quibus ſi ſit pituita ſalſa largior, pruritum concitant: ſin plus bilis, dolorem faciunt. Rurſus hæc exanthemata ſic poſſunt diuidi: quòd quædam ſunt læta & humiliora à materia craſſiore & frigidiore: quædam ſublimia & acuta, à materia calidiore & tenuiore, vt pituita ſalſa vel bile flaua. *Tubercula.*) Phymata vocare ſolet in genere Hippocrates omnia tubercula quæ excreſcunt in ſuperficie corporis. Gal. & alij medici recentiores ſic etiam vocant inflammationes in inguinibus & alis.

## SCHOLIA.

*Melior fuiſſet ordo, ſi primùm definiuiſſet Hippo. morbos proprios ſic legitimos ſingulorum temporum ſuam naturalem temperaturam ſeruantium: Deinde perſtrinxiſſet morbos ſingulorum temporum illegitimorum & à ſuo temperamento deficientium: Tertiò, comparaſſet tempora adinuicem. Contrà quod primum definiendum erat, hic vltimum deſcribitur. Primum igitur de morbis vernis agitur, qui ſanè non generatione, ſed paroxyſmo, hoc eſt, non tam ratione temperaturæ ſaluberrimi veris ſolent fieri, quàm ob præcedentium temporum intemperaturas. Ergo, vere medio cum florent fabæ, fiunt furores febris expertes, vt homines è poteſtate mentis exiiſſe videantur, præſertim qui flaua & rubicunda ſunt facie, mulieréſque quibus à menſtruorum palindrome in mammis fit ſyſtrophe, paroxyſmo, non generatione. Et melancholiæ ceu deliria febris expertia cum mœrore & mœtu coniuncta, præſertim hominibus conſtantis ætatis. Et epilepſiæ pueriles & melancholicæ. Sanguinis profluuia, narium, vteri, hæmorrhoidum, ſiue illa ſint viſcerum malè affectorum ſymptomatica, ſiue etiam plethoræ critica: faucium & muſculorum laryngis tam proprio-*

*rum*

*rum quàm communium inflammationes, anginas appellatas, à ſerina deſtillatione, aut humoris infernè ſurſum refluxu. Et catarrhi, tum capitis, tum vniuerſi corporis. Et vocum aſperitates, à catarrhi in aſperam arteriam prolapſu. Et lepræ, ceu cutis aſperitates rotundæ cum ſcamis & ſanie coniunctæ. Et impetigines, id eſt cutis aſperitates, cum pruritu, & defœdatione cutis coniunctæ, ſine furfuribus & ſcamis. Et vitiligines, ceu cutis defœdationes ſine furfuribus & ſcamis & aſperitate, guttarum modo ſparſæ. Et exanthemata, ceu puſtulæ exulceratæ plurimæ. Et tubercula, id eſt tumorum genus omne contra naturam, vt ſcirrhi, phlegmone, œdemata. Et articulorum dolores ab inflammatione nati, vt podagra & chiragra, fuſis nimirum & liquatis humoribus in articulos delapſis.*

## *APHOR.* XXI.

Τοῦ δὲ θέρεος, ἔνιά τε τουτέων, καὶ πυρετοὶ ξυνεχέες, καὶ καῦσοι, καὶ τριταῖοι πλεῖστοι, καὶ τεταρταῖοι, καὶ ἔμετοι, καὶ διάῤῥοιαι, καὶ ὀφθαλμίαι, καὶ ὤτων πόνοι, καὶ στομάτων ἑλκώσιες, καὶ σηπεδόνες αἰδοίων, καὶ ἵδρωα.

*Æſtate autem nonnulli horum, & febres continuæ & ardentes, & tertianæ plurimæ, quartanæ item & vomitiones, alui profluuia, lippitudines, aurium dolores, oris exulcerationes, genitalium putredines, & ſudamina.*

IN ſingulis anni partibus ſunt morbi, & alieni, & cognati ac proprij, vt æſtate fiunt aliqui morbi verni, & alij proprij. Verni fiunt ſub finem veris, & initio æſtatis vſque ad menſem Iulium. Vt in his regionibus ferè ſemper prima æſtate oriuntur febres tertianæ nothæ, & duplices tertianæ; quia bili permiſcetur pituita vere collecta, ob piſcium eſum; & cœlum frigidius ac humidius. Sic generantur continuæ nothæ, putrefacto

ſanguine, necnon pituita putrida bili permiſta. Iam menſe Iulio, ſi æſtas habeat ſecundum naturam, fiunt exquiſitæ tertianæ, vel propè accedentes ad exquiſitas: fiunt continuæ exquiſitæ, & exquiſitæ ardentes: inclinante verò æſtate, rurſus gignuntur tertianæ nothæ, & cõtinuæ nothæ, & ardentes nothæ. Quæ quidem (vt alij mobi autumnales, aut ferè autumnum attingentes) ſunt longiores & periculoſiores vernis illis tertianis & continuis: idque ob cacochymiam autumno propriam & maligniorem materiam, magíſque heterogeneam. Quartanas quidam volunt hîc expungi, quod ſint magis familiares autumno, poſſunt tamen fieri æſtate quartanæ à pituita veris exuſta & craſſiore reddita. Vomitiones bilioſæ prçſertim commota bile ad ventriculum fiunt æſtate; quia tunc potius purgamur per ſuperiora, ſi prçſertim ventriculi partes ſuperiores ſint imbecilliores: vt contrà ſi ſint robuſtiores, accident alui profluuia flaua bile deſcendente ad inteſtina. Item oris exulcerationes, quum ſeroſa pars flauæ bilis acris & tenuis petit ſuperficiem oris. Eandem ob cauſam genitalium putredines, per quas non cancros intelligere oportet (vt ſemper facit Celſus) ſed cum Galeno putrilagines materiæ & putrilaginoſa pudendorum vlcera: quibus niſi tempeſtiuè ſuccurratur, oboriuntur gangrenæ & ſphaceliſmi vel intra diem vnum, aut duos, vt ſit abſcindendus penis. Sudamina, ἱδρῶα (Gallicè *eſchaubouilleures*) ſunt exanthemata parua, quæ accidere ſolent mollioribus, vt pueris & mulieribus, in cute prçſertim faciei, fiunt autem quum in ſudore, ſi quid eſt craſſioris materiæ, quodque non facile exhalet, reſtitat in cute.

## *SCHOLIA.*

*Morbi æſtiui duplices: alij à vere præcedente: alij, æſtatis proprij, ab eius nimirum intemperie geniti. Ea igitur parte anni, quæ definitur ab ortu Vergiliarum ad ortum Arcturi, nonnulli accidunt morbi verni, quod æſtatis principium, veris naturam retinet, tum à commotione humoris exitum non habentis, tum ab abſceſſu facto intrò, aut foràs, aut aliò quò oportet. Tum etiam febres continuæ à motu, putredine & collectione humoris in maioribus venis atque arteriis citra peculiarem alicuius partis affectionem. Et cauſi, ceu febres ardentes continuæ, cum ſiti inexplebili, linguæ ſcabritie, corporis iactatione, & inſigni ardore coniunctæ, per laborem & ſitim obortæ, cum venulæ arefactæ ad ſeſe attraxerint bilioſos & acres ichores. Et tertianæ plurimæ, à peculiari affectione partis alicuius gignentis, mittentis, trahentis, aut ſuſcipientis bilioſum excrementum, cuius motu, putredine, aut collectione paroxyſmus altero quoque die excitatur. Et vomitus bilioſi, quòd in* πικροχόλοις ἄνω *bilis ſit* ἀνάῤῥοπος, *fundo ventriculi valido, infirmo autem ſtomacho. Et alui profluuia, quæ feruntur in* πικροχόλοις κάτω, *ſtomacho quidem valido, ſed infirmo fundo ventriculi. Ophthalmiæ fluentes non ſiccæ, ob bilioſi humoris acrimoniam ſua mordicatione lacrymas proritantem ex oculis. Aurium dolores, ob materiæ bilioſæ ſurſum refluxum, aut eiuſdem prolapſum à parte quæ continet in eam quæ continetur, vnde parotides excitantur. Et oris vlcerationes criticæ aut ſymptomaticæ. Et ſudamina, id eſt puſtulæ quædam miliares toto corpore, maximéque in dorſo ſparſim obortæ, à ſudorificæ materiæ acrimonia.*

## APHOR. XXII.

TOῦ δὲ φθινοπώρου, καὶ τῶν θερινῶν τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ τεταρταῖοι καὶ πλανῆτες, καὶ σπλῆνες, καὶ ὕδρωπες, καὶ φθίσιες, καὶ στραγγουρίαι, καὶ λειεντερίαι, καὶ δυσεντερίαι, καὶ ἰσχιάδες, καὶ κυνάγχαι, καὶ ἄσθματα, καὶ εἰλεοὶ, καὶ ἐπιληψίαι, καὶ τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικά.

*AVtumno verò æſtiui etiam multi morbi fiunt, & febres quartanæ atque erraticæ, lienes magni, aqua inter cutem, tabes, vrinæ ſtillicidia, læuitates & difficultates inteſtinorum, coxæ dolores, anginæ, aſthmata, ilei, morbi comitiales, inſania, & melancholia.*

SI qua materia ſupereſt ex vere, æſtas tenuat & digerit: contrà, ſi qua ſupereſt ab æſtate, autumnale frigus poris conſtrictis cogit & compellit intrò. Vnde fiunt morbi æſtiui autumno, hoc eſt, initio præſertim autumni. Autumno etiam experimur plurimas febres quartanas, & plurimas nothas, erraticas, & malignas. Erraticæ (Gal. in lib. Epid.) intelliguntur tribus modis: quarum videlicet materia eſt heterogenea & admodũ diuerſa, vt quando bilis permiſcetur pituitæ aut atræ bili: in quibus ea materia contraxit cacochymiam & malignitatem quandam: quæ denique nullum ordinem, nullas periodos ſeruant, nulla ſigna edunt vnde poſſimus certo prædicere ſalutem aut mortem. Hæ febres ob materiam craſſam malignam & heterogeneam fere perſeuerant ad duos menſes vel ſeptimanas ſex: imò ab his ferè ſuperſunt reliquiæ quædam, vt vix æger, etiam febre liberatus, poſſit eſſe ſanitate integrà & certa. Gal. tertio progn. aliter atque in Epid. loquitur de febrib. erraticis, vt intelligamus ponendum eſſe duplex genus feb. erraticarum. Eſt enim erratica quæ febribus non ſuccedit, de qua in Epid. Eſt & quæ ſuccedit

febr. continuis,de qua in progn.hoc febris genus materiam habet atram bilem natam ex bile flaua exuſta per pręcedentem febrem:quæ atra bilis, partim mouetur,partim manet immota,&parte ſui putreſcit,partim non putreſcit. In his febribus ſi purgatio & phlebotomia non tempeſtiuè vſurpentur,metus eſt ab elephantiaſi , niſi robuſtæ naturæ beneficio ea materia quæ diuturnitate temporis malignam qualitatē acquiſiuit, per hæmorrhagiam, aut hæmorrhoides, aut vomitum euacuetur. *Lienes mag.* ) Quia humor melancholicus abundat autumno, neque fit tranſpiratio cute aſtricta, ideò fiunt in liene obſtructiones, tumores, inflammationes & ſcirrhi. Sic collecto humore illo in liene,nec ſatis repurgato,lien per vaſa cōmunia tranſmittit auras quaſdam admodum frigidas ad hepar, & ventriculum etiam, vnde refrigerato calore natiuo harum partium (hepatis pręſertim) fit deterior concoctio & ſanguificatio, hinc hydropes. Tabes, iis maxime qui tabi ſunt opportuni,idque ob frigiditatem, ſiccitatē & inæqualitatem autumni. Hęc autem tabes fit vel ab vlceratis pulmonibus, vel à deſtillatione ex capite in pulmones, aut ex fluxione aliarum partium in pulmones.Sic enim ex vtero menſtrua retenta ſi pulmones petant, faciunt tabem.Sic in viris,ſuppreſſæ hęmorrhoides, tabem excitant.Sic materia podagræ aut arthritidis retēta, ſi ad cerebrum ſe conferat, apoplexiam : ſi in pulmones,tabem inuehit. Pręterea ſtillicidia vrinæ, bilis enim acris & mordax, quæ anteà per ſudorem aut inſenſilem trāſpirationem vacuabatur laxa cute,nunc viis interceptis recurrit ad veſicam:adde quod veſica eſt imbecillis ob frigus, quòd ſit neruacea & membranacea.At ſenibus fiunt ſtranguriæ, tum ob imbecillam vim retentricem,

veſicæ,tum ob pituitam ſalſam,quæ pręterquam quòd ipſis eſt dēſiſſima cutis non ſolum in ſenibus, ſed etiam in pueris & aliis difficulter admodũ exhalat, bilis verò multo facilius. Liēteriæ,hoc eſt cibi incocti,nullamque mutationem adepti citiſſimæ deiectiones, ob ſuperficiariam interioris ventriculi aut vicini inteſtini exulcerationem à mordaci quodam ac tenui humore excitatam: vel ob imbecillam retentricem potentiam ventriculi, aut inteſtini vicini à magna & inſigni intemperie ſubortam. Dyſenteriæ, ab acri & bilioſo humore inteſtina erodente. nonnulli hîc omittendam cenſent difficultatem inteſtinorum: cuius neque Galenus meminit in Commentario, ſed experientia conſtat, nulla anni parte magis naſci dyſenterias, quàm vltima æſtate, & autumno. fiunt quoque coxæ dolores à malignitate humorum in coxas decumbentium. Sed non ſolum coxendicum ceu coxarij dolores, verumetiam morbi alij articulares gignuntur, autumno pręſertim & vere. Sed in hoc differunt, quòd verni (vt & alij morbi) ſunt benigniores & minùs periculoſi, quia materia benignior eſt & naturæ familiarior, nempe ſanguis & pituita. contrà, autumnales maligniores ob materiam maligniorem & cacochymiam. *Anginæ.*) Duplex eſt angina, vt antea dictum eſt, hyberna & æſtiua: eadem eſt verna & autumnalis. Verum vernæ anginæ, quæ ſunt magis à pituita, ſub hybernis comprehendi poſſunt. Autumnales verò, quæ ab humore acri & bile magis ortum habent, ſub æſtiuis: adde quòd vernæ & hybernæ ſunt magis externæ, æſtiuæ vero & autumnales, internæ magis. Ratio eſt, quia pituita illa cum ſit craſſior & frigidior, non ſubire po-

reſt in corpus, ſed reſtitat ad cutim. At bilis acrior recurrit ad venas internas. Aſthmata fiunt, quia bilis à corporis partibus interioribus ( vt capite & venis) fluit ad pulmones, qui ſunt etiam imbecilli ob frigus. Iam ileos atrociſſimus eſt morbus, non vnus, ſed multiplex. Gal. enim tertio Epid. confert ileum tenuioris inteſtini cum ileo craſſioris: vt poſſit conſtitui ileos & tenuioris & craſſioris inteſtini. Sed ſępius definitur morbus tenuioris inteſtini, quia craſſioris ileos habet ſępe ſymptomata ilei tenuis inteſtini. Fit ergò ileos morbus autumno, quum inteſtina propter frigus imbecilla excipiunt cacochymiam, quæ facit inflammationem & obſtructionem in tenuiore inteſtino, & ea prę ſertim parte quæ eſt ad pyloron & ieiunium, vel (quanquam rariùs) in craſſiore inteſtino, adeò vt corrumpatur alimentum, nec poſſit deſcendere chylus & ſtercus. Symptomata vtriuſque ilei ſunt, magna inquietudo & δυσφορία ceu ἀλυσμὸς: ſitis ingens, quia ab alimento corrupto tollitur ad os vapor, vt etiam fit in colico dolore à flatibus: vomitus cibi & potus, aliquando & ſtercoris, ſed tunc deſperata ſalus eſt, vnde Hippo. vehementes & ſęuiſſimas vomitiones vocat aliquando ἰλεώδεις. Verum periculoſior ileos in tenuiore inteſtino, quia facilè conſentiunt ventriculus & hepar. Periculoſior & ab inflammatione tenuioris aut craſſioris inteſtini ( quæ accidit ſępius autumno, rarius hyeme) quàm ab obſtructione contracta ex ſtercore duro, vel ex pituita craſſa, lenta, & viſcida: intercipiente inteſtinum alterutrum, cuiuſmodi ileos fieri etiam poteſt hyeme.

*Morbi com.*) Nulla eſt conſtitutio quæ magis faciat epilepſias quàm frigida ſicca & autumnalis. Tunc enim abundat ſuccus melancholicus & atra bilis:à qua cauſa dicebamus anteà fieri in ætate declinantibus. At vere fiunt à pituita, & hyeme, vt & in pueris. Æſtate verò in iuuenibus ob vitæ intemperantiam. *Furores & mel.*) Hîc τὰ μανικὰ καὶ τὰ μελαγχολικὰ intelligit de mania & melancholia veris, ab atra ſcilicet bile, ex vſtione flauę bilis aut melancholici ſucci in cerebro.

## SCHOLIA.

*Autumnales morbi duplices, alij ab æſtate præcedente, iique plurimi: autumnus enim, omnem fere effluxum humorum æſtate genitorum cohibens, plurimos æſtatis morbos detegit: alij proprij & familiares intemperaturæ Autumni. Autumno igitur, parte ea nimirum anni, quæ deſcribitur ab ortu Arcturi ad occaſum Vergiliarum, & qui æſtatem ſequitur calidam atque ſiccam, ideóque bilis acerrimæ procreatricem, corporáque excipit illi æſtati ſimiliter quodammodo affecta, etiam accedente diætæ vitio per ὀπώραν vſurpatæ, eſtque inæqualis repentina caloris & frigoris mutatione, propteréaque omnis cacochymiæ parens, & vitij per æſtatem concepti conſeruator: cùm multi æſtiui morbi incidunt, ſuperſtite adhuc materia per æſtatem collecta, cui pepaſmus & excretio inæqualitate autumni denegatur: tum etiam febres quartanæ primigeniæ, ſecundariæ ſymptomaticæ, tum ſimplices, tum compoſitæ. Et erraticæ ceu typi expertes, cum ſcilicet aut diuerſis locis materia putreſcit, mouetur, aut colligitur: aut ipſa diuerſis focis eſt heterogenea: aut eiuſdẽ portio vna mouetur, altera immota manet, vna iam putruit, altera non pu-*

*treſcit. Et lienis tumores primigenij ac ſecundarij: ac primigenij quidem, præ copia humoris melancholici, cui ſecernendo & excernendo lien non ſufficit: Secundarij verò, per διαδοχὴν, id eſt, humoris ſucceßionem, quæ fit ab hepate in lienem: aut per diætæ vicium, cum ſe quis per febres liberaliter potu inuitauit, nec aquam vomitione excluſit. Et hydropes triplices, cauſa, materia & foco. Stranguriæ, veſicæ infirmitate & vrinæ acrimonia. Et dyſenteriæ ab atra bile, quæ abradendo & exaſperando inteſtinis moleſta eſt, ſiue illæ ſint primigeniæ, ſiue ſecundariæ. Et alui præproperæ deiectiones, cibi nullomodo mitificati, priuatione primæ coctionis per intemperiem frigidam alui, aut ſuperficiariam exulcerationem ab acri humore, qui abradendo & exaſperando fuit moleſtus, aut catarrhi in aluum delapſum, aut hecticam intemperiem alui. Et aſthmata ceu ſuſpirioſi anhelitus, cum difficultate ſpirandi, quæ in branchiorum obſtructione, aut ſpiritus flatulenti, aut materiæ flatulentæ ad pulmones & ad diaphragma refluxu conſiſtit. Et ilei, ceu chyli aut ſtercoris, ob inteſtinorum obſtructionem vel inflammationem intercepti, vomitiones.*

## *APHOR. XXIII.*

Τοῦ δὲ χειμῶνος, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, κόρυζαι, βράγχοι, βῆχες, πόνοι στηθέων, καὶ πλευρέων, ὀσφύος, κεφαλαλγίαι, ἴλιγγοι ἀποπληξίαι.

*HYeme pleuritides, pulmonis inflammationes, lethargi, grauedines, raucitates, tuſſes, dolores pectoris, laterum & lumborum, cephalalgiæ, vertigines & apoplexiæ.*

OMittit Hippocrates morbos inclinantis Autumni, qui tamen cum gignantur prima hyeme, poſſunt hîc ſubintelligi, cuiuſmodi ſunt tabes, anginæ,

aſthmata,&c. Verum morbi hyemis proprij hi ſunt, pleuritid.&c.quia caput per hyemem pituita & recrementis refertum ſeſe exonerat in partes thoracis, non ſolum ſua natura imbecillas, quod illę exangues ſunt, multis oſſibus, cartilaginibus, neruis & membranis contextæ, ſed & imbecilliores factas hyeme ob inſpiratum aërem frigidum & hybernum, quem imbibunt.Sed obiiciet quiſpiam, quòd ad pleuritidem attinet,membrana coſtas ſuccingẽs,quæ natura ſua denſior eſt,à frigore ambiente redditur adhuc dẽſior, vt penetrare eam non poſſit pituita, vnde fiat pleuritis.Prętereà Gal. quum dicit alicubi pituitoſos non incurrere (aut raro)pleuritin,cauſam reddit, quia pituita craſſior eſt,quàm vt poſſit penetrare craſſam illam & denſam tunicam ſuccingentem. Dicemus, membranam hanc non effici duriorem aut denſiorem à frigore: eo quòd per frigus recurrente intrò calore totus thorax calet, quo tepido calore ea redditur mollior & rarior. Docet inſuper experientia frequentiſſimas in his regionibus pleuritidas gigni hyeme, à pituita, quam tamen veriſimile eſt dilui interdum vel ſeroſo humore, vel ſanguine, vel bile flaua: quando ſputa leuiter intincta eſſe videmus alias ſeroſa materia,alias ſanguine pauco, aliquando etiam bile. Sed non omnis laterum dolor eſt pleuritis. oportet enim adeſſe quinque, febrem aſſiduam, dolorem lateris punctorium, ſpirandi difficultatem, tuſſim, & pulſum durum. *Lethargi.*) hæc vox in quibuſdam Hippocratis exemplaribus deſideratur, poteſt tamen addi. Reuera enim lethargi morbi ſunt hyberni, fiuntque à pituitæ copia cerebrum occupante, cum febre & perpetua dormiendi

cupiditate. Raucedines, grauedines, tuſſes, fiunt etiam à pituita, à cerebro defluente. Dolores pectoris & laterum diſtinguendi ſunt à pleuritide, ſiquidem ſunt ſine febre, & aliis ſymptomatis pleuritidis. Accidit aliquando, vt membrana ſuccingens ſit denſior & calor validior: quare non fiet in eam fluxio, ſed in muſculos intercoſtales: ita vt inibi oriantur nonnunquam dolores acerbiſſimi, pituita craſſa, lenta & viſcida (quæ in flatus multos reſoluitur) muſculis inhærente. Aliquando hæc hæret etiam parti mediæ inter muſculos intercoſtales & tunicam ſuccingentem: vnde fit notha quædam pleuritis. pituita illa diſcutienda venit topicis calfacientibus, incidentibus, tenuantibus, diſcutientibus, potius fomentis ac ſacculis admotis, quàm cataplaſmatis, oleis, aut cucurbitulis. Hæc enim tria hic nil conferunt, aut parum. *Lumborum dol.*) Hippocrates vſitatis vocibus vtitur: vocátque ἰσφύας & muſculos lumbares tam interiores quam exteriores (& renes ipſos aliquando) & ſpinam quæ eſt in lumbis, & fibras quæ colligant & copulant renes cum ſpina & lumbaribus muſculis, vbi propter frigiditatem fiunt magni dolores, vt denique in omnibus neruoſis partibus, quum fibræ à fibris ſeparantur, vt in inflammatione tunicæ coſtas ſuccingentis, in meningibus cerebri, &c. Interdũ uon ſunt hi lumborũ dolores à frigiditate ſed à catarrho facto ex poſteriore cerebro per ſpinã, & reſtitante in lumbis: id quod tamen hyeme præſertim accidit. Sic cephalalgiæ fiunt hyeme à pituita, qua repletur caput, faciente & tenſionem & grauitatem, quum ſcilicet à calore languidiore commouetur,

partim reſoluitur in flatus, partim immota manet. ἴλιγγος propriè apud Grammaticos eſt tenſio circa ventriculum, vnde cerebrum compatitur, & vertigines fiunt. Sed cum Hippocrates verbis vtatur vſitatioribus, hîc per ἰλίγγους intelligit σκοτώματα καὶ δίνους, quum ſcilicet calore inualeſcẽte pituita incaleſcit in cerebro, & vertitur in flatus & ſpiritus: id quod accidit præſertim in fine hyemis & per initia veris. Apoplexiæ fiunt aliquando à pituita, & tunc hyeme fiunt: aliquando ab atra bile, & ſic Autumno: aliquando accidunt vitio corporis, vt in arthriticis, qui ſi intemperanter viuant, natura quæ antea robuſta demittebat materiam ad articulos, nunc imbecilla deponit in partem nobilẽ, vt cerebrum, & in apoplexiam incidunt qui ferè commoriuntur. Fiunt etiam vbi arteriæ carotides intercipiuntur in plexu retiformi, flatu, aut alia quapiam re.

## SCHOLIA.

*Hyemis frigidæ & Aquiloniæ, cuius hiſtoria definitur ab occaſu Vergiliarum ad æquinoctium vernum, hi ſunt proprij ac familiares morbi. Tunicæ coſtas ſuccingentis, & muſculorum intercoſtalium inflammationes primigeniæ & ſecundariæ: ac primigeniæ quidem, ob humoris in partem vi tempeſtatis aquiloniæ malè affectam prolapſum: ſecundariæ, quæ pleuritidi ſuperueniunt. Lethargi ceu deliria cum febre, ſopore, & repentina obliuione coniuncta, à pituita putrefacta in cerebro. Pectoris, laterum atque lumborum dolores primigenij ac ſecundarij: ac primigenij quidem, ex catarrhi prolapſu: ſecundarij vero, ex partium malè affectarum ſympathia. Dolores capitis, aucto cerebro plethoricis cauſis, aut obſito plurimis vaporibus. Tenebricoſæ vertigines, tum à fla-*

*tibus Aquilonius, tum ab humore craſſo, qui in flatum verſus & agitatus facit vertiginem. Apoplexia, præſertim obſitis humore cerebri ventriculis, vnde ſpiritus animalis exitu prohibetur, qualis apoplexia fortis dicitur.*

## APHOR. XXIIII.

ΕΝ δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε συμβαίνει, τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν ἄφθαι, ἔμετοι, βῆχες, ἀγρυπνίαι, φόβοι, ὀμφαλοῦ φλεγμοναὶ, ὤτων ὑγρότητες.

*SEcundum ætates hi morbi fiunt: paruis quidem & recens natis puerulis, oris vlcera, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.*

ABſoluto ſermone de temporibus, nunc agit de ætatibus tum maſculorum, tum fœmellarum. Prima ætas, eorum eſt qui recens nati ſunt, vſque ad dentitionis tempus, hoc eſt, ad menſem ſeptimum, quibus accidere dicit ἄφθας, i. oris vlcera, &c. Hæ deſcribuntur ab omnibus ferè medicis, ſed ſine diſtinctione, quia confundunt cum aphthis. Eſt itaque duplex aphtharum genus, puerorum, & adultorum. Pueriles (vt & adultorum) fiunt quum exulceratur oris interioris ſuperficies, habéntque cauſam triplicem, quia os interius eſt mollius, lac nutricis acrius, excrementum à cerebro defluens acrius. Noſtris tamen pueris rarò accidunt aphthæ, quia Gallicanarum matrum & nutricum frigidius eſt lac ac humidius. Sed aphtharum loco puſtulas habent, & vlcera ſerpentia per totam faciem, per caput, poſt aures, & multam prætereà ſaliuationem. Quorum vlcerum & ſaliuationis meminit Hippocrates lib. de morbo ſacro. Siquidem (inquit) enaſcuntur vlcera

circa faciem ac caput, & ſaliuationes puerulis, ſalubriùs poſteà viuunt. Indicium enim eſt, robuſtam eſſe naturam, quæ expellat humiditates & ſuperfluitates in vtero conceptas. Quòd ſi id non contingat, minùs ſani ſunt pòſt victuri. Cui Hippocratis ſententiæ aſtipulantur etiam nutrices. Verùm diſtinguendum eſt dictum Hippocratis. Si mater ſit ſana, boníque ſucci cibis fuerit vſa dum vterum gereret, puellus etiamſi nõ exulceretur, ſalubriter tamen viuet. Indicio eſt, quòd huiuſmodi pueruli ſint corpulenti & bene habiti. Sin corpulenti non ſint, ſi non exulcerentur, inſalubriùs poſteà degẽt, vt qui non expurgentur ſuperfluis humoribus contractis in vtero matris, inualidæ aut prauis alimentis nutritæ quandiu grauida fuit. Sunt & aliæ aphthæ adultorum (3. Epid. ſtatu 3.) quæ naſcuntur conſtitutione quę putredinem gignit, hoc eſt, calida humida & ſine ventis, ab atra bile aut flaua, quæ per eam conſtitutionem facilè putreſcit, & præterea quandam malignitatem acquirit. Ob id hæ aphthæ ſunt malignę, nec cedunt remediis, vti aphthæ puerorum, quæ facilè curantur aſtringentibus: contingunt etiam quãdoque viris à contagione luis venereæ, aliquando etiam contingunt ventriculo, vnde lienteria. Iam vomitiones accidunt puerulis propter voracitatem, quia plus lactis exugunt quàm poſſit ferre & concoquere ventriculus. Hippocrates morbum ſtatuit: at nutrices pueros, qui lac reiiciunt, putant eſſe ſalubriores magíſque viuaces. Sed iſtud diſtinguendum. Ea reuomitio poteſt eſſe à copia lactis ingeſti, vel imbecillitate ventriculi, vel vitio lactis nutricis. Vitales ſunt & ſalubriores infantes qui reuomunt à copia lactis, quia robuſtus ventriculi calor natiuus vbi amplexus eſt lactis partem

meliorem, magíſque familiarem, reliquum tanquam ſuperuacaneum reiicit. Et hi ſolent eſſe voraces, bene habiti & colorati. Contrà minus ſunt vitales ſtrigoſi & male colorati, qui lac reuomunt ob alias duas cauſas. Tuſſes quoque facilè pueris accidunt ob humiditatem cerebri multam delabentem ad aſperam arteriam & pulmones. Vigiliæ, propter aphthas, dolores, tormina, &c. Item pauores, φόβοι, quum terriculamenta quędam accidunt pueris, quum etiam citra cauſam aliquãdo rident. Cauſa duplex eſt. Vna, quia in ventriculo eſt alimentum quoddam corruptum, aut vitioſus & malignus humor, vt atra bilis: vnde neceſſe eſt per conſenſum tolli ad cerebrum vapores atros, qui obuerſentur animæ, & inducant illos pauores, imaginationéſque falſas: quod fit etiam in aliis pueris vel vſque ad decimumquartum annum. Altera cauſa eſt, quia in pueris non eſt ratio, tametſi phantaſię vigeant, vt videre eſt in mulis & equuleis, qui ſæpe ſaltant, calcitrant, hinniunt, abſque cauſa manifeſta. Vmbilici inflammationes ſæpe accidunt, ſi vmbilicus non rectè præcidatur, aut præciſo non adhibeantur conuenientia remedia. *Aurium humiditates.*) Cerebrum ſecundum naturam expurgatur magis per nares & palatum, minùs ſecundum naturam, & rariùs per aures. Ob id Hippocrates aurium humiditates præter naturam eſſe, & in morborum numero ponendas arbitratur.

## *SCHOLIA.*

*HActenus de morbis tũ propriis tum alienis, qui ſingulis anni tempeſtatibus fiũt. Nunc de iis qui ſingulis ætatibus ſunt familiares, initio ducto à puerulis nuper natis. Qui in ætatea*

*incidunt morbi, quique ſuſcipientium cauſarum naturam ſequuntur, immutatione temperamenti & habitus, dominatuque humorum, quarum trium rerum diuerſitatem ætates adferunt: huiuſmodi ferè ſunt: Recens natis, à primo die natali ad ſeptimum vſque menſem, Aphtha ceu oris interioris & exterioris vlcuſcula, ob teneritatem cutis, ſeri lactis acrimoniam, aut corruptionem eiuſdem in ventriculo, grauémque nutricis halitum natæ. Vomitiones crebræ à lacte corrupto & crudo, quòd ei nondum aſſueta aluus temperamento & habitus mutatione laboret. Tuſſes ab intemperie aëris cui non aſſueuit puer, & catarrhi prolapſu. Vigiliæ, doloris acerbitate & tuſſi. Pauores, ſurſum elatis à lacte corrupto tetris vaporibus, deinde facultatis imaginatricis & ſenſus communis infirmitate, vmbilici inflammationes, quarto aut ſeptimo ab ortu die, eo ſcilicet nuper exacto, exectis malè ſecundinis, & ſanguine in partem dolentem tranſmiſſo. Et aurium colluuies, humidiore cerebro, quòd ſcilicet tanta ſit in cerebro humoris abundantia, vt ei expurgando neque os neque nares ſufficiant, ſed per incommoda lege naturæ loca feratur.*

## *APHOR. XXV.*

Πρὸς δὲ τὸ ὀδοντοφυεῖν προσάγουσιν οὔλων ὀδαξισμοὶ, πυρετοὶ, σπασμοὶ, διάρροιαι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀνάγωσι τοὺς κυνόδοντας, καὶ τοῖσι παχυτάτοισι τῶν παιδίων, καὶ τοῖσι σκληρὰς τὰς κοιλίας ἔχουσι.

*ADuentante dentitionis tempore, gingiuarum pruritus, febres, conuulſiones, alui profluuia, maximè quum caninos edunt, & iis præſertim pueris qui craſſiſſimi ſunt, & aluos duras habent.*

HIppocrati lib. de carnibus, triplex eſt dentium genus & generatio. Vnum genus eſt eorum, qui generantur

generantur in vtero. Sanguis enim menſtruus confluit ad nutrienda oſſa capitis & maxillas, deinde ex reliquo horum alimento à calore exiccato & indurato fiunt dentes in gingiuis. Quod quidem verum eſſe conſtat ex anatome pueruli ſeptimeſtris, in cuius diſſectis gingiuis inuenti ſunt dentes in vtero formati. Secundum genus oritur editis in lucem ab alimento, lacte videlicet. Tertium genus generatur à ſolidioribus alimentis. Itaque ὀδοντίασις dicitur, hoc eſt, dentitio, non quum primùm generantur dentes, ſed quum primùm erumpunt & apparent, tum nati in vtero, tum à lacte geniti in editis in lucem. Qui dentes ferè ſeptimo anno pueris excidunt, præſertim ſolidioribus alimentis vbi fuerint vſi. Conſentiunt autem ferè omnes illam dentium ex ſuis phatnis & cauernulis eruptionem fieri menſe ſeptimo. Proinde primùm apparent dentes inciſorij ſeu primores, qui & gelaſimi dicuntur (quòd in riſu emineant) vocant *dents de laict*. Lati ſunt & acuti, numero 8. Inciſores ſequuntur ordine generationis & eruptionis, canini, acuti, ſed non lati, qui cibum potius frangunt quam incidunt: numero quatuor, erumpúntque 9. 10. aut 12. menſe. Mulierculis vocantur *les œilleres*. Poſteà emergunt maxillares, numero 16. ferè in maſculis, 20. in fœminis: nonnullis (licet rarò) 24. horum porrò tarda eſt generatio, differentiaque duplex. Sunt enim primi maxillares, qui naſcuntur 2. anno, aliquando etiá 3. Sunt ſecundi, genuini dicti & σωφρονιστῆρες. i. ſapientiæ dentes, qui poſtremi exoriuntur adultis (etiam abſque dolore) anno 7. aliquando 14. aliquando etiam 20. & nonnunquam tardius. Scribit enim Plin. naſci quibuſdam anno 80. ὀδοντίασιν igitur intelligimus non dentitionis principium, ſed totum tempus quo pueris erum-

punt dentes primores, canini, & maxillares primi: quod tempus extenditur à menſe ſeptimo, ad ſecundum annum aut circiter. Iis denique qui dentiunt, fiunt gingiuarum pruritus: quia dentes eruptionem molientes pungunt & configunt gingiuarum carnes. Aliquando id fit à materia ſeroſa & ſalſa à cerebro defluente: à cuius materiæ reliquiis aliiſque excrementis, dolore facto, dum veluti ſtimuli gingiuas compungunt dentes, vigiliis, & inflammatione gingiuarum fit febris. Febris hæc plenitudinem & copiam crudi humoris liquat & fundit in neruos nondum ſatis robuſtos, vnde conuulſiones. Ab eadem copiæ cruditate fiunt quoque alui profluuia in pueris. Hæc accidunt maximè quum caninos edunt, quod fit magna ex parte 9. 10. aut 12. menſe (conuulſiones præſertim) & iis pueris qui ſunt craſſiſſimi, &c. hoc eſt, qui ſunt pleniores, & plus habent humiditatis ſuperfluæ, quam facilè colligunt ob voracitatem. Sic cùm vnà cum ſtercoribus excernatur aliquid bilis, ſeroſæ materiæ, & excrementorum fuliginoſorum, ſi aluus ſit dura, cùm ea tum retineantur, neceſſario augebitur in corpore humiditas: vnde febres & conuulſiones.

## *SCHOLIA.*

*CVm recens nati dentes primores emittere cœperint, nimirum ſeptimo aut nono menſe, & vltrà, habent gingiuarum ſtimulantes pruritus atque dolores, dentibus paulatim erumpentibus. Febres, corruptis ſcilicet doloris acerbitate vigiliiſque humoribus. Conuulſiones, cum febris eſt mitior, non autem acuta, quod puerorum nerui ſint valdè infirmi, liquatis nimirum humoribus à febrili calore neruos implentibus. Alui profluuia, corruptione lactis, aut humore in ventriculum decum-*

*bente irritatione gingiuarum commoto, & tum minus conuulſione tentantur. Præſertim cum caninos edunt dentes, vt duodecimo.15.& 17.menſe, quo ſunt acutiores dentes, & gingiuarum carnes denſiores ac duriores: & qui inter pueros craſſiſſimi ſunt, quia hi pleniores ſunt, magiſque ſanguinem comprimunt, vnde putreſcit magis ad febres generandas, conuulſionem & epilepſiam: & qui aſtrictiore ſunt aluo, quia excrementa ventris retenta in caput vapores mittunt, qui neruos implent.*

## APHOR. XXVI.

Πρεσβυτέροισι δὲ γενομένοισι παρίσθμια, σπονδύλου τοῦ κατὰ τὸ ἰνίον ἔσω ὤσιες, ἄσθματα, λιθιάσιες, ἕλμινθες, στρογγύλαι, ἀσκαρίδες, ἀκροχορδόνες, σατυριασμοὶ, στραγγουρίαι, χοιράδες, καὶ τ᾽ ἄλλα φύματα, μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

*IPſis verò grandiuſculis tonſillarum inflammationes, vertebræ in occipitio introrſum luxationes, aſthmata, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula: præcipuè verò prædicta.*

HIc loquitur Hip. de ea ætate quæ intercipitur à 4. aut 5. anno vſque ad 10.11. aut 12. Quam ætatem agunt qui dicuntur & παιδίσκοι (anno 4. aut 5.) & παῖδες καὶ ἀντίπαιδες anno 7. (quum iá ſunt capaces diſciplinæ) vſque ad annos pubertatis. Nam παιδία Hipp. dicũtur aliquando Gal. 6. Epid. teſte) fœtus abortiui & deiectitij non multò poſt conceptum, primo, 2. aut adſummum tertio menſe. Interdum de editis in lucem vſque ad annum 4.5.6. aliquando etiam vocantur pueri vſque ad annos pubertatis. Mediá itaque agentib. ætatem inter dentiẽdi tẽpus & pubertatis, tonſillæ ſeu pariſthmia fiũt. Sũt autẽ παρίσθμια Grecis glandulę vtrinque ad radicẽ linguæ appoſitæ, quas Plin. tonſillas, barbari amygdalas vocant.

Iſthmus verò pars eſt(authore Gal. in comm.)quæ os & gulam interiacet. Sed vt aliquando nomine partis intelligit partis affectionem Hipp. hoc loco pariſthmia pro partis malo accipit, hoc eſt, inflammatione glandularum. Verùm cùm notata parte ſæpe etiam inaudiat vicinas partes, intelligemus inflammationem mẽbranæ illius, quæ eſt ad radicem linguæ in faucibus, in pariſthmiis, in vicinis partibus: & inflammationem muſculorum illi membranæ ſubiectorum. Quod vbi accidit(ita vt fiat quædam angina) muſculi inflammati contrahuntur, & inflammant contrahúntque neruos, nerui ligamenta, hæc vertebram quæ in occipitio eſt, vnde luxatur ad interiora. Sed quam vertebram ſignificet Hippocrates non declarauit Gal. in comm. Intelligit autem ſecundam vertebram, quæ ipſi quandoque Dens appellatur: 3. de articulis vocat magnam vertebram. Interdum tamen non tota vertebra dicitur Dens, ſed tantùm proceſſus ille pyrenoædes, qui capiti iungitur ad annuendum & abnuendum: ſic dictus, à ſimilitudine canini dentis. In hac itaque luxatione vertebræ magnæ(qui Dens dicitur)ad interiora(ἔσω ſæpe Hippo. pro ἔμπροσθεν. i. ad interiorem partem)ea parte qua Dens eſt, cauitas quædam apparet in ceruice. Eſt quinta anginæ ſpecies. Aſthmata, id eſt, ſpirandi difficultates (quales eſſe ſolent iis qui diutiùs cucurrerunt & vehementiùs) fiunt in pueris ab influxu crudi humoris in pulmonis bronchia: quibus oppletis anguſtior fit via materiæ reſpirationis. Calculi verò hac ætate maximè fiunt duabus de cauſis. Nam ob intemperantem victum multi humores crudi collecti vnà cum vrinis ad veſicã diuertunt, quæ eſt calculi materia. Altera cauſa

eſt calor, qui materiam hãc indurat, & lapideſcere facit: in pueris tamen non eſt eiuſmodi expectanda ætatis mutatio quæ ſoluat calculum, ſed agendum remediis quæ calculum frangant. Quòd ad lumbricos attinet, docet experientia pueros his maximè abundare. Poſſunt autem intelligi vermes rotundi duobus modis, tum qui ſimiles ſunt ſemini cucurbitæ, tum qui ſunt longi & rotundi, quales ſæpe videmus. Sed reuera intelligere oportet longos & rotundos, qui à crudi humoris putredine calore forti accedente generantur magna ex parte in ſuperioribus inteſtinis, ita vt chylum aliquando abſumant, & faciant atrophiam: interdum ad ventriculum aſcendunt, & per os reiiciuntur, aut per ſe & ſoli, aut tunica ceu membrana quadam inuoluti. At aſcarides lumbrici lati & tenues generantur in craſſo præſertim inteſtino ab eadem materia putreſcente, & fortaſſe etiam à ſtercoribus ibi retentis. Sunt autem tenues, quia calor non eſt ita fortis, nec ita multa eſt materia & tam magna putredo. Eſt etiam genus quoddam lumbricorum latorum. (Gal. libro de Theriaca) quod tota occupat inteſtina ſua longitudine: cuius rarior eſt generatio, facitque βυλιμίαν. Verrucæ penſiles, ἀκροχόρδονες (Gall. *poireaux*) generantur à materia craſſa & viſcida ad cutim erumpente. *Satyriaſmi*.) Hippocratis interpretes, vt Gal. Philotheus, Celſus quoque ſatyriaſmi non meminerunt: ob id veriſimile particulam adiectam eſſe à poſterioribus interpretibus. Nomen eſt valde ambiguum σατυριασμὸς apud omnes medicos ferè. Oribaſius interpretatur verrucarum genus, vbi verrucam maiorem circundant minores aliæ. Ariſtot. morbum in quo propter flatus facies repræſentat faciem Satyrorum. Medici,

Græci, vt Gal. lib. de tumorib. præter naturam, per ſatyriaſmum intelligunt quandoque Elephantiam, quia in hac conſumptis muſculis temporalibus fit oſſium eminentia ad tempora, ita vt caput, Satyrorum in morem, cornutum appareat. Quanquam alij ſic volunt dici elephantiam, quòd qui hac laborant, cùm ſint calidi & admodum flatuoſi, ferè turgentem & contentum habeant penem, laſciuorum Satyrorum more. Vnde etiam nonnullis ſignificat intenſionem penis præter naturam: alio nomine dicitur priapiſmus & ſatyriaſis. Sed cùm iſta nihil ad hunc Aphoriſm. faciant, ſupereſt vt probetur Galeni ſententia in exegeſi vocum Hippocratis, vbi ait, ſatyriaſmum ſignificare glandularum tumores prominentes iuxta aures. Hippocrates 6. Epid. part. 3. meminit duorum eiuſmodi tumorum circa aures, γογγρώνων videlicet & φηρέων. Gongronæ ſunt collectiones duræ ac rotundæ non longæ circa guttur. At Pherea tumores ſunt non rotundi, ſed oblongi in glanduloſis partibus ſub aurib. Sic dicti à Φήρα Theſſaliæ vrbe in qua graſſabãtur, miſcebantur (inquit) tuſſes & φηρέα, quo loco (ait Gal. in eum comment.) φηρέα vbi euacuata ſunt repræſentare Satyrorum ſimilitudinem & effigiem, oblongas enim hi circa aures eminentias obtinent. Hoc loci igitur per ſatyriaſmos intelligere poterimus pherea illa, quæ reuera ſunt parotides, quibus videmus pueros infeſtari aliquando. Poſt dictionem ſatyriaſmi in quibuſdam exemplarib. legitur στραγγουρίαι, in aliis omittitur. Sed ſi legatur, cùm anteà dixerimus ſtranguriam fieri tum ab acri humore veſicam petente, tum ab imbecillitate retentricis: verum quidem erit pueris fieri præſertim

à retentricis imbecillitate, ſed non item ab acrimonia humorum. *Struma.*) Gal. harum cauſam facit multitudinem pituitę à capite delabentis ad collum ſępe, aliquando ad thoracem, ad brachium: poſſunt tamen eſſe à melancholia, vt ſępe experimur. Phymata hîc generatim vſurpantur pro omnibus tumoribus pręter naturam: ſpeciatim tamen pro inflammationibus glandularum, pręſertim in inguinibus & alis. *Prædicta*) vt verrucę, ſtrumę, ſatyriaſmi, &c.

## SCHOLIA.

*Cum pueLli abſoluta dentitione ablactati fuerint, veſcique cibis cœperint, à bimatu ſcilicet ad ſeptimum ætatis annum, & vltra: Pariſthmia ceu tonſillarum & faucium inflammationes à cibo male præmanſo, qui faucibus abradendo moleſtus eſt, aut ab humorum à cerebro in glandulas eas defluxione. Vertebræ, quæ eſt ad occiput, intrò luxationes, tractis in ſympathiam faucium inflammatarum neruis & ligamentis, aut etiam communicato partibus illis tuberculo. Aſthmata ceu ſuſpirioſi anhelitus, obſtructis pulmonum bronchiis per diaphragmatis oppreßionem, aut per humorem craſſum in pulmones prolapſum. Calculi in veſica, ob nimiam crudi humoris colluuiem & veſicæ infirmitatem. Lumbrici rotundi in inteſtino colo, tineæ in cæco: & aſcarides vermiculi in ano nati, à corruptis cibis in pituitoſam naturam. Verrucæ penſiles, ceu paruæ quædam eminentiæ, calloſæ, rotundæ, anguſtæ baſis, ita vt ſuſpenſæ videantur, à pituitoſo humore craſſo. Satyriaſmi, tubercula*

*ad aures oberta. Strumæ, ceu duri tumores circa aures, & maxillas inferiores, præſertim his qui ſunt anguſtiore fronte & collapſis temporibus.*

## *APHOR. XXVII.*

Τοῖσι δὲ ἐπὶ πρεσβυτέροισι καὶ πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσι, τουτέων τε τὰ πολλὰ, καὶ πυρετοὶ χρόνιοι μᾶλλον, καὶ ἐκ ῥινῶν αἵματος ῥύσιες.

*GRandioribus autem & ad pubertatem accedentibus, ſuperiorum etiam morborum multi accidunt morbi, & febres diuturniores potius, & ſanguinis è naribus profluuia.*

HÆc eſt quarta ætas, puberum videlicet, nimirum eorum qui attigerunt 10. 11. 12. annum vſque ad 17. aut paulò tardius : Non enim certus definiri poteſt modus pubertati, vt nec aliis ætatibus. Signa autem ſunt tria quibus pubertatem intelligamus. Primum, cum lanugo illa enaſcitur tum maribus, tum fœminis. Secundum, quum incipiunt τραγίζειν καὶ ἀφροδισιάζειν, hoc eſt hircire & venerea perſequi. Tertium quum maſculus incipit ſemen emittere, & fœminæ menſes erumpunt. Porro in Græco τουτέων debet referri non ad ætates præcedentes, vt pueritiam, ſed ad morbos præcedentes & proximæ ætatis : vt ſit ſenſus, multi morbi fiunt in hac ætate, qui in proxima fiebant, quia ſcilicet huius temperamentum cum illius temperamento maximè conuenit. At nullomodo ætas hæc quarta conuenit cum prima & ſecunda. Sic namque τουτέων ſolet vſurpare Hippocrates de eo quod proximum eſt, vt Aphoriſm. 21. ſectionis huius. τοῦ δὲ θέρεος ἔνιά τε τουτέων &c. Æſtate nonnulli horum &c. His ita poſitis accidunt pueris febres magis diuturnæ,

ob quatuor cauſas ex Gal. lib. de Criſibus. Prima eſt, quantitas materiæ copioſior. Secunda, qualitas frigidior & craſſior. Tertia, denſitas corporis. Quarta, imbecillitas virium. Itaque ſi in pueris inſit copioſior materia, ſi frigidior & craſſior minuſque fluxilis, ſi denſius corpus, ſi virium imbecillitas, febres erunt diuturniores. At à contrariis cauſis erunt breuiores, ſi nimirum materia pauca, ſi tenuis, fluxilis & calida, ſi rarius corpus, ſi virtus naturalis robuſtior. Quinetiam ſi materia ſit copioſior & minus tenuis, corpus denſius, etiamſi vires paulò robuſtiores ſint adiunctæ, febres eius materiæ ratione erunt diuturniores. Vnde patet in Commentario Galeni legendum eſſe non ἀῤῥωστίαν, ſed ἐῤῥωστίαν, vbi ait corpora puerorum citiſſime alterari, propter facultatis naturalis firmitatem. Quinetiam puberib. ſanguinis profluuia accidunt è naribus: ſic hæmorrhagia propriè accipitur. Fit autem hęc vel propter ſanguinis copiam, vt in hac ætate magna ex parte: vel ob qualitatem, vt in febribus. Gal. hunc locum exponit 6. Epid. Com. tertio ibi, Quum hircire incipiunt & venerea appetere, iis profluit ſanguis. Proinde fiunt hæmorrhagiæ in pubertate, non quòd plus ſanguinis generetur in ea ætate quàm in prima aut ſecunda, ſed quia & minùs abſumitur, & pręterea calidior eſt. At in ſecunda & tertia ætate non ita fluit ſanguis etiamſi copioſior gignatur, quia magna eius parte indigent ad incrementum: adeò vt longè maius accipiant incrementum per has duas ætates quàm in reliquis. Pręterea in his non ita calet ſanguis atque in pubertate: quo autem longius ætate progrediuntur pueri eo paucior, magiſque calidus redditur ſanguis.

## SCHOLIA.

*Prouectioribus, à ſeptimo ætatis anno ad 14. quo tempore epiphyſes dẽtium decidũt, atque tum pueri nominantur. Et pubertati vicinis, nempe 12. 13. & 14. anno, cũ multi pueriles ac dunt morbi, ut vermes, lumbrici, aſcarides, verrucæ, veſicæ calculi. Tum verò diuturnæ & contumaces febres, cacochymiæ & voracitatis ſoboles: adde quòd in his quæ venerem agnoſcere incipiunt, corpus multum turbatur, humores corrumpuntur, vires vſu veneris non aſſuetæ debilitantur. Et ſanguinis profluuia è naribus, præſertim iis qui venerem agnoſcere, vocemque aſperiorem edere cœperint, maribus quidem: fœminis vero, menſium eruptiones.*

## APHOR. XXVIII.

ΤΑ' δὲ πλεῖστα τοῖσι παιδίοισι πάθεα κρίνεται, τὰ μὲν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσι, τὰ δ', ἐν ἑπτὰ μησὶ, τὰ δὲ ἐν ἑπτὰ ἔτεσι, τὰ δ' πρὸς τὴν ἥβην προσάγουσιν. ὅσα δ' ἂν διαμείνῃ τοῖσι παιδίοισι, καὶ μὴ ἀπολυθῇ περὶ τὸ ἡβάσκειν, ἢ τῇσι θηλείῃσι περὶ τὰς τῶν καταμηνίων ῥήξιας, χρονίζειν εἴωθεν.

*Plurimi verò morbi puerulis iudicantur: alij intra dies quadraginta, nonnulli intra ſeptem menſes, quidam intra annos ſeptem, alij ipſis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui vero permãſerint, neque pueris circa pubertatem, neque fœminis quum menſtrua erumpunt ſoluti fuerint, inueteraſcere conſueuerunt.*

HIp. (teſte Gal. in com.) πάθεα & πάθη vſurpat aliquando pro morbis, vt hic. Agit autem de morbis diuturnis, quomodo in pueris, vt puerorum nomine includamus & recens natos, & dentiẽtes, & ætatem quæ vſque ad pubertatem extenditur, iudicentur ſiue ſoluantur. Iudicantur vero plurimi quidem ex his: vt, exempli gratia, tuſſes in 40. diebus. Quadrageſimus enim dies primus eſt in morbis lõgis dies iudicatorius magna ex

parte. poſſunt enim aliquádo citius iudicari: finis autem eſt acutorum ἐκ τῆς μεταπτώσεως. Poſt diem 40. dies decretorij ſunt 60. 80. 120. poſteà menſes, deinde anni: vt 7. menſes, 7. anni. Neque enim neceſſe eſt, morbum qui non iudicetur die 40. ſtatim progredi & perſeuerare vſque ad 7. menſem: vt neque etiam ad 7. annum, cum ante hoc tempus poſſit finiri morbus, etiamſi ſeptenarius plurimum habeat mométi in morborum iudiciis, vel authore Hippo. Sed hoc non ſemper habet locum. Verùm cum veteres multa ſcripſerint & ex ratione & ex obſeruatione, ex hac animaduertit, ſcripſitque Hip. morbos plurimos, vt ſępe epilepſiam, ſolui per ſeptenarios. Reuera epilepſia, ſi vitio ætatis prouenerit, per ſeptenarios magna ex parte ſoluitur. Sin ab erratis vitæ, in ea ſoluenda nullã vim habet ſeptenarius. Proinde eam quæ vitio ætatis prouenit, ſolui dixit Hip. quũ ad pubertaté accedunt pueri. Rectè Philotheus: annis (inquit) pubertatis magna fit mutatio, vt puerorum morbi ſoluantur: quod fit propter ætatem, non propter dies aut aſtra. Ex morbis puerilibus alij fiunt ſolo ætatis vitio, alij propter errata vitæ, alij inſigni vitio alicuius partis principis, vt ſi ſit ſcirrhus in aliquo viſcere. Si ortus ſit morbus vitio ætatis, expectari poteſt auxilium per ſeptenarios & à pubertate, tanquam ætate contraria. Si ob errata vitæ, ſolutionem expectare oportet nõ mutatione ætatis, ſed commutata vita in melius. Si à vitio partis internæ, vtendum remediis, nec expectanda ætas. Quemadmodum etiam puerorum calculus mutatione ætatis curari nequit, ſed chirurgia potius. Quòd ſi hi morbi in pubertatę non deſierint tum maſculis vbi venerem agnoſcere: tum fœminis, vbi menſes erumpere cœperint, longo tempore durát.

Virgines ſępe laborant fœdis illis coloribus: idque propter ſanguinis copiam, aut vitium ſanguinis ſuppreſſum. Quòd ſi vbi ad pubertatem peruenerint, erumpent menſtrua, eo morbo liberabuntur. Ob id Hipp. lib. de virginum morbis conſulit vt celerrimè coëant, aut detrahatur ſanguis. Ait enim in eodem libello & 6. Epid. Increſcentes morbos venus ſoluit. Quod Gal. ſic exponit: increſcentes in pubertate morbos venus prima ſoluit. Non tamen quòd proſit omnibus puerutiæ morbis, eſt enim inimica morbo comitiali & phrenitidi: pituitoſis alioquin morbis & melancholicis amica, ſi modò natura robuſta ſit, alioquin funeſta. Verum ſuppreſſo ſanguinis vitio virginibus prodeſt, quia tardantes menſes incitat, efficitque vt aliquando concipiant, vt ait Hipp. lib. de morbis virginum, aut pariant, vt Aurelianus ex Hipp. vnde aliquid vitioſi ſanguinis expurgatur, ad cuius excretionem, morbis, quibus diuexantur, liberantur. Aliquando fœdos illos colores habent, etiam antequam accedat tempus menſium, nec tamē eis prodeſt venus, quum videlicet laborant vitio alicuius partis internæ. Sic quoque prodeſt in maſculis ſępe prima venus & excretio ſeminis, quam uis non vſque adeo, vt menſium prima euacutio in virginibus. Ob id nonnulli in pubertate & poſt pubertatis annos olent hircum, retento videlicet ſemine cum multis fuliginoſis excrementis. Qui quidem curari poſſunt, non ſolùm emiſſo ſemine, verum etiā exercitatione, & frictionibus, & balneis, &c. Sed quęſtio eſt. An neceſſe eſt morbos pueriles, qui pueris aut puellis non deſierint in pubertate, commori, ceu conſeneſcere aut perdurare ad vitæ exitum? Neceſſe videtur eſſe (quod diximus propter Oribaſium & alios quoſdam)

quia quod vitium vincere non potuit natura, ars non vincet. Solutio tamen eſt apud Aurelianum. Iſtud quidem verum eſt, ſed natura cum arte coniuncta ſoluere poterit puerorum morbos, qui ſoluti non fuerint ætatis mutatione, & ante 25. annum.

## *SCHOLIA.*

*QVæ ſit criſis morborum puerilium. Diuturnæ affectiones puerorum, congeneres, connutritæ, non autem increſcentes, ſoluuntur: aliæ quidem 40. diebus, vt quæ per ali[illegible]uiam lactis vitio ſuccreſcunt & oriuntur: nec non aëris iniuriæ moleſtia, cuiuſmodi ſunt vmbilici inflammationes pauore. & tuſſes. Aliæ vero ſeptem menſibus, vt diarrhϾ, dentitionis moleſtæ ſoboles: febres item quartanæ, quæ nimia crudi humoris abundantia per voracitatem gignuntur. Aliæ vero ſeptem annis, vel intra ſeptimum ætatis annum, vel à ſeptimo ad decimumquartum, vt ſuſpirioſi anhelitus lumbrici, ſatyriaſmi, non autem ſtrumæ exulceratæ, neque calculi in veſica: nonnullæ etiam, quum ad pubertatem ventum eſt, vt pueriles Epilepſiæ. Qui autem pueris à pubertate manent morbi, neque diſcutiuntur quum ad pubertatem ventum eſt, quæ ætas augeſcente in dies calore natiuo multos pueriles morbos potens eſt tollere, aut mulieribus, cum menſtruales eſſe cœperint, perdurare ad vltimum vitæ ſpiritum conſueuerunt. Indicium enim eſt, illos morbos inſigniter frigidos ac humidos eſſe.*

## *APHOR. XXIX.*

Τοῖσι δὲ νεανίσκοισιν, αἵματος πτύσιες, φθίσιες, πυρετοὶ ὀξέες, ἐπιληψίαι, καὶ τ' ἄλλα νοσήματα. μάλιστα δὲ τὰ προειρημένα.

*IVuenibus ſanguinis ſputitiones, tabes, febres acutæ, morbi comitiales, & alij morbi, ſed præcipuè prædicti accidunt.*

NEανίσκους, iuuenes appellant Græci. Ætatem autem iuuentutis Gal. lib. 5. Aph. 9. definit à 25. anno ad 35. vt adoleſcentiam à 14. vel 18. anno vſque ad 25. Sunt tamen qui iuuentutem diuidant in treis partes; vt dicantur νεανίσκοι, qui primos iuuentutis agunt annos; νέοι ſiue iuuenes, qui annum 30. νεανίαι vſque ad 35. Iuuenibus ergo ſanguinis ſpuitiones accidunt, quæ habent cauſas externas & internas. Externæ ſunt, vt caſus, ictus, vulnus, ſaltus, clamor ingens, alimenta acriora, quæ cum reddant ſanguinem acriorem & bilioſiorem, hic pungit vaſa ſua acrimonia, & expuitur. Internæ cauſæ, vt plenitudo, & qualitas ſanguinis. In iuuenibus enim qui pręſertim liberaliùs viuunt, plurimum ſanguinis colligitur. Prętereà cùm non amplius creſcant, neque in incrementum abſumatur ſanguinis pars, hic auctus colligitur in venis, pręſertim thoracis, quæ ſunt molliores, ita vt hæ plerunque rumpantur. Interdum colligitur in cerebro ſanguis acris & bilioſus, qui ſi defluat in fauces, quod ſępe fit in iuuenibus, facit anginam (hinc etiam Gal. Archigenes, Aurelianus, ponunt anginam inter familiares morbos iuuenum) ſi in pulmones, fit ſpuitio ſanguinis: à ſanguinis ſputo tabes, eroſis videlicet ab acriore humore pulmonũ vaſis. Febres quoque acutæ, vt tertianæ pręſertim & ardentes, fiunt iuuenibus, tum ratione ætatis quæ bilioſa eſt, tum ob errata vitæ. Cùm enim intemperanter viuant, multam cruditatem coaceruāt, quæ bili permixta gignit illas febres. At epilepſiæ iiſdem fiunt non ratione ætatis, ſed erratorum vitæ, collecta multa pituita in cerebro. epilepſia enim eſt morbus puerilis, vt antè dixim⁹, à multitudine pituitæ, in ea pręſertim pueritia quũ dentes generātur, inquit Aurelianus. Fiunt iuuenibus alij quoque morbi, à bile flaua: vt phrenitides, anginæ, choleræ, dyſenteriæ.

## SCHOLIA.

*PRætermiſſi ſunt morbi pubertatis, vel quia ſimiles ſint iis qui proxime dicti ſunt: vel quia pubertas plures tollit quàm parit morbos. Prætermiſſi ſunt etiam morbi adoleſcentiæ, quæ à decimooctauo in 25. annum protenditur, quia ea cum temperatiſſima ſit pauciſſimos habet morbos familiares: aut ſane ea cum ſit media inter pubertatem & iuuentutem, iiſdem morbis, quibus illæ ætates, eſt obnoxia. Iuuenibus vero, cum ex aſpera grauem edunt vocem, accidunt expectorata cruenta, incandeſcente æſtu ſanguine, ac ruptis, exeſis aut apertis venis faucium, oris atque pulmonum. Deinde tabes, ceu pulmonum vlcera ferina atque tabifica. ſic enim tabes fiunt à 18. ad 35. annum ex Aph. 9. lib. 7. febres acutæ, ardentes & tertianæ exquiſitæ, epilepſiæ, bilis acrimonia in iuuenibus qui ſunt πικρόχολοι ἄνω, per ſympathiam ventriculi cum cerebro: vel ob diætæ vitium, cum indiſtincte cibos ſumant, ſoli & imbribus ſe exponãt, aliique morbi acerrimæ bilis ſoboles, maximè vero commemorati.*

## APHOR. XXX.

TOῖσι δὲ ὑπὲρ τὴν ἡλικίην ταύτην ἄσθματα, πλευρίτιδες, περιπνευμονίαι, λήθαργοι, φρενίτιδες, καῦσοι, διάῤῥοιαι χρόνιαι, χολέραι, δυσεντερίαι, λειεντερίαι, αἱμοῤῥοΐδες.

*VLtra hanc ætatem prouectis aſthmata, pleuritides, pulmonis inflammationes, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alui profluuia, cholera, difficultates inteſtinorum, læuitatéſque eorundem, & hæmorrhoides accidunt.*

POſt iuuentutẽ reliquũ ætatis diſtribuit in duas partes, declinantẽ ætatẽ, & ſenectutem. Ætas declinans ſtatuitur & definitur à 35. anno vſque ad 49. aut 50. Senectutis verò duæ ſũt partes. Prima enim pars quæ dicitur cruda ſenectus ab anno 50. extrahitur ad 60. aut 70.

Altera pars ( quæ eſt vera ſenectus ) eſt vſque ad finem vitæ. Hoc Aph.agit de morbis ætatum,quæ includuntur inter 35.annum & 60.aut 70. Viris ergò iſtis accidunt aſthmata, quia perinde ac in iuuenibus, ob intemperantem vitam collecta in cerebro pituitæ copia deſtillat in bronchia pulmonis iam imbecillioris. Cæterum cùm iuuenes ſint calidi ſicci, ætate autem declinante remaneat caliditas (remiſſior tamen) & ſiccitas, bilem flauam in ea abundare certum eſt. Et quia hic humor refrigerari incipit, fit atra bilis.Eſt & pituita in hac ætate, quæ ortum habuit ab erratis vitæ in iuuentute. Quare in hac ætate fient morbi ab hoc triplici humore.Sed maximè pleuritides à flaua bile, quæ propter tenuitatem facilè peruadit pulmones, ac deinde denſitatem membranæ ſuccingentis permeat. At peripneumoniæ fiunt, quum pituita in illis collecta vel in iuuentute vel in ipſa ætate ( ſępe enim intemperanter viuunt more iuuenum ) quæ pituita cum propter craſſitiem nequit penetrare denſitatem membranæ,reſtitat in pulmonibus,vbi putreſcit,& inflammationem malignã facit.Sic lethargi, à pituita ſubſtantiæ cerebri imbibita, quæ putreſcit,& febriculam ( malignam tamen ) accerſit. Species eſt cataphoræ,peſſimus morbus & letalis. Ardentes febres,tum veræ à bile, tum nothæ à cruditate bili permiſta. Diuturna alui profluuia, à multitudine materiæ bilioſæ multis cruditatibus permiſtæ. Pituita enim bilem temperat, efficitque vt non vſque adeò ſit acris,nec erodat: vnde profluuium potius quàm dyſenteria. In profluuiis autẽ alui ventriculi pars ſuperior eſt robuſtior. At in choleris robuſta eſt pars & ſuperior & inferior. Hæ fiunt à bile flaua pituita permixta. Vehementiſſime commouetur natura, ita vt ægri

vt ægri aliquando ſtatis temporibus multa & euomant & deiiciant: qui melius habent, niſi morbus ingraueſcat, & noua oriatur materia. Sunt initio ſine febre, ſed paulo pòſt tamen valde febricitant. Itaque ſtatim initio occurrere morbo oportet, repreſſis vomitionibus, & roborato ventriculo: alioqui refrigeratis extremis ſępe paulo pòſt moriuntur cum conuulſione: in diarrhœa verò poſſumus differre remedia ad tres aut quatuor dies. At in cholera ſtatim ſiſtenda vomitio, roborandúſque ventriculus vt grauatis; quò materiam ad inteſtina pellamus. Læuitates inteſtinorum accidunt, multa in ventriculo vel primis inteſtinis collecta pituita, quæ chylum crudum deturbat. Aliquando ob exulcerationem ventriculi, vt à bile, aut etiam ſanie. Non nunquam ab inſigni intemperie vim ventriculi retentricem deiiciente. Accidunt quoque hæmorrhoides. Hæmorrhoides propriè venæ ſunt illæ ad anum pertinentes, partim à liene, partim à magna vena. Hæ in mulieribus magnum habent conſenſum cum venis vteri & pudendi. Quo fit, vt viduæ ſuppreſſis menſibus ſępe patiantur hæmorrhoidas: quum videlicet ſanguis ab vtero diuertit ad ſedem. Duplex porrò vacuatur ſanguis per hæmorrhoidas venas: alter craſſus & fęculentus ac melancholicus, alter ſalſus & bilioſus. Sępe tamen videmus experiētia ſaniem tantùm exudare: quod fit quum robuſta natura retinet quod eſt vtilius & familiare magis.

## SCHOLIA.

*His vero qui conſtantem degunt ætatem, quæ à quinta hebdomade incipit, & deſinit ad ſeptimam: Qui item primam ſenectutis partem agunt, quæ à ſeptima hebdomade inci-*

*pit, & deſinit ad nonam: in quibus ætatibus finire incipiunt hæmorrhagiæ naturales: ſi iuueniliter adhuc viuant, infirmiore iam calore natiuo, infirmioribus quoque partibus ſolidis, humoribus contumacioribus, corpore diſdiaphoretico, accidunt aſthmata, ob defluxum bilis permixtæ pituitæ in bronchia pulmonis: vel ob humoris craßi & viſcidi in pulmonibus collectionem: aliquando ob Zymoſin humoris melancholici. Peripneumoniæ, ob eandem bilem pituitæ permixtam in pulmonibus putreſcentem. Phrenitides, ceu deliria intermißionis expertia cum febre, vigiliis & furore coniuncta ab inflammatione cerebri. Alui profluuia diuturna, humoris à toto corpore non perſpirabili in aluum affluxu, & intercepta diſtributione alimenti. Choleræ, id eſt calamitoſæ vomitiones & deiectiones bilis & ſeri bilioſi, qualis affectio cernitur in iis qui antimonio purgantur. Duplex autem eſt cholera, vna ſicca, vt quæ nauſeam & vomendi ac deiiciendi ſine intermißione deſyderium adfert. Altera eſt humida ſiue fluens, qua bilis ſurſum ac deorſum fertur, & excernitur, quam ſequitur omnium partium ſolidarum colliquatio. hæc fit ex bile aut ex aliis humoribus corruptis: aut etiam ex cibis prauis, ſic enim Hippo. lib. de ratione victus, choleram dicit fieri à caſeo, & bubulis carnibus. Dyſenteriæ ab acri humore. Lienteriæ, ob malum victum non trahentibus membris tantam cibi copiam, quanta aſſumitur, vnde crudi cibi per ventrem deſcendunt, vel ventriculo aut inteſtinis à bile irritatis, aut minus conſtante retentrice in eis. Hæmorrhoides, non quidem omnibus, ſed iis maximè quibus ſuppreſſa eſt aliqua euacuatio conſueta: ſcripſit enim Hippo. in coacis à 42. anno ad 63. non fieri hæmorrhoides, niſi præfuerint, forſan quòd inclinante ætate ſanguis minuatur, cuius copiæ deplendæ, hæmorrhoides dicatæ ſunt. Prætermiſit hic apoplexiam, quam tamen à 42. ad 60. maximè fieri ſcribit ſexto Aphoriſmorum.*

## APHOR. XXXI.

Τοῖσι δὲ πρεσβύτῃσι, δύσπνοιαι, κατάῤῥοι βηχώδεες, στραγγουρίαι, ἀρθρων πόνοι, νεφρίτιδες, ἴλιγγοι, ἀποπληξίαι, καχεξίαι, ξυσμοὶ τοῦ σώματος ὅλου, ἀγρυπνίαι, κοιλίης καὶ ὀφθαλμῶν, καὶ ῥινῶν ὑγρότητες, ἀμβλυωπίαι, γλαυκώσιες, βαρυηκοΐαι.

*Senibus autem difficultates ſpirandi, deſtillationes tuſsim adferentes, ſtillicidia vrinæ, difficultates vrinæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, pruritus vniuerſi corporis, vigiliæ, alui, oculorum & narium humiditates, hebetudines oculorum, glaucedines, & auditus hebetior.*

Τοῖς γέρουσι, hoc eſt, ſenectutis extremæ ſenibus (quos tamen hic πρεσβύτας vocat) accidunt ſpirandi difficultates, deſtillationes, tuſſes: idque tribus de cauſis. Primùm enim cùm cerebrum ſenibus ſit frigidius & imbecillius, promptè à cauſis externis patitur & colligit excrementa. Deinde thorax (qui calore gaudet) iis calet minus, imbecilliórque eſt. Tertiò corpus habent ſicciſſimum, & poris aſtrictis & denſioribus, vt non tranſpirent excrementa. Et ob id ſenum morbi ſunt interiores, minúſque ſuperficiales. Stranguriæ quoque & dyſuriæ fiunt ſenibus, quarum affectionum cauſæ ſunt propriæ, & communes. Communes ſunt, imbecillitas veſicæ, excrementorum copia coaceruata tum ob imbecillum calorem natiuum, tum ob aſtrictiorem cutim. his adde, quòd qui anteà exercitationibus erant aſſueti, iam non exercentur. Cauſæ verò propriæ ſunt, quia ſtranguriæ materia humor eſt acrior, vt ferè pituita ſalſa, ob id in hac redditur vrina cũ ardore: dyſuriæ verò materia frigidior eſt & craſſior vt pituita craſſa, ob id ĩ hac nullus eſt ardor in meiẽdo.

Sed quæres, cur ſenes qui paucum habent calorem, laborent ſtranguria ab acri humore? Sic habeto, ſenes colligunt excrementum duplex: commune cum aliis, nempe ſeroſum & fuliginoſum: peculiare ſibi videlicet craſſum à calore imbecillo. Illud igitur, hoc eſt ſeroſum & fuliginoſum excrementum, cum in ſenibus non euacuetur per ſudores, nec tranſpiret, vt euacuari ſolet facilè in pueris & iuuenibus, quibus cutis mollior ac rarior eſt, & calor vegetior, per ſudores aut per inſenſilem tranſpirationem, in quem etiam vſum veteres ſua balnea inſtituebant, ob cutim duriorem & denſiorem, calorémque inualidum, retentum in corpore, recurrit ad veſicam, vt faciat ſtrangurias. hoc verò craſſius, dum diutius immoratur in corpore, interdum putreſcit & falſuginem contrahit, ac per ſpinam etiam decumbit in veſicam (quæ altera eſt ſtranguriæ cauſa) interdum in veſicam delapſum citra putredinem inſignẽ, obſtruit, & facit dyſuriam. Proinde in curandis ſenibus dyſuria aut ſtranguria laborantibus, videndum vt in illis excrementa fuliginoſa ac ſeroſa perſpirent. Videndum quoque num catarrhus aliquis à cerebro per ſpinam in veſicam decumbat: hic enim diuertendus eſſet. Vidi quendam, qui cum dyſuria laboraret, tandem excreto per vrinam humore albuminco, dyſuria liberatus eſt. Hic erat declinantis ætatis: quanto ergo magis fieri poſſit dyſuria in ſenibus ab illo humore? fit tamen ſępe dyſuria propter calculum, qui veſicæ meatum intercipit. Sic dolorum in articulis cauſæ duæ, articulorum imbecillitas à calore pauco, & excrementorum copia. Adde his, quòd iam non exercentur, cùm motus articulos calfaciat & roboret. *Renum mala.*) Nephritides hîc intelliguntur, non inflammationes, aut alia renum

vitia, ſed calculi potius. Quærit alicubi Gal. quare & in pueris & in ſenibus fiat calculus? Gignitur in pueris, quia viæ ſunt anguſtæ, & eſt humiditatis multitudo: quibus accedit calor, qui hanc humiditatem cogit in calculum. In ſenibus verò, fit à copia excrementorum, & caloris imbecillitate. Non enim magno calore opus eſt ad calculi generationem. Sed in pueris potius in veſica, in ſenibus verò gignitur in renibus. Vertigines fiunt à vaporoſo ſpiritu, qui ab imbecillo calore in cerebro mouetur inordinatè. Apoplexiæ fiunt (vt antè diximus) & à melancholico ſucco obſtruente princi-pes ventriculos cerebri: & à ſanguine craſſo, vel etiam flatu intercipiente venas & arterias in plexu retiformi: & à pituita multa opplente cerebrum. In ſenibus fiunt à pituità, in ætate declinante potius à melancholia. Mali habitus inuadunt etiam ſenes. Cachexia duplex. Aliquando enim de vlceribus malignis dicitur, de qua loqui videtur Gal. in comm. Interdum de deprauata totius corporis nutricatione. hoc loco de vtraque cachexia potes intelligere. *Pruritus.*) Huius duæ præſertim ſunt cauſæ in ſenibus, pituita ſalſa, & cutis denſitas. Excrementum enim illud ſeroſum cum fuliginoſo niſi euacuetur, putrilaginem contrahit & ſalſuginem: iſtud natura quantum poteſt annititur vacuare, ſed ad cutim delatum, ibi reſtitat propter cutis denſitatem; facitque pruritum. *Vigiliæ.*) Nam vbi pauca eſt pituita quæ colligitur: aut ſi colligatur, rectè excernatur: aut ſi ea acrimoniam aut ſalſedinem acquirat, fient peruigiles ſenes. Contra ſomnolenti, ſi multa pituita colligatur & retineatur in cerebro. Humiditates ventris fiunt, quum ſenes vel male concoquunt, vel ſeroſa & fuliginoſa

recrementa retenta diuertunt ad ventrem. Sic oculorum & narium, quum repletum eſt ſuperfluitatibus cerebrum, Ἀμβλυώπιαι & graues auditus fiunt ſenibus, quia ob naturalem facultatem imbecillam minuuntur humores, reſiccantur ſenſuum inſtrumenta, & ob animalem etiam debiliorem ſpiritus ſunt pauci. Sic de aliis ſenſibus eſt intelligendum. At glaucedines in oculis ſenum accidunt, quia nimium reſiccatur oculus, membranæ, & humores: fit prętereà transmutatio & concretio humoris cryſtallini in colorem, qui ſuffuſionem repręſentat.

## SCHOLIA.

*Poſtremò ſenibus à ſexageſimo anno ad octogeſimum, aut vltra, (quanquam, quod dicitur in ſacris ſcripturis, hominis anni ſeptuaginta ſunt, vltra quos labor & dolor) accidunt difficultates reſpirandi: præſertim aſthmata. Catarrhi tuſsiferi cerebro frigidiore, humore copioſo, tum qui per expreſsionem in pulmones influit, tum qui in pulmonibus localem generationem habet à frigida intemperie. Vrinæ ſtillicidia, tum calculi ſymptomatica, tum infirmioris veſicæ, tum acrioris vrinæ à pituita ſalſa. Difficultates meiendi, facultatis expultricis infirmitate. Articulorum labores, tum vera arthritides, tum cæteri articulorum labores & tumores. Nephritides; renum vlcera, inflammationes & calculi, infirmitate facultatis expultricis & humoris illabentis contumacia. Tenebricoſæ vertigines; ab inordinato ſpiritus animalis motu. mali habitus, tum vniuerſi corporis, tum aliquarum partium à facultatis alteratricis deprauatione & alimenti corruptione: quemadmodum contingit aliquandò in melancholicis, vt*

*caput laboret cachexia, cum corpus ſit ſucculentum & boni habitus. Corporis uniuerſi ſtimulantes pruritus à pituita ſalſa. Vigilia, ob cerebri ſiccitatem & materiæ ſomniferæ inopiam: viſus hebetudines à paucitate & impuritate ſpiritus animalis, & nerui optici obſtructione. Glaucomata, id eſt, humoris cryſtallini concretio & areſactio.*

Tertiæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

x iiij

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIVS QVARTVS.

## *APHOR. I.*

ΤΑς κυούσας φαρμακεύειν ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια, καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι χρή.

*PRægnantes purgabis ſi materia turgeat, quadrimeſtres & ad ſeptimum vſque menſem: ſed has parcius: minore vero aut grandiore conceptu, abſtinebis.*

QVARTVS hic liber admodum varius eſt & multiplex. Primus hic Apho. eſt de ea prudentia, quam adhibere debet medicus in purgandis mulieribus grauidis, ſiquando acuto morbo eas laborare contigerit. In his autem fiunt morbi acuti, vel ex vita intemperante & cibis abſurdis quibus vtuntur poſt conceptum: vel, quia ante conceptum non viuebant ſalubriter, neque boni ſucci cibis alebantur: vel, quia conceperunt nondum expurgatis

menſibus. Magna enim mulierum pars concipere ſolent paulo poſt purgationes menſtruas, vt ferè tertio die. In huiuſmodi porrò morbis aliquando turget materia. Quanquam raró turgente materia accerſitur medicus, imò accedit ferè poſtquàm ea parte aliqua deſedit: vt illud ( raró turgere materiam) intelligi poſſit bifariam, ratione habita tum medici, tum humorum qui ſæpius manent aliqua corporis parte immoti & fixi. Iam ad pleniorem huius ſententiæ intelligentiam, diuidamus ætatem fœtus in tria tempora, quemadmodum facit Hippocrates. Sunt enim νήπια, πρεσβύτερα, καὶ μέσα. νήπια dicuntur à conceptu vſque ad quartum menſem non abſolutum, hoc loco. Nam interdum aliter accipit Hipp. vt diximus Aph. 26. ſect. 3. nimitum abortiuum & deiectiuum fœtum primo, ſecundo menſe, aut non vltra tertium. Interdum exponit Gal. νήπιον fœtum qui non multo poſt conceptum deiicitur. Nonnulli Hippocratis interpretes non ſolum de fœtu volunt dici, ſed etiam de editis in lucem, vocántque infantes qui quartum, quintum aut etiam ſextum annum attigerunt. Alij etiam vocant pueros vſque ad annos pubertatis. At media ætas in fœtu extrahitur à quarto menſe ad ſeptimum: πρεσβύτερα verò ἔμβρυα dicuntur à menſe ſeptimo ad diem natalem, quartum autem & ſeptimum menſem intellige abſolutum aut non abſolutum. Verùm menſes geſtationis vteri non ſunt triginta dierũ, ſed tantùm 29. cum dimidio, vt placet Hippocrati lib. de ſeptimeſtri & octimeſtri partu. Si mulier conceperit maſculum, ſentit magna ex parte fœtus motum ad 6. ſeptimanas. At fœminæ motum vix ſentit ad quartum aut quintum men-

ſem. Galenus fœtum vtero conceptum elegantiſſimè comparat fructibus arborum in comm. cuius initium ſumpſit ex Hippocratis libello de octimeſtri & ſeptimeſtri partu, finem verò ex quarto de victus ratione in morb. acutis. nam quemadmodum fructus pediculis quibuſdam inhæret arbori: ita fœtus habet retinacula & firmamenta quædam cum vtero: etenim & per vmbilicum, & per tunicas ac ſecundas ipſum inuoluentes alligatur & hæret vtero tanquam ſuæ matri. Primis ſiquidem menſibus (præſertim primis quadraginta diebus, in quibus etiam maximè obſeruamus ſeptenarios) ingens eſt abortionis periculum, quia tunc fœtus eſt imbecillior, infirmiora & molliora vincula, tum quibus alligantur ſecundę vtero, tum etiam quibus vterus connectitur cum lumbis oſſi ſacro & recto inteſtino: laxior eſt vmbilicus, minúſque firmiter hæret vtero. Medio autem tempore omnia ſunt firmiora & validiora. At 7. menſe, 8. & partu imminente, vmbilicus, qui antè hiabat, iam conniuere incipit: fœtus grauior eſt, & magis deprimitur, ob ídque & vmbilici & ſecundarum & ipſius vteri vincula ac retinacula laxantur, infirmiúſque hærẽt: mater denique eſt imbecillior, eò quòd magna pars ſanguinis eiuſdem abſumitur in alimẽtum fœtus grandioris: & prætereà ſanguis, quo nutriebatur ἔμβρυον, iam diuertit ad mammas vt illic conuertatur in lac, alimentum futurum edito in lucem. Quare ante 4. menſem & 7. vſque ad partum magnopere ab abortu timendum cum in omnibus grauidis, tum vel maximè in iis quæ ex leui quapiam occaſione abortire conſueuerunt. Proinde à medicamentis valentioribus abſti-

nebunt, vt quæ ita commoueant & exagitent vterum, vt fœtus facilè deiiciatur. Quò fit, vt non tantùm medicamenta quæ exagitant vitanda ſint vtero gerentibus, ſed & ea quæ flatus excitant, quòd ea nimirum vterum commoueant. Ob id, videndum ne mulieri grauidæ pedes refrigerentur, inde enim per conſenſum inteſtina afficiuntur, vnde flatus & tormina in illis excitantur. Eiſdem vitanda alimenta & medicamenta flatuoſa, qualia caſſia & ſenna, quæ ob id addito anetho, aniſo & ſaccharo, roſaceo reliquiſque flatum diſcutientibus calidis corrigere ſolemus. Neque etiam mollientibus & laxantibus vtendum: hæc enim niſi corrigantur elaxant & emolliunt vincula tum ſecundarum cum vtero, tum lumborum, &c. Nec indulgendũ vſui nimio fructuũ, aut aquæ potui immodico, quòd inde oboriatur pituita craſſa, quæ vel vaſa per quæ defertur alimentum ad fœtum intercipit, vt is non nutriatur: vel tunicis aut ligamentis vteri imbibita ea diſſoluit ac infirma reddit. Fugiendus quoque vehemens motus tum animi, tum corporis. Vitandus etiam vſus eorum quæ amara ſunt: quæ item venenoſa ſunt, & quæ peculiariter vocantur deiectitia: maximè verò quæ vehementer aperiunt: hæc enim poſtrema apertis venarum orificiis menſes promouent, quò fit vt in vtero nutriri non poſſit fœtus, aut ſi in lucem edatur, viuat inſalubrius. Maximè verò vitanda ſunt vtero gerenti, φάρμακα, hoc eſt medicamenta purgantia. Medicamenta enim intelliguntur Hippocrati quæ ſunt elateria, hoc eſt, agitatoria: qualia ſunt elleborus, ſcammonium, peplium, colocynthus, & elaterium peculiariter dictum. Quanquam conſtat veteres non

his ſolis vſos eſſe, ſed & aliquando cnico, & mercuriali,& prætereà lacte aſinino. Quod quidem apud eos inter medicamenta erat leuiſſimum, adeò vt ſi ſemel præſcriptum lac aſinæ nihil profuiſſet (quum vellent à leuioribus incipere) ad fortiora, vt ſcammonium, &c. acceſſiſſent. Sed nos habemus his leuiora & mitiora, quæ prægnantibus inſtituamus, vt mannam (quæ admodũ leuis eſt) caſſiam, tamarindos, rabarbarum:quæ tamen tutiora ſunt in iis,quæ non ita facilè abortiunt. Quocirca antè quàm medicamentum inſtituas, inquirendum eſt an promptè abortiant, & vtrum ferre ſoleant ad partionis tempus, necne. Quædam enim data caſſia aut leui aliquo clyſtere plerunque abortiunt. Alias abortire experiaris, propter cacochymiam; nonnullas propter plenitudinem. Quod quidem eſt diſtinguendum, ídque maxime ante conceptum. Quòd ſi iam conceperint, cacochymiam ſic cognoſces, quòd appetunt abſurda, vomunt putrida & vitioſa, fœtus languidè mouetur,& ferè decumbit in pubem, mulier macra eſt,& malè colorata.Huiuſmodi grauidas oportet purgare: præcipuè, ſi fieri poteſt, ante conceptum. Videas interdum benè habitas & coloratas, nec abſurda appetere,& tamen abortire. Tunc intelligendum, à plenitudine & copia alimenti ſuffocari poſſe fœtum, híſque ſanguinem detrahere oportet. Senſus itaque Aphor. erit: à quarto menſe nondum abſoluto ad ſeptimum abſolutum liberius & minore cum periculo purgamus grauidas, ſi turget materia. Sed has minùs: hoc eſt,cùm purgare liceat quarto menſe, quinto,ſexto,& ſeptimo: minus tamen liberè & maiori religione purgabimus menſe ſeptimo. Vbi prudentiæ

erit medici, vt conſideret quibuſdam inſtitui aut pharmacum aut phlebotomen periculoſiùs, aliis tutiùs: vt non omnes ſemper purgandæ veniant à quarto ad ſeptimum. Quanquam non ſolùm quarto menſe, ſed & tertio poſſint inſtitui & pharmacum & phlebotomia: cùm ex Galeno & trimeſtres & quadrimeſtres fœtus optimè reſiſtant iniuriis externis. Non tamen primo & ſecundo menſe, vt nec abſoluto ſeptimo purgandæ ſunt grauidæ. Menſes autem hîc accipe abſolutos aut non abſolutos.

## *SCHOLIA.*

*HAc ſectione quarta omnis purgandi ratio continetur. Quæ cum naturæ beneficio, & ſymptomatica vi, tum artificioſa mollitione fit, in deiectionibus, vomitionibus expectoratis, ſudoribus, vrinis, ſiue illa bene aut malè faciant ad ſalutem, ſiue appareant. Primo quidem libro de purgatione actum eſt, cum mutatio fit ſiue ad robur, ſiue ad infirmitatem viriũ. Secundo libro, de purgatione cacochymiæ ſiue ſuccreſcentis ſiue ſuperſtitis in morbis, potiſſimũ acutis. Hoc vero quarto generaliter de adhibenda purgatione in curando quolibet morborũ genere. Initium verò ducitur à purgatione vtero gerentium, quæ omnium difficilima ac periculi plena eſt. Humor ergo qui qualitate in vitio eſt in grauidis, expurgandus quò natura viam affectat, per loca commoda: ſi is humor ſit efferus, omniſque pepaſmi expers, crebra de ſe ſymptomata excitet: ne ſcilicet vires frangantur, calor febrilis augeatur, ipſéque humor efferus ruat in partem aliquam nobilem, cuius officio vita carere nequeat. Purgatio autem iſta fiat à quadrimeſtri ad ſeptimeſtrem vſque vteri geſtationem: quòd ita ſit comparata ratio*

*fœta & fœtus, vt tum generoſis remediis pugnare tum morbo liceat ſine offenſione fœtus, vteri ſecundarum, & vmbilici. nam nil æque eſt purgationis indigens ac orgaſmus, nil quod æquè diſſuadeat purgationem ac grauiditas. Quamuis minus purgandæ ſint, quæ ſeptimum attingunt menſem, aut non longe abſunt ab eo: quod fœtus grauitate vincula vteri ſecundarum, & vmbilici laxentur, ac ipſa mater infirmior ſit, genium defraudando, & lac generando ad fœtus nutritionem. Quibus de cauſis, abortio in metu eſt. Nam in minore & grandiore fœtu, iuniore aut ſeniore vteri geſtatione, purgare religio ſit, ob infirmitatem fœtus, vinculorum vteri, ſecundarum, & vmbilici: quod cernere eſt in recens natis & maturis arborum baccis, quæ ſæpe etiam nullo mouente decidunt.*

## *APHOR. II.*

ΕΝ τῇσι φαρμακείῃσι τοιαῦτα ἄγειν ἐκ τοῦ σώματος ὁκοῖα καὶ αὐτόματα ἰόντα χρήσιμα· τὰ δὲ ἐναντίως ἰόντα, παύειν.

*PVrgantium medicamentorum vſu, talia è corpore educenda, qualia ſponte etiam prodeuntia iuuant. Contrariò verò modo exeuntia, ſiſtenda.*

HIc Aphor. expoſitus eſt ſectionis primæ Aphor. 2. Agit auté de omnibus purgationibus in genere, non de purgationibus tantùm vtero gerentium, vt cenſet Philotheus. Hippocrates hîc annotat tria purgationis genera, nempe naturalem purgationem, quæ fit à natura in criſi: artificialem, quæ medico: ſymptomaticam, quæ vi morbi. docétque oportere tales eſſe purgationes artificiales, quales ſunt naturales. In morbis enim tria ſunt, natura, medicus, morbus. Quemadmodum ergo iuuat purg. quæ fit à natura, ita & iuuabit ea quæ fit arte: quæ ob id, & quia fit naturæ imi-

tatione, quodammodo eſt naturalis. Sed in ea medicamentum eſt cauſa efficiens : natura verò humorem à medicamento commotum expellit. Verùm vt medicus naturæ imitatione purget vtiliter & conuenienter, eget ex Hippocratis conſilio duplici notarum genere: quæ præcedant purgationem,& quæ ſequantur. Præcedit cognitio humoris redundantis & naturam infeſtantis. Quæ quidem cognitio petenda ex humorum ſignis. Nota ſequens eſt tolerantiæ facilitas, ſi poſt completam purgationem æger leuius habeat, ſi ceſſant ſymptomata. Quæ verò contrario modo, id eſt, ſymptomaticè & vi morbi vacuantur, cohibere oportet, quia magnopere lædunt, quales ſunt hæmorrhagiæ, vomitiones modum excedentes. Aliquando tamen à natura motas purgationes oportet etiam inhibere. Nam ſæpe quòd primum erat ſecundum naturam, fit præter naturam: irritatáque natura purgationem quam inſtituerat non ſiſtit, ſed procedere permittit. Id áutem eſt diſcriminis inter notas trium illarum purgationum, quòd tum in naturalibus, tum in artificialibus rectè inſtitutis ægri ſæpe vehemẽter vexantur,& grauia habent ſymptomata : ſed poſteà hæc ceſſant, & leuius quàm anteà habent. Vt quum in criſi bilis per inteſtina tranſiens, ea erodit,& magnos dolores infert: hoc tamẽ poſt corrigit natura. Contrà in ſymptomaticis & non naturalibus purgationibus æger aliquot horas ſatis benè habet, ſed pòſt ingraueſcit morbus,& repetunt ſymptomata.

## SCHOLIA.

*Aliquot præcepta legitimæ purgationis hîc ſtatuuntur. Primũ: In purgãdo imitanda ſemper natura eſt. Cum ergo humor aliquis qui in vitio eſt, purgandus eſt, ne febrẽ accendat,*

*partes nobiles labefactet, nutritionem prohibeat: eiuſmodi ſanè è corpore, cathartico medicamento, phlegmagogo, menalagogo aut cholagogo ſimplici aut compoſito, reddito prius corpore permeabili, excitata naturæ vi, liberatis obſtructis, & præparata materia, ciendus ac ducendus humor eſt, qui, ſi ſponte natura duceretur, adiumentum adferret: cuiuſmodi ſunt vomitiones, deiectiones, ſudores item critici. Qui verò humor, vi ſymptomatica, in qualitate, quantitate, tempore & excernendi modo, expurgatur: cuiuſmodi ſunt deiectiones nigræ velut ſanguis ater, ſtillicidia ſanguinis cum defœdatione cutis coniuncta, cohibendus eſt. Eſt enim purgatio humoris (non colliquamenti, non partis conſtituentis, non partis adnatæ) qualitate peccantis non alteratione, ſed alienatione, accommodata, id eſt per lege naturæ loca commoda, nec ex euentu incommoda, excluſio.*

## *APHOR. III.*

Ἢν μὲν οἷα δεῖ καθαίρεσθαι καθαίρωνται, ξυμφέρει τε καὶ εὐφόρως φέρουσι, τὰ δ' ἐναντία, δυσχερῶς.

*SI talia purgentur, qualia decet purgari, confert & facilè ferunt: contrà verò ſi fiat, grauiter.*

EXpoſitus eſt in prima ſectione. Hoc eſt, ſi humor redundans & naturæ moleſtus purgetur, confert: quia hoc modo cacochymia purgata eſt: & facilè ferunt ægri, vbi completa eſt purgatio, nō cum fit. Cùm enim fit, ſæpe excitantur tormina, ſtranguriæ, dyſenteriæ, & alia moleſta ſymptomata. Si verò cum oportet hunc humorem vacuare, aluus vacuetur, grauius ferunt ægri.

*SCHOLIA.*

SCHOLIA.

*Secundum eſt preceptum: ſi κακὰ καὶ χρήσιμα, qualitate, quantitate, tempore & excernendi modo, purgentur; commodo fiunt ægri: ſublata morbi cauſa antecedente & coniuncta. Contraria verò, permoleſtè, quia damnis augentur ægri, & ad calamitoſam vim morbi accedit naturæ infirmitas.*

APHOR. IIII.

Φαρμακεύειν θέρεος μὲν μᾶλλον τὰς ἄνω, χειμῶνος δὲ τὰς κάτω.

*Æſtate quidem ſuperiorem magis ventrem, hyeme autem inferiorem purgare conuenit.*

QVid hîc per æſtatē ſibi velit Hipp. non ſatis conuenit inter interpretes. Aliis enim placet intelligi veram æſtatem, quæ definitur à Vergiliarum ortu ad ortum Arcturi. Nonnulli volunt ſignificari æſtum, qui fit æſtate à ſolſtitio vſque ad declinantem caniculæ æſtum: & rectè quidem. Sunt qui exponant ſex menſes à medio vere ad medium vſque autumnum. In quo omnes ferè conueniunt. Sic hyemem omnes ferè intelligunt, vt comprehendatur magna pars autumni & veris. Hipp. annum aliquando diuidit in duas partes, nonnunquam in tres, aliàs in quatuor. Sed ſæpe notatis duabus partibus intelligi vult & alias, vt 3. Aph. & lib. de aëre, locis, & aquis. Æſtate itaque ſuperiores magis ventres, id eſt, (vt Gal. & Phil. exponunt) os ventriculi & œſophagum: hyeme autem inferiores, id eſt, ventriculi fundum & inteſtina purgare oportet. Ratio eſt, quia bilis abundat æſtate, & ad ſuperiora mouetur, pituita verò hyeme, quę vergit ad inferiora. hoc inauditur de purgatione totius corporis, quaſi dicat. Vbi bilis a-

bundat toto corpore æſtate, & pituita toto corpore redundat hyeme: illa per vomitum magis, hæc per deiectionem vacuanda: quanquam in vomitione imperanda magna ſit adhibenda cautio: an facilè vomat æger natura vel conſuetudine: an ſit opportunus anginæ morbis thoracis, vt tabi: an ſit imbecillo capite, oculis, dentibus, &c. num natura ſit pituitoſus. Hæc ſi comperiamus, abſtinendum à vomitionibus vniuerſalibus. At verò in particulari purgatione vbi quid fluitat in ventriculo, ſiue ſit bilis acris, ſiue pituita ſola, vel bili permixta, quò vergit natura, eò ducere oportet: adeò vt pituitam (ſi nauſeet æger & facilè vomat) poſſis purgare per vomitum: & viceuerſa ſi in inteſtinis reſtiret humor bilioſus, purgare hunc poſſis per deiectionẽ. Quòd ſi ſit bilis in ventriculo, & verearis ne aut mora cõtracta augeatur, aut per vomitum reiecta noxam inferat, reuellere oportebit, hoc eſt, ad loca contraria (vt inteſtina) retrahere. Sed reuera in his regionibus pituitoſioribus nec ita vomitui aſſuetis, ſiue quid fluitet in vẽtriculo, ſiue non, ſiue ſit bilis, ſiue pituita ſola, ſiue pituita bili admixta, tutius eſt & commodius purgare per inferiora quàm contrà. Hipp. habet rationem locorum vbi medicinã faciebat. Siquidẽ in Co, euis patria regione calidiſſima, quã incolebãt homines bilioſi vomitionibus aſſueti, ſi medicinam faceres, poſſes per vomitũ liberiùs & minore cum periculo purgare tum in vniuerſali, tũ in particulari purgatione. Et veteres illi vt lauabant quotidie, ita & vomebant. Pòſt ea conſuetudo quotidiana eſt repreſſa, & vomebant bis tantũ in mẽſe. Demum exortus eſt Aſclepiades, qui vt multa alia medicorum placita ſuſtulit, ita omninò vomendi conſuetudinem ademit.

## SCHOLIA.

TErtium præceptum. In repurgando vniuerſo corpore,(per vomitionem,aut per deiectionem) ſiue ægroto, ad curationem, ſiue neutro,ad præcautionem,habenda eſt ratio aëris, cuius dominatu cœlum tenetur,vt inde,non ſolum quæ corporis partes magis cacochymia laborent,ſed & per quas vias, & quo cathartici genere obeunda ſit purgatio,dignoſcatur. Vt enim ſinguli humores ſingulis anni tempeſtatibus ortum incrementúmque habent in corpore: ita & quilibet humor, licet ſuapte natura, qua grauius eſt, deorſum feratur: tamen modò à natura huc atque illuc mouetur:modò ab aëris conditione,nunc ad ſuperiora eleuatur,nunc ad inferiora deturbatur.Proinde æſtate,alui ſuperiores,id eſt,venæ & cauitates omnes, quæ ſunt ſupra ſeptũ transuerſum,renum regionem & iecur,ſunt expurganda,potius quã inferiores: antequã corpus in morbũ incidat,ad præcautionem,& poſtquam inciderit,curationis gratia: quod nimirum, hæ partes præ cæteris æſtate implentur bile & aliis humoribus tenuibus, ſi qui abundauerint in corpore,temporis caliditate eos ſurſum attollente,& ad ſupernas partes ducente: quòd etiam tenuis humoris,qualiſcunque is fuerit,natura ſurſum viam affectet. Eaque purgatio per vomitum obeunda potiſſimùm, ut quò partis natura humoríſque qualitas vergat, eò ducatur. Hyeme verò, alui inferiores, id eſt iecoris partes, & venæ ac cauitates omnes quæ ſunt infra ſeptum tranſuerſum, potius ſunt expurgandæ, quàm ſuperiores, idque cathartico deiectorio: quòd humores qui eò tempore abundant, ob frigiditatem aëris ad partes inferiores deſcendunt.Temporibus anni adiicienda conditio loci, regionis, victus temperatura & naturæ conditio.Particularis autem vomitio citari etiam poteſt hyeme, vt ſcribitur ab Hippocrate lib.de diæta idiotarum.

*APHOR. V.*

ΥΠὸ κύνα, ϗ πρὸ κυνὸς, ἐργώδεες αἱ φαρμακεῖαι.

*SVb canicula & ante caniculam difficiles ac moleſtæ ſunt purgationes.*

POëtæ, hiſtorici & Aſtronomi non conueniunt in nomine huius ſyderis, canis: quippe quod ſit valdè ambiguum. Vocant enim aliquando canem totum ſydus, quod ſcribunt nonnulli conſtare 29. ſtellis: alij 18. Alij (vt Iulius Firmicus) confundunt hæc tria, canem, caniculam, & ſirion. Diſtinguit tamen magna pars, è quorum numero eſt Gal. primo Epid. hic enim vult canem eſſe vniuerſum aſtrum, vt diximus. At canicula σείριος eſt, vel σείριον: éſtque ſtella lucidiſſima, quæ fulget in maxilla extrema ſuperiore Canis totius aſtri. Dicitur etiam Canis minor, & Græcis προκύων. i. anticanis: non ſolùm quòd ſita ſit ea ſtella parte anteriore Canis (vti diximus) verùm etiam quod ante eundem oriatur. Aiût enim caniculam oriri, quum Sol Leonem ingreditur, hoc eſt, circa 15. aut 17. Iulij: cuius ſententiæ authores ſunt Higinus, & Plin. lib. 2. Canem verò maiorem oriri volunt cum Cancro, 27. Iulij. Ptolomæus, Iulius Firmicus in eo conueniunt, oriri Canem quum ſol Leonem ingreditur. Sed, vt Caniculæ & Cani ſuum ortum aſſignes, notandum, quod dicimus ſydera oriri tribus modis: aliquando quum primùm incipiunt apparere: interdum vbi medium aſtrum apparet: aliàs vbi totum oſtenditur. Verùm hoc loco Hip. non videtur diſtinguere ſtellas Canis, ſed omnes ſimul vocat Canem. Itaque ſub cane (inquit) hoc eſt, diebus Canicularibus, qui (Galeno) perſeuerant 40. dies, tota ſcilicet opora, quæ eſt

ab ortu Caniculæ vſque ad ortum Arcturi: & ante canem (ferè à ſolſtitio vſque ad exortum Caniculæ) quo tempore ſolent eſſe magni æſtus & ardores, difficiles ſunt medicationes. Cauſa triplex aſſignatur. Prima eſt, quia natura eſt imbecilla, vtpote diſſoluta maximo æſtu & feruoribus. Secunda, quia cum humores iam ferueant, magis accenduntur à medicamento purgante, quod natura ſua, ſeu poteſtate calidum eſt. Tertia, eo quòd ita fiunt contrarij motus, vt periculum ſit ne natura diſtrahatur, aut prorſus diſſipetur. Nam vehemens ille æſtus Canis foras euocat materiam, quam medicamentum contrà à circumferentia corporis trahit ad cétrum. Quare tunc temporis purgationes ſunt difficiles & moleſtæ, quia grauia & moleſta inferunt accidentia. Loquitur autem hîc Hipp. de medicamentis vehementibus & agitatoriis, quæ quidem etiamſi ſuſpecta eſſe debeant per id tempus, magis tamen poſt 10. dies quàm orta eſt Canicula, aut plures, ſed non pauciores. Hoc quidem præceptum locum habet in Hipp. regione calidiſſima, & ſimilibus, ſed non item in his regionibus. Nam præterquã quod habemus benigna & leuia medicamenta quibus vtamur, qualia ſunt caſſia, catholicõ, lac aſininum, &c. hic nullũ tempus ſalubrius magíſque temperatum (præſertim quum flant Eteſiæ) experimur, quã dies caniculares, adeo vt experiẽtia conſtet morbos Iunio & Iulio menſe natos, ſolui ſolere menſe Auguſto & ſub Canicula. Quare ſi in hoſce dies incidat morbus, non veremur ſæpe venam aperire, & fortiora medicamenta imperare. Verum tamen ſi exoriatur vehemens ardor & canicularis (vt ſæpe in Gallia menſe Maio & Iunio) vtemur conſilio Hippocratis, tum in phlebotome, tum in purgationibus preſcribendis.

## SCHOLIA.

*QVartum præceptum. Quo tempore Canicula in terras dominium habet, media nimirum æſtatis parte calidiſſima & ſicciſſima, quadraginta dierum int ruallo abſoluta. Et ante Canem, à ſolſtitio æſtiuo ad ortum Canis, nimirum per decem dies ante eius ortum, ſcilicet à quinto Idus Iulij, ad pridie calendas Septembris, vt ſint 50. dies, permoleſtæ ſunt purgationes: quod rapidi potentia ſolis viſcera incendio conflagrantia facilè à cathartico febrem concipiant: deinde, quòd vis naturæ effœta neque humori vacuando par eſſe poſſit, neque cathartico ſufficere: tum quia calore ambientis, humor bilioſus foras attrabitur, & cathartico reuocatus intrò natura negotium faceſſit, quæ contrarios motus ſimul perferre nequit. Quibus accedit, peſſima victus ratio, qua qui vtuntur, vt ferè omnes in* ὀπώρᾳ *vtuntur, cathartico facilè exoluuntur, ex Aphoriſm. 36. lib. 2. Ideo autem vigente canicula canes in rabiem aguntur, non tam quia, vt putant nonnulli, canes in aqua ſydus illud Caniculæ intueantur: ſed potius, quia quum canum genus maximè ſtimulis inuidiæ concitetur, fit vt ſui imaginem in aqua intuitus canis, admirari incipiat, oblatrare, & febre itidem corripiatur, indéque in rabiem agatur. Experientia quotidiana id docet. Videmus enim canes ſui imaginem in ſpeculo videntes, excitari & commoueri ſolitos, unde ſæpe febre corripiuntur.*

## APHOR. VI.

Τοὺς ἰσχνοὺς καὶ εὐημέας ἄνω φαρμακεύειν, ὑποστελλομένους χειμῶνα.

*GRaciles & ad vomendum faciles per ſuperiora purgare conuenit, niſi hyems adſit.*

ALiquádo vomitus gracilibus interdicitur, aliquádo, vt hic, inſtituitur. Quare, ne fallamur, diſtin-

guere oportet graciles, neque confundere cum iis qui extenuati dicuntur. Siquidem extenuati ſunt, qui morbo (vt Aph. 7. ſecundi) ſtudiis, vigiliis, curis, mœrore, inedia, immodica vacuatione, &c. ſunt confecti. At graciles (qui iidem ſunt bilioſi) valde ſunt iracundi, θερμοκοίλιοι, i. ventre calido, ἐπίφλεβοι. i. apparentibus & turgentibus venis, idque natura. Duæ porrò ſunt gracilitatis cauſæ præcipuæ: raritas & laxitas cutis, per quam multũ ſubſtantiæ tranſpirat, & diſſipatur humor, qui in venis cõtinetur vitioſus: facultas enim attractrix carnoſi generis non poteſt attrahere ſuccum vitioſum, imò refugit quantum poteſt, ob id venæ in gracilibus emicant. Contrà ſi mediocris ſit aſtrictio cutis, ſi ſanguis & pituita in venis, neque quantitate, neque qualitate peccẽt, fiunt εὔσαρκοι & quadrati. Quòd ſi iuſto ſit denſior cutis, ſi humores in venis copia & qualitate ſuperent, fiet iam non quadratura corporis, non εὐσαρκία, ſed habitus ille Athletarum periculoſus. Eiuſmodi itaque graciles purgare poſſumus per ſuperiora, purgatione ſcilicet vniuerſali. Nam bilis cùm ſit ignea, ſurſum appetit tanquam ad ſuum principium: & prætereà (vt ait Oribaſius) tendit ad aërem, qui eſt alimentum ignis. Duplex enim eſt Philoſophis motus, vnus ad ſuum principium, alter ad ſuum nutrimentum. Illud autem faciendum, ſi ad vomendum ſint faciles, quod coniiciemus ex ipſorum ventribus calidis, amplo thorace, amplo colo, & conſuetudine ad vomendum: item ex muſculis ventriculo adiacentibus. Quod enim graciles non ſint per inferna purgandi, tenuitas muſculorũ abdominis, facit. Sed hyemem caueri iubet. Nam ſecundum Hippocratem nunquam aut rariſſimè excitandæ ſunt hyeme vo-

mitiones,prę ſertim vniuerſales, ſed potiùs æſtate & in bilioſis naturis, vt gracilibus. Verùm quia hoc non eſt perpetuum, & fit magna ex parte, ideò adiiciendam cenſet Gal. huic Aph. vocem, magis, vt fecit 4. Aphor. Hippocrates. Nam ſi quis hyemè ſe ingurgitauit vino & crapula, vt metus ſit à lethargo aut apoplexia, poterit vomitus excitari, quo videlicet non totum corpus, ſed ventriculus tantum & caput expurgentur. Cęterùm cùm eiuſmodi graciles ſint calidi non ſolùm, ſed etiam ſicci: diligenter diſtinguendi ſunt ab iis qui ſuccò melancholico abundant, vt qui etiam ſint ſicci. Verùm hi ſunt quodammodo muſculoſi (non tamen vt quadrati) id quod accidit, quia paulò aſtrictior eſt iis cutis, & quia ſanguis, quo alitur corporis habitus, eſt craſſior & fęculétior. Sunt alij melancholici, de quibus poſteà, colore corporis totius albicãte, pilo albo, tenui, gracili. Ij omnes nunquam debent per vomitum purgari, purgatione præſertim totius corporis.

## SCHOLIA.

*QVintum præceptum. Non tantum aëris, ſed & naturæ conditio ſpectanda in purgando. Graciles enim qui temperamento & habitu ſunt bilioſi, & qui diſtentas habent ſanguine venas, carnéſque macilentas. Item qui vomunt ex facili, quales ſunt qui amplo ſunt pectore, capite firmo, nec vomendo cephalalgiæ aut hæmorrhagiæ metum adferunt: ſurſum per vomitum ceu vomitario cathartico ſunt purgandi: ea tamen cautione, vt plus tribuatur inclinationi humoris hyberni, quàm tẽperamẽti & habitus. Illi autẽ habitu bilioſi dicũtur quib' bilis ad fundũ ventriculi repit, vitio canaliculi fellis. Temperamento vero, bilioſi, qui calidiore & ſicciore hepate, multã procreãt bilẽ.*

*APHOR. VII.*

Τοὺς δὲ δυσημέας, καὶ μέτως ἐυσάρκυς, κάτω, ὑποστελλομένυς θέρος.

*ÆGrè vomentes & medicè carnoſos, quos euſarcos appellant Græci, infernè purgato, deuitans æſtatem.*

DIfficiles ſunt ad vomendum, qui natura vel conſuetudine non ſunt vomitionibus aſſueti, qui ſunt admodum pituitoſi: qui ſunt anguſtiore thorace, collo breuiore, imbecilliore capite, & dentibus, & oculis: qui ſunt opportuni reiectioni ſanguinis è pulmonibus, vel thorace, vel ventriculo: qui denique ſunt obnoxij tuſſi, anginæ, tabi, & morbis aliis thoracis, faucium, gulæ, oris, &c. Porrò μέσως ἐυσάρκους vocat, qui conſtitutionem habent mediam inter graciles & ἐυσάρκους, de quibus Aphoriſmo ſuperiore. In his enim media eſt aſtrictio & denſatio cutis, medij ſunt humores & quantitate & qualitate. Tales paulò plus carnoſi exiſtunt, quàm qui ſunt quadrati & euſarci: ob id potius pituitoſi quàm moderatis humoribus prediti: non tamen extremè pituitoſi ac adipoſi, vtpote in quibus maior eſt adipis, quàm carnis moles. Tales nullam purgationem tolerant, ſola inedia opus habent, qua humores frigidi concoquantur, viæque ac meatus, qui in illis admodum conniuent, patentiores fiant. Et ſi purgandi ſint, potius per inferna, quàm per ſuperna purgandi, quòd illi ad vomitum licet faciles, vomere tamen citra periculum nequeút, ob venarum anguſtiam, omenti pondus, ventriculi craſſam ſubſtantiam, humorumque lentitudinem. In iis ergò qui ad vomendum ſunt difficiles, & in mediocriter carnoſis (tanquam qui

ſint pituitoſi, purgatione per inferiora opus eſt. Caue-re autem æſtatem oportet: quia hoc tempus purgatio-nem per ſuperiora requirat magis. Sed (vt diximus an-teà) hoc iuſſit Hipp. habita ratione conſuetudinis ſui temporis & regionis etiam in qua degebat. Verum, vt antè dictum eſt, & hoc tempore & in hac regione tu-tius eſt, etiam æſtate, per inferiora purgare.

## *SCHOLIA.*

*SExtum præceptum. Quibus vniuerſalis vomitio hæmor-rhagiæ, cephalalgiæ, ophthalmiæ, & comatis metum ad-fert. Et qui paulo habitiores ſunt, vnde moderati humoris in qualitate & quantitate ſignificatio fit, deorſum purgandi ſunt: quòd naturæ impulſu, humoris motu, meatuum condi-tione deorſum inclinatio fiat; modò non adſit æſtus, quo tem-pore bilis dominatu corpus tenetur.*

## *APHOR. VIII.*

TOὺς δὲ φθινώδεας, ὑποστελλομένους τὰς ἄνω φαρμακείας.

*Tabi obnoxios, ſuprà ne purgato.*

PEr φθινώδεας intelligere ſolet Hip. tum eos qui proni ſunt ad tabẽ, tum qui iam tabẽ incurrerunt. Quos vetat purgari per ſuperiora, quia vehemẽti illa à vomi-tu concuſſione irritantur pulmones, vt augeatur malũ: & quia inſtrumenta reſpirationis in tabidis ſunt imbe-cilla. Porrò opportuni ſunt tabi, tuſſi, & aliis morbis thoracis, qui Græcis dicuntur στενοθώρακες, hoc eſt, qui ſunt anguſto & breuiori thorace. Breuior verò eſt tho-rax, quum breuius eſt interuallum à clauiculis vſque

ad extremum ſterni, quàm ſit ab hoc advmbilicum, aut ab vmbilico ad pubem: qui collum habent longum, alatos humeros, quibus caput facilè impletur, deſtillat humor acris aut ſalſus in pulmones, quibus etiam faciei color liuidus eſt, genæ rubentes, anima triſtis, quique minimis ex cauſis afficiuntur ac excandeſcunt.

## SCHOLIA.

*Septimum præceptum. Qui tabe laborant, aut quibus in propinquo tabes eſt à pulmonum vlcere, non ſunt purgandi ſurſum: quia, qui vlceratos iam habent pulmones vomitione, vlcus pulmonum maius fieret, ex thoracis & pulmonis vehementi commotione. Quibus autem in propinquo eſt tabes, vomitione periculum impenderet ruptionis vaſorum pulmonis.*

## APHOR. IX.

Τοὺς δὲ μελαγχολικοὺς ἁδροτέρως τὰς κάτω, τῷ αὐτῷ λογισμῷ τἀναντία προστιθέντες.

*Melancholicos autem vehementiùs per inferiora purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.*

Annotamus multa melancholicorum genera, ſed quatuor præcipuè. Sunt enim veri melancholici, colore corporis nigro, pilo etiam nigro ſatis denſo, craſſo, aſpero, corporis habitu ſicco & muſculoſo: à vera melancholia. Secundum genus eſt melancholicorum ex Rhaze, qui ſunt colore corporis totius albicante, pilo item albo, tenui & gracili, à pituita craſſa, quæ etiam melancholia aliquandò dicitur. Hi vt plurimum ſunt ſtupidi, tardi & ignaui.

Tertium genus eſt eorum, qui pilo ſunt rufo, & facie admodum rufa, ab aduſtione flauæ bilis. Quartum eſt eorũ, qui proximè accedunt ad melancholicos Rhazis, ſuntque flauo pilo, ſed albicante, vocant *Blondz*. his adde melancholicos à ſanguine aduſto, qui in facie multas habent puſtulas rubras. Omnes hi melancholici purgandi per medicamenta deiectoria. Sed quęritur, an fortibus pharmacis ſit vtendum? Sanè ex lib. Hipp. ad Democritum, & ex hiſtoria deſcripta com. in Aph. 47. lib. ſexti, & ex hoc loco, quum ait, vehementius ſeu plenius conſtat purgãdum eſſe. humor ſiquidem meláncholicus cùm ſit craſſus, fæculentus, & contumax, non cedit niſi valentibus medicamentis. Imò ex eadem hiſtoria non ſolum forti, ſed & frequenti medicamento eſt vtendum. Eſt tamen, cum Aëtio, quidam ordo in medicamentis: nempe vt leuioribus, tametſi hęc ſint etiam fortia, primùm paremus, id eſt, incidamus & tenuemus materiam melancholicam: poſteà paulò validioribus inſtitutis perueniamus ad fortia & vehementia quæ eandem materiam depellant. Eſt enim in medicamentis vehemens, vehementius, & vehementiſſimum. Aliud prætereà notandum in iis qui melancholicum ſuccum colligunt, vnde morbus melancholicus ſit in metu: quòd anticipare debemus, & eos purgare autumno, id eſt, autumni initio, & vere, id eſt, initio veris. Addit porro Hippo. eadem ratione contraria adhibens. hæc eſt communis ratio, Quò natura vergit, &c. Quemadmodum igitur bilis cùm natura ſurſum repat, vomitu vacuanda eſt: ita humor melancholicus, quia contrà, ſua ſponte vergit deorſum, erit per inferiora purgandus.

## SCHOLIA.

*Octauum præceptum. Melancholici vel ab humoribus congenerantibus, vel à congenitis: vt quæ biliosa olim corpora, nunc perſpiratione carent: aut qui affectionibus melancholicis, vel hypochondriacis, vel cephalicis tentantur: Cathartico potentiore, vt contumax humor medicamento trahenti & naturæ expellenti cedat, ſenſuſque paulò ſtupidiores vellicentur, & ad excernendum irritentur: purgandi ſunt per inferiora: quòd eò natura & humor viam affectent, modò loca illa lege naturæ ſint commoda, non ex euentu incommoda: nec illa affectio eius inclinationis vim ſuperet: vt ſi non ſit iſchiadicus, nephriticus: adhibita prius ea prouiſione quæ adhiberi debet ad faciendum corpus permeabile: eadem ſcilicet cautione quæ in tabidis præſcripta eſt antè, ex impulſu naturæ motu humoris, meatuum conditione, præſertim ſi nulla affectio nos ab inſtituto auocet, & cæterarum indicationum vim ſuperet, contraria apponentes. Vt enim bilioſus humor quia tenuis per ſuperiora expurgandus venit, ita melancholicus humor, quia craſſus, per inferiora. Idem ſtatuendum de loco, regione, temperatura, conſuetudine, affectus conditione, quorum omnium eſt habenda ratio in præſcribendis catharticis.*

## APHOR. X.

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσι λίην ὀξέσιν, ἢν ὀργᾷ, αὐθημερόν. χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι, κακόν.

*Purgandum in valde acutis, ſi ad ſui excretionem inuitet materia, eodem ipſo die: differre enim in talibus malum eſt.*

Hoc loco morbos valde acutos vocat, qui terminantur primis periodis, hoc eſt, primo quaterna-

rio vel primo ſeptenario. In his dixit lib. primo rarò turgere materiam. Quod cùm deprehenderit experientia in Co inſula calidiſſima & Ionia, multò minus in Gallia regione frigidiore turgebit: niſi fortè æſtate æſtuoſa & temperamento bilioſo. Materiam enim turgere intelligit Hipp. de humore bilioſo qui materia eſt in morbis acutis. At quòd turgeat ſanguis, id à veritate alienum eſt: vt quem tanquam ſibi maximè familiarem natura retinere potiùs, quàm commotum excernere ſemper velit. At bilis (cùm ſit acris, tenuis, & fluxilis) turget, commouetur & concutitur à natura, comparatúrque ad excretionem: turget autem aliquando in partibus principibus, vt hepate, ventriculo, thorace: aliquando toto corpore: & interdum in ſuperficie corporis, vt in abſceſſibus. Si ergò materia bilioſa turgeat in morbo acuto, ſitque commota & comparata ad excretionem, purgandum erit eadem die, hoc eſt, prima, aut etiam ſecunda. Expelli autem poterit materia medicamento non ita forti, quale eſt Rhabarbarum: vt non ſit neceſſe hoc loco aſtringere medicamẽtum purgans ad ſola medicamenta vehementia, ſed dici poſſit de lenibus medicamentis. Sic vbi concocta erit materia (vt in declinatione) conuenienti aliquo pharmaco curabis deturbandam. Quòd ſi cruda eſt materia, & fixa parte aliqua, indeque nec primo nec ſecundo die turgeat, non ſtatim vteris fortib. medicamentis: quin potiùs confugiendum ad clyſteres molles, phlebotomen, &c. vt ridicula ſit quorundam hæreſis, qui aſſerũt materiam nullo modo mouendã. Duo itaque ſunt purgationis tempora in acutis: vnum, cum materia turget initio, id eſt primo die ſæpius, & ſecundo rarius; alterum, cum concocta eſt materia, vt in declinatione mor-

bi. Eſt autem malum in iis cunctari (inquit) idque trib. de cauſis à Gal. memoratis in comm. Siquidem tardando vires magis exoluuntur iactatione corporis, & agitatione humorum, vnde dolor, aut moleſtus ſenſus inter pruriginem & dolorem. Deinde materia magis putreſcit, vnde calor & febris augentur. Tertiò, quia periculum eſt, ne materia dum non excernitur, ſed vagatur per corpus, in partem nobilem & principem decumbat.

## SCHOLIA.

*Nonum præceptum. Purgandum in peracutis morbis, in quibus ſymptomatum ſtatim ſumma ſunt omnia, vt in cholera, phrenitide, ardentiſſima febre, ſi humor ſit efferus: eo ipſo die quo feritas ipſa percipitur, non expectata remiſſione paroxyſmi, nedum eius fine. nam in huiuſmodi morbis cunctari periculoſum: ne calor febrilis augeatur, vires frangantur, materiaque effera ruat in nobilem aliquam partem, cuius officio vita carere non poſſit. Quodſi effera illa materia in partem aliquam nobilem decubuerit, tanto validiore cathartico vtendum erit, quanto longius à ventriculo deſederit humor: & quanto loco periculoſiore & maiore quantitate, & quanto diutius iam reſederit. Quòd ſi in adenes aut articulos decubuerit, iubet Hippo. in libro de internis affectionibus, à medicamento abſtinendum.*

## APHOR. XI.

Ὁκόσοισι στρόφοι καὶ περὶ τὸν ὀμφαλὸν πόνοι, καὶ ὀσφύος ἄλγημα μὴ λυόμενον μήτε ὑπὸ φαρμακείης, μήτ᾽ ἄλλως, εἰς ὕδρωπα ξηρὸν ἱδρύεται.

*QVibus tormina adſunt, & circa vmbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neque medicamento neque per alia præſidia ſoluitur, in ſiccum hydropa firmatur.*

Στρόφοι, hoc eſt, tormina (Gall. *trenchees*) duas habent cauſas. Vna eſt acris humor & mordax commotus per inteſtina, præſertim tenuia quæ ſunt vegetioris ſenſus. Altera, ſpiritus quidam flatuoſus inteſtinis incluſus, nec exitum habens. Adde cauſam tertiam, cancerosum quendam abſceſſum qui inteſtina depaſcitur. Si cui ergò oborta ſunt tormina, inquirendum de ſymptomate, an ſcilicet amara vomuerit, an os amaricet, &c. an fuerint perfrigeratæ ventris partes aut lumbi: vt ſi ambulauerit æger nudis pedibus, ſi ſederit aut ſteterit in aqua, ſi diutius manſerit in loco ſubterraneo, vt cauea, &c. Fiunt porro hi cruciatus modò iuxta vmbilicum, vbi ſita ſunt tenuia inteſtina admodum circumuoluta & anfractuoſa: modò ad lumbos. ὀσφὺς, vt ante dictum eſt, vox ambigua eſt apud Hipp. vt ſignificet lumbos propriè appellatos, & lumbares muſculos tam exteriores, quàm interiores, item renes & inteſtina quæ ſunt ad lumbos. Qui lumborum dolores oriuntur tribus de cauſis. Prima eſt, quia in ea parte cæcum eſt inteſtinum: ſecunda, quia colon in pleriſque qua parte renes, & ſiniſtrum maximè, attingit, eſt anguſtius. Tertia, quia colon membranis quibuſdam colligatur renibus, renes lumbis. Proinde quum membranarum fibræ vehementer diſtenduntur, grauiſſimus fit dolor. hic tamen dolor ceſſat aliquando exhibito leui clyſtere, aut quopiam pharmaco. Sed nonnunquam in morbis excitantur dolores acerbiſſimi circa vmbilicum aut lumbos: quum ſcilicet natura morbum iudicare

iudicare tentat per deiectiones, vt deliria accidunt, vbi futura eſt criſis per hæmorrhagiam. Cæterùm dolores eiuſmodi ſi non conquieſcunt neque medicamentis flatuoſos ſpiritus educentibus, neque clyſteribus, fomentis, inunctionibus, & id genus aliis remediis, ortum habent ab inueterata & hectica intemperie, ſolentque tranſire (inquit Hipp.) in hydropem ſiccum, id eſt, in tympaniam. Quum enim eſt flatus in inteſtinis, hic ſublato ventriculi fundo efficit, vt non rectè amplexetur & comprehendat cibum: quo fit, vt praua fiat concoctio: fit quoque praua ſanguificatio refrigerato hepate ab auris frigidis ſublatis, & per conſenſum cum ventriculo & inteſtinis primis. Dicitur autem tympanites hydrops ſiccus comparatione hydropis humidi qui vocatur aſcites. Non quidem quòd tympanites careat humiditate, & contrà aſcites flatu: verum quemadmodum in illo eſt aliquid humiditatis, ſed copia maior flatulenti ſpiritus: ita è diuerſo in hoc plus eſt aquoſi humoris, quàm ſpiritus flatuoſi.

## SCHOLIA.

*Decimum præceptum. Non ſunt vſurpanda cathartica in morbis, in quibus nihil opis ſunt allatura. Exempli gratia, in torminibus circa vmbilicum & lumborum doloribus, qui hydropen ſiccum minantur. Ergò, quibuſcunque tormina ceu dolores inteſtinorum deuoluti: qui non à ſero reſudante, ab inflammato aut plus æquo æſtuante hepate (cuius indicium eſt in vrinis ardentibus & confuſis) illi enim dolores venæ ſectione curantur: qui non ab acri humore inteſtina mordente, quòd illi clyſteribus & catharticis cholagogis demulceri poſſunt: qui non à canceroſa inteſtinorum affectione, quia illa eſt inſanabilis:*

*qui non ab abſceſſu dolorifico in inteſtinis excitantur, ſed præſertim qui à flatulento ſpiritu in tenuibus inteſtinis intercluſo ortum habent, grauiſſimoſque cruciatus inuehunt, quòd ſpiritus ille inde exitum non habens, diſtendit variéque inteſtina & membranas diſtorquet. Labores item a flatulento ſpiritu in tenuium inteſtinorum anfractibus concepto circa vmbilicum: lumborúmque dolor, id eſt, partium quæ intra vertebras quinque inferiores continentur vbi colon & cæcum anguſtum eſt: & vincula neruacea ſunt quibus colon & renes lumbis alligantur, vt ſcribitur 6. Epid. In vniuerſum, quibuſcunque dolor nuſquam circunſcribitur, ſed per vniuerſum fermè ventrem ſpargitur, qui tamen neque purgatione humoris qui ſolet materiam flatui ſuggerere, neque aliis remediis diſcuti poteſt, vt clyſteribus, fomentis, cataplaſmatis, emplaſtris: in ſiccum hydropen firmatur dolor ille, ob hecticam intemperiem frigidam primigeniam, vel ſecundariam, iecoris ventriculi, tenuium inteſtinorum, & meſenterij inſanabilem. Omnis enim alteratio partium ſolidarum facta & abſoluta, non quæ adhuc fit, tanquam lanarum tinctura eſt indelebilis, ſub qua non modo mutatur, ſed etiam alienatur temperamentum proprium partis affectæ, vt ſcribit Gal. 1. prorrh. eaque eſt incurabilis, quia partes omnes mixti etiam minimæ, ſicut vna forma, ita & vno temperamento poſſidentur, quarum altera non agit in alteram, ſed omnes ſeſe mutuo tuentur. Proinde licet flatus aut humor vnde flatus gignuntur, tollantur remediis, noua tamen renaſcitur materia, quæ intemperie conſpirante perpetuat dolorem, hydropemque ſiccum confirmat. Citatur hic Aphoriſmus trigeſimusquintus comm. 1. in librum tertium ſect. 2. Coac.*

## APHOR. XII.

ΟΚόσοισι κοιλίαι λειεντεριώδεες, χειμῶνος φαρμακεύειν ἄνω, κακόν.

*Quibus propter læuitatem ventres cibi ſunt incontinentes, hyeme ſupra purgare, malum.* 11

Lienteria affectus eſt, in quo cibus & potus ſtatim deiiciuntur abſque vlla tranſmutatione: ea fit ab imbecillitate retentricis ventriculi & primorum inteſtinorum, orta potiſſimum ab intemperie frigida ſimplici, aut cum humore, vt ex acida pituita: aliquando irritatur retentrix ab humore quodam tenui & acri bilioſo, qui exulcerat internam ſuperficiem ventriculi, vt in aphthis fieri ſolet. Interdum propter vlcus quoddam colligitur ſanies quæ retentricem ſtimulat. Hippocrates hoc morbo laborantes non vult purgari per ſuperiora hyeme: id quod ( vt anteà monuimus ) intelligit de vniuerſali purgatione. Nam purgatione particulari ſi qua pituita frigida, craſſa, viſcida fluitaret hyeme in ventriculo aut inteſtinis, vel etiam bilis acris, poſſet imperari vomitus. Sed in Gallia, quouis tempore, ſiue ſit pituita, ſiue bilis in ventriculo, tutius eſt medicamentis deiectoriis vti, quæ quidem ſimul ventriculum roborent.

## SCHOLIA.

*Vndecimum præceptum legitimæ purgationis. Lienterici non ſunt vomitione purgandi hyeme, ſed potius per inferiora, à quacunque cauſa lienteria ortum habeat. Proinde reuulſionis commoda vomendi difficultate ob humoris contumaciam ſuperantur atque vincuntur. Hoc intellige de vomitu generali: nam reuulſionis cauſa poteſt præſcribi vomitus particularis etiam hyeme, ex præſcripto Hippocratis.*

## APHOR. XIII.

Πρὸς τοὺς ἐλλεβόρους τοῖσι μὴ ῥηιδίως ἄνω καθαιρομένοισι, πρὸ τῆς πόσιος προϋγραίνειν τὰ σώματα πλείονι τροφῇ, καὶ ἀναπαύσει.

*Qvi ad veratri ſumptionem non facilè ſurſum purgãtur, horum corpora ante potionem præhumectanda ſunt vberiore cibo atque quiete.*

Veteribus elleboriſmi dicebantur medicationes & purgationes quæ dato elleboro fiebant, vel per deiectiones, vel per vomitus. Duplex eſt elleborus, albus & niger. Albus vomitionibus magis, niger verò purgationibus per inferiora conuenit. Sed cùm legitimo nigro ferè careamus, albo ſolo, eóq; electo & optimo tum ad vomitum tũ ad deiectiones vti poterimus. Græci, nomine ellebori ſimpliciter intelligunt album, vt contra Arabes nigrum. hic ergò ad purgationem per vomitum elleb. præſcribere volumus. Verùm vt iſtud commodè & conuenienter faciamus, intelligendum quibus in morbis, quo tẽpore, & quibus in corporibus ſit vtendum. Quod vbi habuerimus, præparandum erit corpus, præparãda materia, ac deinde veratrum ipſum. Præſcribimus igitur veratrum in morbis longis & contumacibus, qui ſcilicet ſunt vel à melãcholia, vel à pituita, præſertim craſſa & viſcida, quæ nomen melancholiæ retinet: vt in melancholia, mania, morbo comitiali, coxario, calculis renum, elephantiaſi, lue venerea, &c. Sed intelligendum, ſi nulla ſit cõiuncta febris, quæ quidem ſit vehemens. Hipp. enim lib. de fracturis imperat elleborum etiamſi adſit febris, ſed hæc eſt leuior. Iam videndum quo tempore. Nam neque hyeme neque æſtate vſus eſt ellebori, ſed autumno & vere. Præterea ne-

que in pueris, neque in ſenibus, & mulieribus, aut mollibus & delicatis corporibus, ſed in iuuenibus tantùm & robuſtis. Quod comprobat Hipp. in Epid. vbi ait, Detur elleborus, ſi iuuenis eſt. Neque obſtat, quod obiiciunt nonnulli, iuuenes cum ſint calidi ſicci, non eſſe admittendos ad veratrum, cùm conſtet regionem Hippocratis (in qua tamen eius vſus erat) calidam eſſe & ſiccam. Portò quod ad præparandum corpus attinet, Hipp. hoc Aph. iubet præhumectari cibo & quiete: 6. Epid. com. quinto addit aquę potabilis balneum. Cuius duplex eſt vſus. Nam ante ſumptionem ellebori per 3. 4. aut 5. dies ægrum lauare poterimus. Sumpto verò elleb. lauabimus priùs quàm motus ſit ab elleboro in corpore cōcitatus. Simulatque enim motus hic ab elleboro concitatus ſe profert, nequaquam eſt lauandum. At cibo & quiete humectabimus ac emolliemus ſolidas corporis partes: quia cùm elleb. vehementer exagitet & contendat partes, ſi hæ eſſent duriores, promptè frangerentur. Prætereà quia valde ſiccat, periculum eſt ne partibus ſtatim inanitis & exiccatis conuulſionem concitet. Contrà ſi humidæ molléſque ſint partes, facilius exoluent & eludent vim medicamenti. Reliqui medici volunt non ſolùm hoc modo pręparari corpus, ſed etiam aſſuefieri vomitionibus, datis tum alimentis tum medicamentis. Auicennas & Gal. vt aſſuefaciat ægrum vomitui, dant primum pinguia & varia alimēta, deinde leuia medicamenta vomitoria. Sit igitur paulò tenuior cibus & vberior, quiq; humectet, vt agnina pinguior, hœdina pinguior, pinguior vitulina, oua ſorbilia, iuſcula pullorū pinguium. Hæc ſiquidem prętérquam quòd humectant, elaxant etiam & emolliunt ventriculi ſubſtantiā, vt pronus ſit ad vomitiones. At leuia vomitoria

poterunt eſſe, vt hydrelæum, aqua tepida, oxymel, ſemẽ raphani, &c. Præhumectato corpore jam præparanda eſt materia, quæ cùm ſit craſſa & viſcida, indigebit tenuantibus, incidentib. detergentibus. Sic enim multò facilius vacuabitur. Alioqui incurreret æger in conuulſiones, venarum ruptiones, &c. Nunc videndum, quomodo dandum ſit veratrum. Datur in ſubſtantia a ſcriptulo vno ad duos. Manardus dat nigrũ ad drachmã innoxie. Paulus album à drachma vna ad duas. Datur in decoctionibus, infuſionibus, pilulis, &c. Poteſt & dari in juſculis carniũ, in ptiſſana, in melicrato. Nunc ferè immiſcemus ſyrupis laxatiuis, vt ſyrupo de pomis ſaporis. Si in radicem raphani immittatur albus elleborus, elleboriſmi modus ſimplicior eſt paulo. Poteſt coqui ĩ malo cydonio (vt ſcammonium) in paſta, in aqua vitæ donec ſit conſumpta. Celſus vult incoqui pane, quẽ poſteà, exempto elleboro, demus. Poteſt etiã 8. dies macerari in aceto, ac inde ſiccari. Maceratur quoque drach. vna ellebori electi in aquæ vnciis ſex. hæc aqua coquatur ad tertias, adiectiſq; æquis partib⁹ mellis & aquę, fiat hydromel: quo dabiecto elleboro reſeruetur in pyxide. Doſis cochleare vnum pueris epilepticis & ſenibus longo morbo laborantibus eſſe poteſt. Sed in eo ferè omnes conſentiunt, vt in ea compoſitione ſit aqua quadrupla ad ſubduplum elleborum. Cato ſub vindemiæ tempus iubet ablaqueari & detegi vitis cuiuſdam radices, quas in extremo configamus radiculis ellebori. Atque hinc demus vinum elleboratum melancholicis, maniacis, epilepticis, &c. Aliter, vult manipulos ellebori iniici in muſtum: vt ſint (exempli gratia) muſti 27. pintæ ad 3. aut 4. pugillos ellebori. Cæterum Hipp. hoc Aph. intelligit elleborum ſimpliciter, nõ vt alibi omne

genus vehementer purgantiū medicamentorū: quemadmodū agit tantùm de iis qui non facilè vomunt, vt qui ſunt anguſto & depreſſo thorace: non de iis qui periculoſè, vt ſunt tabidi & morbis thoracis opportuni. Flores geniſtæ perinde atque elleborum vomitum cōcitant, ſed mitius, neque cum adeo grauibus accidentibus; verum quemadmodum non poteſt definiri terminus & modus materiæ præparandæ & præhumectandi corporis, ita nec aſſuefaciendi ægrum vomitionibus. Sed tui erit iudicij elleborum dare, vbi videris ea recte vt conuenit eſſe peracta.

## *SCHOLIA.*

*DVodecimum præceptum. Corpora purganda vomitu, prius ſunt multo humectanda cibo & quiete. Cum ergo elleboro albo potiſsimum purgare conſilium eſt, vomitione ſcilicet vniuerſali ad diuturnos morbos, febris expertes, vere & autumno, in iuuentute aut conſtanti ætate: cum ad eam purgandi neceſsitatem nulla ratio deſideratur, in naturæ impulſu, humoris motu, meatuum conditione, aut etiam peculiari morbo, vt phthiſi: qui ſurſum facile non expurgantur, ob materiæ contumaciam, meatuum meabilium anguſtiam, & naturæ infirmitatem, vt qui vomere non conſueuerunt: ante elleboriſmum, corpora ſunt multo humectanda victu & quiete: vt cibo & ſomno recreatis viſceribus, nec hypercatharſi, nec ellebori acrimonia, conuulſio in metu ſit, quæ ab elleboro lethalis eſt, Aphor. 1. lib. 5. Repetitur hic Apho. ſecti. 5. lib. 6. Epid. vbi pro quiete ponitur balneum.*

## APHOR. XIIII.

Ἐπὴν πίῃ τις ἐλλέβορον, πρὸς μὲν τὰς κινήσιας τῶν σωμάτων μᾶλλον ἄγειν, πρὸς δὲ τοὺς ὕπνους καὶ μὴ κινήσιας, ἧσσον. δηλοῖ δὲ καὶ ἡ ναυτιλίη, ὅτι κίνησις τὰ σώματα ταράσσει.

*EPoto ellebore, corpus potius mouendum quam ſomno aut quieti tradendum. Nam vel nauigatio indicat motione turbari corpora.*

PRæhumectato corpore, præparato elleboro, cóque dato motum corporis inſtituit Hipp. Sed quando & quomodo mouere oportet corpus? Gal. in ſexto Epid. placet, vt ſumpto eo ſtatim ægrum moueamus, idque donec prodeant ſigna imminentis purgationis: vt motus nomine inaudiatur quoque balneum, de quo anteà. Ellebori autem agitatio ferè incipit duabus pòſt horis quàm ſumptum eſt. Sed certiora ſunt ſigna incipientis agitationis, quòd æger ſentit calorem præter naturam in ventriculo & œſophago, præſertim ſi veratrum more veterum præſcribatur. Deinde ſolet ſaliuare. Ardore illo & ſaliuatione concitatis, iam vomit primùm pituitam (vt cuius ſedes ſit magna ex parte in ventriculo) mox pituitam cum bile, poſtremò bilem puriſſimam. Porrò motus ille intelligitur, non vehemens motus, ſed ambulatio quæ ſatis moueat corpus, vires verò minùs deiiciat. Efficit autem huiuſmodi motus tria. Primùm medicamenti vim ad venas, hepar, cerebrum, aliáſve partes laborantes defert. Deinde fundit & liquat materiam, fluxilémque & ſequi paratiorem reddit. Tertiò commouet materiam, quæ poſt faciliùs vomitur. Quam poſtremam cauſam hic aſſignat Hippocrat. Corpora motu turbari, &c. Quanquam non ſolum motus facit vt

nauſea laborent nauigantes, verum etiam aura illa marina, præſertim non aſſueta. At verò poſt aſſumptionem ellebori ſomnum & quietem prohibet Hippocrates. Nam cum per ſomnum facultates animalis & vitalis quietem agant, facultas autem naturalis intrò collecta potenter agat, & quaſi medicamentum concoquat, huius vires exoluit, & actionem frangit ſomnus. Prætereà humores quos volumus mouere, reddit quietos & immotos. Quod itidem facit quies, contrà quàm motus.

## SCHOLIA.

*Tredecimum præceptum. Epoto Ellebore, aut quouis alio potente cathartico motu potius ſunt concitanda corpora, vt naturæ vis excitetur, humor purgandus incitetur, ac incitatus cathartico trahenti & naturæ expellenti faciliùs cedat: deambulatione ſi nulla ſit iſchias, aut calcis fractura: vel potius geſtatione, in cunis, lectica, naui aut curru, ita vt corpus moueatur, non moueat: balneo etiam ſimulatque epotum fuerit: quàm ſomno & quiete compeſcenda. Nam ſomnus omnem validam euacuationem ſiſtit, præter ſudorem, & ſanguinis fluxiones, quæ per nares, vterum, hæmorrhoides atque venæ cuiuſuis ſciſsionem fiunt. Nam corpora motu perturbari indicat nauigatio, quæ nauſeam & vomitum ciet, non ſolo motu, ſed aëre. non quiuis autem motus in nauigatione nauſeam & vomitum cient, ſed præſertim motus hi, quibus corpora ſubleuantur cum naui, & ferè ſubito deprimuntur, aut in gyrum circunferuntur. Licet autem motus à medicamento ſumpto ſiue vomitorio, ſiue deiectorio promoueat eius actionem, non tamen illud antè propinandum quàm catharticum ſedem fixerit in ventriculo, & humor iam moueri inceperit. Alioquin non humor ſed medicamentum euometur.*

## APHOR. XV.

Ἐπὴν βούλῃ μᾶλλον ἄγειν τὸν ἐλλέβορον, κίνει τὸ σῶμα. ἐπὴν δὲ παῦσαι, ὕπνον ποίει, καὶ μὴ κίνει.

*QVum elleborum citare voles, moue corpus: quum vero ſiſtere, ſomnium concilia, nec moue.*

MAgis ducet elleborus, ſi materia ſit bene comparata ad excretionem, minúſque repugnet. Minùs repugnabit, quò magis fuerit fuſa, attenuata, & commota. Iam vbi videbis ægrum euomuiſſe multum, viréſque imminui, vt ſiſtatur purgatio, dabis illum ſomno & quieti. Per ſomnum enim vires tum vitales, tum animales (ſenſificæ præſertim & motoriæ) reficiuntur ac corroborantur. Prætereà tū validior naturalis facultas, ſiquis humor ſit reliquus, expurgandus, eum concoquit & euincit.

### SCHOLIA.

*DEcimumquartum præceptum. Superpurgantis aut immodice purgantis medicamenti ferocia compeſcenda quiete, potiſsimum verò ſomno: per ſomnum enim ipſa animalis facultas aciatur, quæ in ventris purgationibus operari debet, ipſique humores coguntur, ac intrò vocantur. Somnus autem ſuccedens à purgatione, bonis fit rebus, habétque rationem ſigni & cauſæ: cauſæ quidem, quia retinet vacuationem ne plus iuſtò procedat, conuulſionémque ac hypercatharſin excitet: ſigni vero, quoniam ſignificat ipſam integram iam eſſe atque perfectam. Vnde colligas, vt longiſsimè à cibo, ita non niſi poſt ſomnum iuſtum medicamentum exhibendum eſſe. Catharticum enim qualecunque id fuerit, vacuum ab omni cibo ac chylo poſtulat ventricu-*

*lum, ne eius aliunde interturbetur actio: quo nomine tenuis ac parcus victus pridie ſumptionis medicamenti imperari conſueuit, vulgóque dici audias, diem quo ſumitur medicamentum feſtum ac ſolemnem eſſe, quòd pridie ieiunandum ſit. Somnus verò debet præcedere non ſubſequi catharticum: præcedere quidem, vt vis animalis quæ medicamentum moderatur, accedat, vegetior fiat, calorque in internis viſceribus fiat robuſtior: non ſubſequi vero, ne ſiſtatur medicamenti actio. Quanquam ſomnus ſtatim à ſumpto medicamento potiſſimum debili, commodè permitti poteſt, non ſolum quia ſomnus vaporem ingratum medicamenti eludit, eiuſque vomitum impedit: ſed quia vis eius citius excitetur à calore natiuo intus per ſomnum collecto, promptiúſque ad opus compellitur: vnde multo celerius eius alioquin naturæ moleſto ac ingrato onere ventriculus totúmque corpus exoluitur. Vbi autem medicamentum vires ſuas exerere cœperit, tum non amplius ſomno indulgendum: niſi forſan eius hypercatharſin cohibere oporteat, ex Hipp. conſilio.*

## *APHOR. XVI.*

Ἐλλέβορος ἐπικίνδυνος τοῖσι τὰς σάρκας ὑγιέας ἔχουσι, σπασμὸν γὰρ ἐμποιέει.

*Elleborus periculoſus ſanas carnes habentibus: quippe conuulſionem efficit.*

QVod lib. 2. dixit in genere, Qui ſano ſunt corpore, &c. Aph. 36. & 37. idipſum nunc ſpeciatim de ſolo veratro aſſerit. Quanquam idẽ poſſit etiã intelligi de aliis vehemẽtibus medicamẽtis. fit autẽ conuulſio ab elleboro in ſanis: quia cùm vehementer moueat & agitet humores, ſi vitioſos nõ reperiat, mouet & attrahit vtiles, quibus attractis reſiccantur partes ſolidæ (& potiſſimum nerui) vnde conuulſio ab inanitione.

## SCHOLIA.

*DEcimumquintum præceptum. Abſtinendum planè ab elleboro, omnique alio potente medicamento purgante in ſanis corporibus. Elleborus enim calamitoſus eſt viſceribus benè conſtitutis, humoribus contemperatis, vnde carnium color, character, & moles à natura elucent. Conuulſionem enim parit, id eſt parere poteſt, cum nihil habeat in quo exerat vires ſuas, partium ſolidarum ſubſtantiam labefactat, humores optimos, ſpiritum & carnem diſſoluit, ſuóque calore atque acrimonia neruos mordet, præſertim oris ventriculi. Vnde motus conuulſiui potius quam conuulſiones excitantur, aut ſaltem periculum eſt ne excitentur. Vide Scholia in Aphor. 1. ſect. 5.*

## APHOR. XVII.

Ἀπυρέτῳ ἐόντι ἀποσιτίη, καὶ καρδιωγμὸς, καὶ σκοτόδινος, καὶ στόμα ἐκπικρούμενον, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

*NOn febricitanti cibi faſtidium, cordis dolor, vertigo tenebricoſa, & oris amaritudo purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant.*

PRoponuntur ſigna hoc loco, quibus intelligamus humorem bilioſum abundare, expurgandúmque eſſe. Poſſunt his addi & alia, vt ſomnia ignis, rixarum, &c. & quòd æger præter conſuetudinem ſit iracundior. Agit autem præſertim de præcautione, vt purgantes humorem redundantem venienti morbo occurramus: non tamen quòd interim velit innuere febricitantes quibus illa adſunt, non eſſe purgandos. Sunt enĩ hi quoque purgãdi. Cibi igitur inappetẽtia, ἀποσιτία (quę Gal. idẽ eſt quod ἀσιτία καὶ ἀνορεξία) primũ eſt ſignum.

Appetẽtia in orificio ventriculi ſita excitatur nõ ab immoderata frigiditate (vt quæ deſtruat potiùs, vt in bulimia) non ab immoderato calore qui eam obtundit, ſed à moderata frigiditate: hæc deiicitur à calore bilis contentæ in ventriculo. Secundum ſignum eſt καρδιωγμὸς, vbi os ventriculi (quod alioqui eſt ſenſus vegetiſſimi) commordetur, vellicatur, & quaſi lancinatur ab acri humore, hoc eſt, à rufa vel flaua bile. Tertium eſt vertigo, δῖνος, ſiue σκοτόδινος, ceu ἴλιγγος, hoc eſt, inordinatus in cerebro motus, quum vapores acres & calidi à bile os ventriculi occupante ſublati occurrunt humori & frigido vapori cerebri. Prætereà tenebricoſa & obſcura apparent oculis, quia dum aſſatur bilis, effert vapores quoſdam tetros & nigricantes ad cerebrum: quemadmodum vbi miſcetur ſanguis bili, oculus ſplendida ſe putat videre. Gal. comm. in lib. de victus rat. δῖνον diſtinguit à σκοτοδίνῳ, vt δῖνος ſit cum caput circumferri, & omnia circumagi videntur: σκοτόδινος cum non ſolum caput videtur circumuolui, ſed etiam fit ſimul tenebricoſa viſio. Iam verò quòd os amaricet, tres adfert rationes Gal. Nam vbi abundat toto corpore flaua bilis (vt in ictericis) aut in ventriculo, certum eſt linguam imbui humore amaro, aut amaris vaporibus infici. Deinde eſt tunica communis ventriculo & ori ipſius, œſophago, faucibus, palato, linguę & toti ori interiori. Tertia cauſa eſt ex Gal. lib. ſecundo victus acutorum, quia natura fecit linguam, vt genus humorum & ſaporum diſcerneret, non quòd in lingua affectus primariò inſit. His itaque citra febrem Hippocrates medicamentum vomitarium inſtituit. Vel certè vt ſunt tempora & regiones, deiectorium poterit inſtitui, vt hîc facere conuenit. Quod dum faciam, nil repugnabo

Hippocrati, qui ſpectabat & regionem ſuam calidam, & naturas pronas & aſſuetas vomitionibus.

## SCHOLIA.

*HActenus præcepta tulit Hippoc. quibus, quando, quomodo, quò, & quà ducendus humor ex ratione & conditione temporum, locorum, meatuum & peculiaris naturæ cuiuſque. Nunc verò eundem ſcopum perſequitur, ſumpta indicatione à cognitione & diſtinctione ipſarum affectionum, quæ non habent minora momenta, quam quæ ſuperius allata ſunt. Decimumſextum præceptum. Per ſuperiora potius, quam per inferiora purgandum vbi citra febrem adſunt hæc ſymptomata: ciborum faſtidium, cordis morſus, vertigo, & oris amaritudo. Cibi enim faſtidium indicat ventriculum malè affectum à contentis in eo prauis humoribus. Cordis morſus, ſtomachum vellicari ab humore acri & orificium alui pungente. Vertigo, bilem contineri in ventriculo aut pulmonibus, & ab ea euehi vapores in caput, qui in gyrum moti vertiginem faciunt. Oris amaritudo, interiorem vẽtriculi tunicam, quæ ori communis eſt, ſuffuſam bile. Quæ omnia ſymptomata non à tranſlatione ſymptomatica neque perturbatione critica ſuborta, hortantur cathartico per ſuperiora ducente opus eſſe. Nam quò natura & humor viam affectant, eò purgandi inclinationes fieri debent, ſi nulla aut febris aut peculiaris affectionis excuſatio adferatur. Quod ſi hæc ſymptomata vel tranſlatione ſymptomatica, nimirum vi morbi (vt ſæpe accidit ineunte febre) vel perturbatione critica appareant, neutris conferre poteſt vomitus vniuerſalis. Sed potius reuellendus humor per inferiora, ſi motu morbi, non naturæ fiant. Multò minus etiam ciendus vomitus ſi criticè fiant: quæ enim indicantur & indicata ſunt*

*neque mouere, &c. Particularis autem vomitus conferre poteſt: ſic enim in febre tertiana & quartana vomitum præſcribimus cum aqua tepida aut oxymelite, ex Galeni conſilio.*

## APHOR. XVIII.

Τὰ ὑπὲρ τῶν φρενῶν ὀδυνήματα, ὁκόσα καθάρσιος δέονται, ἄνω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει· ὁκόσα δὲ κάτω, κάτω.

*Dolores ſupra ſeptum tranſuerſum, qui purgatione egent, per ſuperna purgandum eſſe ſignificant. Qui verò infra ſunt, per inferna.*

Hic Aphoriſm. reſpondet Aphoriſmo, Quò natura vergit, &c. Eſtque intelligendus de iis humoribus qui ad expurgationem vergunt ſurſum aut deorſum, non de humoribus fixis. Poſteà enim inſtituit purgationem per inferiora, in oculorum morbis, &c. Senſus igitur eſt, Vbi materia mouetur ſurſum ad vacuationem, purgare per vomitum oportet: vbi verò deorſum, per medicamenta deiectoria. Cæterùm Galeno intelliguntur partes ſuperiores, quęcunque ſunt ſupra hepar: inferiores verò, ſub hepate. Alij ponunt diaphragma medium: in qua ſententia videtur eſſe hîc Hippocrates. Nonnulli dixerunt partes ſuperiores eſſe quæcunque ſunt ſupra diaphragma, & prætereà partes gibbas hepatis, & ſuperiorem ventriculum: vt in inferioribus conſtituentur quæ ſunt ſub diaphragmate, & ſimæ hepatis partes, & ventriculus inferior.

## SCHOLIA.

*DEcimumſeptimum præceptum. Dolores ac moleſtiæ diaphragmate ſuperiores, qui flatuoſi non ſunt, nec à ſanguinis plenitudine fiunt, ſed ab humoribus acribus ac bilioſis orti obſident os ventriculi, & partes thoracis exercent, nondum quapiam parte firmati, ſed ab efferis humoribus nati: vomitione curandi ſunt: dummodo febris abſit, nec peculiaris affectio nos auocet: vt ſi dolor ad caput aut collum extendatur. Dolores verò inferiores diaphragmate, deorſum purgandi, quòd eò natura & humor viam affectent.*

## APHOR. XIX.

ΟΚόσοι ἐν τῇσι φαρμακοποσίῃσι μὴ διψῶσι, καθαιρόμενοι οὐ παύονται πρὶν ἢ διψήσωσιν.

*QVi potione medica dum purgantur, non ſitiunt, ipſorum purgandi finis non fit, donec ſitiuerint.*

IN medicamentorum aſſumptione oritur ſitis aliquando ante iuſtam purgationem, aliquando poſt. Ea autem fieri poteſt quatuor de cauſis. Prima eſt ob ventriculi calidiorem & ſicciorem intemperiem, ſiue ea fuerit priùs contracta, ſiue illo ſolùm tempore. Altera, quum medicamentum fuerit calidius, acrius, & ſiccius. Tertia, natura materiæ quæ expurgatur, vt ſi ſit bilis. Ac ſitis quidem ab huiuſmodi cauſis orta certum terminum purgationi non præſcribit. Sed modum purgationis conſtituere debet ſitis, quæ accidit quando multa humiditate vacuata reſiccatur os ventriculi. Hippocrates de hac loquitur: quæ quidem ſiſti poteſt potu, vt & ea quæ fit ab illis tribus cauſis. Aliquando tamen ſitiunt poſt immoderatam purgationem ægri,

quam

quam cognoſcimus ex duabus notis. Quum (verbi gratia) medicamentum ad bilem imperauimus, qua vacuata iam ducitur pituita. Præterea quum vires ægri exoluuntur, iámque difficiliùs & grauiùs fert. Tum autem inhibere purgationem oportet, & ſomno ac quieti ægrum dare.

## *SCHOLIA.*

*DEcimumoctauum præceptum. Repetenda purgatio ſi prior votis non reſponderit, nec humorum plenitudini ſatisfecerit. Non ſatisfeciſſe autem coniiciendum, ſi ſitim non attulerit. Signum enim certiſsimum integræ purgationis, ſi ab humore purgato per catharticum, ſitis ſubſequatur. Etenim quicunque epoto pharmaco dum purgantur non ſitiunt, ita vt nulla ſitis excuſatio adferri poßit nec æſtuantis alui, nec inflammantis cathartici, aut humoru bilioſi purgandi: ſui purgandi finem non faciunt, donec ſitiuerint, ab exhauſto ſcilicet: quòd omne pharmacum conuenienter exhibitum vnde incepit, ibi deſinit. abſumit enim nonnihil de natiua humiditate ventriculi, & ſua acredine mordet os ventriculi, vnde ſitis excitatur.*

## *APHOR.* XX.

Ἀπυρέτοισιν ἐοῦσιν ἢν γένηται στρόφος, καὶ γουνάτων βάρος, καὶ ὀσφύος ἄλγημα, κάτω φαρμακείης δεῖσθαι σημαίνει.

*SI citra febrem tormina adſint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, inferna purgatione opus eſſe ſignificant.*

Τοῖς στρόφου duplicem eſſe cauſam anteà dicebamus, nempe vel flatum, vel acrem quendam humorem in inteſtinorum anfractibus & ſpiris circumuolutum & commotum ad excretionem, cui tamen non pateat

exitus. At quibuſcunque laborant viſcera,& in iis collecta eſt magna copia excrementorum crudorum & craſſorum, dum hæc per venam cauam delabuntur ad venas crurales, ij ſolent conqueri de grauitate genuum aut crurum,& lumborum. Quod videas ſæpe in mulieribus. Cuius etiam rei ſignum eſt, quum aſſerunt ſe per ſomnum velle ambulare, aut aliquo conſcendere, ſed non poſſe. Idem affectus accidere poteſt in febribus,etiam abſque iis quæ dicta ſunt. Et in Epidemion hiſtoriis annotat Hip.magnā partem febricitantium febre acuta,lumborum dolore ſæpe infeſtari. Hoc fieri poteſt,quia calor febrilis materiam fundit & tranſmittit ad lumbos,& aliquando ad crura. Sed perpendendum,quod materia cruda poteſt eſſe coaceruata ante febrem, vt lumbis dolorem inferat. Verùm in hiſce omnibus affectibus,& vbi eſt materia cruda, hæc in primis eſt præparanda ad excretionem,ac deinde(vt conſulit Hippocrates per pharmacum deiectorium deturbanda.

## SCHOLIA.

*DEcimumnonum præceptum purgationis legitimæ.Purgandum per inferiora, quotieſcunque citra febrem adſunt tormina, ab humorum acrimonia & flatulento ſpiritu: genuum grauitas,ab humoribus craßis in genua decumbentibus: lumborum dolor,item à craßis humoribus:dummodo hæc tria ſymptomata ſymptomaticæ tranſlationis aut ſucceßionis criticæ non ſint. Illa enim, cum ſint dolores diaphragmate inferiores, eò duci debent per purgans medicamentum, quo ſponte feruntur, per loca lege naturæ commoda, neque ex euentu incommoda.*

## APHOR. XXI.

Υποχωρήματα μέλανα, ὁκοῖον αἷμα μέλαν, ἀπ' αὐτομάτου ἰόντα, καὶ ξὺν πυρετῷ καὶ ἄνευ πυρετοῦ, κάκιστα, καὶ ὁκόσῳ ἂν τὰ χρώματα ὑποχωρημάτων πλείω πονηρότερα ᾖ, μᾶλλον κάκιον· ξὺν φαρμάκῳ δὲ, ἄμεινον καὶ ὁκόσῳ ἂν πλείω χρώματα, οὐ πονηρά.

*Excrementa alui nigra ſanguini atro ſimilia, ſponte euntia ſiue cum febre, ſiue citra febrem, peßima, & quantò ipſorum colores peiores fuerunt plures, eò peius. A medicamento autem ſi tales egeruntur, deteriora. A medicamento enim talia exigi, melius eſt, idque quantò ipſorum plures fuerint colores.*

QVatuor ſunt notæ quibus diſtinguitur ſanguis naturalis à ſucco melancholico. Sanguis enim naturalis colore rubet, craſſus eſt mediocriter, præſertim is qui in venis continetur, concreſcit in grumum vbi è venis excidit, guſtu dulcis eſt, ſuccus melancholicus eſt niger, multum craſſus, extra venas non coit in grumű, ſed manet fuſus & liquatus, acerbus eſt, aut alia quapiã aliena qualitate præditus. At verò melancholicus ſuccus & atra bilis quædã habent cõmunia, nedű propria. Siquidẽ vterque ſuccus niger eſt, vterque cõſiſtẽtia craſſior, vterque eſt fuſus & liquatus, neque in grumum cõcreſcit, & prætereà aliena quadã qualitate præditus à ſanguine naturali. Sed diſcrimen eſt, quòd atra bilis ſit acerrima, erodat, effuſa in terram aceti more fermentet eam, & cum quadam ebullitione ferueat: quorű nullű ineſt humori melancholico. Iam intelligendű eſt, quòd perinde ac in viuis craſſioribus iam conſiſtentibus, dum hepar ſanguinem conficit, ſanguis craſſior &

limoſus veluti fęx ſubſidet: hunc ſanguinem lien (ſi naturaliter habeat) attrahit, eiúſque parte tenuiore ad ſui nutritionem vtitur, ac reliquum quod craſſius eſt ad inteſtina cum aliis excrementis demittit, vnde etiam ſæpe hæmorrhoides & deiectiones nigræ. Aliquādo idem ſuccus facit obſtructiones & ſcyrrhos in hepate, vbi natura imbecilla eũ deorſum trudere nequit: interdum vbi natura pigrior & tardior eſt ad eũ excernendũ, vel per occultam, vel per ſenſilem euacuationem, aſſatur in hepate & putreſcit, fitque atra bilis: quanquam hæc generatur etiam ex atra bile flaua immodicè exuſta. Hoc porrò loci nigras deiectiones maximè intelligit Hippocrates de ſucco melancholico, hoc eſt, ſanguine limoſo, craſſo, fęculento, & nigro qui in hepate generatur vel propter peculiarem ipſius naturam, vel alimentorum ratione. Si itaque eum ſuccum non benè expurgauerit lien, retentus in hepate adferet imbecillitatem viſceri, fiéntque tandem nigræ deiectiones. Quæ, inquit, ſua ſponte exeuntes, peſſimæ ſunt. Sua ſponte exeunt, quæcunque exeunt vel ſponte naturæ, vel vi morbi: hîc intelligit de iis quæ exeunt vi morbi. Peſſimæ propter cauſas treis: quia oſtendunt vtrumque viſcus male habere: quia naturæ imbecillitas ſignificatur: & quia decernentia quæ non decernunt, mala (primo Epid.) hoc eſt, quæ debent iudicare & ſoluere morbos, ſi non ſoluunt, mala ſunt & lædunt. Verùm dixit ἰόντα (quod verbum Hippocrati temporis ſpatium ſignificat) neque ſine ratione. Nam victrix natura excernit & expurgat celerrime quæ noxia ſunt & inutilia, vt in criſibus. Sic etiam quæ pharmaco vacuantur, celeriter vacuantur. At vacuationes ſymptomaticæ ſolent diu-

tius perſeuerare. Conſtat enim ſudores criticos durare tantum duos, tres dies: cùm ſymptomatici protrahantur ſæpe ad 8. 15. dies, & aliquando ad menſem vnum. Idem experiare in diarrhœis criticis, & ſymptomaticis. Et quò plures fuerint colores in eiuſmodi deiectionibus, eò peius, propterea quòd naturæ viſcerũ multiplex oſtẽditur affectus. Mali autem ſunt colores in excrementis, liuidus, cinereus, cruẽtus, viridis, rufus, & vitellinus. Cæterùm à medicamento ſumpto tales, hoc eſt, nigras aut varij coloris deiectiones fieri melius eſt: quia natura multitudine variorum excrementorum leuatur, adeò vt ſiquid vitij humorum in corpore ſuperſit, illud ſit faciliùs correctura & euictura. Intelligimus autem hos humores varios & craſſos in corpore eſſe collectos, à corporis colore, appetentia deiecta, dolore, & lancinatione viſceris, ſomniis turbulentis, &c. Vbi præparata materia, purgandum eſt. Proinde ſententia Galeni hæc eſt, quòd hoc loco excrementa varij coloris quæ vi medicamenti expurgantur, comparantur cum iis quæ vi morbi. Ponamus duos ægros, quorum alter varia & nigra excernat vi morbi: alter, vi medicamenti. in illo quidem peſſima eſt deiectio: in hoc vero non item mala eſt, quia hoc ipſo natura leuatur multitudine excrementorum quibus infeſtabatur.

## SCHOLIA.

*SVperioribus viginti Aphoriſmis dictum eſt de purgatione quæ fit ad imitationem naturæ artificio medici comparatam. Nunc ad ſecundam huius libri partem acceditur, in*

*qua de ſymptomatica deiectione diſputatur. Proponuntur autem aliquot ſpecies ſymptomaticæ purgationis commodæ vel incommodæ. Prima eſt, Deiectiones nigræ ſeri ſui naturalis expertes, cuiuſmodi eſt ſanguis ater fuſus qui nunquam concreſcit, ex quo ſignificatio fit melancholici humoris, fæculenti, non atræ bilis: quæ vltrò feruntur abſque vlla criſi, non in vigore morbi, ſed in principio aut incremento, vel fluunt paulatim & continenter & ſæpe abſque vllius medicamenti opera, ſiue febrem habeant comitem, ſiue febris expertes fuerint, peßima ſunt: quòd arguant iecoris infirmitatem, prauámque in eo ac indomitam qualitatem, in qua perennitas generationis illius fæculenti humoris conſiſtit, quódque non criticè, ſed toto fere morbo aut magna morbi parte prodeant. Et quò illarum diectionum plures colores fuerint, eò peiores fuerint. Nam, quò plures partes vnde illi diſcolores humores manant, elabefactatæ fuerint, eò res ægri peiore ſunt loco. At ſi tales deiectiones nigræ vi cathartici medicamenti excernantur, melius, & quò plures apparent colores nihil ſiniſtri portendunt: indicant enim naturam probè purgari, & eam euacuationem non à languente iecore, ſed à vi medicamenti prodire. Verum obiicias: ſi cum fluit humor vltrò & ſponte, vel cum ratione medicamenti excluditur, idem eſt humor ac æquè bilioſus, cur Hippo. laudat catharticam expulſionem, non eam quæ fit vltrò? ſic habeto. Quamuis vterque humor excluſus, idem videatur, tamen alia ratio eſt. Nam qui virtute cathartici excluditur in vitio tantum erat collectione, & curatio ſola purgatione perficitur, ſed in excluſione ſpontanea dum continenter, parcè & ſemper fluit, perenni generatione in vitio eſt, nō ſola collectione: quæ generationis perennitas poſita eſt in qualitate inexplicabili & intemperie partis: & dum pars diu laborarit, tandem reſoluitur, & ſinit ea elabi quæ prius collecta fuerant.*

## APHOR. XXII.

Νοσημάτων ὁκόσων ἀρχομένων ἢν χολὴ μέλαινα ἢ ἄνω ἢ κάτω ὑπέλθῃ, θανάσιμον.

*Morbis quibuſuis incipientibus ſi atra bilis ſuprà infráve exierit, pernicioſum.*

PRoximo Aph. egit de ſucco melancholico ſeu nigro, iam de atra bile. Hanc diximus generari nunc ex humore melancholico putrefacto, nunc ( & ob id ſplendidam facit Gal. ) à bile exuſta. Gal. facit etiam tum erodentem, tum craſſam, vnde vlcera illa maligna profunda & depaſcentia. Philotheus contrà, dicit eſſe tenuem. Sed horum vtrunque poteſt eſſe verum. Nam quemadmodum pix quum aſſatur & liqueſit, partem quandam habet tenuiorem (flos dicitur) quæ ſupernatat, & quandam craſſiorem, quæ ſubſidet: ita in atra bile reperias, quum exuritur. Apud nos non poteſt eſſe tanta materiæ exuſtio, vt fiat atra bilis erodés & exquiſita. Scribit Gal. ſe neminé vnquam vidiſſe qui euaſerit, excreta eiuſmodi atra bile exquiſita. Hoc diſtinguendú, quòd non ſit vbique verum. Nam ſi atra bilis exquiſita excernatur in principio morbi, vniuerſali ſcilicet, hoc eſt, neque tota materia, neque parte materiæ concocta, letale eſt, vt dicit hîc Hip. Hoc enim fit vi morbi, eóque ipſo intelligitur naturæ imbecillitas, aut materiæ contumacia. Prætereà malú eſt, quú naturę œconomia conturbatur: quæ eſt vt primú cócoquat, deinde diſcernat ac ſeparet inutilia ab vtilibus, poſtremò excernat. Verú ſi in increméto aut vigore vacuetur atra bilis exquiſita, poterit euadere ęger. Ná natura cú nó poſſit interdum totam materiam ſimul concoquere, paulatim concoquit, ſeparat, ac excernit: ſin omninò ſit imbecilla,

nihil concoquit, nec expurgat, ſed morbo omnia permittit. Quo fit vt in incremento ſit plerunque particularis declinatio, vbi ſcilicet natura partem materiæ concoxit, ſecreuit, ac excreuit. Hæc omnia faciunt ad intelligentiam eius loci lib. de atra bile, vbi ait in peſtilentia quadam excretam eſſe atram bilem tum iis qui ſeruabantur, tum iis qui interibant. Et ſubiicit, excernebatur 7. 9. & 11. diebus criticis. Hi ergò primum vacuabant bilem vitellinam: hæc in corpore ex putredine conuertebatur in atram bilem: hanc concoctam natura excernebat diebus criticis, ita vt ſeruarentur ægri. Sic quoque euadebant, quibus multæ nigræ puſtulæ enaſcebantur ad cutim. At quibus non excernebantur primis diebus biliosa, & atra bilis extra dies criticos expurgabatur, peribant.

## SCHOLIA.

*Secunda ſpecies incommodæ purgationis ſymptomaticæ. Quo tempore cruditatis ſumma ſunt omnia, naturáque morbificis cauſis opprimitur, ſi bilis quæ atro colore lucet, quaque fuſa nunquam concreſcit, acetique modo terram fermentat, ſurſum deorſumve diffluat, funeſtum, vt ſignum, & vt cauſa: nihil enim ineunte morbo ſalutariter poteſt excerni: maláque eſt cuiuſuis humoris à corpore euacuatio, quæ fit antè coctionis notas. Indicium enim eſt cauſam valde mordere, aut grauare, aut omnino facultatem languere. Deinde ad calamitatem partis quam arguit vnde manat, ſymptomata inſanabilia gignit partium per quas fertur. Si autem talis bilis præcedentibus notis coctionis excernatur, bona erit euacuatio. Etenim ex Hippocrate euacuationes liuidæ, cruentæ, fœtidæ & biliosæ, ſi bene exeunt, bonæ ſunt.*

## APHOR. XXIII.

OΚόσοισιν ἐκ νοσημάτων ὀξέων, ἢ ἐκ πολυχρονίων, ἢ ἐκ τρωμάτων, ἢ ἄλλως πως λεπτυνομένοις χολὴ μέλαινα, ἢ ὁκοῖον αἷμα μέλαν ὑπέλθῃ, τῇ ὑστεραίῃ ἀποθνήσκουσι.

*QVibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra bilis aut velut ſanguis niger ſubierit, poſtridie moriuntur.*

HIc Apho. tractat ſimul & de atra bile,& de nigris ſeu melancholicis ſuccis. Intelligitur tamen etiam & de vomitionibus,& de vrinis,& ſudoribus,aliiſq; excretionibus nigris,nedū de deiectionibus. Nam hîc cōſtat experientia, in breui morituris exire ſanguinem nigrum. Moriuntur & breui, quibus vrinæ nigræ, aut quæ habent nigrum id quod ſubſidet. Eſt itaque prognoſticus Aph. Quem tametſi ex obſeruatione ſcripſit Hippo. ratio tamen eſt: quòd hinc oſtenditur magna imbecillitas naturæ quæ morbo ſuccumbat. Ea autem deprehenditur facilè ex pulſu, qui quidem tum reperietur primum vndoſus, poſt vermicans, cui ſuccedet formicans,ac ſtatim mors. Siquidem quum excernuntur atra, deſperatio eſt, ſi affectio ſit fortis, vires verò imbecillæ:alioqui ſpes quædam eſt. Ergò quibus à morbis,&c.aut vehementer extenuatis (ſic enim legendum potiùs quam debilitatis, vt per extenuationem intelligamus imbecillitatem, vt ſuprà ſectione ſecunda) atra bilis,exquiſita ſcilicet,aut ſanguis niger exierit, poſtridie moriuntur. Quod tamen nonnunquam etiam accidit iam morituris vt per os excernant nigra & ſpumam nigram, ipſo etiam mortis tempore.

## SCHOLIA.

*Tertia ſpecies incommodæ excretionis ſymptomatica. Euacuationes bilis atræ, aut nigri ceu fæculenti ſanguinis, excretæ ſurſum aut deorſum, in acutis morbis, aut diuturnis, poſt quadrageſimum morbi diem, in vulneribus, aut alio quouis modo extenuatis, vt phthiſi: repentinum exitium portendunt. Indicant enim ſublatam eſſe animæ vegetatricis manſionem, per extinctionem caloris natiui, partiumque nutritioni dicatarum reſolutionem.*

## APHOR. XXIIII.

Δυσεντερίη, ἢν ἀπὸ χολῆς μελαίνης ἄρξηται, θανάσιμον.

*Difficultas inteſtinorum ſi ab atra bile incœperit, letalis.*

Scribit Aëtius dyſenteriam ab atra bile eſſe letalem, niſi ſit critica. Tunc enim indicatur natura robuſta, & affectus debilitas alioqui lethalis eſt, ſi affectus ſit vehemens, vireſque debiles, & ſi die non critico excretio fiat, vt initio morbi. At non eſt deſperatio ſi primis quidem diebus excernantur billioſa, & poſtea diebus criticis, vt nono, 7. 9. 11. deiiciatur atra bilis: vlcera autem illa in inteſtinis excitata facilè poſteà ſanari medicamentis poterunt. Quærit Gal. quinto de vſu partium, quî fieri poſſit vt ab atra bile exulcerentur inteſtina, cùm natura his dederit ſenſum vegetiſſimũ? Atra bilis cùm ſit admodum acris, craſſa, & pigra, paulatim erodit & exulcerat, vt paulatim & breuibus interuallis fiat deiectio. Bilis verò flaua leuior in tranſitu tantùm exulcerat. At pituita ſalſa dum diutius inhæret inteſti-

pis, ibique putreſcit, tempore poſteà exulcerat. Iam verò ſcribit alicubi Gal. omne vlcus ab atra bile eſſe incurabile. hoc quidem intelligitur de atra bile exquiſita: ſiquidem cancer ab hac ortus curari non poteſt, niſi in orbem excernatur. Quòd ſi & cancri, & carbunculi, aliaque vlcera eiuſmodi, naturam atræ bilis exquiſitæ non habeant, curari poterunt. Et ſæpe videas in his regionibus multos euadere à carbunculis, quoniam in his atræ bili ferè admixta eſt bilis flaua, quæ cùm ſit ignea & tenuis, promptè molitur exitium, cutim aperiendo.

## SCHOLIA.

*Sexta ſpecies excretionis ſymptomatica, incommoda. Cruenta excretio cum vlcere inteſtini coniuncta, ſi ab atra bile principia cauſaſque ducat, ita vt atra bilis abradendo & exaſperando primigenium vlcus in inteſtinis fecerit, funeſta. nam cùm materia alioquin maligna & pene immedicabilis calamitatem partis arguit vnde manat: tum verò inſanabile vlcus facit, vnde & doloris acerbitate vires effœta languent, & interceptione communis officij inteſtinorum naturalis œconomia labefactatur: vnde ſæpiſsime lienteria funeſta inuehitur. Aphor. 6.*

## APHOR. XXV.

Αἷμα ἄνω μὲν, ὁκοῖον ἂν ᾖ, κακόν. κάτω δὲ, ἀγαθὸν μέλαν ὑποχωρέον.

*Sanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunque ſit, malum: infernè verò niger ſi deiiciatur, bonum.*

LOquitur hoc Aphoriſmo Hipp. non ſolùm de ſanguine nigro, ſed de qualicunque ſanguine: ſiue is fuerit flauus, vt ex pulmonibus: ſiue rubeus, vt ex hepate: ſiue niger, ex hepate etiam interdum, & aliquando ex thorace, ſi quidem conferatur cum eo qui manat è pulmonibus. Malum itaque eſt, ſanguinem qualiſcunque fuerit, ſuprà, hoc eſt, per os emitti. Primùm quia ſanguis, qui naturæ familiariſſimus eſt, vacuari nó poteſt, quin ſimul multum caloris & ſpiritus effluat, vnde exoluantur vires. Deinde quia ſanguis ille ſignificat apertionem, aut ruptionem, aut eroſionem vaſis alicuius vel in hepate, vel in ventriculo, vel pulmone, vel thorace. Poſtremò quia non emittitur per vias naturales, quæ ſunt propriè nares, vterus, hæmorrhoides venæ, per quas vias ferè videas in ſanis & in criſibus naturam ſeſe expurgare, cum propter plenitudinem vel vitium ſanguinis ſeſe exonerat natura. Cæterum ſi infrà ſanguis emittatur, bonum, id eſt, melius eſt. Non eſt addendum (ſi velis) ſi nigra ſubeunt. Neque verò quod volunt nonnulli illud infrà aſtringendum eſt ad hæmorrhoidas. Siquidem poteſt excerni ſanguis per veſicam, quod ſemper malum eſt. Poteſt & per inteſtina, vt in dyſenteria cruenta, & mutilatis, in quibus victu æquali vtentibus ſanguis in venis meſaraicis redundans fluit ad inteſtina. Sed excretio hæc non ſemper nocet. At fluxio ſanguinis per hæmorrhoidas, nunc eſt vtilis, nunc inutilis. Per eas enim aliquando ſanguis craſſus & fæculentus vacuatur, aliquando ſalſus & bilioſus, aliàs ſanguis puriſſimus: vt fit per vterum in mulieribus. Ac reuera ſanguinis profluuium per hæmorrhoidas eſt præter naturam, ſed tamen fit interdum naturalis, neque nocet: vt quum naturæ proui-

dentia, vt in criſibus, materia quæ faciebat febrem quartanam & alios morbos melancholicos, expurgatur: & quum quibuſdam conſuetudine fluunt hæmorrhoides.

## SCHOLIA.

*QVinta ſpecies purgationis ſymptomatica incommoda. Sanguis, qui vomitione, expectoratu, aut ſcreatu excluditur, qualiſcunque fuerit, ſpumans, flauus, niger, fuſus, concretus, malum præ ſe fert, tum excrementi ipſius conditione, atque natura, tum excretionis ipſius momento: rupta ſcilicet, aperta, vel exeſa vena in illis partibus, in quibus remedia facile adhiberi non poſſunt: præſertim ſi nulla excuſatio poſsit adferri, neque ſuppreſſæ purgationis menſtruæ, neque plenitudinis. Si verò deorſum non ſubitò ſed ſenſim feratur, bonum: in iis qui altero crure ſunt mutili, aut melancholicis per hæmorrhoides. Item ſi nigra ſecedant, nigrore ſcilicet excretionis tarditate concepto, non proprio ac natiuo ſucci colore: ita vt ſanguis ſenſim manans, antequam excernatur, concreſcat atque denigretur.*

## APHOR. XXVI.

*ἨΝ ὑπὸ δυσεντερίης ἐχομένῳ ὁκοῖαι αἱ σάρκες ὑποχωρήσωσι, θανάσιμον.*

*SI ei qui difficultate inteſtinorum laborat, veluti carunculæ per inferiora exierint, eſt letale.*

DYſenteria, vt ante dictum eſt, triplicem habet materiam, vel flauam bilem, vel ſalſam pituitam, vel bilem atram. Iam inteſtina conſtant ſubſtantia multiplici: primùm nanque in ſuperficie interiori muniuntur quadam pinguedine aduerſus humores & excrementa, quæ illhâc tranſeunt: deinde eſt velut epider-

mis. Huic ſuccedunt tunicæ duæ, quarum exterior membranoſior eſt, interior carnoſior. Adde ſi vis tertiam tunicam à peritonæo. Hæ duæ tunicæ fibras habent, tranſuerſas & circulares ad expellendum, & quaſdam rectas tum ad attrahendum, tum etiam ad præſidium & robur tranſuerſarum, cuiuſmodi apparent in recto maximè inteſtino propter conatum in expellendo, & eas apertè videas in canibus, quibus quòd ſit ſtercus ſiccius, opus eſt magno conatu ad deiiciendum. Per initia igitur dyſenteriæ abroſo illo pingui deiiciũtur pinguia. Poſteà fit quædam excoriatio epidermidis, vt ramenta tenuia exeant. Quod ſi perſeuerat dyſenteria, & vlcus ſerpit vlterius, ac depaſcitur inteſtinorum ſubſtantiam, excernuntur carunculæ quædam albæ. Sed diſtinguendæ ſunt à pingui: eò quòd pingue in ignem iniectum liquefit, carnes verò torrentur & ſicceſcunt, neque liquantur. Ergo dyſent. laboranti (ἰχομένῳ dictione vtitur ferè ſemper Hippo. in graui affectione) ſi veluti carunculæ deiiciuntur, letale eſt. Veluti dicit, quia non ſunt reuera carnes, ſed potius peculiaris quædam ſubſtantia inteſtinorum. Letale autem eſt, quia hoc ipſo indicatur profunda eſſe vlcera quæ abraſerint & abſumpſerint pingue, epidermidem, & tunicam interiorem. Gal. alicubi aſſerit ſe multos vidiſſe ſeruatos, quibus tamen interior hæc tunica eſſet conſumpta: ſed ſanè id valde periculoſum eſt. Poſtremò aduertendum eſt ea vlcera non parum periculoſa eſſe in recto inteſtino & colo, vt & in ieiunio propter viciniam ventriculi. In reliquis inteſtinis multò minus.

## SCHOLIA.

SExta ſpecies ſymptomaticæ excretionis : ſi in dyſenteria, potiſsimum ea quæ ab atra bile principia cauſaſque duxit, primum opima pauca, æqualia & alba feruntur, mox eadem flaua, indéque ramenta, cuiuſmodi ſunt carnes, exeſa craßiore inteſtinorum tunica, funeſtum, quòd vlcus ſit inſanabile, quia cutim contra ſe afficit, nec vllum ſupereſt regenerandæ carnis fundamentum.

## APHOR. XXVII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν αἱμοῤῥαγίη πλῆθος ὁκοθενοῦν ἐν τῇσιν ἀναλήψεσι, τουτέοισιν αἱ κοιλίαι καθυγραίνονται.

*QVibus per febres ſanguinis vndecumque eruperit copia, conualeſcentibus ventres humectantur.*

REpetitúr hæc ſententia lib. tertio prorrh. his verbis. Quibus ſanguinis eruptio multa fuerit, procedente tempore aluus malè afficitur, ſi nón vrina concocta fuerit. Sæpe per febres accidit iis qui conualeſcunt & renutriuntur, vt ſanguis erumpat è naribus : aliquando per vterum in mulieribus : interdum per hæmorrhoidas in viris. Neque verò ſanguinis eruptio in hoc Aph. intelligenda venit de criticis hæmorrhagiis ( vt facit Philotheus ) ſed potius de ſymptomaticis vel immoderatè criticis. vacuato itaque immodico ſanguine ( per quam vacuationem effluit multum caloris & ſpiritus) certum eſt prognoſticon, quòd ægrè admodum reficietur æger, & malè colorabitur, vel in totam vitam plerunque. Ventriculus prætereà refrigerabitur, ita vt futurum ſit vt lancinetur, in-

fletur, male concoquat, & ructus patiatur acidos. Neque ſolùm vētriculus, verumetiam hepar, genúſque venoſum reddentur imbecilliora, vt non poſſit fieri ſanguificatio neque diſtributio in corpus. Quare quũ in conualeſcentibus partes inanitæ vehementer appetũnt, copioſo autem ſanguine vacuato ventriculus, hepar, & genus venoſum refrigerantur, & nequeunt officium ſuum præſtare, cruda & humida deiicientur. καθυγραίνονται enim vſurpat Hipp. vbi aluus multa humida & liquida deiicit. πλῆθος autem dicit, vt ſignificet immoderatam ſanguinis copiam. Et ὁκοθενοῦν, id eſt, alicunde addit verbo αἱμορραγῇ, quòd ſæpius per hæmorrhagiam ſimpliciter intelligat ſanguinis eruptionem è naribus. Aliquando extendit ad alia ſanguinis profluuia.

## SCHOLIA.

*Septima ſpecies excretionis ſymptomaticæ, mala: eſtque velut ratio Apho. 25. Sanguinem &c. In quibus ergo febribus magna ſanguinis copia effluxerit, ſiue ineunte morbo, ſiue in vigore ac criſi eiuſdem, tandem exacto iam morbo aluus humeſcit, cum nimirum corpus reſtaurari incipit: quoniam poſt magnas ſanguinis vacuationes languet natiuus calor. In refectionibus vero, ſiue procedente tempore aſſumpto alimento, cruditates fiunt, nequeunte calore cibos ſuperare, neque coctos ſuccos digerere in habitum corporis: ac proinde plurimum crudum atque humidum per inteſtina delabitur, & ventres deorſum humeſcunt. Tales autem ſanguinis effluxus, ex quacunque corporis parte fiunt. nam & per hæmorrhoidas, per vterum, per ſedem aut per nares in febribus fieri conſueuerunt.*

APHOR.

## APHOR. XXVIII.

Ὁκόσοισι χολώδεα τὰ διαχωρήματα, κωφώσιος ἐπιγινομένης παύονται· καὶ ὁκόσοισι κώφωσις, χολωδέων ἐπιγινομένων παύονται.

*Qvibus bilioſa deiectiones ſunt, iis ſurditate ſuperuenien-te deſinunt: & quibus ſurditas adeſt, iis, deiectionibus bilioſis ſuperuenientibus, finitur.*

IN febribus ſi flaua bilis deferatur ad cerebrum, facit delitia: quòd ſi in meatum auditorium repat, ſurditatem adfert. Hæc ceſſat, vbi vel natura vel ars bilem eam reuocat ad inteſtina. Intelligitur autem iſtud, vbi nullus proprius affectus ineſt in meatu auditorio. Contrà ſi ſint bilioſæ deiectiones, has terminat ſuperueniens ſurditas. Verùm non ſolùm per deiectiones deſinit ea ſurditas, ſed etiam per hæmorrhagias è naribus, vt infrà docebit, & alias vacuationes. Sed is eſt mos Hippocratis vt notato vno vacuationis genere, intelligat & reliqua genera. Aliquando ea ſurditas temporaria eſt, vt in perturbatione critica. hæc enim ſuperueniente excretione ſoluitur.

### SCHOLIA.

*Octaua ſpecies excretionis ſymptomatica qua bona eſt. Commodè ſiſtitur euacuatio, in qua bilioſis excrementis fertur aluus, ſi ſiſtatur oborta ſurditate, per tranſlationem humoris bilioſi ad caput vel criticam vel ſymptomaticam. vnde meatus auditorij fugax obſtructio contrahitur. Quod ſi aures obſurduerunt ſurditate fugaci non contumaci, ab auditorij meatus leui obſtructione, non facultatis audiendi reſolutione: bilioſo alui profluuio ſuperueniente, ſurditatis fit ſolutio.*

B

## APHOR. XXIX.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἑκταίοισιν ἐοῦσι ῥίγεα γίνεται, δύσκριτα.

*FEbricitantibus ſi ſexto die rigores fiant, indicationem habent difficilem.*

IN febribus bilioſis, & præſertim ardentibus ( inquit Gal. ) ſæpe oritur repente rigor, quem quidem vulgus ſtatim iudicat letalem. Sed terrere non debet ſi præceſſerint ſigna coctionis, & ſi inciderit in dies criticos, hoc eſt, in dies impares qui critici dicuntur, aut certè pares,ſed qui criticorum habeāt rationem: cuiuſmodi eſt dies quartus. Duplex enim eſt motus in morbis, naturæ & morbi: natura moueri ſolet diebus imparibus,vt 3. 5. 7. 9. 11. &c. motus vero à morbo, fit diebus paribus, vt 6. 8. 10. Quod ſi moueatur natura diebus paribus, & præſertim ſexto, motus eſt periculoſus, & iudicium difficile expectatur. Talis eſt obſeruatio, nulla eſt ratio. Vocat autem dyſcrita, quæ iudicantur vel cum recidiua, vel cum grauibus ſymptomatis, vel ad mortem, aut etiam quum tardiſſimè debet ſolui morbus. Rigor dicitur propriè in febrib. bilioſis, vt horror in melancholicis. Hippo. in Epid. rigorem diuidit in ἐνεκθέρματον, id eſt, à quo recaleſcit æger, vt in febre tertiana, & in ἀνεκθέρματον, id eſt, à quo æger non facilè recaleſcit, vt in quartanis. Quorum vtrumque accidit, illic quidem quia materia tenuior eſt & magis ignea : hîc verò quia craſſior & frigidior.

## SCHOLIA.

*ALiquot ſigna prognoſtica in morbis adſeruntur. Primum eſt de rigore ſuperueniente febribus continuis, qui ſi die ſexto morbi fiat, difficilem iudicationem illis adfert, nempe aut ad mortem, aut ſtatum deteriorem, aut cum periculo recidiuæ. Sextus enim dies tyranno ſimilis, quem ægrum iudicat aut ad mortem, aut cum prauis accidentibus, aut cum periculo recidiuæ iudicat. Proinde quæ ſymptomata iudicatoria (ex quorum numero rigor eſt) in diem ſextum incidunt, ea parum tutam iudicationem portendunt. Idem ſtatuendum de excretione: hæc enim ſi ineunte morbo fiat, mala eſt, quia coctio deſyderatur: ſi affecto iam morbo, eo die quo non oportet, deſyderatur ratio temporis. Si ſudor ſequatur rigorem ſymptomaticum, idem eſto iudicium.*

## APHOR. XXX.

ΟΚόσοισι παροξυσμοὶ γίνονται, ἣν ἂν ὥρην ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ἐς τὴν αὔριον τὴν αὐτὴν ὥρην ἣν λάβῃ, δύσκριτα.

*QVibus acceſſiones fiunt, ſi febris quacunque hora dimiſerit, eadem poſtero die repetat, indicatu difficilis eſſe ſolet.*

HOc dicitur ex obſeruatione & experientia. Vbi acceſſionis initium, non finis conſiderandus eſt. Porrò iſtud monet eſſe δύσκριτον, τουτέστι δυσλύτον, fore vt morbus tardiſſimè ſoluatur. Ratio eſt, quia materia acceſſionum cauſa fixa eſt & immota. Signum autem eſt naturæ nihil mouentis, aut imbeciſliter mouentis, vel materiæ contumacis, etiam ſi natura fortiter moueat. At quod celeriter ſoluatur morbus, fit treis ob cauſas: quia natura robuſta eſt, materia cedit, & prætereà viæ ſunt liberæ.

## SCHOLIA.

SEcundum prognoſticon ad longitudinem, iudiciumque difficile febrium non ſolum intermittentium, ſed & continuarum pertinens. Paroxyſmi febrium intermittentium, nempe quotidianarum, tertianarum, quartanarum ſi eadem hora ſemper repetant, aut anticipent, aut poſtponant: vel ſi eadem hora repetant, qua deſierunt. exempli gratia proponatur febris tertiana non exquiſita quæ duret per horas 24 hæc ſi deſinat hodie hora ſexta matutina, & incipiat die craſtina hora ſexta matutina, dicitur incipere qua hora deſierit: omnes hæ febres morbi longitudinem minantur: inde enim licet colligere materiam illarum febrium concoctu ac excretu difficilem ac contumacem, quia craſſa ſit. Proinde quandiu paroxyſmos ſuos ſic exigunt morbi, nihil ſalutariter poteſt excerni. Item, quæ in febribus continuis fiunt exacerbationes, ſi eadem ſemper hora inuadant, aut anticipent, aut poſtponant, earum longitudinem ſignificant: quòd illæ adhuc in principio eſſe videantur, ob conſummatam putredinem & materiæ multitudinem, quæ nullo modo pepaſmum recipit.

## APHOR. XXXI.

TOῖσι κοπώδεσιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν, ἐς ἄρθρα καὶ παρὰ τὰς γνάθους μάλιστα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

QVi per febres laßitudinem ſentiunt, iis ad articulos, & iuxta maxillas potißimum abſceſſus fiunt.

NAtura morbos ſoluit per excretionem, concoctionẽ, aut abſceſſum. Iam quemadmodum κόπος, ita & febris κοπώδης bifariam dicitur. Vna enim laſſitudinem ſpontaneam ſequitur à materia frigida, cruda,

& craſſa. Altera vehementiori & longiori exercitio ſuccedit, biliofa, aut ( vt ſcribit Gal. ) biliofiſſima. In febre vtraque ſenſus eſt laſſitudinis, hoc eſt, in toto genere muſculoſo ſenſus quidam triſtis, idque maximè ſi pars dolens & affecta moueatur. Porrò in febre καυσώδει biliofiſſima rarò fiunt abſceſſus, quin potius iudicatur per excretionem, vt per ſudores, vomitiones, hæmorrhagias narium, diarrhœas &c. febris verò à multitudine crudorum & craſſorum ſuccorum rarò per excretionem, ſæpius per concoctionem, id eſt, quum natura materiam alteratam ſeparat ad excretionem, iudicatur, aliquando tamen per abſceſſum. Eſt autem abſceſſus, quum materia illaborata & nondum concocta à parte nobiliore ad ignobiliorem tranſmittitur. Sed ſi iudicetur per abſceſſum febris in quam partem decumbet abſceſſus? In articulos, ferè inferiores, vt pedum, vt lib. de humoribus: & manuum, rarius: in malleolos, genua, aliquando in totum crus, aliquando in inguina: ſæpe ad maxillas, & ad parotides. Certè ſi copodes febris, materiam habeat craſſam, crudam, & viſcidam, expectare potius abſceſſum oportet ad articulos inferiores, vel ſi multa ſit materia ad totum crus. Si verò ſit bilioſa, potius ad maxillas: vt maxillarum nomine intelligamus totum illud ſpacium ſub mento ab aure ad aurem. Parotidas alibi exponit Hippocrat. Aliquando tamen accidit, vt vbi materia craſſa & cruda incaleſcit, habeat permixtum aliquid materiæ tenuioris, vt bilis, qua ſurſum delata fiat abſceſſus ad aures.

*SCHOLIA.*

*TErtium prognoſticon. Febres laborioſæ, in quibus nimirum ſi vel minimum moueatur corpus, ſenſio laßitudinis excitetur phlegmonoſæ, tenſiuæ, aut vlceroſæ, ſoluuntur per abſceſſus. Et cum febres huiuſmodi duorum ſunt generum: Aliæ, quæ à laßitudine ſpontanea oboriuntur: Aliæ, quæ ab exercitio & labore excitantur: Hæ ſunt ferè ardentes ab humore aliquantum tenui, quia venulæ arefactæ attrahunt bilioſos ichores, deſinuntque ſæpißimè in abſceſſum factum in glandulis maxillarum ob inclinationem humoris: niſi aluus liberaliter fluxerit. Illæ ferè ſunt diuturnæ & lentæ: ſoluunturque vt plurimum facto materiæ febrilis abſceſſu in articulis, amplitudine ad excipiendum comparatis, & laßitudinis dolore fluxionem cientibus: niſi ab abſceſſu liberet vrina multa & craſſa.*

*APHOR.* XXXII.

ὉΚόσοισι δ' ἀνισταμένοισιν ἐκ τῶν νόσων τι πονέει, ἐνταῦθα αἱ ἀποστάσιες γίνονται.

*QVibus conualeſcentibus è morbis pars aliqua laborat, vel laßitudinem ſentit, illic abſceſſus fiunt.*

HOc conſtat frequenti obſeruatione in conualeſcentibus, ſed è morbis qui imperfectè ſunt iudicati. Aliquando enim natura morbos iudicat tripliciter: quum videlicet partem materiæ excernit, partem concoquit, & reliquam conuertit in abſceſſum. Hunc verò prædicit labor, hoc eſt, dolor, vel laſſitudo partis.

*SCHOLIA.*

*QVartum prognoſticum. Quibus morbo defunctis quidpiam dolet aut ægrotat, aut infirmum manet, ibi abſceſſus fiunt*

*quando ſuperſunt morbi reliquiæ, aut æger liberalius ſe potu & cibo inuitauit: vnde cacochymia ſuccreſcens cum ſuperſtite coniuncta.*

## APHOR. XXXIII.

Ἀτὰρ ἢν καὶ προπεπονηκός τι ᾖ πρὸ τοῦ νοσέειν, ἐνταῦθα στηρίζει ἡ νοῦσος.

*SEd ſi qua ante morbum pars laborauerit, ibi morbi ſedes.*

EX eo quòd pars ante morbum aut doluerit, aut noxam aliquam ſuſtinuerit, vel etiam vehementiùs exercitium (ſic enim προπεπονηκὸς exponi debet) in ea parte intelligimus naturam moliri abſceſſum: in morbis ſcilicet, in quibus ſpes eſt abſceſſum fore, neque morbum anteà iudicari per excretionem.

### SCHOLIA.

*QVintum prognoſticum. Si pars aliqua, vt caput, pulmones & aluus, laborarit antequam morbus venerit, ibi ſe morbus obfirmat, in eaque parte abſceſſus expectandus, ſi modo laborioſa febris inuaſerit.*

## APHOR. XXXIIII.

Ἤν ὑπὸ πυρετοῦ ἐχομένῳ, οἰδήματος μὴ ἐόντος ἐν τῇ φάρυγγι, πνὶξ ἐξαίφνης ἐπιγένηται, θανάσιμον.

*SI febre detento, nullo apparente in faucibus tumore, ſtrangulatio ſubitò ſuperuenerit, letale eſt.*

HIc Apho. eſt de latente angina, in qua eſt laryngis inflammatio, quàm ſequitur repentina ſuffocatio

ob prohibitam reſpirationem. Eſt autem ſtrangulatio ſubitus interitus intercepta reſpiratione. Ea fit aliquando repente, aliquando non repente. Non repente, quando bronchia pulmonis ſunt intercepta humoribus craſſis, vt in peripneumonia: vel eſt tuberculum aut abſceſſus in pulmone, aut pus in ſpacio inter thoracem & pulmonem, aut quum eſt tumor præter naturam in aſpera arteria. At derepente fit ſtrangulatio, vbi in gutturis ſeu laryngis muſculis anterioribus ſiue poſterioribus inflammatio eſt. Siquidem cùm neceſſe ſit ad ſpirationem vt perpetuò hiet larynx, hoc per inflammationem clauſo, ſpiritui via intercluditur. Huiuſmodi igitur ſtrangulatio periculoſiſſima eſt & letalis in febribus, maximè vehemẽtibus. voce enim θκνάσιμο, Hipp. in Epid. vti ſolet vbi vehemens eſt affectio & febris: quanquam aliquando vſurpat in affectione non ita vehementi. Adiicit, nullo exiſtente tumore (οἴδημα enim veteribus ſignificabat omnem tumorem præter naturam) in faucibus, hoc eſt, in præiacente ſpacio inter œſophagum & aſperam arteriam, quod ſpacium apparet aperto ore & depreſſa lingua. Proinde ſi aperto ore nullus rubor aut tumor apparet in faucibus, ſi nullus etiam eſt tumor in ceruice, ſed difficulter ſpirat & dolet æger, inflammatio eſt in muſculis laryngis & ſuffocatio. huius autem ſigna ſunt, quod præterquàm quòd difficulter ſpirant, laborant etiam dyſphoria, id eſt, exagitantur & difficillimè ferunt morbum, vix poſſunt tranſglutire, ſæpe recurrit potus per nares. Sed inter alia maximè periculoſum & letale eſt, ſi ſublime ſpirant, cõmotis videlicet & ſublatis humeris: & ſi pinnæ nariũ mouentur. Verum quidem eſt ſanguinẽ poſſe mitti, poſſe quoque remedia adhiberi, ſed vis medicamenti

ad partem affectam nequit pertingere. Quare plerunque dum pus conficitur, ſtrangulantur ægri: interdum ſuppuratione facta quum natûra non valet pus & vomicam excernere, eam curſu ad interiora reuocato deponit in pulmones, atque ita ſuffocatio ægrum inuadit.

## *SCHOLIA.*

*SExtum prognoſticum. Si quis febris dominatu detentus (in qua iuuat tum maximè ſpiritum ex facili ducere) abſque vllo conſpicuo faucium tumore reſpiratione difficili, ac velut ſtrangulatione repente prehendatur, ob inflammationem laryngis, qua ſpiritus aditu ad cor prohibetur, & fuliginoſum excrementum exitu, funeſtum: vehementia ſymptomatis & curandi impotentia. Nam ad ſummam reſpirandi neceßitatem ſumma ducendi ſpiritus difficultas accedit: idem repetitur Aphor. 16. lib. 3. progn.*

## *APHOR.* XXXV.

ΗΝ ὑπὸ τοῦ πυρετοῦ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης ἐπιστραφῇ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἰδήματος μὴ ἐόντος, θανάσιμον.

*SI febre detento repente collum intorqueatur, ac vix deglutire queat, nullo exiſtente tumore, letale.*

IAm agit de peruerſione colli propter affectum œſophagi. Huius initium proximum eſt aſperæ arteriæ initio, hoc eſt, laryngi. Sunt præterea muſculi intermedij inter ipſam aſperam arteriam & œſophagum, ita vt alteri alter facilè affectum communicet. Sed diſcrimen eſt, quòd aſpera arteria affecta maior ſit ſpirandi

difficultas, minor tranſglutiendi: contrà affecto œſophago. Conſentit inſuper œſophagus cum ſpina per muſculos,neruos, tendones, & ligamenta. Itaque ſi contingat œſoph.inflammari, inflammationis ratione contractis & reuocatis ad locum affectum muſculorum fibris, neruis,tēdonibus & ligamentis,fiet λόρδωσις,id eſt, peruerſio colli in partem anteriorem,ita vt cauitas cernatur in ceruice.Quemadmodum vbi altera tantū parte cōtendūtur muſculi illi, nerui, tendones,& ligaméta,fit σκολίωσις,id eſt,excauatio obliqua, quum fit diſtortio colli in latus. Videtur hîc Hippocr. loqui de peruerſione quæ fit non ab inflammatione, ſed à ſiccitate. Aliquando enim in febribus ardētiſſimis accidit vſque adeò reſiccari tum œſophagum,tum aſperam arteriam, vt contractis muſculorum fibris,neruis,tendonibus, & ligamentis,fiat colli peruerſio. Eiuſmodi autem ſiccitatis ſignum eſt,vox clangoſa,id eſt,ſonora,ad raucedinem accedens*(comme quand on parle dans vn pot caſſé)*quæ vox fit ob reſiccationem tunicæ ſuccingentis interiorem partem aſperæ arteriæ. Prætereà dum bibunt,auditur quidam ſtrepitus in tranſitu. Quæ duo ſigna vulgus cum Hippocrate annotat tanquam valde letalia. Breuiter ab vtraque cauſa letalis eſt peruerſio. Cæterū quum τράχηλος dicit Hip.certum eſt eum innuere partis internæ affectum: vt qui ſoleat vti vſitatis vocibus, & iis quæ ſignificant res externas,vt tamen intelligat internas.Quinetiam vix deglutit æger, facta anguſtiore via vel propter ſiccitatem,vel ob tumorem præter naturam.Quod experiaris licet in iis qui per magnum æſtum ambularunt.Hi ſiquidem valde ſitiunt,nec deglutire poſſunt,ob contractum ab æſtu œſophagi magnā ſiccitatem. Iam μὴ ἐόντος οἰδήματος intelligitur,vel quia nul-

lus reuera tumor eſt,vt in ſiccitate: vel quia ſi ſit,non apparet,vt in œſophago & muſculorum illorum inflammatione.

*SCHOLIA.*

*Septimum prognoſticum ad eam anginæ ſpeciem pertinens quæ ex vertebrarum ceruicis luxatione,potiſſimum ſecundæ vertebræ in anteriorem, aut in poſteriorem partem,aut in latus alterutrum oritur. Hæc ſiue ab inflammatione muſculorum qui ſunt ad fauces, ſiue à nimia ſiccitate, accidat,omnino lethalis: ea potiſſimum quæ fit ex luxatione in latus,quam paralyſis ſequitur, planè funeſta ex Hipp.lib. 2.Epid.*

*APHOR. XXXVI.*

Ἱδρῶτες πυρεταίνουσιν ἢν ἄρξωνται, ἀγαθοὶ τριταῖοι, καὶ πεμπταῖοι, καὶ ἑβδομαῖοι, καὶ ἐναταῖοι, καὶ ἑνδεκαταῖοι, καὶ τεσσαρεσκαιδεκαταῖοι, καὶ ἑπτακαιδεκαταῖοι, καὶ μιῇ, καὶ εἰκοστῇ, καὶ ἑβδόμῃ καὶ εἰκοστῇ, καὶ τριακοστῇ πρώτῃ, καὶ τριακοστῇ τετάρτῃ. οὗτοι γὰρ οἱ ἱδρῶτες νούσους κρίνουσιν· οἱ δὲ μὴ οὕτως γινόμενοι, πόνον σημαίνουσι, καὶ μῆκος νούσου, καὶ ὑποτροπιασμούς.

*Sudores febricitantibus boni, qui manare cœperint die tertio,quinto, ſeptimo,nono,vndecimo, decimoquarto,* 17. 21, 27. 31. *& triceſimoquarto: hi enim ſudores morbos iudicant. Qui autem ſecus eueniunt, laborem ſignificant, longitudinémque morbi, & recidiuam.*

Licet hîc fiat ſermo de ſudoribus diebus criticis obortis,de omni tamen concoctione, excretione & abſceſſu critico intelligendus eſt Aphoriſmus. Sudor enim & excretio quæuis notatur bona,ſi fiat die critico & concocto iam morbo,hoc eſt apparentibus iã ſignis vel manifeſtę vel perfectæ coctionis,vt inde melius habeat æger:nimirum in morborũ declinationibus:alioqui ſi neque die critico neque concocto morbo fiat

excretio, cum hoc accidat vi morbi, valde lædetur æger. Sunt autem critici dies in triplici differentia. Alij reuera critici, quibus maxima eſt mutatio vt æger aut morbo ſoluatur, aut leuius habeat. Alij ſunt indices, quibus eduntur ſigna eius quod futurum eſt die critico. Alij ſunt intercidentes, & intermedij inter criticos & iudices, quorum infima eſt cõditio quod attinet ad magnitudinem & efficaciam ſolutionis. In propriè criticis magna vis eſt ſeptenariorum, quæ quidem vis perit poſt quadrageſimum, ſuntque ij 7.14. 20. 27.34. Indices ſunt quaternarij tres, 4.11. & 17.& horum vis perit poſt viceſimum. Intercidentes ſunt 3.5.9.12.18.21. 24.30.31.& 37. Rurſum iunguntur ſeptenarij per διάζευξιν & per συνάφειαν. διάζευξις eſt in continuatione primi ſeptenarij cum ſecundo, & tertij, id eſt 20.cum 27. qui quartus eſt: συνάφεια vero eſt in copulatione ſecundi ſeptenarij 14. cum tertio, vt & quarti cum quinto 34. Hippocrates hoc loci meminit dierum criticorum, maxime ſeptenariorum & quaternariorum: vt qui agat de morbis acutis & peracutis qui ſolent moueri diebus, vt ſeptenariis præſertim & quaternariis, ídque diebus imparibus magis quàm paribus: & ſi diebus paribus, illi rationem habebunt imparium. Dies tertius hîc ſtatuitur primus criticus, ſed quia minus eſt efficax, collocari debet in numero intercidentium. Sic quintus eſt intercidens: quanquam (6.Epid.comm.6.) cuidam quum fluxiſſet ſanguis è naribus, delirium ſolutum eſt quinto die. Sed quærit Gal. & miratur cur hîc prætermiſerit diem quartum Hippocrates, quem tamen idem Gal. huius ſectionis Aph.59. & 61. & lib. de ratione vict. in acutis, & in Epid. & ſæpe in Progn. reponit inter dies criticos. Sic in comm. huius Aphor.

& tamen lib. tertio de criſibus contrà ſcribit, aſtipulatúrque huic Hippocrates ſententiæ. Prætereà ſcribit ibidem ſe ſemel tantùm vidiſſe iudicium accidere die quarto. Archigenes verò bis tantùm. Deinde videtur excludendus, quia in morbis acutis & peracutis indicat potiùs quàm iudicat. Poterit tamen dici criticus, ſi ſumamus diem criticum largiùs, vt extendatur ad indices & intercidentes. Quòd ſi in diem quartum incidat iudiciū, id fit in febribus ſynochis, quæ magis mouentur diebus paribus quàm imparibus. At morbi acuti & peracuti materiam habent bilioſam quæ mouetur diebus imparibus, vt 3. 5. 7. 9. 11. & 14. ergo non die quarto. Quòd ſi in eiuſmodi morbis fiat iudicium die quarto & aliis paribus, fit ferè ad mortem. Aliquando tamen criſis perſeuerat duos aut treis dies, vt ex pręparatione diei tertiæ fiat excretio die quarta: ſed hoc iudicium non fit ratione quarti, imò potiùs ratione diei imparis præcedentis. Septimus rex eſt dierum criticorum, quia ſalutaris eſt ſolutio quæ fit eo die: quemadmodum contrà ſextus dicitur tyrannus. Nonus intercidit. Vndecimus rationem habet quaternarij, indicátque quid ſit futurum 14. hic 14. reuera par eſt, quia diuidi poteſt in duos pares numeros ſeptenarios, habet tamen rationem ſeptenarij. 17. indicat quid ſit futurum 20. qui rationem habet ſeptenarij. Quare hoc loco legendum eſt potiùs 20. quàm 21. Hic aliquando certè iudicat, ſi videlicet 18. die apparuerint ea quæ debent apparere ſigna 17. die indice. 24. aliquando iudicat, ſed rarò: quia poſt vigeſimum perit vis quaternariorum. 27. rationem habet ſeptenarij. De 30. autem & 31. eadem quæſtio eſt vt de 20. & 21. Eorum enim vterque iudicat, ſed rarò: imò vterque quodam-

modo habet quaternariorum rationem, adeò vt differatur criſis in diē 34. Et in quibuſdam codicibus omittitur 31. vt anteà 21. Potuiſſet hîc addi 37. in quem interdum (quanquam rariùs) incidit iudicium: ſed habet potius quaternarij rationem. Vbi ad 40. peruenit Hipp. nullum prætereà diem criticum numerat: quia is finis eſt morborum acutorum, & initium longorum. Horū omnium dierum criticorum cauſas & rationes ſi quæras, nihil agas: cùm ſit obſeruatio tantum. In his enim Aphor. docet Hipp. partim ex obſeruatione, partim ex ratione: at in Epid. ex obſeruatione tantū, nō etiā ratione. Sudores igitur (& excretiones omnes, vt hęmorrhagiæ, vomitiones, deiectiones, vrinæ: item & concoctio & abſceſſus) ſi euenerint diebus his criticis, & ſignis coctionis vel manifeſtæ vel perfectę pręcedentibus, bono ſunt: quia morbos iudicant & ſoluunt. Morbi acuti & peracuti iudicantur per excretiones, vt diximus: morbi verò longi per concoctionem vel abſceſſum. Addendum tamen magna ex parte, aut ſubaudiendum: quia vniuerſa fit interdum, vt illi iudicentur coctione vel abſceſſu, vel vtroque: hi verò longi excretione (quāquam rariùs) vt videre eſt febrem quartanam ſolui quādoque per hæmorrhagiam. Cæterùm qui ſudores eueniunt ſecus quā diximus, diebus ſcilicet criticis, ſignificant laborem, hoc eſt, moleſta ſymptomata (vt deliriū) & longitudinē morbi & recidiuam. Si mutatio ſit bona, vt ea quæ fit die critico & præcedentibus ſignis coctionis, oportet ægrū liberari morbo, aut certe leuius habere: alioquin non erit bona mutatio, verbi gratia ſi ſudor 7. die fiat, omnino liberabitur æger, aut leuius habebit: contrà ſi moueatur 8. etiamſi videatur liberatus æger, ægrè ſoluetur morbus, & fiet recidiua. Inſuper notan-

dum, ſudores & alias excretiones prodeſſe in morbi declinatione, obeſſe verò initio, non alia de cauſa, quã quia morbus illic coctus, hîc verò adhuc crudus: illîc vincit natura, hîc vis morbi.

## *SCHOLIA.*

*Octauum prognoſticum criſis perfectæ, aut imperfectæ in febribus acutis futuræ per ſudores. Acuti enim morbi ſuam habent criſin per aliquam copioſam euacuationem, aut per inſignem abſceſſum. Copioſa autem euacuatio illa multiplex: per aluum, vomitum, vrinas, ſanguinis fluorem è naribus, aut vtero, aut hæmorrhoidibus, & ſudores. Et quia criſis nulla futura eſt laudabilis, niſi die fiat critico, hîc notantur dies critici, qui criſin per ſudores faciunt laudabilem. Tales autem impares ſunt, & ad triceſimum vſque quartum numerantur. Primus autem omnium eſt tertius, non quartus, nam morbi acuti non quarto die iudicantur, ſed indicantur. Quæ enim paribus diebus accedunt, paribus iudicantur: quæ verò imparibus, imparibus. febres vero acutæ quatenus glioſæ, imparibus diebus mouentur, & in paroxyſmo fit criſis. Qui autem ſudores manant diebus iudicantibus, non criticis, laborem ſignificant, & diuturnitatem morbi, ob nimiam humoris crudi abundantiam: quinetiam recidiuam ob ſuperſtitem cacochymiam. Nam iudicatoria non iudicantia aut ſunt funeſta, aut certe ſiniſtri iudicij.*

## DE SVDORE.

*Vt hũc & ſequẽtes Aphoriſmos, qui de ſudore ſunt (altero ſymptomaticarũ excretionũ, de quibus hîc agitur, genere) intelligas, reuocãda tibi in memoriã tota ſudoris ratio. Sudor in*

vniuerſum, eſt excrementum vaporoſum ac humidum, partim in halitus ſpeciem inſenſili tranſpiratu vacuatum, partim violento motu confertim in aquæ ſpeciem per cutem erumpens. Cuius materia triplex eſt. Aut portio tenuior alimenti tertiæ concoctionis, eiuſque ſeri: Aut ſerum humorum: Aut reſolutio ceu colliquatio proprij vltimíque alimenti ſingularum partium. Proinde ſudoris materia non ſemper ab habitu corporis, ſed ſæpius ab interno manat corpore. Qui in ſanis erumpit ſudor: aut alimenti eſt ſoboles. Sic enim apud Hippocratem Aphor. 41. lib. huius multus ſomnus per ſomnum factus cibo copioſiore corpus vti ſignificat. Aut ad potum largiorem conſequitur. Sic enim qui exercitatione vel ſolis ardore exæſtuat, ſi frigidam liberalius bibat, mox totus ſudore diffluit: Aut manat à ſero copioſo, quod vehiculum eſt alimenti, eiuſdem generis, cum eo quod vrinam vocant. Sic enim vbi copioſior eſt vrina, exigua aut pene nulla eſt ſudoris materia: aut ea ſi nequeat inſenſili tranſpiratu vacuari, vel per poros cutis confertim erumpere, relata in venas per quas in habitum corporis delata fuerat, vrinæ copiam maiorem efficiet. Qui in ægris ſudor emanat, vel vitioſorum humorum, vel proprij humidi partium eſt ſoboles. Quò fit, vt in ægris tria ſudorum genera liceat agnoſcere: vnum à vitioſis humoribus, in venis aut viſceribus, aut habitu corporis collectis, prodiens. Alterum, ex reſolutione ceu colliquatione proprij alimenti partium, cuiuſmodi accidit tum hecticis, tum paulò ante mortem: qui diaphoreticus appellatur. Tertium, ab expreſſione humidi natiui atque alimentarij earundem partium facta à dolore atque agitatione ſpirituum, qui ob id, ſudor per expreſſionem nominatur. Sudoris autem cuiuſlibet cauſa efficiens, eſt calor non acris, & qui ſiccandi vim habeat, ſed humidus: iſque aut per habitum corporis diffuſus, qui ſudorum materiam calfaciat, fundat, tenuet, cutémque emolliat & relaxet: aut inſitus iecori ac lieni, quæ ſuo tempe-

ramento

ramento calida ac humida ſint, non ſicca. Siccioribus enim per ætatem, aut per morbum, vt hecticis, & quibus iecur vel lien inaruit, vel magna obſtructione, vel ſcirrho induruit, vt in hydrope, in ictero, aut in cachexia, nulla vi poſſunt, ne per febres quidem, in ſudores induci: vt nec iis, quibus habitus corporis eſt refrigeratus, velut hydropicis. Hi namque propter huius caloris imbecillitatem maximam ac ſiccitatem hepatis, ſudare nullo modo poſſunt, etſi vniuerſo corpori humor abundè ſuppetat. Duabus his cauſis, raritas corporis accedat oportet: qui enim cute ſunt denſa ac dura, inepti ſunt ad ſudandum. Variæ autem ſunt differentiæ ſudorum in ægris. Alius ſudor eſt vniuerſalis, qui à toto emanat corpore, morbumque totum corpus obſidere ſignificat: interdum & partem corporis. ſic enim in pleuritide, phrenitide, dolore capitis, dolore cholico, aliiſque morbis particularib⁹ ſudor toto corpore diffluit. Alius eſt particularis, qui materiam morbificam, in ea parte à qua emanat, aut adeſſe, aut adfuiſſe, aut futuram indicat: aut ſane, qui citra materiam morbificam, circa ceruicem, frontem, caput, thoracem apparet: qualis in morituris à morbo acuto ſolet prodire ab imbecilla retentrice, & reſolutione viriū: qualis ſudandi ratio ἐφίδρωσις dicitur. Alius ſudor eſt calidus, alius frigidus. calidus ſudor fit vel à vehementi motu, vel ab humoribus calidis: vel ab æſtu interno, vt in ardentibus febribus; vel à permiſtione humoris feruidi, vt bilioſi. Sudor calidus ex ſe nihil ſiniſtri iudicij portendit. Frigidus verò ſemper aliquid mali præſagit: nam vel materiæ frigiditatem, vel calidi natiui extinctionem ſignificat. Quo fit, vt in mitiori febre morbi longitudinem, ob materiæ frigiditatem: in acuta vero, mortem, ob ſummam virium imbecillitatem, natiuique caloris extinctionem, minetur. Proinde frigidus ille ſudor, qui cum deliquio accidit (quem antiqui madorem, non ſudorem appellarunt) exolutam naturam denotat, qui ideo frigidus exiſtit, quod corporis partes externæ, ob ſanguinis & ſpirituum circa cor re-

*tractionem refrigerata ſunt. E cuius fortaſſe genere eſt ſudor ille diaphoreticus nominatus: item ſudor ille epidemius & peſtilens qui aliquando in Anglia primum. poſtea in Germania graſſatus eſt. Interdum apparet ſudor frigidus in acceſſionibus febrium intermittentium, quod corpus antea refrigeratum eſt, ex quo nil mali expectandum. Alius ſudor paucus eſt, alius multus: multus in ſano effuſus poſt ſomnum, vel copioſum alimentum, vel humorum copiam arguit. In ægro acuto morbo laborante, vel à copia & tenuitate humoris, vel à facultatis retentricis imbecillitate, vel à nimia cutis raritate, vel à colliquatione habitus corporis, vel à viribus robuſtis, vt qui per criſes accidit. & poſt balneum & modicam exercitationem, ortum habet. Qui multus ſudor, copiam humorum arguit, ſi præcedentibus ſignis coctionis & die critico prodeat, bonus. Si initio morbi, vel ante criſim vel concoctionem humorum proſiliat, magnam humorum plenitudinem, indeque morbi longitudinem, cum vires robuſtæ ſunt: cum vero exolutæ, mortem prænunciat. Paucus ſudor, vel humorum paucitatem vel materiæ cruditatẽ, lentitudinẽ, craßitiem: vel meatuum conſtipationem, quam aut ſucci multi, craßi, lentique aut atrophia, refrigeratio, mollities, ſiccitas & aſtringentia induxerint: vel facultatis in carne expultricis infirmitatem, & retentricis robur, indicat. Alius ſudor ſalſus, alius amarus, alius dulcis, alius inſipidus. Qui ſalſus eſt ſupra modũ (pauca enim ſalſuginis & amaritudinis particeps eſſe debet naturalis ſudor, quemadmodum & ſerum) ſanguinem vehementer aduri à vehementi calore: Si amarus, copioſioris bilis admixtionem: Si dulcis, ſeroſum ſanguinem: ſi inſipidus plus ichoris pituita quã bilis obtinere indicat. Alius ſudor mitis ac ſuauis, alius acer ac fœtidus pro materiæ qualitate, quam natura ſudoribus excludit: vt enim ſudor beneolens bonã humorũ temperiẽ ſignificat, vt de Alexandri ſudore hiſtoriæ teſtantur, qui gratũ ſpirabat odorem: ita eorum qui ſuccorum vitio laborant, vt leproſorum ſca-*

*bie laborantium, & impudicorum hominum ſudor maleolens, cacochymiam & putredinem quæ in venoſo genere exiſtit, teſtatur, parum tamen mali portendit ſudor maleolens qui ex axillis emanat, minus vero cum ex ſolis pedibus. Quanquã omni ſudori id communiter accidit, vt cùm refrigeretur, malũ odorem ſtatim acquirat: indicio ſunt, qui ſudãtes pectus denudãt, quod accidit quia ſudor quandiu calidus eſt, regitur adhuc à calore naturali, refrigeratus verò, eo deſtituitur, quare putrilaginẽ quãdã facilè ſuſcipit, & ſimul odorem prauum quẽ prius nõ reddebat. Alius ſudor eſt tenuis & aquoſus, qualis bene valentium vt plurimum eſt: iſque tenuium in corpore humorum multitudinẽ declarat, niſi ob conſtrictionem & cutis denſitatem tenuis exeat. Alius craſſus, qui vel meatuum amplitudinem, vel humorum craßitiem teſtatur. Alius viſcidus, qui vel materiæ paucitatẽ, vel viſcoſã materiã, vel reſolutionẽ proprij vltimique alimenti ſingularum partium, aut earundem colliquationẽ: cuiuſmodi accidit tum hecticis, tum paulo ante mortem. In febribus autem triplex notatur ſudor, vel periodicus, vel ſymptomaticus, vel criticus. Periodicus in ſola intermittente, aut continuæ iuncta, vt ſemitertianis, multum naturam reſoluit, & copiam humorum atque contumaciam indicat: frigidus materiam frigidã, & morbi diuturnitatem: calidus calidum & mitiorem febrem oſtẽdit. Sudor autem criticus in febre continua his notis cognoſcitur: ſi coctionis notis antegreßis incidat, ſi die critico & vigente natura, ſi toto corpore diffluat, ſi ita moderatus ſit ne vires diſſoluat, denique ſi febris inde & omnia ſymptomata miteſcant. Eius ſigna ſunt delyrium increſcente acceßione, partium extimarum calor & robur, vapor quidam calidus per cutem erumpens, qui antè non fuerit, tum pulſus vndoſus & valde mollis, vt expurgatæ aluo ſuccedat, & iam vacuata craßiore morbi materia vel mißione ſanguinis, vel purgatione,*

*reliquam tenuem per corporis ſumma diſſipet. Hic autem ferè primum incipit à capite, ac deinde è reliquis etiam partibus ſenſim emanat. Symptematicus duplex, à motu morbi fruſtra tentata criſi: & à reſolutione partium ſolidarum cum raritate cutis & virium imbecillitate. Is omnes habet notas critico aduerſas, quòd non robore naturæ, ſed vel eadem irritata ob humoris copiam & acrimoniam: vel imbecilla eius retentrice facultate excitetur: vnde non tam* ἱδρὼς *quam* ἐφίδρωσις, *vocatur ab Hippocrate.*

## APHOR. XXXVII.

Οἱ ψυχροὶ ἱδρῶτες ξὺν μὲν ὀξεῖ πυρετῷ γιγνόμενοι, θάνατον· ξὺν πρηϋτέρῳ δὲ, μῆκος νόσου σημαίνουσι.

*Sudores frigidi cum acuta febre facti, mortem: cum mitiore autem, longitudinem morbi ſignificant.*

FRigidus ſudòr manifeſtus eſt medico, nõ tamẽ ſemper ægro, vt qui ſæpe præ calore corpus nudet. Si itaque ſudor is appareat, diſtinguere oportet, vt facit Gal. Siquidem apparet vel toto corpore, vel in pedibus tantùm & manibus, vel in thorace, vel circa caput, faciem, ceruicem. In quacunque corporis parte moueatur, malus eſt. Sed deterior eſt & pernicioſior in partibus ſuperioribus, vt capite, ceruice, facie, & thorace: quia tunc expectatur ſyncope, id eſt, præceps virium lapſus. Ac hi quidem ſudores non ſolùm ſunt frigidi, ſed etiam tenues. Verùmtamen etiamſi ſint periculoſi, non ſemper ſequitur. Sudor calidus eſt, ergò bonus. Sæpe enim in morituris (vt aliquando intra vigintiquatuor horas) ſudor quidam ſubcalidus & tenuis, qui diaphoreticus eſt, exit, qui paulatim refrigeratus perſe-

uerat ad mortẽ. Iã verò febris acuta hîc dicitur, quę celeriter percurrit vniuerſalia ſua tẽpora. Neq; intelligitur cõtinua, vt vult Fuchſius ex teſtimonio lib. 1. Epid. cùm hoc in lib. non febris acuta, ſed febris acuta cõtinua definiatur: & ob id tertiana eſt acuta, etiamſi non ſit continua. Fiunt itaque in acutis febribus ſudores illi frigidi, quia (vt vult Gal.) tanta eſt humoris crudi & frigidi copia quæ in venis putreſcit, vnde calor ille internus ingens, vt neque à calore natiuo, neque à febrili poſſit incaleſcere. Præterea quemadmodum glacies quantumuis fundatur in ſole, incaleſcere non poteſt, ita de humore illo crudo à calore febrili fuſo & liquato cenſendum: vnde colligitur caloris natiui extinctio, & præterea retentrix facultas exoluta. Eadem ratione (non ſecus ac de ſudore frigido) vbi ſpiritus frigidus ægris exit per nares & os, iudicamus mortem eſſe in propinquo: *quia id indicio eſt calorem natiuum extingui, vnde etiam extrema frigent. Quòd ſi ij ſudores frigidi manent cum febre mitiore, neque ita vehementi & acuta, ſignificatur longitudo morbi: ſi quidem vires ſatis ſint, quæ morbum longum ſuſtineant.

## SCHOLIA.

*NOnum prognoſticum ſudoris frigidi. humores enim cum ſint, vt dictum eſt, ſeri in venis totoque habitu corporis concepti in aquæ ſpeciem per cutim excretiones: ſalutares ſunt, ſi in illis nulla qualitatis, nec quantitatis, nec excretionis modi ratio deſyderetur, hoc eſt, ſi in morbis, coctionis notis antegreſſis incidant, ſi die critico & vigẽte natura. ſi toto corpore diffluat, ſi calidi ſint, non frigidi, ſi febris inde & omnia ſymptomata miteſcant. Sin ab vna harum conditione deficiant, magis aut*

*ris morbifici in vaporem conuerſi: unde ſudor erumpet, ibi humorem morbificum deliteſcere neceſſe eſt. Qua parte igitur corporis manat ſudor, ibi morbus eſſe ſignificatur. Is autem ſudor qui morbum ſignificat, non ſudor eſt criticus, ſed potius ſymptomaticus: & qui toto morbo etiam intermiſsionis aut remiſsionis tempore oritur paucus & tenuis, vel toto corpore, vel ſolum circa caput & thoracem, aut etiam ſolum circa frontem (quæ ſudandi ratio ἰφίδρωσις dicitur) is quidem non modo inutilis, ſed & calamitoſus, cùm in morbis vniuerſi corporis, tum etiam partium ſingularum, vt quæ à cruda materiæ copia & imbecillitate retentricis prodeat.*

## APHOR. XXXIX.

Καὶ ὅκου ἔνι τοῦ σώματος θερμὸν ἢ ψυχρὸν, ἐνταῦθα ἡ νοῦσος.

*ET qua in parte corporis calor aut frigus eſt, ibi morbus eſt.*

EXtra febrem quum ſentitur in aliqua corporis parte calor aut frigus (vt in crure, in brachio) ibi eſt intemperies, aut maligna quædam materia. Cuidam planta pedis adeò incaluerat, vt ſibi deuri pars videretur. Calor is nullis remediis poterat placari (quia, opinor, ob cutis denſitatem, nihil exhalare poſſet) ſed ſcarificatu & tranſpiratione faciliore tandem euaſit. Sic in febribus ægri ſentiũt interdũ calorẽ vehemẽtiſſimũ in thorace, in ventre, hypochondriis, lumbis (vbi ceratũ Gal. adhibemꝰ ad refrigerãdũ) in capite, ceruice, &c. hinc quũ quidã ſentiret magnũ incẽdiũ in extrema ceruice, liberatus eſt adhibita primum phlebotomia, ac deinde

foτu, & cucurbitulis. Poteſt enim eſſe in parte (vt diximus) vel magna quædam intemperies calida aut frigida, vel obſtructio inſignis, vel materiæ quantitas, vel qualitas quædam indicibilis; vel materia maligna ac venenoſa, vt à torpedine, &c.

## SCHOLIA.

*VNdecimum prognoſticum, de dignoſcendo partis affectu ex perceptione caloris aut frigoris, non fugacis quidem, ſed conſtantis, ipſámque cauſam morboſam continenter ſequentis.*

## APHOR. XL.

Καὶ ὅκου ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ ἢν τὸ σῶμα καταψύχηται, ἢ αὖθις θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου γίνηται, μῆκος νούσου σημαίνει.

*ET vbi in vniuerſo corpore mutationes fiunt, vt ſi corpus refrigeratur & viciſſim calefiat, vel color alius ab alio fiat, morbi longitudinem ſignificant.*

HIc agit Hip. de mitioribus febribus: at in Prorrh. (vbi repetit hanc ſententiam) de malignis ac letalibus. Intelligemus ergò hunc Aph. quòd ſi hę mutationes caloris & frigoris contingant in acuta febre & maligna, mors expectanda eſt: ſi in mitiore, morbi longitudo oſtenditur: modò vires valeant, & ſufficiat tempus quo natura materiã concoquat. In illa indicatur imbecillitas caloris natiui, robur verò caloris pręter naturã, qui validior natiuũ extinguit. In hac verò mitiore cũ ſit multiplex materia, natura in hac concoquẽda multũ laborat. Ac quẽadmodũ dũ proponuntur duę vrbes expu-

gnandæ, dú vna oppugnatur, altera ſeſe munit: ſic interim dú natura materiá alteram conficit, altera fit maior & augeſcit, vt longus fiat morbus. Si itaque in his naturæ negociis & moleſtiis fiat caloris motus ad ſuperficiem corporis & partes externas, eas calfacit: ſin intrò recurrat, frigidæ remanent. Sed à calore rubor in cute, à frigore pallor apparebit. fiunt autem huiuſmodi mutationes (ait Gal.) in hora, vel vna hora, hoc eſt, *d'heure en heure.*

## *SCHOLIA.*

*DVodecimum prognoſticon, de dignoſcenda morbi longitudine ex crebra permutatione qualitatum, & colorum non in vna corporis parte, ſed in toto corpore, ſiue cum febri ſiue citra febrim. Vt ſi corpus perfrigeretur, ac rurſum idem calorem concipiat: aut, ſi color varius creber fiat, vt ſi modo palleſcat, modo liuore aut rubore ſuffundatur, diuturnitatem morbi ſignificat, aut multiplicem materiam, multipliceſque motus: vnde & multarum partium affectio, ſummaque pepaſmi difficultas oſtenditur.*

## *APHOR.* XLI.

Ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ τινὸς φανερῆς αἰτίης γινόμενος τῷ σώματι, σημαίνει ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται· ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίγνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δέεται.

*SVdor multus per ſomnum ſine cauſa manifeſta factus corpus copioſiore vti cibo ſignificat. Si vero parcius epulanti id eueniat, quòd vacuatione indiget corpus, oſtendit.*

HIppo. hoc loci agit de ſudoribus qui proueniunt ſanis maximè: quanquam poteſt etiam intelligi de ægris conualeſcentibus, & qui neutrum valetudinis

ſtatum obtinent. Siquis igitur præter conſuetudinem & citra cauſam manifeſtam ſeu externam (vt non vſus pluribus & calidioribus ſtragulis, non calfactus igni, non vſus alimentis calidioribus, quæ ſolent & materiam commouere ac tenuare, & corpus relaxare) à ſomno ſudet multum, denunciatur morbus, niſi vacuetur corpus: idque maximè, ſi ſudor exoriatur in manibus & pedibus, ſi in cruribus, genibus, capite. Sudores dormientibus magna ex parte accidunt ſub finem ſomni, & ſub tempus matutinum: quandoquidem reliquæ excretiones ſupprimuntur noctu, præter ſudores. Natura enim per ſomnum valet plurimum potentiis & facultatibus illis naturalibus, habétque ſecundum eaſdem œconomiam quandam. Nam circa ſomni initium cocoquit: deinde quæ vtilia ſunt ſeparat ab inutilibus: tum vtile diſtribuit in corpus. Cum ſanguine qui ab hepate diſtribuitur fluit ſeroſum recrementum, cuius pars dimittitur in renes & veſicam, pars reliqua cum ſanguine (vt is ſit fluxilis magis) vehitur per venas in omnes corporis partes: vbi natura ſanguinem appoſuit partibus vnà cum portione quadam ſeri, eum quidem conuertit in alimentum proprium partium, ſeroſum verò recrementum (quod nihil aliud eſt quàm ſudor) appetente die & ſub finem ſomni excernit per cutim tanquam inutile. Adde quòd tunc temporis relaxatur corpus, quod anteà per ſomnum erat contractum & denſatum. Si paucus eſt ſudor, nihil eſt periculi. Indicat enim paucitatem materiæ, & laxitatem raritatemque corporis: quanquam etiam aliquando naturæ imbecillitatem. Si multus, ſignificat naturæ robur, & materiæ multitudinem, corpuſque vti copioſiore cibo. Gal. in comm. copioſiorem cibum di-

ſtinguit. Nam is, cui mouentur eiuſmodi ſudores nocturni, vel temperanter viuit, vel intemperanter. Si viuat temperanter, leui ſuccuſſione & exercitio corporis ſanatur, euacuato ſeroſo necnon fuliginoſo excremento, quod in nobis etiam dormientibus colligitur, quantumuis temperanter viuamus. Si viuat intemperanter, non ſolùm colligitur multum ſeroſi & fuliginoſi recrementi, ſed etiam plenitudo crudorum humorum, aliquando ſanguinis copia, aliquando vtrumque. Quare ſi collegerit etiam multam pituitam crudam, & ſudet multùm, cùm hic ſudor vacuet quidem tenue illud excrementum, ſed non ſatis ſit repurgandæ illi craſſiori pituitæ, præparata materia dabimus medicamentum phlegmagogum: Si ſit ſanguinis plenitudo, venam ſecabimus. Si adſit copia & crudæ materiæ & ſanguinis, primùm corpus præparabimus dato leui pharmaco: deinde phlebotomiam inſtituemus: poſtremò medicamentum, quo quicquid reliquum eſt materiæ crudæ, expellatur. Quòd ſi cibum non accipienti ſudor multus accidat, indicatur morbus, niſi vacuetur corpus. Cibum non capere intelligi poteſt duobus modis: vel de eo cui deiecta eſt appetentia, neque cibum reuera aſſumit: vel de eo qui temperanter viuit. In vtroque verum eſt, expectandum eſſe morbum, niſi adhibeatur vacuatio. Deiicitur autem appetentia, alias propter copam alimenti vel ſanguinis, alias propter plenitudinem crudorum humorum, ſæpe à maligna quadam materia: vbi eſt purgandum. Hic non facit mentionem de ſudore excitato in aliqua corporis parte: Celſus tamen vbi citat hunc Apho. facit.

SCHOLIA.

Decimumtertium prognoſticum ſudoris paulo liberalioris. Sudor enim multus & copioſè fluens, non à corporis raritate, non ab imbecillitate retentricis: ſed ab humoris ceu ſucci redundantis copia, aut eiuſdem acrimonia, qui de ſomno erumpit, quando natura digeſtioni dat operam, abſoluta concoctionis periodo, nulla incidente cauſa manifeſta & extrinſecus adueniente, vt caloris & tempeſtatis auſtrinæ ſine flatu, aut ſtragularum, arguit corpus vti pleniore victu, & ſupra exhauſti corporis rationem, & partium nutritioni vacantium conditionem & ſtatum, cibos potuſve ingeri. Quòd ſi, nec genio paulo liberalius indulgenti, nec appetenti, ſed moderatum victum & cultum conſectanti, idem ſudor plurimus contingat, neceſſariam eſſe vacuationem oſtendit: quòd in venis reſideant ſucci tenues, qui ſua acrimonia facultatem expultricem irritant, aut retentricem imbecillam fatigant, aut copia grauant. Cur vero ſomnus ſudorem moueat, & alias omnes vacuationes retineat, multæ ſunt cauſæ. Nam torpeſcente ſenſu per ſomnum minus irritatur expultrix facultas, nec corpus turbatur motu, vt in vigiliis. Vnde contenta materiæ intro figuntur & firmantur, nec vllomodo mouentur: multus tamen ſudor prodit, primùm, quia alimenti halitus, qui in vigilia occurrit raræ calidæque cuti, vt facile & citra ſenſum perſpiret, per ſomnum à carnium denſitate cohibetur, & per moram concreſcens in ſudorem abit. Deinde quia ille halitus à viſceribus ad extimas vſque carnes tantò copioſior funditur, quantò amplius alimentum dormienti coquitur quàm vigilanti. Tertio, quia vapor corporis ſi libere difflatur, impingens in locum vbi non moretur, euaneſcit: cohibitus per moram abit in ſudorem: quod fit in ſomno, per quem non difflatur nec motu corporis diſſipatur ſudor. Accedit huc, quod aliorum excrementorum materia in intimo corpore deli-

*teſcat : ſudoris autem materia, nimirum ſerum ſanguinis, iuxta cutem in vaſis continetur, quod confeſtim exudat per ſomnum, vel expreſſo ob ſubſtantiæ tenuitatem ſero in recurſu humorum : vel denſitate ipſa carnium exprimente : vel potius retentrice, ob innati caloris abſentiam, deficiente.*

## *APHOR.* XLII.

Ἱδρὼς πολὺς ψυχρὸς ἢ θερμὸς αἰεὶ ῥέων, ὁ ψυχρὸς μείζω, ὁ δὲ θερμὸς ἐλάσσω νοῦσον σημαίνει.

*SVdor multus calidus vel frigidus aßiduè fluens, frigidus quidem grauiorem, calidus autem minorem morbum ſignificat.*

GAl. ex Hippo. in prorrh. aſſerit ſudorem multum in febrib. acutis eſſe inutilem. Idem ſudorem febrientium diſtinguit: quia videlicet vel aſſiduus eſt, vel copioſus, vel mediocris. Si initio febris ſudor ſit multus & aſſiduus, vires exoluet, ac tandem ægrum iugulabit, aut certè graue periculum minabitur: quia criticus non eſt, ſed exit morbo incocto, & à multitudine crudæ & pituitoſæ materiæ. Si mediocris ſit & paucus, liberari poterit æger, neque tam graue malum impendebit. In lib. Epid. fit mentio quarumdam febrium humidarum ex ſtatu Aquilonio & humido ortum habentium: cuiuſmodi ſunt quæ dicuntur τυφώδεις καὶ ἠπιάλους. In his duobus generibus febrium, quæ periculoſiſſimæ erant, ſudor multus, aſſiduus & frigidus effluebat ab initio morbi ad finem. Iam omnis ſudor bonus, calidus eſt: & non contrà. At ſudor omnis frigidus, malus. In hoc Apho. duo ſunt, ſudoris quantitas & qualitas. A multo ſudore calido, breuior morbus, minuſque periculoſus : contra à multo ſudore frigido

morbus longior & magis periculoſus. Neque πλέω & ἐλάσσω referenda ſunt tantùm ad longitudinem & breuitatem morbi : ſed potius, & rectius (quod facit Gal.) ad periculum.

## *SCHOLIA.*

*DEcimumquartum prognoſticum ſudoris frigidi, aut calidi in febribus aliiſque morbis erumpentis. Vterque aßidue fluens, ſine vllo dierum criticorum delectu, ineunte morbo, creſcente, vigente, frigidus quidem vim morbi maiorem, calamitoſiorem, curatu difficiliorem atque ſiniſtri iudicij: calidus vero, morbum minorem ſecundioriſque iudicij oſtendit; ob materiam pepaſmi capacem, quæ vniuſmodi exiſtat, & copioſiorem calorem ſuſcepit.*

## *APHOR.* XLIII.

ΟἹ πυρετοὶ ὁκόσοι μὴ διαλείποντες διὰ τρίτης ἰσχυρότεροι γίνονται, μᾶλλον ἐπικίνδυνοι· ὅτῳ δ᾽ ἂν τρόπῳ διαλείπωσι, σημαίνει ὅτι ἀκίνδυνοι.

*FEbres quæ tertio quoque die vehementius affligentes non intermittunt, periculoſiores ſunt. Quoquo autem modo intermiſerint, periculum abeſſe ſignificant.*

HIpp. hoc Aph. & ſequentibus ferè omnibus huius libri agit de febribus & ſymptomatibus febrium: ob id ſunt qui eoſdem Apho. inſcribant de febribus. Hoc loco agit de tertianis. Sunt qui putant huius Aph. ſenſum eſſe. Si quando febris tertio die fortior fiat, periculoſior erit. Sed per διὰ τρίτης non eſt intelligendum tertio die, quo modo faciunt omnes ferè interpretes: imò potiùs tertio quoque die. Denique διὰ τρίτης ſiue

διὰ τρίτης vſurpant Hipp. & Gal. non ſolùm pro tertio die, ſed etiam quinto, ſeptimo, nono, vndecimo, diebus videlicet alternis imparibus: hoc eſt, quãdo vno die intermiſſo redit acceſſio: alibi παρ' μίαν dicit Gal. Aliud eſt erratum, quòd velint hanc ſententiam aſcribere ſolis ſemitertianis: cùm Hippo. intelligat de toto genere tertianarum intermittentium, vt ipſe exponit primo & ſecundo Epid. & Gal. in iis comm. vbi diuidũtur febres διατριταῖαι in eas quæ tertio quoque die vel inuadunt (vt ſunt intermittentes tertianæ) vel exacerbantur, vt ſunt continuæ. febrium ergò διατρίτης aliæ intermittunt, aliæ continuæ ſunt. Quæ intermittunt, ſunt in triplici differentia. Eſt enim tertiana exquiſita vel quæ proximè accedit ad exquiſitam, cuius acceſſio non ſuperat 12. horas: ortumque habet à ſyncera bile. Eſt tertiana ſimpliciter, quæ eſt notha, cuius acceſſio extenditur ad horas 18. Materiam habet aliquid pituitæ immixtum bili. Vbi verò acceſſio protrahitur ad 24. aut etiam 28. horas, dicitur tertiana producta, ſeu extenſa: quæ materiam habet craſſiorem & copioſiorem pituitam permixtam bili: his tribus generibus intermittentium reſpondent tria genera continuarum. Nã febris ardens exquiſita reſpondet exquiſitæ tertianæ. Ardens notha tertianæ dictæ ſimpliciter: & præterea quædã febris vocata τριταιοφυής, cuius materia eſt bilioſa, copioſa, craſſa, & cõtumax, habétque exacerbationes tertio quoque die. Diende tertianæ productæ reſpõdet ſemitertianæ quæ continua eſt. Hæc exacerbatur alternis diebus imparibus, ſed quod cæteris non accidit, ſi hoc die habuerit reduplicationem, altero proximo non habebit. Materiã habet vel pituitam cũ pauciore bile, vel bilem cum

pauciore pituita, vel vtrunque humorem æquali mixtura. febris porrò vehementiam intelligimus ex vehementia ſymptomatum, quæ dicuntur ſigna pathognomonica, id eſt, morbi propria, & quæ morbi eſſentiam declarant: vt eſt caloris acrimonia, ſitis, oris ſiccitas, &c. Ineſt autem periculum in febrib. non intermittentib. tertio quoque die, primum, quia nulla datur quies naturæ vt refocillet vires, & alimentum aſſumatur. Deinde quia aliquando eſt materiæ craſſities & multitudo, quæ non poteſt à natura euinci. At quocunque modo intermiſerint febres διὰ τρίτην, periculum abeſſe ſignificant. Hippocrati (interprete Gal.) διαλείπειν καὶ διαλείποντας bifariam ſumitur, modò pro remittere, modò pro intermittere. Sic διάλειμμα vox eſt ambigua. Aliquando enim dicitur de febribus quæ habent non ἀπυρεξίαν ſeu ἐκλιπείαν, ſeu priuationem quandam febris; ſed μεσοπυρεξίαν vel ἔνδοσιν ac remiſſionem, vt ſunt continuæ. Interdum de febribus dicitur quæ reuera habent ἀπυρεξίαν & interuallum quoddam quo ægri corpus febre liberum eſt. Hîc διαλείπειν de tertianis intermittentibus vſurpatur, in quibus natura, quòd attinet ad rationem febris, intermiſſionem habet, diemque integrum quo vires colligat, & alimento reficiatur: ob id periculo vacant huiuſcemodi febres.

## *SCHOLIA.*

*Axiomata aliquot de febribus ſtatuit. Primum febres omnes continuas ac continentes, potiſſimum vero eas, quæ tertio quoque die ingraueſcunt periculoſas eſſe. Intermittentes vero per ſe & ex ſua natura omni vacare periculo. Febres quidem continuæ cum perpetua ſymptomatum acceſſione coniunctæ, quæ vires acquirunt eundo, ob inflammationem ſcilicet alicuius viſceris,*

*viſceris, vel malignam humoris bilioſi corruptionem in maioribus venis atque arteriis, vnde ducunt originem: præſertim illæ quæ tertio quoque die ingraueſcunt & vires acquirunt: quales ſunt cauſos, tertiana continua, ſemitertiana: quod ea ſit febrium bilioſarum ratio, vt bilis motu qui tertio quoque die fit, recrudeſcant cum ſtomachi dolore, vigiliis, delirio, iactatione corporis, lumborum, ceruicis & capitis grauitate, ob bilioſi humoris acrimoniam, feruorem, corruptionem, partium nobilium æſtum, virium oppreſſionem, & coloris natiui ac ſpiritus continentum reſolutionem cum metu tranſlationis ſymptomaticæ: quæ omnia reddunt tales febres calamitoſas ac ſiniſtri iudicij, omniſque pepaſmi expertes, & ſine vlla criſi, fractis naturæ viribus à ſymptomatum vehemẽtia, & interceptione actionum animal. vital. & naturalium. Quæ vero febres quouis modo intermiſerint, & ad ἀπυρεξίαν ceu infebricitationem deſiuerint, cuiuſmodi ſunt tertianæ exquiſitæ horarum duodecim ſpatio circumſcriptæ, aut mediæ, horarum octodecim, aut extenſæ, horarum vigintiquatuor omni periculo vacare ſignificant: quod illæ habeant materiam, in corporis habitum diffuſam, quæ ſingulis acceſſionibus expurgatur: nec ab inflammatione aut maligna humorum qualitate naſcantur: quæ duæ ſunt præcipuæ cauſæ funeſtæ in morbis omnibus acutis. Quanquam hæ licet à cauſa & materia à qua naſcantur, quæ nec eſt inflammatio, nec maligna humorum putredo, omni periculo vacant: tamen aliunde periculoſæ ac funeſtæ reddi poſſunt. nam virium infirmitas, deſtillatio, ſyncope, multitudo & craſſities materiæ repentè affluentis, aut alius affectus in principio & incremento acceſſionis, hominem de medio tollere poſſunt, præſertim cui viſcus aliquod læſum eſt: interdum vires infirmæ in ſenibus motum rigoris non ferunt aut concuſſionem: interdum etiam vires ſufficere poſſunt primis tribus temporibus, in quibus adhuc habitus compreſſus eſt & conſtrictus. Eo autem in declinatione diſcuſſo ac diſſoluto,*

*cum calor rurſus à medio ad extrema mouetur, nonnulli repentè moriuntur, vt ij qui adſtant, animo potius deficere, quam mori ipſos putent. Quidam vero paulatim in pernicioſis declinationibus non repente intereunt, moriqúe incipiunt in ſtatu, à quo celeriter in declinationem tranſire videntur, quia calor febrilis repente diſcutitur, unde opinio fit melioris declinationis. Sic enim teſtatur Hollerius ſe vidiſſe ſenes duos in tertiana intermittente mori, qui agebant annum propè octuageſimum: vidiſſe & iuuenem quendam longiori inedia, natura biliosa, in vehementiori acceſſione ſyncope periiſſe. Idem in viro quoque contigiſſe in febre notha, item in quartana diſtillationem initio acceſſionis inualeſcentem ſuffocaſſe mulierem. Vide primum Aph. lib. 1. & 4. Aph. lib. 4. Coac.*

## APHOR. XLIIII.

Ὁκόσοισι πυρετοὶ μακροὶ, τουτέοισιν ἢ φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐγγίνονται.

*QVos diuturnæ febres exercent, iis vel tubercula vel dolores in articulis fiunt.*

DIuturnæ dicuntur febres quæ ſuperant 40. dies: à materia craſſa, frigida, ac contumaci, & perſeuerant aliquando ad 6. menſes. Huiuſmodi febres ſi ſoluendæ ſunt, ſoluuntur magna ex parte abſceſſu & concoctione, vt alij longi morbi: quanquam interdum etiá idem contingat acutis. Phyma vox eſt ambigua. Siquidem ſignificat interdum omnem tumorem qui foras enaſcitur: interdum peculiariter dicitur apoſtaſis & abſceſſus ad articulos & maxillas. Alias ſumitur pro ſuppuratione. Alias eſt inguinum inflammatio quæ celeriter tranſit in ſuppurationem: hic pro abſceſſibus criticis accipitur. At verò πόνος hoc loco vel dolores vel noxam in articulis dicit.

## SCHOLIA.

*SEcundum axioma. Vt acutæ febres, quia ex tenui calido bilioſoque humore fiunt, ferè iudicantur per excretiones, vt ſudorem, hæmorrhagiam, alui profluuium, vrinas: ita diuturnæ cum ſalutaribus ſignis, aliquando coctione, ſæpius abſceſſu: præſertim ſi earum diuturnitas conſiſtit in pepaſmi difficultate, ob materiæ multitudinem, craßitiem & frigiditatem, non in viſceris alicuius vitio, aut culpa ægri vel medici. Proinde, humor ille ob frigus reſiſtens coctioni, ob craßitiem minus admittens calorem, ob viſciditatem excerni non potẽs, à partibus potentioribus ad articulos debiles propellitur, ſparſuſque in eorum cauitatibus laßitudinem ac dolorem: collectus & extuberans, abſceſſum verum facit, niſi abſceſſus materiam & occaſionem tollat vrinæ craſſæ, copioſæ & albæ profluuium. Aph. 70. lib. huius. vel hæmorrhagia per nares. 6. Epid. Hoc axioma repetitur Aphô. 5. lib. 4. Coac.*

## APHOR. XLV.

Ὁκόσοισι φύματα ἐς τὰ ἄρθρα ἢ πόνοι ἐκ πυρετῶν γίνονται, οὗτοι σιτίοισι πλείοσι χρέονται.

*QVibus tubercula ad articulos vel labores poſt diuturnas febres fiunt, ij pluribus cibariis vtuntur.*

HIc Aph. eſt de conualeſcentibus, quibus nonnunquam accidit, vt plus appetant aut plus ingerant quàm conficere poſſit natura: vnde ſæpe non corroborantur. Cùm itaque his calor ſit imbecillior, ſi alimentum largius capiant, excrementa multa colligi neceſſe eſt: quæ excrementa ſi decumbant in articulos, fient tubercula & abſceſſus atque dolores in articulis.

## SCHOLIA.

*TErtium axioma de abſceſſibus qui in articulis ſuboriuntur conualeſcentibus à febribus longis. Si ergo, nulla ſuperſtite materia, & febre integrè ac perfectè ſoluta, conualeſcens copioſiore cibo vtatur, quam exhauſti ratio poſtulet: quàm vires fractæ & ventriculus frigidior & imbecillior nondum regenerato ſpiritu ferre poßint, ei expectandus eſt abſceſſus, vel dolor in articulis. Conualeſcens enim, ex morbis longis calorem natiuum habet languidum, & ventriculum frigidum, ideóque plura appetentem, quàm poßit conficere: vnde multa cruditatum colluuies, quæ tandem ad articulos decumbunt.*

## APHOR. XLVI.

ΗΝ ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετῷ μὴ διαλείποντι, ἤδη ἀσθενεῖ ἐόντι, θανάσιμον.

*SI rigor frequens & iteratus febre non deſinente, ægrum iam debilem inuadat, letale eſt.*

NAtura ſubinde imbecilla, nititur tamen euincere morbũ: quod quum nõn cõſequitur, ſed ſuccumbit, ſignum eſt letale. Ita in excretionibus, in concoctionibus vbi protulerunt ſe ſigna coctionis, & ſtatim deſinit naturæ motus: item in abſceſſu, vbi hic concidit & intrò reuocatur, ſignum eſt naturæ imbecillæ & ſuccumbentis. Sic rigor (qui ſudoris eſt prænuncius) ſi ſæpius incidit & iteretur, nec vlla fiat excretio & ſudor, indicat naturam quidem mouere, ſed languidè & imbecilliter. Quare ſi æger debilis eſt, verendum eſt ne deficiat in rigore illo, quum morbus intrò recurrit & naturam opprimit. Prætereà tum augetur febris & diſ-

ſoluuntur vires. Quinetiam ægro ita debili ſi moueatur ſudor, non tamen euacuationem poterit ſuſtinere, ſed deficiet. Malum proinde ſignum eſt illud, eò quòd indicat morbum vincere, & naturam vinci.

## *SCHOLIA.*

*QVartum axioma. Lethalis rigor, qui in febrem continuam frequenter incidit, addita duplici conditione, ſi morbi diuturnitate, aut vehementia, aut vtraque, vires iam fractæ ſint, & ſi non remittatur febris: lethalis, inquam, vt cauſa & ſignum. nam oſtendit naturam quidem ſæpius aggredi ad excluſionem materiæ, ſed in opere ſuccumbere, & materiam intrò referri, ita vt ſit ſignum iudicatorium non iudicans. Cauſa vero lethalis eſt, quia ſiue aliqua ſequatur excretio, ſiue nulla, nec euacuationem inſignem nec concuſſionem corporis, fractæ iam vires perferre poterunt. hoc axioma repetitur Apho. 9. lib. 1. Coac.*

## *APHOR.* XLVII.

ΑΙ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες, καὶ δυσώδεες, καὶ χολώδεες, πᾶσαι κακαί. ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί. καὶ κατὰ τὰς διαχωρήσιας, καὶ κατὰ τὰ οὖρα. ἢν δὲ μή τι τῶν συμφερόντων ἐκκρίνηται διὰ τῶν τόπων τούτων, κακόν.

*EXcreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ, omnes malæ: commodè tamen ſi prodeant, bonæ. Sed eadem quoque eſt eorum quæ per aluum & vrinas excernuntur, ratio. Si quid verò quod non iuuet per hæc loca excernatur, malum.*

ANteà dixit Hippo. de ſudoribus criticis & non criticis. Reliqua ſunt tria excretionum genera,

in febribus, ſputa, vrinæ, & deiectiones: de quibus tribus agit hoc Apho. Per ſputa iudicamus de iis quæ ſunt in thorace propriè & peculiariter: deinde etiam de iis quæ ſunt in cerebro, in ventriculo, & ore ventriculi. Per vrinas, quomodo habeat totum genus venoſum. Per deiectiones, de inteſtinis & partibus aliis ventralibus. Cæterùm ἀπόχρεμψις καὶ ἀνάχρεμψις vſurpatur propriè à medicis de ſcreatu: in quo editur quidam ſonus, dum materia craſſa & viſcida faucibus hærens educi facile non poteſt. Eſt prætereà apud Hipp. πτυελισμὸς, id eſt, ſputatio (lib. quarto de loc. aff.) vbi eſt multa ſaliua liquida & tenuis, vt aqua in ore, quæ frequenter & perpetuò expuitur. hæc ſputatio indicat cerebrum & ventriculum, ac præſertim os ipſius eſſe humidiora. Accidit ferè noctu iis qui largiùs biberint à cœna. Eſt & πτύελον ſputum naturale. Item πτύσματα ſputa cruda, lib. de criſ. hæc aliquando confunduntur. At hîc per ἀναχρέμψιας intelligimus omne genus ſputorum, & præſertim ſputa cruda, & liuida, &c. Quæ ſputa in omnibus febrib. non intermittentibus ſunt mala. Siquidem omnis excretio liuida, ſiue ſit excreatio, ſiue vrina, ſiue deiectio, quacúque denique parte exeat, indicat νέκρωσιν & mortificationem caloris natiui. At cruentæ excreationes intelliguntur non leuiter intinctæ ſanguine, ſed quum purus & ſyncerus ſanguis excernitur, rupta vel eroſa vena ab acri quodam humore. Fœtidæ indicant corruptionem & putrilaginem. Quæ non ſolùm in ſputis, ſed etiam deiectionibus & vrinis intelliguntur. Eiuſmodi autem ſputa fœtida apparent in tabidis breui morituris. Iam biliosæ (χολώδεις) intelliguntur à ſyncera bile, quæ videlicet non eſt diluta ſuo ſero. Atqui omnis ſyncera excretio mala eſt. Quod ſi bene excernuntur,

bonę excretiones. Omnis excretio vt ſit bona, apparere debet die critico, & concocto morbo: alioqui non conferet. Quare licet excretiones ſint liuidæ, cruentæ, &c. ſi tamen apparuerint die critico, & præcurrentibus ſignis concoctionis, bono eſt. At ſi per hęc loca, id eſt, per fauces & aſperam arteriam, per inteſtina, per vrinas, nihil eorum quæ conferunt excernitur, malum. Decernentia enim quæ non decernunt, mala.

## SCHOLIA.

*Axioma quintum, de triplici euacuationum genere in febribus continuis excerni conſueto, ad funeſtam, aut ſalutarem earum criſim. Excreationes igitur, quarum expectorãdi difficultas, vel in materiæ contumacia, vel in laterum infirmitate, vel in vtroque conſiſtit: ſi in febribus continuis prodeant: liuidæ, ex necroſi & mortificatione partium vnde manant: & cruentæ, ſanguinis nempe puri atque ſynceri ſoboles, qui rupta aut exeſa aut aperta vena effunditur: & fœtidæ, vincente ſcilicet putredine: & bilioſæ, nulla pituita permixtæ ac perfuſæ. Omnes malæ: partis ſcilicet vnde manant calamitate, & quòd iudicatoria non iudicantia, febri finem non imponunt. Sin autem conuenienter ferantur, cito ad initium morbi, ex facili, ſine dolore & magna tuſſi, ac ſuperſtite partium vnde manant integritate, bonæ, ſalutares, ac criticæ: quia ægrum morbo, quo anteà tenebatur, expediunt. Eadem eſt ratio deiectionum & vrinarũ: vt ſi cõuenienter ferantur adiumentum adferant, ſin minus detrimentum. Quòd ſi nihil quod adiumentum afferat per ea loca feratur, calamitoſum. vnde colligas excrementa quantũuis mala in qualitate, aut quantitate, aut colore, bonis ægri rebus excerni, ſi die critico, præcedentibus ſignis coctionis, & cum ægri adiumento excernantur, ſignum enim eſt corpus à natura vitioſis expurgari humoribus.*

## APHOR. XLVIII.

ἘΝ τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔνδον καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

*IN non intermittentibus febribus ſi exteriores partes frigidæ fuerint, interiores verò vrantur, & ſitim habeant, letale eſt.*

PArtes exteriores dicuntur maximè manus, pes, naſus, aures, labra, & aliquando etiam tota cutis. At mediæ ſiue interiores dicuntur ab vmbilico ad thoracem, vt pulmo, diaphragma, ventriculus, hepar. In febre igitur non intermittente æger aliquando friget extremis, & internis calet partibus. Sed antequàm de morbi euentu præſagiamus, accidentis eius diſtinguere cauſam debemus: quæ triplex eſt. Primùm enim poteſt id euenire à forti & vehementi dolore in mediis corporis partibus ſæuiente, vt fit in cholico dolore. Vbi enim fortis eſt dolor in partibus internis, dum natura eò concurrit cum calore, ſanguine, & ſpiritu, calor ingens excitatur in parte dolente, parteſque exteriores ſanguine deſtitutæ frigent. Secunda cauſa eſt ſyncope, aut affectio oris ventriculi. A quibus cauſis duabus ſi ſit frigus in partibus externis, non eſt mirandum, neque periculum magnum imminet. Verùm enimuerò id demum pernicioſum eſt & letale, vbi (quæ cauſa eſt tertia & præcipua) in malignis febribus ardentibus pars interna interdum laborat eryſipelate, vel propriè dicta inflammatione, quæ fit à materia craſſa & viſcida. Tunc enim magnum eſt incendium in medio corpore, quod incendium inſtar cucurbitulæ naturam (quæ ſemper eſt cum ſanguine & ſpiritu) ad ſe trahit, vnde extrema frigent; quod accidit in febre lipyria. Et hoc eſt, quod dicimus, dolorem attrahere. Sed quemadmodum

in domus incendio vbi aqua igni affunditur, ſæpe fit vt ignem non extinguat,imò potiùs ſit illius pabulum: ita illic vbi ad partẽ inflammatam accurrit natura ſuppetias latura, tantum abeſt vt ſanguis affluens incendium mitiget, vt etiam ſæpe adaugeat,& illi ſit nutrimentum ac pabulum. Hoc autem accidens periculoſiſſimum eſt in adoleſcentibus. Sed ſuper hac re vide librum tertium Epidem.de anginoſa muliere. Aliquando tamen in febribus ardentibusvbi eſt eiuſmodi interna inflammatio , ab hac excitatur vapor calidus qui per totam cutim diffuſus efficit vt ea ardeat. Quòd ſi vapor is ſupprimatur(id quod fit ferè quum materia eſt craſſa ac viſcida,quæ vias obſtruit, & incendium illud intercluſum tenet ne exhalare poſſit)nõ eſt multus calor in cute pro ratione febris ardentis ; id quod ſæpe experiaris in his regionibus. Atque ita cutim frigere dicemus bifariam:vel quum reuera friget, vel quando non calet pro ratione febris. Hipp. lib.de morbis dat aliam rationem cur extrema frigeant : quia videlicet partes extremæ & externæ ſiccæ ſunt,vt interiores humidæ. Cùm igitur tales ſint partes exteriores, humor paucus harum partium peruritur & conſumitur à calore febrili : conſumpto humore neceſſe eſt calorem, qui illic eſt, extingui : quo extincto neceſſariò refrigeſcunt extrema. Cæterùm in febrib. his ardentibus quæ medias corporis partes occupant, letalia etiam ſunt ſigna vbi ægri corpus exagitant,diſiiciunt veſtes, pedes manúſque nudant,& vehementer ſitiunt. Præter id , vbi iam imminet exitium, ſuccedit tenuis quidam ſudor (ἐφίδρωσις dicitur) primùm per caput, deinde per totum corpus. Siti autem vehementi vexantur , ab eryſipelate aut inflãmatione calfactis ac reſiccatis pulmonib⁹,

hepate,autventriculo,aut inteſtino primo. Ab his enim quatuor partibus præcipuè,oritur ſitis.

SCHOLIA.

Sextum axioma. In omnibus non modo acutis, ſed & continuis febribus extimas partes refrigerari malū: peſſimū verò ſi extimis partibus algentibus interiores vrantur, & ſitiant. Quemadmodum enim in acutis optimū eſt, ſi totū corpus æqualiter calidū ac molle ſit: inquit Hip quod inde ſignificatio fiat, neque cor opprimi, vt calorē à toto corpore retrahere cogatur: neque obſtructiones magnas eſſe, quæ caloris influentis motū ad extimas partes impediat, neque ſubeſſe dolorē interiorē: neque materiā heterogeneam, aut phlegmonem vllam, ſaltē quæ mortis periculum iniiciat: ita peſſimum eſt, medio æſtuante corpore, extrema refrigerari, & igneum calorē ſuas vires in viſceribus colligere, &, vt dictū eſt lib. 2. progn. caput & pedes manuſque perfrigerari, ventre ac lateribus calentibus. Extimæ quidē partes quia minimè carnoſæ ſint, & longiſſimè abſunt à viſceribus, à quibus influens calor in omnes partes diffunditur, omniū primæ promptiſſimè ac facillimè refrigerantur, quomodocūque id fiat. Proinde in lōgis morbis, per hyemē præſertim & ſenibus, nō ſolū in initiis acceſſionū, ſed & cum morbus intermiſit, ſi extrema refrigerentur, mirū videri non debet, nec periculoſum exiſtimari, ſi in febribus intermittētibus, potiſſimū verò in omnibus tertianis, in initio acceſſionis, nonnūquā per plures horas, interiora vrantur & ſiti clamoſa divexentur, extrema vero vehemēter frigeāt: quòd in illis, aut bilis, aut pituita ſalſa in vētriculū irruat, ineunte paroxyſmo. At in acutis id contingere nō poteſt citra funeſtum exitū. Nā prӕterquā quod frigus partiū extremarum in acutis vel extinctionem caloris natiui, vel eiuſdē oppreſſionē, vel periodicā exacerbationē denotat (quæ omnia mala ſunt) quantò grauius malū expectādū, ſi vna cū extimarū partiū frigore, æſtus internarū ſentiatur? Id enim caloris natiui ad interiora contra-

*ctionem arguit, non eam quidẽ quæ ad vehementẽ dolorẽ, aut ad ſyncopen conſequitur: ſed quã parit viſceris alicuius inflammatio vel in ventre vel in thorace, à qua externarũ partium calor inſtar cucurbitulæ intrò attrahitur. Maximè verò ſi ad illud partiũ internarũ frigus ſitis accedat, inde enim ſignificatio fit, inflammationem iam maraſmum in eo viſcere contraxiſſe: eóque magis ſi adſit linguæ ſiccitas ac ſcabrities, iactatio corporis, hypochondrij tenſio.*

## APHOR. XLIX.

ΕΝ μὴ διαλείποντι πυρετῷ ἢν χεῖλος, ἢ ὀφρὺς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ῥὶς διαςτραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢν μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενέος ἐόντος τοῦ σώματος, ὅ,τι ἂν τουτέων γένηται, ἐγγὺς ὁ θάνατος.

*SI in febre non intermittente labrum, aut ſupercilium, aut oculus, aut naſus peruertitur: ſi non videat, nec audiat, imbecillo iam exiſtente corpore, quicquid horum acciderit, mors in propinquo eſt.*

APh. hic prognoſticus eſt. Cúmque omnis præſagiendi ratio ducatur ex robore triũ facultatũ corpus noſtrũ diſpenſantium, hîc Aph. eſt facultatis animalis motoriæ & ſenſoriæ. Verũ his ſolis ſignis fidere non oportet, ſed addendũ eſt robur naturæ: quod facit Hip. quũ ait, ægro iã debili. Nã hæc omnia quandoque contingũt cũ aliis ſignis letalibus, ægro iã debili, túncque mors eſt in foribus. Interdũ virtute valida, & ſine periculo, vt in perturbatione critica: vt Metoni, in Ep. accidit, cui os diſtortũ erat. διαςτρεφὴ vox eſt Hip. familiaris in labiorũ peruerſionibus. Cũ itaque quatuor ſint muſculi obliqui labrorum motibus inſeruiẽtes, his affectis per cõſenſum cũ cerebro, & neruis à tertia cõiugatione cõtractis ad ſuũ principiũ vel propter inflãmationẽ, vel ſcirrhũ, vel ſiccitatẽ (vt in febribus, quãdo calor igneus

& febrilis abſumpſit quicquid eſt humidi) vel aliquãdo ob immodicam refrigerationem, vt in canina cõuulſione, fit labrorum peruerſio. At ſupercilium peruertitur ob cutim frontis reſiccatam & contractam immoderatè. Aut oculus, &c. τὸ βλέφαρον, id eſt, palpebra, nõ eſt hîc addendum: quia oculi peruerſio eſt palpebræ peruerſio. Hic affectus Hippocrati dicitur κατάκλασις, aliquando διαστροφὴ, aliquando ἴλλωσις, interdum, vt primo Prognoſt. καμπύλον καὶ ῥικνὸν, quando ſcilicet incurua videtur eſſe palpebra. Fit autem oculi peruerſio, quandò neruui à ſecunda coniugatione motorij & muſculi patiuntur, ac immodicè reſiccantur. Sed meliùs hic (quomodò facit Gal.) intelligemus cataclaſin, id eſt, palpebræ effractionem, ita vt non ſit oculus peruerſus, ſed palpebra, atque ita videatur oculus peruerti. Palpebra conſtat cute exteriore, muſculis duobus, neruis à tertia coniugatione, tarſo cum quadam cute. Fit itaque effractio palpebræ, vbi vterque muſculus tum claudens tum aperiens palpebram conuellitur: adeò vt maneat potiùs apertus oculus, quàm reuera peruerſus. Sic peruertitur naſus, quum tenuium muſculorum, qui ad naſi pinnas perueniunt, fibræ contenduntur & contrahuntur. Si prætereà æger non videat nec audiat, letale eſt: extincta facultate cenſoria, & conſumpto ſpiritu viſorio & auditorio. Hæc autem omnia ſunt letalia, maximè vbi languidæ ſunt vires: niſi, vt diximus, in perturbatione critica. In hac enim ita aliquando exoluuntur vires, vt ſit ἀσφυξία: neque tamen ideò deſperandum eſt ſi concurrant alia ſigna ſalutaria: nam iſtud non perſeuerabit.

### SCHOLIA.

*Septimum axioma. Si in febre continua, labrum alterutrũ, aut vtrumque diſtortum ſit conuulſione propriorum muſculorum, aut antagoniſtarum, aut congenerum alterutrius partis reſolutione. Aut palpebra, conuulſis vtriuſque anguli muſculis, ac ſuæ conuulſionis cauſam habentibus. Aut oculus alteruter, vel vterque conuulſis inæqualiter ſeptem muſculis motibus oculorum præfectis. Aut narium pinnæ peruertantur. Tum autem videndi & audiendi vis perijt, vitiatis nimirum & inſtrumentis & facultate ipſa: ac vires corporis iam effœtæ langueant, magnitudine morbi & ſymptomatum vehementia. quicquid horum acciderit, mors in propinquo eſt, dummodo hæc ſymptomata non ſint perturbationis criticæ, & iamiam futuri iudicij: quia ad calamitoſam vim morbi accedit ſumma naturæ imbecillitas. Vide Aphor. 38. lib. 2. Coacarum.*

### APHOR. L.

Ὁκου ἂν ἐν τῷ πυρετῷ μὴ διαλείποντι δύσπνοια γένηται καὶ παραφροσύνη, θανάσιμον.

*Qvando in febre non intermittente difficultas ſpirandi & delirium accidit, letale eſt.*

Hippocrates in Prognoſt. dixit reſpirationis facilitatem habere maximam vim ad ſalutem in morbis acutis: quia hoc ipſo indicatur facultatem animalem, & quę in thoraces, bene habere. Non tamẽ ſequitur ſunt Reſpirationis facilitas bona: ergò difficultas mala eſt. Oportet enĩ videre cauſam huius difficilis ſpirationis. Nã in critica perturbatione ſępe incidit ſpirãdi difficultas, Aliquando etiã per vigores acceſſionũ in febribus.

Interdum fit, quando natura tranſmittit humores à partibus nobilibus ad ignobiles, & ea materia tranſit per thoracem & venas thoracis. Sed hæ dyſpnœæ cũ tandem quieſcant neque perſeuerent, non ſunt exitioſæ. Gal. hoc in loco dyſpnœã intelligit magnã & rarã reſpirationẽ. Hæc delirij comes eſt: hoc eſt, quandocunque ęger in acuta febre ſpirat magnũ & rarũ, tũc delirat. Sed non ſequitur, delirat æger, ergo ſpirat magnum & rarum. Magnum & rarum ſpirare eſt quemadmodum faciunt ij qui amant, aut altiùs aliquid cogitant, aut defixis oculis aliquid intenſius intuentur. Hi enim aliquandiu non ſpirant, ſed tandem magnum ſpirant facta magna efflatione. Hoc pacto ægri aliquando occupata mente, & præſertim phantaſia non reſpirant niſi coacti, & tum magnum ſpirant. Quòd ſi mẽte non occupata eiuſmodi reſpiratio perſeueret, ſignum eſt delirij. Non tamen ob id qui delirat, ſemper iſto modo ſpirat. Nam (vt ſcripſit Hipp. primò Epid. & Gal. 5. de locis aff.) aliquando iis qui delirant, eſt ſpiritus frequens & exiguus. Verùm iſtud diſtinguendum eſt. Si enim in febribus acutis laborat diaphragma, ſi grauis eſt dolor in membrana ſuccingente (vt in pleuritide) mouetur delirium, & tum frequens eſt & exiguus ſpiritus. Sin thoracis partes integræ ſunt & abſque dolore, tum in delirantibus fit magnus & rarus ſpiritus. Non opus eſt itaque hoc Aphor. aſtringere dyſpnœam ad magnam & raram reſpirationem, ſed extendere etiam ad frequentem & exiguam. Poteſt item intelligi de ſpiritu ſublimi, vbi thorax attollitur multum & ſcapulæ. Túncque magnum eſt periculum, quia hoc ipſo intelligimus vel grauem eſſe in thorace inflammationem, vt quarto de loc. aff. cap. 8. vel anguſtiam ma-

gnam, & imbecillitatem partium. Eſt etiam oſtenſatio & interciſio reſpirationis. Quæ omnes dyſpnœæ cum delirio ſunt periculoſæ, poſſuntque hic intelligi per dyſpnœam. Reſpiratio eſt operatio animalis. At delirium oſtendit cerebrum affici vel primariò vel ſecundariò. Quare malum eſt ac letale.

## SCHOLIA.

*Octauum axioma Præterquam quòd febris omnis continua per ſe lethalis eſt: ſi tamen in ea difficultas ſpirandi ſiue cum delirio coniuncta, quæ rara, magna & ex longis eſſe ſolet, quod delirantes ſui muneris obliuiſcantur: ſiue ſuccedens delirio, quæ parua & frequens, mox parua, rara & frigida, lethalis maxime, ſiue delirium proprio cerebri affectu vt in phrenitide, ſiue ſecundariò ortum ſit, vt in affectibus thoracis & ſepti tranſuerſi: quòd animali facultate labefactata vitali facultati ad eam tuendam facilis ac ſufficiens denegetur reſpiratio: neutra enim delirij reſpiratio poteſt ſufficere refrigerando cordi æſtuanti in febre continua.*

## APHOR. LI.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἀποστήματα μὴ λυόμενα πρὸς τὰς πρώτας κρίσιας, μῆκος νόσου σημαίνει.

*IN febribus abſceſſus qui in primis iudicationibus non ſoluuntur, morbi longitudinem ſignificant.*

Ἀπόστημα, ἢ ἀπόστασις, vox eſt ambigua apud Hippocratem. Alias namque communi nomine ſic dicuntur excretiones decretoriæ,

vt per vrinas, ſudores, &c. libro primo Epidem. Alias dicitur propriè tumor ille cutis ex humorum decubitu à parte nobili ad ignobiliorem, vt ab hepate in ilia aut crus. Hîc loquitur de abſceſſu propriè dicto. Poſt quem natum ſi perſeueret morbus, malum eſt, quia decretoria, quæ non decernunt, mala. Sic commota diarrhœa die critico ſperamus ſolutionem morbi, qui ſi perſeueret, ſignum eſt aut recidiuę, aut longi morbi, aut mortis. Sic in pleuritide aut peripneumonia parotis ſuborta, ſi nihilominus febricitet ęger, non ſolum morbi longitudinem, ſed mortem plerunque minatur. Verùm illud μὴ λυόμενα non ſolum referri poteſt ad morbum qui per abſceſſum ſoluitur ( quæ ſolutio dicitur peculiariter λύσις, ab abſceſſibus & tumoribus præter naturam) ſed etiam ad abſceſſum ipſum : adeò vt ſi hic natus in corruptelam conuertatur, expectãda ſit mors: ſi in ſuppurationem tranſeat, morbi longitudo. Meliùs tamen eſt, ſi intelligamus abſceſſum ſoluere morbos. Si ſpectemus ea quæ ſcripſit Hippocrates in Epid. inueniemus morbos qui excretione ſoluuntur, ſolui primis diebus, quarto, ſeptimo, vſque ad vigeſimum. Poſt vigeſimum ſoluuntur morbi coctione & abſceſſu. Poſt quadrageſimum abſceſſu. Proinde per primas iudicationes hoc loci non intelligemus cum Philotheo quartum vel ſeptimum diem: ſed cùm poſt vigeſimum oriatur abſceſſus, huius prima iudicatio erit 27. ſecunda 34. tertia 40. Poſt 40. prima erit 60. ſecunda 80. tertia 120. &c.

*SCHOLIA.*

*NOnum axioma. Quibus in febre diuturna abſceſſus oborti, non ſymptomatica ſed critica vi, die viceſimo ſeptimo,*

*triceſimo*

*triceſimoquarto, aut etiam ſexageſimo, febris finem non adferunt: quòd ſcilicet eiuſmodi abſceſſus, vel antè ſignificati non fuerint, aut facti ſint ἀναῤῥόπως: nec procul à morbo, aut in parte non capaci: primis illis criſibus quibus illi abſceſſus oboriuntur, ſcilicet exacta quaternariorum vi, diuturnitatem morbi ſignificant, ob materiæ contumaciam & naturæ infirmitatem. Vide Aphor. 19.5. comment. 1. in libr. 5 ſect. 2. Coac.*

## *APHOR. LII.*

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι ἢ ἐν τῇσιν ἄλλῃσιν ἀῤῥωστίῃσι κατὰ προαίρεσιν ὀφθαλμοὶ δακρύουσιν, οὐδὲν ἄτοπον· ὁκόσοισι δὲ μὴ κατὰ προαίρεσιν, ἀτοπώτερον.

*QVibus in febribus aut aliis morbis volũtariè illacrymant oculi, nihil abſurdi eſt. Quibus verò non voluntariè, abſurdius.*

SEntentia hæc prognoſtica eſt, ſcripta ab Hippocrate in primo Progn. & 4. ac 6. Epid. Lacrymę in febribus aliiſque morbis poſſunt accidere propter affectum animi, vt nuntium triſte, gaudium, miſericordiam. Deinde propter oculi peculiarem affectum, quia vel inflammatio eſt, vel acris in oculos à capite fluxio. Poſſunt tertiò illacrymare ægri etiam ſine voluntate: vt in perturbatione critica, vbi ſæpe antecedit lacrymatio, deindè ſanguinis ſequitur è naribus eruptio. At huiuſmodi quidem lacrymæ nil abſurdi indicant. Sed ſi erumpunt lacrymæ, reſoluta virtute retentrice, tum quæ eſt in cantho, tum quæ eſt in cæteris partibus oculi, letale eſt. Natura enim obiecit canthos qui eſſent veluti ſeptum quoddam, ne excrementa cerebri fluerent in oculos, ſed potiùs per nares aut os

ferrentur. Verùm etiamſi non ex voluntate fluant lacrymæ, non tamen eſt fidendum huic vni ſigno: ſed ita demum illud eſt iudicandum malum, ſi reliqua quoque ſigna pernicioſa acceſſerint.

## SCHOLIA.

*DEcimum axioma. Lacrymæ ſpontaneæ ac voluntariæ nihil mali in morbis portendunt: inuoluntariæ ſæpius aliquid mali denunciant. Lacrymæ enim, quæ præ dolore, moleſtia, triſti cogitatione, aut alia animi affectione exprimuntur etiam in ægris, non corporis ſed animi affectuum ſunt indices: At inuoluntariæ, non niſi aut cerebro, aut oculis, aut toto corpore, interuentu cerebri, male affectis prodeunt, vt poſſint illorum affectus indicare. Inuoluntariæ autem lacrymæ quæ funduntur in morbis, duplices ſunt: aliæ criticæ, aliæ ſymptematicæ, ſeu vi morbi profuſæ: criticæ non ſunt nec inutiles, nec mortiferæ, vt quæ circa ſtatum morbi antegreſſis coctionis ſignis perturbationem criticam eſſe oſtendunt, & hæmorrhagiam potiſſimum denunciant. Symptomaticæ non omnes formidabiles. Nam quæ per morborum initia ex multa vini potatione, aut vomitione violenta, aut ophthalmia, vel antiqua deſtillatione lacrymæ funduntur: quæ peculiari malo angulorum & oculi excidunt: quæ re externa irritante oculos, fumo, puluere, feſtuca, aliiſque id genus excitantur, non ſunt periculoſæ. Terrificæ ſunt in vehementi phrenitide, vt in Dealcis vxore, ſanie tenui ex cerebro inflammato in oculos redundante. Omnium exitioſiſſimæ in acutis extincta & exoluta facultate retentrice inſita ipſius oculi ſubſtantia, muſculis ac carunculis, quas angulis oculorum natura obduxit, quaſi præſidia quædam arcendis lacrymis. Quibus partibus contabefactis ac reſolutis muſculis, lacrymæ nolentibus effluunt. Quam cauſam à cæteris diſcernere licet ex oculorũ cauitate & extenuatione. Quòd ſi retentrix in membro natura*

*humidiſsime deficiat, proximum eſt exitium. Quòd autem voluntariæ lacrymæ fiant à vaporibus elatis à corde humidum cerebrum commouentibus ac exprimentibus: Inuoluntariæ verò, à cerebro aut oculis, aut toto corpore, interuentu cerebri, male affectis, vide Fracaſtorium, & librum de riſu D. Iouberti. Hoc axioma repetitur Aphor. 80. ſect. 2. lib. 1. Epid. & Aph. 21. ſect. 1. lib. 6. Epid.*

## *APHOR. LIII.*

Ὁκόσοισι δὲ ἐπὶ τῶν ὀδόντων ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περιγλίσχρασματα γίνεται, ἰσχυρότεροι γίνονται οἱ πυρετοί.

*QVibus in febribus circa dentes lentores naſcuntur, iis febres vehementiores fiunt.*

SI quis per ſanitatem abundat multa pituita, cruda, craſſa, & glutinoſa in ventriculo aut cerebro, tollitur vapor craſſus, qui (ſi accedat calor aliquis, vt ex vino meraciore, aut ſi homo dormiat in dorſum & ore aperto, obſtructiſque viis ac meatibus ad nares & os) lenteſcit & concreſcit in lingua & dentibus: atque ita manè reperias dentes & linguam imbutam viſcido & lento humore, vt vix abradere poſſis. Idem accidit ægris in febribus, quæ quidem materiam habent pituitoſam: tùncque (inquit Hipp.) ſunt fortiores & vehementiores. Huiuſmodi enim lentores indicãt calorem immenſum, qui pituitam illam excalfacit & exiccat: & ob id febris non ſolum vehementiam, ſed & pertinacem longitudinem. Vt enim ignis non facile accenditur in lignis viridibus, & quæ lentorem quendam habent, ſed accenſus diutiſſime ſeruatur & acriter vrit: Sic in iis febribus, materia illa pituitoſa tarde

incaleſcit & accenditur,ſed vbi accenſa eſt, maior eſt calor & diuturnior.In calida & ſicca materia celerrime quidem accenditur,& vehemens eſt,ſed celerrime contabeſcit. Periculoſiſſimum quoque eſt, ſi dentium interualla nigreſcere videantur.Significatur enim magna aduſtio materiæ,& plerunque mors.

## *SCHOLIA.*

*VNdecimum axioma. Vehementioris ac acerbioris febris indicium eſt, quibuſcunque per febres ſine vllis pepaſmi ſignis ac ſine vlla ſpe intermiſsionis, glutinoſus humor ad dentes adhæreſcit,ex nimia crudi humoris in aluo abundantia, aut deſtillatione humoris qui à calore craſsior & glutinoſior fit: ſiquidem ille humor glutinoſus ſit albus: ſin autem niger, funeſtæ febris indicium eſt: cum ſcilicet eundo vires febris acquiſiuerit, & humor glutinoſus flammam conceperit. vide Aph. 7. lib. 2. ſect. 2. Coac. & 56. eiuſdem libri.*

## *APHOR. LIIII.*

Ὁκόσοισιν ἐπὶ πολὺ βῆχες ξηραὶ βραχέα ἐρεθίζουσαι ἐν πυρετοῖσι καυσώδεσιν, οὐ πάνυ τι διψώδεές εἰσιν.

*QVibus tuſſes ſiccæ modicè irritantes in ardentibus febribus diu durant, ij non admodum ſiticuloſi ſunt.*

SCribit Hippocrates iſtud maximè fieri in eo febriũ genere quæ dicuntur καυσώδεις: quas duplices eſſe antea diximus. Vnam ex multitudine crudi & craſſi humoris, vbi videntur oſſa confringi & conquaſſari. Alteram, ex vehementi & longo exercitio quæ bilioſiſſima & ardentiſſima eſt. Si quis ergo diutius & ve-

hementius ſuſtinuerit exercitium, vel per frigora, vel per æſtum & ſolem, vel in puluere, vnde contracta ſit intemperies frigida aut calida in partibus ſpiritalibus,& multum ſint fauces & aſpera arteria exaſperatæ, irritabitur tuſſicula & ſitis. Fieri quoque poteſt, vt in febribus ardentibus tuſſis excitetur, quando vel à cerebro,vel à glandulis ſaliuantibus exprimitur in pulmones tenuis quædam humiditas & acris,quæ etiam ſitim adferat. Vocat autem tuſſes ſiccas, in quibus nihil expuitur, aut potius quod expuitur tam tenue eſt & parui momenti, vt nihil excerni poſſit. Modicè & leuiter irritantes dixit, quòd hæ non multum commouent thoracem: alioquin ſequeretur neceſſariò calor maior, & ita maior ſitis & febris, ſi tuſſes eſſent magnæ & vehementes, ſi etiam longæ & diuturnæ, vt quæ commouerent & peruerterent thoracem, Ἐπὶ πολὺ, id eſt diu & longiori tempore, vox eſt quæ non legitur in aliis Aphor.(6.enim Epid. part. ſecunda, vbi repetitur hæc ſententia, omittitur) ponamus tamen legendum eſſe. Quod ſi fiat,non erit hoc loco vertendum, diu durant. Verum quidem eſt ἐπὶ πολὺ interdum ſignificare diu, quandoque vt plurimùm & magna ex parte: ſed ſignificat etiam ex longioribus interuallis, vt ἐπὶ βραχὺ, ex breuioribus. Quare vertendum erit ex longioribus interuallis. Cui expoſitioni ſubſcribit Gal. 6. Epid. vbi hunc Aphor. exponens dicit oportere eiuſmodi tuſſes paruas eſſe & longioribus interuallis. Sic enim ex vicinis partibus, vt cerebro, & glandulis illis ſaliuãtibus tantum humoris frigidi & tenuis exprimetur in pulmones & aſperam arteriam, quantum ſatis ſit adminuendam ſitim, vt οὐ πάνυ, id eſt (quod dixit 6. Epid.)

μὴ κατὰ λόγον, non pro ratione ardoris & magnitudinis febris ſitiat æger. Quanquam interdum etiam non ſitit pro ratione febris, quum videlicet mens occupata eſt, vt in delirio.

## *SCHOLIA.*

*Duodecimum axioma. Tußis ſicca, ceu in qua nihil tußiendo expuitur, cuius tamen cauſa non eſt à maligna deſtillatione, ſed à ſpiritu frigidiore quem ducendo viuimus: aut à pauca quadam humiditate ex capite partibúſque adiacentibus faucibus expreſſa: qua diu & longo tempore leuiter irritans in febribus ardentibus ſuboritur: quamuis earum ſymptomata pathognomonica ſint inexplebilis ſitis & linguæ ſcabrities: tamen in illis ſitim minuit: quòd ea irriget fauces & ventriculum benigna deſtillatione, temperétque frigidiore ſpiritu. Quod vt faciliùs intelligas, notabis ex Hippocr. 6. Epid. duplicem tußim in febribus fieri. Vnam, à ferina deſtillatione è cerebro, aut vlcere in thorace, aut empyemate. Alteram non ferinam, à deſtillatione tenuis humiditatis ab externis cauſis contracta potius, quàm vitio cerebri, aut partium ſpiritalium, vt in febribus laborioſis à vento, aut aëre frigidiore, aut æſtu vehemēti, aut puluere, aut fumo. Siccitas enim quadam, aut ab intemperie aſperitas & inæqualitas in partibus ſpiritalibus innaſcitur, qua fit vt leuiter tußiant ægri, ac potißimum cum hiant aut loquuntur. Nam ſpiritus in aſperitate faucium & arteriæ illiſus, aut tenuis & blanda diſtillatio, vel potius quidam liquor è cerebro, aut glandibus vicinis effluens, aut cibus exaſperans tußiculam mouet: quæ leui concußione è vicinis partibus benigniorem humiditatem elicit & exprimit, tum in pulmonem tum in ventrem: ſicque eas partes irrigando & ſpiritu frigidiore temperando, ſitim ſedat, cuius ventriculus, aut pulmo, aut tenue*

*inteſtinum cauſa eſt. Ac magis quidem interdum ſedat, quàm frigidæ potio, quia plus tuſsi in pulmones exprimitur, quam potu influere queat. Vtriuſque autem tuſsis motus diuerſus eſt, & effectus diſsimiles. Nam ferina, breuibus interuallis vrget, nec leuiter ſed vehementer thoracem mouet: nõ ferina vero, ex longioribus interuallis & leuiter irritat. Non ferina, remittit ſitim & febrem: ferina vtranque auget, vehementi concuſsione & aſsidua agitatione thoracẽ ac pulmonem lacerat, vehementer calfacit, ſomno priuat, viréſque celerrime proſternit.*

## APHOR. LV.

OI ἐπὶ βουβῶσι πυρετοὶ, πάντες κακοὶ, πλὴν τῶν ἐφημέρων.

*Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.*

Βουβὼν aliquando ſignificat locũ, aliquando affectũ: etenim Βουβὼν proprie dicitur articulus ille cruris qui eſt ad pudenda, inguina vocamus. Sic quoque dicitur affectus, id eſt, inflammatio quæ naſcitur in glandulis quæ illic ſunt. Quanquam ſic etiam dicuntur inflammationes ſub axillis, collo, & aliquando (vt teſtatur Gal.) in medio brachio natæ. Dictus Βουβὼν, quia aſſurgit & attollitur in magnam molem. Cæterùm difficultas eſt an Hippocrates intelligat de bubonibus qui præcedunt febrem, an de iis qui cũ febre prodeunt, an de iis qui febri ſuccedunt. Non intelligit de febre bubonem ſequente: quia Gal. lib. de differ. febriũ diſputat, naſci non poſſe febrem putridam à bubone, eò quòd totus humor in bubone impigitur, ita vt inde nõ poſſit eſſe tantus vapor, vt ad cor perueniat. Ob id Philotheus ait Hippocratem loqui vulgari more, quia

etiamſi præceſſerit febris, aut ſucceſſerit, dicere ſolet vulgus, Ex bubone febris, & non ex febre bubo. Reuera ſæpe videmus excitatis bubonibus febres excitari. Sed (vt Galenum tueamur) ſi à bubone excitetur febris putrida, non fit ratione vaporis illius qui fertur ad cor, ſed potiùs ratione materiæ bubonis quæ in venas proximas diffunditur, quæque putreſcendo corrumpit & putreſcere facit reliquam materiam contentam in venis. Aliquando naſcitur bubo vnà cum febre: vt in peſte ægri ſentiunt ſæpe iaculum in inguinibus, ac mox & febris emergit & bubo. Interdum anteit febris, quam tertio, quarto, quinto pòſt die excipit bubo. Atque ita & ſibi inuicem ſuccedunt, & vnà oriuntur. Febris itaque bubonibus iuncta, mala, præter diariam. In hac enim ſpiritus tantùm ſunt calefacti citra putredinem. At vbi cum bubone vèl ex bubone naſcitur putrida, maligna eſt, ſiue ſit peſtilens, ſiue non. Nam intelligimus viſcus aliquod malè affectum, quod ſua excrementa deponit in inguina ſeu alia emunctoria. Verum in febrium criſibus plerunque naſcitur bubo ſine periculo. Sic & in virginibus, inſtante tempore purgationis menſtruæ. Sed terreri non decet, quando cum huiuſmodi bubonibus non ſunt vomitiones, deliria, vrinæ prauæ aut minus bonæ, languidus pulſus, carbunculus, & cætera ſymptomata febris peſtilentis. Alias ſi hæc adſint, peſtilens eſt bubo & periculoſus.

## *SCHOLIA.*

DEcimumtertium axioma. *Quæ in bubones incidunt febres, calamitoſæ ſunt omnes, abſceſſu ſymptomatico: qui*

*ſine cauſa manifeſta obortus, ſignum eſt partis germen habentis, à quo & ipſa pars, vnde manauit prius affecta per humoris refluxum deterius longe afficitur. Si diarias exceperis, quæ comitari ſolent bubones à cauſa manifeſta obortos. Vt ab vlcere, contuſione, defluxione, ſuppreßione menſium, aut fluxione imminente, abſque febre, aut ſimul cum febre: qui cum mediocrem inflammationem excitarint, febriculam mouent, & diariam: interdum etiam impuro corpore putridam, prout vel ſolus calor communicatur cordi: vel vnà cum ipſo putredo in viſcere aut magnis venis includitur. In dolore quoque ſanguinem vnà cum ſpiritu ad partem affectam à natura tranſmiſſum glandulæ in diuiſionibus magnorum vaſorum collocatæ, intercipiunt & combibunt. Ea enim pars maximè opportuna eſt fluxioni, ob inſitam imbecillitatem, femoris motum, ſitum decliuem, & redundantem humiditatem. Hi bubones non plus adferunt periculi, quam affectio ipſa, quæ illorum cauſa eſt.*

## *APHOR. LVI.*

Πυρέσσοντι ἱδρὼς ἐπιγενόμενος, μὴ ἐκλείποντος τοῦ πυρετοῦ, κακὸν· μηκύνει γὰρ ἡ νοῦσος, καὶ ὑγρασίην πλείω σημαίνει.

*FEbricitanti ſi ſudor accidit, febre non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, humiditatémque multam ſignificat.*

NOn eſt hîc admittenda dictio, crebrò: cùm ἐπιγιγνόμενα Hippocrati de iis ſæpius dicantur, quæ rarò accidunt, neque veniunt ratione morbi. Multis autem modis poteſt oriri ſudor in febribus, qui morbum nõ ſoluit. Primum ſudor ſi vacuet tãtum materiam ſeroſam & fuliginoſum recrementum (quæ in toto habitu corporis ſemper colliguntur) non ipſam febris materiam, mirum non erit ſi non ſoluat, & ſi non leuet.

Deinde putreſcit aliquando materia & in vaſis & extra vaſa. Si natura partem materiæ quæ eſt extra venas, expurget tantùm, febris perſeuerabit. Sin partem materiæ, quæ putruit in venis, concoxit, & supereſt pars incocta, ſudor is non ſoluet morbum, ſed leuare tamen poterit. Quòd ſi natura totam materiam & quæ in vaſis erat, & quæ extra vaſa, concoquit, ſeparat, excernit per ſudorem die critico, febris tum ſoluetur. Sin ſuperueniens ſudor, ſiue die critico, ſiue non, febrem non ſoluat, indicatur morbi longitudo: eò quòd multa eſt in vaſis humiditas putris febris materia, quæ longiori tempore eget vt edometur, id eſt concoquatur, ſeparetur & excernatur.

### SCHOLIA.

*DEcimumquartum axioma. Sudor febricitanti ſuperueniens, abſque vlla febris intermiſſione, malum: quia eſt iudicatorium non iudicans. Producitur enim morbus, cum ſcilicet humoris qui in vitio eſt tenuior pars euanuerit ſuperſtite craſſiore: & quod tanta copia humoris ſubſit, vt eam ſuperare mox non poſſit natura: vnde ad naturæ infirmitatem accedit pepaſmi difficultas. Lethale quoque ſi praua ſigna ſuperueniant, qualia ſunt delirium, conuulſio, perfrigeratio totius corporis, & ſimilia. Differt autem hic Aph. ab Aph. 42. huius ſectionis, ſudor multus calidus vel frigidus &c. ibi enim de ſubſtantia ſudoris copioſa: hîc verò de natura temporis in quo ſuperuenit. Eſtque hic Aphoriſmus velut particulare exemplum illius generalis axiomatis.*

### APHOR. LVII.

ὙΠὸ σπασμοῦ ἢ τετάνου ἐνοχλουμένῳ πυρετὸς ἐπιγενόμενος, λύει τὸ νόσημα.

*QVi conuulſione aut diſtentione affligitur, ſi febris ſucce-dit, morbum ſoluit.*

ORibaſius aliiq́ue Græci mirantur cur Hipp. hoc loco generi adiecit ſpeciem, cum ſatis fuiſſet dixiſſe. Qui conuulſione affligitur. Gal. & nonnulli alij volũt Hippocratẽ nomine ſpaſmi intelligere ἐμπροσθότονον καὶ ὀπισθότονον, tetanum verò ſeorſim dixiſſe quaſi non eſſet conuulſionis ſpecies: eò quòd in ipſo corporis partes non videantur verè conuelli, ſed æqualiter antè & retrò tendantur, maneantq́ue rigidæ, vt ſunt mortuorum cadauera. Euiuſmodi rigor & diſtentio ſoli aliquando brachio accidit, quum muſculi vtrinque conuelluntur & extenduntur. Sed ſatis eſt, modò intelligamus Hippocrati hîc agi de triplici illa conuulſione. Huius ſẽtẽtiæ meminit lib. 6. Epid. & in Prorrh. & lib. 2. Aph. 26. Vbi diximus conuulſionis nomine intelligere omnes neruorum & articulorum affectiones à materia frig. & humida, caloremque febrilem, ſi modò proportionatus fuerit, materiam illam conuulſionis frigidam & craſſam concoquere, tenuare, incidere, mouere denique ad excretionem. Sed multò magis mouebitur excretio, ſi huic calori febrili iunctus fuerit rigor. hic enim dum corpus exagitat, maioremq́ue calorem excitat ad excretionem maxime per ſudores, vomitiones, deiectiones, inde liberatur genus neruoſum: corrigit præterea intemperiem neruoſi generis, quod non ſolum ſiccat & calfacit: ſed etiam corroborat, vt nerui qui antea humidi colligebant multum excrementi, iam non colligant, nec recurrat affectus.

## SCHOLIA.

DEcimumquintum axioma. Si cui conuulſione aut tetano laboranti non ab inanitione, ſed ab humorum frigidorum plenitudine, aut flatulento tumore: febris potiſsimum diaria, imò & putrida, quæ ſit analoga conuulſioni aut tetano, inciderit, morbum ſoluit: quia calor febrilis humores frigidos concoquit, & concoctos excernit, non quidem per ſe & propria vi, ſed caloris natiui interuentu: cuius ſolius proprium munus eſt concoquere etiam vitioſos humores, qui tamen à calore præter naturam iuuari poteſt in morbis: nequaquam verò, in generatione optimorum ſuccorum, aut nutritione corporis, aut mitificatione prauorum humorum. Vnde ſupra dictum eſt per Aph. 26. ſect. 2. febrem conuulſioni ſuperuenire ſatius eſſe, quàm conuulſionem febri. Hæc autem ſententia licet de tetano & conuulſione proferatur ab Hipp. vera tamen eſſe poteſt in conuulſiuis motibus, epilepſia, apoplexia, atque fere in omni neruorum dolore à pituitoſo humore ac frigido, quia in cauſa conueniunt. Vocatur conuulſio, muſculorum affectio, quæ non eſt interrupta motibus & acceſsionibus diſtincta, ſed firma iam (vt in tonico motu) in qua cõtracti ſeruantur muſculi ab infarcto humore in ipſorum villis aut neruis. Huius licet apud Galenum tres dicantur eſſe ſpecies. Tetanus ſiue rigor, cum partes æqualiter tenduntur, conuulſis ad ſuum principium vtriſque muſculis & neruis, tum inclinantibus & erigentibus, tum flectentibus & tendentibus, vt nullam in partem ceruix inflecti queat. Emproſthotonos, tenſio flectentium muſculorum in anteriora: Opiſthotonos in poſteriora, à contractione tendentium. Tamen tetanus hîc ab Hipp. videtur diſtingui à conuulſione, non tanquã ſpecies à genere, ſed potius ſpecies à ſpecie, aut genus à genere, ita vt nulla ſpecies ſit conuulſionis. Qua de re vide noſtra ſcholia in Aph. 39. ſect. 6. & in Aph. 13. ſect. 7. hoc axioma repetitur.

*Aph. 29. ſect. lib. 4. Coac. notabis interim hic fieri ſermonem de triplici iſta conuulſione, in quamcunque corporis partem incidat. licet enim tres hæ conuulſionis differentiæ manifeſtius in capite quam in reliquis corporis partibus appareant, tamen aliæ partes his poſſunt affici.*

## APHOR. LVIII.

ΥΠὸ καύσου ἐχομένῳ ἐπιγενομένου ῥίγεος, λύσις γίνεται.

*QVi ardente febre correptus eſt, ſi ſuperueniat rigor, à morbo liberatur.*

IN hoc Apho. dixit ἐπιγενομένου: quòd vſurpari diximus de iis potiùs quæ rarò accidunt quàm quæ crebro. Rigor enim ſemel tantum incidit in febre ardente, quã materia acris & bilioſa à venis æſtiuo tempore exſiccatis attracta, peperit: quam rigor præcedentibus ſignis ſalutaribus ſoluit. Sed rigor non ſeruat ægrum, imò excretio quæ rigorem ſequitur. At Hipp. (vt ſæpe alias) vtitur hic antecedente pro conſequente. Itaque rigor eſt tantùm prænuncius excretionis ſalutaris, vt ſudoris, & maxime vomitionum, aut deiectionis, aliquando ſudoris cum vomitione, ſudoris cum deiectione, & interdum trium ſimul. Vulgus hoc rigore perterrefieri ſolet: ſed ſi rigorem anteceſſerint ſigna ſalutaria, & ſi adſit virium robur, non eſt timendum: modò ſequatur aliqua excretio. Quod ſi contingat rigorem excitari nulla ſubſequente excretione, lethale: quia ſignum eſt naturam ſuccumbere, & præterea calorem natiuum qui foras tendebat intrò reuocari. Quare non rigor ipſe ſanat febrem, ſed ſalutaris excretio quæ rigorem excipit.

## SCHOLIA.

DEcimumſextum axioma. Si rigor ceu inæqualis vniuerſi corporis concuſsio ex tranſlatione bilis à centro ad habitum corporis ſemel incidat, qui antè non fuit, ei qui febris ardentis ſpecie & indiuiduo, omnis remiſsionis expertis, cùm ſiti inexplebili, linguæ ſcabritie, iactatione corporis, capitis, ceruicis atque lumborum dolore coniuncta, dominatu tenetur: ea defungitur, vacuatione ſcilicet bilioſorum ichorum, quos venulæ areſactæ attraxerant, eorumque incendio nata fuerat febris ardens. nam quibus in febribus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſoluuntur, per Apho. 63. lib. 4. Quod ſi nulla ſequatur excretio, lethale, quia calor aut copioſa & indomitæ materiæ, cui occurrit affluxu ſuffocatus, aut reſolutus, præ infirmitate ſuccumbit: materia verò agitatione & calore turgens, nec amplius naturæ dominatu contenta in nobiliores partes refluit, vt ad diaphragma: ſæpius in caput, tum quia venis amplis multiſque vniuerſo corpori patet, tum verò quia rigor omnis ab inferioribus partibus, vt lumbis, incipit per dorſum ad caput.

## APHOR. LIX.

Τριταῖος ἀκριβὴς κρίνεται ἐν ἑπτὰ περιόδοισι, τὸ μακρότατον.

*TErtiana exquiſita ſeptenis ad ſummum circuitibus iudicatur.*

TErtiana exquiſita dicitur ea quæ fit à meraciſſima bile, tempore, regione, ætate, temperamento calidis ſiccis. Paulus Ægin. negat eſſe veram & exquiſitã tertianam: ſed ait huiuſmodi febrem ita ſcriptam eſſe ab Hippo. tanquam ideam tertianæ. habemus tamen tertianas quæ proximè accedunt ad exquiſitas illas, vt

eas in quibus materia eſt pauca, natura robuſta, & corpus laxum: & hæ non habent acceſſiones 12. horarum, ſed quatuor tantùm aut 6. terminanturque aliquando vnica acceſſione; aliquando tertia, aliquando quinta, & (quod ſummum eſt) ſeptima. habemus & alias, quæ ab illis longè recedunt: vt ſunt tertianæ nothæ à crapula natæ, & in quibus multum eſt pituitæ admixtum bili. hæ quamquam interdum paucis acceſſionibus finiantur, ſolent tamen eſſe longiores: vt quæ naſcuntur menſe Martio, quæ ſi perueniant ad Maium, in longum tempus protrahuntur. Periodos ergò dicit in tertianis, quia (vt teſtatur tertio Progn.) in his ſpectare oportet non dies, ſed circuitus: vt ſoluatur tertiana febris acceſſionibus tertia, quinta, ſeptima, & interdum quarta. Sic in quartanis ſpectandi circuitus, non dies. Quod ſi ita eſt, quartana terminabitur acceſſione quadrageſima 60. 80. 100. Si has acceſſiones præterierit, ſpectabimus quartum menſem, ſextum, octauum, decimum, 12. 14. 16. aliquando 20. & 24. Morbus enim eſt longus, & qui non niſi diebus paribus mouetur.

## SCHOLIA.

*DEcimumſeptimum axioma. Febris quæ tertio quoque die repetit, exquiſita, cuius materia biliosa eſt & vniuſmodi, cauſarum efficientium vi & excipientium affectione, ipſaque, vt ita dicam, idæa: item cuius vehementiſsimi & celerrimi ſunt paroxyſmi, tum vniuerſales, tum ſingulares: ad ſalutem ægri iudicatur ſeptem periodis: id eſt acceſsionibus (vt totum pro parte ſumatur) quia, qualis eſt dierum ratio in febribus continuis, talis & periodorum in febribus intermittentibus: vt tardiſsimè, materia venenata qualitatis &*

*corpore inflammationis experte, abſoluto intra illud temporis materiæ benigna pepaſmo, cum integritate natura irritata, & intermiſſione febris recreata. Hoc axioma repetitur Aph. 44. lib. 4. Coac.*

## APHOR. LX.

Ὁκόσοισιν ἂν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τὰ ὦτα κωφωθῇ, αἷμα ἐκ ῥινῶν ῥυὲν, ἢ κοιλίη ἐκταραχθεῖσα λύει τὸ νόσημα.

*Quibus per febres aures obſurduerunt, iis ſanguis è naribus profluens, aut aluus turbata morbum ſoluit.*

IAm antè Apho. 28. huius ſectionis dictum eſt, quòd in febribus commota natura materiam mouet, & tranſfert in partes ſuperiores, vt cerebrum & meatum auditorium, vnde ſurditas. Sed vbi materia illa vel hæmorrhagia è naribus, vel per aluum vacuatur, ceſſat ſurditas: eò videlicet tranſlata materia.

## SCHOLIA.

*DEcimumoctauum axioma. Quibuſcunque febre correptis obſurduerunt aures, auditorij meatus obſtructione, non ſtabili aut obfirmata ſed fugaci ab humoris morbifici ad caput tranſlatione critica aut ſymptomatica: ita vt illa ſurditas non ſit reſoluta facultatis ſoboles, nec morbi acuti & turbulenti conſequens: ſanguinis è naribus profluuio, aut profuſiore aluo, quæ ſcilicet bilioſis excrementis copioſè fertur: eo morbo liberantur: quòd ſcilicet qui in vitio erat humor conuenienter supernè deorſum feratur.*

## APHOR. LXI.

ΠΥρέσσοντα ἢν μὴ ἐν περιττῇσιν ἡμέρῃσιν ἀφῇ ὁ πυρετὸς, ὑποτροπιάζειν εἴωθεν.

*FEbricitantem niſi diebus imparibus febris reliquerit, reuerti ſolet.*

GAl. non ita probat hunc Apho. quia experientia conſtat terminari febres aliquando diebus paribus, vt 14. & 20. & 34. 40. 60. & tamen non faciunt recidiuam. Niſi per dies impares intelligamus dies criticos, ſiue ſint pares, ſiue impares. Vt 14. dies eſt par, quia diuidi poteſt in duas partes pares: & impar cenſetur medicis, quia rationem habet ſeptenarij: quomodo hîc dies impares accipere poterimus, qui videlicet rationẽ habeant ſeptenarij: ac proinde febres omnes ſolui dĩe critico. Adde quòd naturæ mouentis diebus paribus vis labefactatur. Cum enim imparibus mouere ſoleat, ſi ad pares recidat eius motus, præcipitantis iam & debilitatæ naturæ eſt argumentum. Perturbat enim naturæ ordinem materia morbi, vel copia vel praua qualitate, vt diuina illa vis quæ ordine, tempore & loco omnia facit, anticipare & poſtponere ac differre ſuos motus cogatur, nec eodem temporis tractu, eodemque circuitu excrementa aggredi ac expellere poſſit.

### SCHOLIA.

*DEcimumnonum axioma. Si febricitantem febre ardenti & bilioſa, quæ rarò ad decimumquartum protenditur, ſed vel quinto aut ſeptimo, nono, aut vndecimo terminatur, febris non dimiſerit diebus imparibus, vt ſeptimo, aut vndecimo: poſtliminio ſolet reuerti: quòd, vt illæ die-*

*bus imparibus mouentur, ſic imparibus iudicari debent. Ac tanta eſt dierum criticorum vis, vt quod iure optimo fieri videtur ad cuiuſque morbi curationem, niſi id diebus criticis fiat, nihil opis adferat, ſed indicatorium ſit non iudicans. Repetitur hoc axioma 2. Epid. & in Coacis.*

## *APHOR. LXII.*

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσιν ἴκτεροι ἐπιγίνονται πρὸ τῆς ἑπτὰ ἡμερέων, κακόν.

*QVibus per febres morbus regius ante ſeptimum diem ſuperuenerit, malum.*

MVlti repugnant Hippocrati in Aph. Inuenimus tamen experientia ſententiam hanc veram eſſe magna ex parte, & vt raro aliter accidat. Iſtud indicant Epid. hiſtoriæ: vt de Hermocrate, qui ante ſeptimum auriginoſus factus periit. Et nos obſeruauimus plures anno 1545. qui ita interierunt: vnum tamen ſeruatum eſſe beneficio naturæ & inſignis vacuationis, ſed cum multis recidiuis. Contrà habemus locum lib. primo Epid. de Heraclide, qui tertio die factus auriginoſus liberatus eſt: idque beneficio conſequentis vacuationis, vt per hæmorrhagias è naribus, ſudores, &c. Hinc Hippo. quarto de victus ratione in morb. acutis: in febre bilioſa (inquit) morbus regius ante ſeptimum diem natus, cum rigore morbum ſoluit: ſine rigore vero, peſtiferum. Vbi per rigorem (ſuo more) intelligit conſequentem inſignem vacuationem, notato enim eo quod præcedit, ſolet innuere id quod ſequitur. Sed non ſequitur ſeruari ægrum ab hac vacuatione, niſi robuſtis ſit viribus, & alia ſigna ſalutaria appareant: alioquin ſi infirmis ſit viribus, etiamſi ſequeretur inſignis

euacuatio, peribit: & hoc propter Hermocratem, qui etiam à vacuatione periit, cùm eſſet infirmis viribus. Ob id ſunt qui huic Apho. adiiciant, niſi humorum per aluum deiectiones fiant: vt intelligamus etiam & hæmorrhagias, &c. Morbus regius naturæ imbecillioris ſignum eſt, quando non poteſt excernere quæ mouit, eò quòd bilis illa craſſior eſt. Hippo. hîc agit de regio morbo, qui fit ratione febris: hoc eſt, quum bilis quæ in venis continebatur, effuſa eſt in corporis habitum & ad cutim: & tum die ſeptimo poteſt eſſe ſalutaris (vt diximus) ſi ſequatur vacuatio & æger ſit robuſtus. At ſi ſit grauis obſtructio hepatis, aut inflammatio, aut aliud vitium inſigne, non ſeruabitur. Proinde regius morbus ante 7. aliquando lethalis, aliquando non. Salutaris quidem ſi accidat viribus integris, ſequatur inſignis vacuatio, & adſint alia ſigna ſalutaria. Lethalis, ſi viribus imbecillis, etiamſi inſignis ſequatur vacuatio.

## SCHOLIA.

*Vigeſimum axioma. Qui in febres incidit morbis regiis ante ſeptimum diem eſt calamitoſus. Quæ enim febres biliosæ ſoluuntur bile tranſmiſſa criticè ad cutẽ, ex bile craßiore ortum habent: qualis bilis coctionem admittere non poteſt ante diem ſeptimum: ac proinde nec ſalutariter tranſmitti ad cutem ante diem ſeptimum: adde quòd febres bilioſæ, quæ ante ſeptimũ terminantur, potius alia euacuatione, vt fluxu alui, aut ſanguinis, quàm per cutem finiuntur. Huius autẽ axiomatis veritas potius experientia quã certa ratione conſtat. licet enim plurimæ febres ardentes eæque bilioſæ poßint tertio die, aut ſaltem quinto*

*per morbum regium ſalutariter expurgari: tamen experimur iuſta obſeruatione quotidiana morbum regium in acutis febribus ſæpius lethalem, aut vnde vix ægri reualeſcant. Quidam ſexto factus auriginoſus commota aluo bilioſa deiecit, vrinas minxit, quales auriginoſis nigras & multo intinctas felle: febris intermiſit, ambulauit, qui ſibi omnino liberatus videretur, decimoquarto recidit, decimoſeptimo obiit. Aliis duobus idem accidit: alij ſine excretione & recidiua obierunt. Quidam admodum robuſtus inde reualuit, ſed diutius laborauit, multis interpoſitis recidiuis, multis caſibus, iiſqué grauibus & periculoſis ſubinde interiectis. Plurimi apud Hippocratem in Epid. ante ſeptimum diem auriginoſi facti ſeruati ſunt, ſed non niſi quibus aut ſanguis è naribus profluxiſſet, aut vomitus vel deiectio, vel vrina erupiſſet, idque iuſta ac copioſa vacuatione & cum virium robore. vide Apho. 7. lib. quarti Coac. vbi fuſiſsime hoc axioma explicatur. vide Amatum Luſitanum curat. 49. centuria 3.*

## APHOR. LXIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι καθ' ἡμέρην ῥίγεα γίνεται, καθ' ἡμέρην οἱ πυρετοὶ λύονται.

*Quibus in febribus quotidie rigores fiunt, iis quotidie febres ſoluuntur.*

Καθ' ἡμέρην eſt vel quotidie, vel quo die rigores fiunt, ſiue fiat rigor alternis diebus, ſiue ſingulis diebus, ſiue quarto quoque die. Hoc loco Hippo. per ῥῖγος non frigus, ſed rigorem verum intelligit à cauſa calida & ſicca, vt eſt bilis per corporis habitum commota. Itaque poteſt hic Apho. intelligi de tertianis intermittentibus tantùm: ſed quia Hipp. notato vno genere febris ſæpe innuit & reliqua febrium genera, poterimus intelligere & reliquas febres, quæ aut rigorem habent,

aut frigus, aut horrorem: cuiuſmodi ſunt ſimplex tertiana, & duplex, quartana, quotidiana; intermittentes omnes in quibus materia non putreſcit in vaſis, ſed extra vaſa, aut in habitu corporis, aut in venis capillaribus. In ſingulis enim acceſſionibus harũ febrium quantum humoris febrem committentis efferbuit, tantum expurgatur: atque hoc nomine ſoluuntur, id eſt, ad ἀπυρεξίαν perueniunt & in febricitationẽ: ſed quia relinquitur qualitas quædam & diſpoſitio febrilis, ob id regeneratur noua materia, quæ iterum putreſcit ad futuram acceſſionem, & ita redeunt acceſſiones. Quare non poteſt iſtud intelligi de hemitritæo febre compoſita ex quotidiana continua & tertiana intermittente: quãdoquidem ea habet quidem diebus alternis horrores aut rigores, ſed non ſoluitur neque peruenit ad infebricitationem.

## *SCHOLIA.*

*Vigeſimumprimum axioma. Quibuſcunque in febribus intermittentibus, quotidianis, tertianis, quartanis, rigores, aut horrores, aut frigora (rigoris enim nomine hæc tria hîc intelliguntur) incidunt quotidie, febres quotidie diſcutiuntur, habentque ſui paroxyſmi vacuitatem cum euanuerit materia, & extra venas detruſa fuerit, cuius motu, collectione, & putredine excitatur paroxyſmus.*

## *APHOR. LXIIII.*

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τῇ ἑβδόμῃ, ἢ τῇ ἐνάτῃ, ἢ τῇ ἐνδεκάτῃ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἴκτεροι ἐπιγίνονται, ἀγαθὸν, ἢν μὴ τὸ δεξιὸν ὑποχόνδριον σκληρὸν ᾖ· ἢν δὲ μὴ, οὐκ ἀγαθόν.

*QVibus per febres die ſeptimo vel nono, vel* 11. *vel* 14. *morbus regius ſuperuenerit, bonum, niſi dextrum hypochondrium durum fuerit, alioquin minimè bonum.*

MOrbus regius his diebus excitatus non ſemper ſalutem denunciat, niſi vt dictum eſt, cum valida virtute, ſequatur inſignis vacuatio. Quod monuit Hipp. cum ait bonum. Diocles medicus antiquiſſimus, & iunior Hippocrates ab Athenienſibus cognominatus iudicauit icterum eſſe ſalutarem poſt ſeptimū diem, niſi quum fuerit commotus, ſuccedat febris. Addit Aphoriſmo Hippocrates, niſi dextrum hypochondrium obduruerit. Fieri poteſt, quòd ſit aliqua grauis obſtructio in hepate, aut inflammatio, & prætereà ſit multa bilis quæ putruit in venis. Si itaque natura bilem hanc tranſponat in habitum corporis, neque tamē ceſſet viſceris affectus, haud multum proderit ægro: quanquam verum eſt, naturá aliquatenus leuari. Quod ſi contrà accidat, bono eſt, poteritque ſeruari æger. Si verò non &c. Triplex eſt interpretatio. Si verò non, id eſt, ſi morbus regius non moueatur dieb. criticis, non bonum: quæ expoſitio melior eſt. Altera eſt Oribaſij, ſed non æquè bona. Si verò non, id eſt, ſi ab hypochondrio dextro tumente & dolente non ſequatur regius morbus, malum: vt ſequatur, non eſt bonum. Tertia eſt Philothei, non etiam admittenda. Si verò non, hoc eſt, ſi vero dextrum hypochondrium tumuerit, malum, & non bonum.

*SCHOLIA.*

*VIceſimumſecundum axioma. Icterus ſuffuſa bile flaua per habitum corporis, ſuperueniens febre continua & acuta*

*correptis, ſeptimo die aut nono, qui indicem habuit quartum: aut vndecimo, qui indicem habuit ſeptimum: aut decimoquarto, qui indicem habuit vndecimum: ſalutaris eſt, quia hi dies iudicatorij ſunt indicantes. niſi dextrum hypochondrium durum ſit ab inflammatione, aut ſcirrho, tum enim nullo die ſalutaris eſt, ſed ſymptomaticus. Quod ſi bilis ſuffundatur ſine vllo dierum criticorum delectu, non ſalutaris eſſe poteſt icterus, ſed malus, vt ſignum & vt cauſa, imo etiam funeſtus: niſi hæmorrhagia, vrinæ aut alui profluuio, calamitas illa tollatur, vt Heraclidæ Apho. 65. ſect. 2. lib. 1. Epid. nam Hermocrati, qui illis euacuationibus caruit, fuit funeſtus, ſect. 2. lib. 3. Epid. vt autem ſuperiori Aphoriſmo de febribus intermittentibus factus eſt ſermo, ita hîc de continuis.*

## APHOR. LXV.

Ἐν τοῖσι πυρετοῖσι περὶ τὴν κοιλίην καῦμα ἰσχυρὸν καὶ καρδιωγμὸς, κακόν.

*In febribus circa ventriculum vehemens æſtus, & cordis morſus, malum.*

In febribus, acutis videlicet; de his enim ferè ſemper intelligit, vt ex multis ſuperioribus Apho. conſtat. Solet appellare Hipp. febrem non omne febrium genus, in pleuritide enim non dicitur febris, ſed ſymptoma, ſed tantùm & propriè vt febris eſt paſſio, non ſymptoma. nomen κοιλίης, quod aliquando omnem cauitatem, vt thoracis, cerebri, cordis, hîc propriè, vtpote addito articulo, cibi & potus receptaculum hoc eſt, ventriculum & partes ventriculi vicinas ſignificat. Quum itaque in febribus acutis circa ventriculum eſt fortis æſtus, peſſimum ſignum eſt: quia ſignificat magnam inflammationem, vel multitudinem bilis acerrimæ

putreſcentis in ea parte, & aliquando in primis venis; & tum eſt vehemens ſitis, lingua ſcabra & arida, &c. Iam καρδιαγμὸν vſurpat Hipp. modò pro vellicatione & lancinatione oris ventriculi, modò pro cordis palpitatione, quam iectigationem vocant. Sed multò veriſimilius eſt, eum hîc intelligere morſum oris ventriculi: ab inflammatione videlicet, à bile in eo putrente, aut vapore acri à bile putrefacta contenta in ventriculo. Poteſt enim his de cauſis vellicari orificium ventriculi. In febre acuta vbi vehemens eſt palpitatio cordis, & inflammatio ipſius, iam incenſo corde, leui ac tenui ſudore exorto ſæpe moriuntur die quarto. Breuiter vtrũque horum malum eſt, ſed iectigatio pernicioſior.

## SCHOLIA.

*VIceſimumtertium axioma. Si in febris aſsiduitate, incendio aluus conflagret, fluctuante bile æſtu in tunicis alui, neque liberum exitum habente, & adſit ſtomachi vellicatio, malum, vt ſignum & vt cauſa: vt ſignum quidem, quia indicatur bilis affluxus ab hepate, aluique reſolutio in fundo & orificio: vt cauſa, quia inde naturalis œconomia labefactatur, & ab omni ciborum genere æger damnis augetur, quibus & doloris acerbitate cor in ſympathiam facillimè trahitur, vnde & ſyncope.*

## APHOR. LXVI.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσιν ὀξέσιν αἱ σπασμοὶ καὶ οἱ περὶ τὰ σπλάγχνα πόνοι ἰσχυροὶ, κακόν.

*IN febribus acutis conuulſiones, & circa viſcera vehementer dolores, malum portendunt.*

RAtio eſt, quia conuulſio febri ardentiſſimæ ſuperueniens, mala: quia ab inanitione. In eiuſmodi conuulſionibus febres ardentiſſimas ſequentibus incipiunt contremiſcere manus: quod malum eſt ſignum (niſi ex conſuetudine id fiat, vt in temulentis & ebrioſis) quia tunc genus neruoſum reſiccatur, & valde imminuitur natiuus calor. Deinde reuellitur pulſus, & retrahitur manus ſurſum verſus humerum. Hæ manifeſtæ conuulſiones ferè incidunt ſub mortem, neque vnquam æger euadit tertium, quartum aut quintum diem. Sic de doloribus circa viſcera. Hippocrates vocat σπλάγχνα omnia interanea, vt pulmonem, cor, ventriculum, lienem, hepar: Gall. *la freſſure*. Philotheus intelligit hypochondria. Quod ſi admittamus, ſignificabuntur viſcera hypochondriis ſubiacentia. Viſcera, vt viſcera ſunt, non ſentiunt, neque dolent: tamen dolent propter colligationem quam habent cum partibus neruaceis. Vt, ſi hepar vehementer intumuit, dolor commouebitur, quia pendebit deorſum, & detrahet diaphragma ac membranam ſuccingentem coſtas. Itaque graues obſtructiones lienis & hepatis, eorundémque inflammationes, adferunt acerbiſſimos dolores ratione partium ambientium & vicinarum, quæ neruaceæ ſunt & membranaceæ.

## *SCHOLIA.*

*VIceſimumquartum axioma- Si in aſsiduitate febrium acutarum motus partium quæ ſponte mouentur, inuoluntarij fiant, aut hypochondria intrò contrahantur, cum viſcerum acerbo dolore, malum. Tales enim conuulſiones, acerbique dolores ab inflammatione vel potius ſiccitate ortum habent: ab*

*inflammatione quidem diaphragmatis, quæ vtrumque hypochondrium contrahit, conuellitque conuulſione per catachæſin: à ſiccitate vero, hepatis aut lienis: dum enim hepar aut lien inaruit à nimio febris æſtu, per ſympathiam afficit diaphragma, ſicque contrahitur hypochondrium.*

## APHOR. LXVII.

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσιν οἱ ἐκ τῶν ὕπνων φόβοι ἢ σπασμοὶ κακόν.

*IN febribus per ſomnum pauores aut conuulſiones malum ſignificant.*

HIc Aphor. eſt particularis expoſitio primi Aphor. ſect. ſecundæ. Pauores ſunt periculoſi tum in ſanis, tum in ægris. In ſanis enim indicium eſt malignæ materiæ in corpore contentæ, vt eſt bilis flaua aut ſuccus melancholicus: quorum humorum vterque in corpore retentus neceſſariò putreſcit, & vapores effert ad cerebrum. Tum opus eſt purgatione. In febribus verò (nimirum acutis) fiunt pauores à vehementer aſſata bile, ſiue materia ea feratur ſurſum, ſiue vapores tantùm efferat ad cerebrum aliquando ex venoſo genere, & aliquando ex ore ventriculi. Cęterùm conuulſionum cauſam Gal. in comm. refert ad crudam & pituitoſam materiam neruoſum genus occupantem. Sed poſſunt etiã fieri conuulſiones ab immodica calfactione & reſiccatione eiuſdem neruoſi generis, quæ reſiccatio eſt à materia acriore, nimíſque aduſta, à qua etiam pauor: vt cõuulſionis & pauoris poſſit eſſe eadem cauſa. Prętereà in febribus aliquando reuellitur æger, quum ab illo pauore & metu contrahuntur membra verſus ſuum prin-

cipium: ſed eſt tantùm imago quædam conuulſionis, non conuulſio, neque id perſeuerat. At conuulſio à proprio neruorú affectu (vt à bile aut pituita) perſeuerat.

## *SCHOLIA.*

*VIceſimumquintum axioma. Si ad febris aßiduitatem acceſſerit pauor per ſomnum atque conuulſio, non ſolum in ſtatu & declinatione (vt primo Aphor. huius libri dictum eſt) ſed & initio & incremento febris, malum. Sunt enim ſymptomata male affecti cerebri à tranſlatione ſymptomatica tetri vaporis, & humoris biliosi, aſſatione in melancholicum conuerſi, potißimum ab ore ventriculi in caput genúſque neruoſum delati.*

## *APHOR. LXVIII.*

ΕΝ τοῖσι πυρετοῖσι τὸ πνεῦμα προσκόπτον, κακὸν· σπασμὸν γὰρ σημαίνει.

*IN febribus ſpiratio offendens malo eſt: conuulſionem enim ſignificat.*

VT in pulſu, ita & in reſpiratione eſt rhythmus quidam in celeritate & tarditate, iuſtúmque interuallum ab inſpiratione ad expirationem, & ab expiratione ad inſpirationem. Vbi ergo rhythmus ille commutatur, & reſpiratio in medio ſui interrupta ſubſiſtit, dicitur τὸ πνεῦμα προσκόπτον, ἢ (lib. 2. de victus ratione in morb. ac.) προσπταῖον, id eſt, ſpiritus offendens. Dicitur & πνεῦμα ἀνακαλούμενον, id eſt, reuocatus ſpiritus. Item interciſus, interruptus, duplicatus, & vno vocabulo ἐπίπνευσις, quaſi ſuperſpiratio, vel iterata ſpiratio. Celſus ſpiritum in faucibus eliſum vocat. At ſpiritus ſubſiſtens, eſt particularis quædam ſignificatio.

Spiritus ille offendens apparet in plorabundis, necnon in ſingultuoſis. Sic in equis, qui ob virium imbecillitatem ceſpitant. Si itaque reſpiratio in febribus ceſpitat (vt ita dicam) & offenſat: ſi item pulſus, malum eſt & admodum letale, quia conuulſionem indicat. Spiritus autem eiuſmodi offendentis cauſæ tres ſunt. Eſt enim vel virium imbecillitas, vel neruorum & muſculorum reſpirationi inſeruientium debilitas, vel eorundem neruorum & muſculorum diſpoſitio conuulſifica. Oribaſius tamen addit quartam cauſam, materię copiam: vt in pueris ſanis videre eſt, quibus dum plorant, intercipitur reſpiratio & interrumpitur propter abundantem materiam fuliginoſam.

## *SCHOLIA.*

*Viceſimumſextum axioma. In febribus ſpiratio interciſa atque intercepta inſpirando vel expirando, malum: vt ſignum, quia conuulſionem ſignificat muſculorum intercoſtalium à ſiccitate: Item vt cauſa, quia calor qui in æſtum degenerauit in corde, aëris liberaliore pabulo defraudatur. Vide Aph. 20. ſect. 2. lib. 6. Coac.*

## *APHOR.* LXIX.

Ὁκόσοισιν οὖρα παχέα, θρομβώδεα, ὀλίγα οὐκ ἀπυρέτοισι, πλῆθος ἐπελθὸν ἐκ τουτέων λεπτὸν, ὠφελέει· μάλιστα δὲ τὰ τοιαῦτα ἔρχεται οἷσιν ἐξ ἀρχῆς ἢ διὰ ταχέων ὑπόστασιν ἴσχει.

*Quibus non ſine febri vrinæ ſunt craſſæ, grumoſæ, & paucæ, ſi ab iis tenues & copioſæ prodierint, iuuant: maximè verò tales redduntur in quibus ſtatim ab initio, vel non ita multò poſt ſedimentum apparuerit.*

QVi ſequuntur Aphor. ſunt de vrinis. Gal. lib. de criſibus diſtinguit has ſententias ab iis quæ ſunt in Progn. de vrinis. Agit enim illic de vrinis tantùm quæ ſpectant ad febres & venoſum genus: hoc loco de iis etiam quæ ſpectant ad vias vrinales, vt in affectibus renum & veſicæ. Hippocrat. 6. Epid. & in his Aphor. meminit craſſarum & turbidarum vrinarum. Diſtinguere tamen oportet craſſas à turbidis. Nam quædam ſunt craſſæ, nec tamen turbidæ (vt in ictericis) & contrà: quemadmodum aliud eſt vinum craſſum & turbulentum à muſto, quod turbidum eſt. Iam craſſum & tenue dicuntur bifariam, ſimpliciter, & per comparationem. Vrina craſſa ſimpliciter, & tenuis ſimpliciter ſignificat cruditatem, vt in hiſtoria Hermocratis. Craſſa verò dicitur etiam per comparationem ad tenuem aut mediocrem: & tum coctione craſſeſcit. Sic tenuis per comparationem ad craſſam aut mediocrem. Ponamus ergò tria vrinarum genera, craſſam, mediocrem, & tenuem. Erit craſſa ſimpliciter, mediocris ſimpliciter, tenuis ſimpliciter. Rurſus erit craſſa per comparationem, mediocris per comparationem, tenuis per comparationem. Portò craſſæ ſunt vrinæ propter copiam crudi humoris: quales ſunt in lenta febre, in qua Aphor. hic eſt obſeruandus. Sed Hippocrates hoc in loco proponit ordinem quendam in vrinis, vt in febribus Autumni longis, & quartanis obſeruatur. Primo ſiquidem die apparet vrina craſſa, ſecundo die grumoſa. Hæc ſignificat initium quoddam coctionis. Nam (exempli gratia) quemadmodum vbi totum cœlum eſt nubiloſum, ſi vi ſolis incaleſcat, apparet veluti grumoſum (Gall. *pommellé*) adeò vt certis partibus & interuallis cernatur quædam caligo,

aliis verò partibus ſerenitas: ita in vrinis vbi calor agit in materiam crudam, fiunt grumi, quando quod craſſum eſt ſeparatur, & interuallis ac partibus quibuſdam apparet liquor vrinæ ſyncerus. Fiunt quoque grumi in vrinis grauidarum, quando flatus diſpergit & diſſipat vrinæ corpus craſſum. *Paucæ*) quia à materiæ craſſitie intercipiuntur viæ vrinales. Haud ſine febre, hoc eſt, cum febre non ita inſigni. Nam à multitudine crudorum humorum aliquando generatur lenta & exigua febris, aliquando malignißima. Lenta fit, ſi tantùm cruditas eſt: maligna, vbi flaua bilis permixta eſt crudæ materiæ, & hæc retinet naturam ſemitertianæ. Si ab his, id eſt, poſt eiuſmodi vrinas prodierint tenues (non ſimpliciter, ſed per comparationem ad craſſas) & copioſæ, iam ſcilicet liberatis viis, & cocta materia, iuuant. Præcipuè verò tales, tenues & copioſæ exeunt iis quibus ab initio, hoc eſt, primis quatuor diebus, aut non multò pòſt, i. primis periodis (vt primo ſeptenario) vrina ſedimen obtinet. Sed cauendum, ne nobis imponat ſedimentum, vt anno 1545. Lutetiæ eſt obſeruatum in vrinis. Nam primis diebus ſedimen apparebat: quod etiãſi promitteret criſin, fallebat tamen medicos. Sedimentũ igitur triplex eſt in morbis. Vnum, quod apparet ex coctione alimenti, non ratione morbi: & illud non permanet. Aliud eſt, quale eſt illud cuius hîc meminit Hip. quod fit ratione grauitatis materię, nõ coctionis. Cuius rei admonet nos etiã Aëtius. Nã in morbis crudis & febribus à cruda & craſſa materia primo die apparẽt vrinę craſſę & crudæ: quæ ſimulatque agitãtur à calore, & à flatibus diſperguntur, fiũt grumoſę ſecũdo die: tertio die materia illa diſcuſſis flatibus ſubſidet. Hoc ſedimen indicium eſt initij coctionis, & fallax eſt, quia non fit

propter coctionem. Prætereà hoc ſedimentum paulo pòſt commutatur in ſublimamentũ, ita vt 7. die & ſequent. diebus criticis ſedimenti loco appareát ſublimamenta: quia tũ natura vehementiùs cõtẽdit in coctione, quod dũ facit, plures flatus gignit, qui materiã illam craſſam ſubuehunt, atque ita attollitur nubes in ſummũ. Poſtquã natura vehementer contẽdit in coctione, diebus ſequẽtibus in medio vrinæ erit nubes, quæ poſtremò cõuertetur in ſedimentũ: quod naturale eſt. Cæterũ in his vrinis craſſis cõſiderare debemus an permaneant craſſæ: éſtque diſtinguendũ. Vel vires ſunt imbecillæ, & alia ſigna maligna apparẽt, morietur æger: vel robuſtæ ſunt, nec talia adſunt ſigna, ſeruabitur quidem, ſed longus erit morbus.

## SCHOLIA.

*Hactenus diagnoſin ac prognoſin febrium ex variis earũdem ſymptomatibus deſumptam protulit: nunc de vrinis, quæ febrium, vtpote affectuum venoſi generis propria omniumque certißima ſunt indicia, agit: & quæ ex illarum chymoſi, quantitate, puritate, odore, colore ac contentis ratio in febribus haberi poßit, proponit. Primùm diagnoſticum eſt de vrinæ chymoſi. Quibuſcunque febricitantibus, nulla interim affectione nephritica laborantibus, vrinæ ſunt craſſæ, ob crudi humoris copiã, & confuſis contentis à flatulento ſpiritu: grumoſæ, diſperſis æneorematis, vt quibuſdam vrinæ partibus diſperſa & glomerata appareant: pauca, interceptis quodãmodo vrinæ viis, ob crudi humoris craßitudinem, & imperfecta ſecretione ob materiæ cõtumaciam: ſi ab iis tenues, id eſt mediocriter craſſæ, abunde ferantur, excitata naturæ vi, liberatis obſtructis, & præparata materia: adiumentum adferunt: quòd ſcilicet vel abſceſſu liberent, vel humoris morbifici ſucceßionem in alias partes vacuandi ſignificent. Maxime vero huiuſmodi*

*vrinæ funduntur, quibus ab initio, vt pote primo quaternario, aut non ita multò poſt vt ſeptenario, hypoſtaſin habent loco & materia bonam: ex quo ſignificatio fit integritatis partium ſolidarum, vegeti caloris natiui, & materiæ pepaſmi capacis: quemadmodum Dioni ad dyſenteriam, Ariſtoni puero ad hæmorrhagiam contigiſſe legimus lib. 1. Epidem. Vide Aphor. 69. ſect. 2. lib. 5. Coac.*

## *APHOR. LXX.*

Ὁκόσοισι δὲ ἐν πυρετοῖσι τὰ οὖρα ἀνατεταραγμένα, οἷον ὑποζυγίου, τουτέοισι κεφαλαλγίαι ἢ πάρεισιν, ἢ παρέσονται.

*Quibus per febres vrinæ perturbatæ ſunt, quales iumentorum, iis dolores capitis vel adſunt, vel aderunt.*

DVplex eſt genus febrium in quibus ſunt hæ vrinæ. Vnum, in quo eſt ſola cruda materia. Alterum in quo copioſa bilis permixta eſt multæ cruditati. Gal. 6. Epid. Sabinum interpretem Hippocratis reprehendit, quia iudicabat eas vrinas turbulentas ſignum eſſe colliquationis: cùm ſigna ſint multitudinis crudæ & craſſæ materiæ à calore febrili agitatæ, & conuerſæ in flatus aliqua ex parte, qui eam perturbationem efficiunt, vnde dolor capitis tenſiuus. Aliquando hæ vrinæ cum morſu & dolore deſcendunt. Galenus ſolet tribus exemplis proponere imaginem turbidarum vrinarum. Primo, vt ſit qualis eſt vrina iumentorum. Secundo, vt referat muſtum, in quo eſt multitudo crudę materiæ & calor igneus, qui mouet. Tertio, vt ſit perinde ac ſi ſedimentum perturbaueris, vt cum matulam agitas, ſedimentum miſcetur reliquo corpori vrinæ. Quibus igitur tales vrinæ turbidæ adſunt, iis dolor capitis

pitis

pitis vel adeſt vel aderit, dolor inquam tenſiuus. Omnis enim flatus & ſpiritus ſua natura ſurſum fertur: quare ſi ferueat & agitetur materia à calore febrili excitatur flatus ad caput, vnde dolor ille. Adde huic capitis dolori afflictionem ventriculi magnam, tum etiam & ſaltus membrorum (vt manuum) & conuulſiones quaſdam, palpebrarum nictationes, quæ ſæpe ſolent his febribus ſuperuenire. Flatus enim illi ſæpe tantam ſpirituum agitationem faciunt, vt ſubſilire membra videantur, lib. primo Epid. & 7. quemadmodum in muſto videas, quum præceps quidam ſpirituum concurſus fit. Hinc Hipp. ſeptimo Epid. Lotium ſpiſſum (inquit) & turbulentum ſignum eſt manifeſtum doloris capitis, conuulſionis, & mortis. Hoc intelligendum, ſiquidem ſit vehemens febris, & vires non ita robuſtæ: vt accidit Peliphanto vxori Philini, ſeptimo Epid. Sin in febre exigua appareat eiuſmodi lotium cum robuſtis viribus, non eſt neceſſe ægrum mori: ſed protrahetur morbus vel vſque ad diem quadrageſimum.

## *SCHOLIA.*

*SEcundum diagnoſticum. Quibuſcunque per febres, nulla item præſente nephritici doloris ſuſpicione, vrina perturbata ac diu depoſita non reſidunt, quæ vocantur* οὖρα θολερὰ, *cuiuſmodi eſſe ſolent animalium veterinorum: his vel adſunt vel in propinquo ſunt cephalalgiæ ſymptomaticæ, cum delirio & conuulſionis metu, vt in Polyphemo lib. 7. Epidem. Quales vrinæ cum virium integritate ad diuturnitatem, cum infirmitate ad mortem apparent.*

## APHOR. LXXI.

Ὁκόσοισιν ἑβδομαία κρίνεται, τουτέοισιν ἐπινέφελον ἴσχει τὸ οὖρον τῇ τετάρτῃ ἐρυθρὸν, καὶ τ' ἄλλα κατὰ λόγον.

*QVibus ſeptimo die futura eſt criſis, iis quarto die nubeculā habet vrina rubicundam, & alia ſigna pro ratione.*

IN hoc Aph. non tam certandum ratione, quàm experientia: & licet hoc ſignum rarò accidat, aliquando tamen accidit, vt conſtat ex comm. Gal. & morbis quibuſdam qui hodie graſſantur. Fructus huius Aph. præcipuus is eſt, vt diligenter animaduertamus quid appareat in vrinis die 4. quia natura tunc edit ſigna quibus intelligamus quid ſit futurum die 7. neque ſolum habenda eſt ratio eorum ſignorum quæ oſtenduntur die 4. ſed etiam eorum quæ oſtenduntur diebus criticis & aliis iudicibus: quanquàm vis omnium potentiſſima eſt primis quaternariis & ſeptenariis primis. Rubra ergo nubecula apparens in vrina 4. die indicat quid ſit futurum die 7. Ex doctrina Hipp. & Gal. vrinæ rubræ ſignificant morbum quidem ſalutarem, ſed longum. Sed quomodo igitur ſi longiùs protrahatur morbus, Hipp. hoc loco ait iudicium fieri debere ſeptimo? Duo ſunt quæ efficiunt vt morbus iudicetur die 7. Primò, quia celeriter mouetur morbus. Secundò, quia quæcunque apparent ſigna critica die 4. accelerant iudicium morbi: quippe cùm maiorem vim habeant indicia quæ die 4. apparent, quàm quæ cæteris diebus. Iam ἐπινέφελον ambiguum eſt apud Hipp. Siquidem aliquando ſignificat nubiloſum, vt in Epid. Interdum ἐναιώρημα, id eſt, ſublimamentum quod nubiloſum in medio vrinæ apparet. Aliquando (vt hîc) eſt nubecula ſeu contentum illud

quod in ſuprema parte vrinæ conſpicitur: idque propriè. Raròviſuntur nubeculæ rubræ, albæ ſæpius. Rubrã autem nubeculam accipimus vel à multitudine ſanguinis: vel à ſanguine putrente (cum Actuario) vel à flaua bile, vt vult Philotheus: vel à rubra bile, vt cenſent Arabes: vel à ſeroſo ſanguine, vt Gal. cuius ſententia cæteris eſt anteponenda. Sane bilis aliquando intingit vrinas rubro, vt videre eſt in ictericis. Hîc autem Hipp. (vt ſolet, notato vno particulari, quæ ei ſunt ſimilia innuere) notata nubecula rubra die 4. intelligit & alia ſigna quæ apparẽt die 4. Hinc dicit, & alia pro ratione. Quod trifariam exponitur. Primò ſic, ſi 4. die appareat nubes rubra vel alba, 7. die iudicium fiet: ſi in morbis thoracis appareat 4. die ſputum coctum, hoc eſt, album, læue, & æquale, 7. die fiet iudicium: Si in morbis ventris 4. die appareant bonæ deiectiones, fiet item criſis die 7. Altera expoſitio ſic ſe habet: non ſolùm oportet medicum conſiderare quartum diem & ſeptimum, ſed etiam reliquos dies indices & criticos. Tertia, non ſolùm medico ſpectanda ſigna coctionis, ſed & reliqua quæ apparent in toto corpore, vt eſt facies ægri, decubitꝰ, &c. Tres hæ expoſitiones poſſunt admitti.

## SCHOLIA.

*Tertium diagnoſticum. Quibus ad ſalutem fit criſis per hæmorrhagiam, aut ſudorem, aut alui profluuium in peracutis morbis, primo ſeptenario totius hiſtoriæ: in acutis ſecundo aut tertio ſeptenario: iis nubeculam vrina habet ſubrubram à ſero ſanguinis omnium humorum, maximè pepaſmi, capacis, quarto die, qui index ſeptimi eſſe ſolet: eodémque modo de aliis morborum generibus indicandum per propria cuiuſque*

*excrementa, quorum concoctio ſemper diebus indicibus indicatur. Tanta nimirum vis eſt dierum indicantium & iudicantium in morbis non modò acutis, ſed & omnibus aliis. Sic nimirum in morbis thoracis licet illi rarò per ſputum criſin habeant, tamen eorum concoctio per ſputum proditur. Vnde ab Hip. dictum, ſi ſputum ſtatim appareat, morbum reddit breuiorem. Quamuis autem dies indices, vt quartus, notas coctionis habeāt, non tamen futuram criſin proximo die critico neceſſario indicāt, niſi in morbis qui coniunctam habent magnitudinem ſymptomatum cum motus celeritate. Nam præterquā quòd multi morbi non excretione, ſed aut coctione, aut abſceſſu finiuntur, plures ſunt morbi qui paulatim & ſenſim ſoluuntur. Ergo ſic collige. Si morbus criſim optimā habiturus eſt die ſeptimo, neceſſariò quarto die ſigna coctionis edentur. Non contrà, ſi die quarto notæ coctionis appareant, die ſeptimo criſis fiet, ita vt notæ quæ in diebus iudicibus apparent, potius ſint ſigna mortis aut ſalutis, quam criſeos.*

## APHOR. LXXII.

ΟΚόσοισιν οὖρα διαφανέα, λευκὰ, πονηρά· μάλιστα δ᾽ ἐν τοῖσι φρενιτικοῖσιν ἐπιφαίνεται.

*QVibus vrinæ pellucida & alba ſunt, malæ: maximè verò vbi in phreniticis apparuerint.*

HVïuſmodi vrinæ apparere poſſunt in febribus lōgis vbi eſt cruditas & obſtructio grauis, vt ſæpe in quartanis circa initia. Hinc nihil eſt iudicandum, ſed ſperandum cum tempore. Sin perſeuerent, & vires diſſoluantur, mors expectanda. Interdum (quanquam rarò) in febribus ardentibus (quum res eſt deplorata) meiunt multas aquas albas & perſpicuas. Hæ vrinæ tria ſignificant, extremam cruditatem, imbecillitatem

facultatis coctricis, paſſionem venoſi generis. Nonnunquam flaua bilis, quæ vrinam intingebat alio ſe cõuertit, vt ad cerebrum: quod malum eſt, ſi derepente fiat, quia aut delirat æger, aut breui delirabit. Nullus vnquam (inquit Gal. lib. de Criſ.) ſeruatur phreniticus, cui appareant hæ vrinæ perſpicuæ & albæ. Phrenitici non ſemper dicuntur, qui laborant cerebri aut meningum eius inflammatione: ſed hic phreniticos appellamus, quicunque cum febre aſſidua laborant aſſiduo delirio. Ab his diſtinguuntur Maniaci febre tantum: quia in maniacis eſt perpetuum delirium, ſed non febris perpetua. At in παραφροσύνῃ delirant tantùm per acceſſiones febris. Non tamen ex vrinis albis & propter bilis tranſmutationem ſemper neceſſe eſt prædicere delirium. Nam interdum contingit, vt inde ſequatur hæmorrhagia critica. Alias bilis febris materia criticè diuertit ad inteſtina, & tum fiunt dyſenteriæ. Quod notatur primo Epid. de Bithone & Critia, quibus cum derepente factæ fuiſſent nitidę & ſubpallidæ vrinę, oborta dyſenteria bilioſa euaſerunt.

## SCHOLIA.

*Qvartum diagnoſticum. Quibuſcunque febricitãtibus nulla propoſita intermiſſionis ſpe, ab anteactis pepaſmi ſignis, vrinæ pellucidæ, & quarum liquorem viſus acies facillimè penetrat, albæ ac tincturæ bilioſæ expertes vel à ſumma cruditate, aut ſane à tranſlatione ſymptomatica ad caput, non autem critica ad hæmorrhagiam, neque per diadochen ceu ſucceſſionem ad inteſtina, quam mox ſequitur dyſenteria critica: prauæ exiſtũt: quòd eiuſmodi excremẽta ſint contra naturam morbi acuti ac bilioſiſſimi, & ægri, huiuſmodi fere in phreniticis apparent, excitata inflammatione in cerebro à bilis in illam partem affluxu. Notan-*

*dum vero ſubaudiendum hîc febricitantibus febre acuta: Perſpicuæ enim vrinæ præterquam quòd in ſanis laudabiles ſunt, in frigidis affectibus, in febre etiam miti non omnino malæ apparere poſſunt, in ea potiſſimum febre, in qua ad abſceſſum apparent. Notanda quoque hiſtoria Dionis, qui poſt criſin excreuit vrinas albas & pellucidas: quod contigit, quia bilis ad inteſtina deriuata eſt, & fecit dyſenteriam criticam. Si iuuenis fuiſſet, ad hæmorrhagiam ſurſum aſcendiſſet bilis.*

## *APHOR.* LXXIII.

Ὀκόσοισιν ὑποχόνδρεια μετέωρα διαβορβορίζοντα ὀσφύος ἀλγήματος ἐπιγινομένου, αἱ κοιλίαι τουτέοισι καθυγραίνονται ἢν μὴ φῦσαι καταῤῥαγέωσιν, ἢ οὔρου πλῆθος ἐπέλθῃ. ἐν πυρετοῖσι δὲ ταῦτα.

*Quibus elata hypochondria murmurāt, lumborū dolore ſuccedente, iis alui humectantur: niſi flatus erumpant, aut vrinæ copia prodeat. Hæc verò in febribus accidunt.*

Hic Aphoriſmus locum habet in pituitoſis & phlegmaticis febribus, quæ focum habent in ventre & circa ventrem: natura dum eam materiam coquit quæ in ventre continetur, fiunt flatus, quibus materiæ permixtis & inflantur hypochondria, & βορβορυγμοὶ excitantur. Sunt autem hypochondria partes laterales ſupra vmbilicum exteriores & interiores. Tamen hîc per hypochondria intelligit ſubiecta loca caua, hoc eſt, inteſtina hypochondriis ſubiecta. μετέωρα, hoc eſt, inflata & ſuſpenſa, quia ſuſpendi videntur quæ tument. Hæc vox aliquando extenditur ad tumores præter naturam, qui à flatibus tantùm fiunt. διαβορβορίζοντα, id eſt, murmurantia. Hæc vox Græca fictitia affectum repræſentat

Fit autem βορβορυγμὸς, quando flatus humiditati permixtus, eam in loco cauo ( vt inteſtino) exagitat. Per lumbos non intelligimus hîc muſculos lumbares interiores & exteriores: ſed & renes, & ea inteſtina quæ ſunt ad lumbos, vt cæcum, & coli partem annexam renibus. Hippocrates enim loquitur more vulgi, quod ita dicere ſolet, ſiquando doleat aliqua lumborum parte, *Les reins me font mal. Is alui humectantur.*) Non aliter hęc fiunt, quàm quod de ventis ſcripſit Verg. primo Æneid. qui venti incluſi magno cum murmure montis circum clauſtra fremunt, ſed impulſo monte quà data porta ruunt: ſic flatus in tenuib. & flexuoſis inteſtinis, ad hypochondria & ilia ſitis incluſi, ſi poſt longum murmur tandem eruperint ad lumbos vbi ſunt craſſa inteſtina, cæcum & colon, illic fit diſtentio & dolor: quòd ſi flatus cum humiditate deſcendat ad rectum inteſtinum, & fiat magna deiectio, dolor lumborum ceſſat, & febris. Alui ergò καθυγραίνονται, vel quia κάτω, vel quia κατὰ, id eſt, valde humectantur, magnáque fit vacuatio flatus & humiditatis. *Niſi flatus erumpant*, &c. Sæpius diximus quod natura aliquando non ſemel, ſed pluribus vicibus molitur tum coctionem morbi, tum excretionem per ſudores, &c. Ea itaque partem pituitæ interdum coquit & conuertit in ſanguinem ac diſtribuit in corpus: ex hac coctione plerunque ſupereſt tantum flatus, quem natura poſteà eiicit: ſæpe ſupereſt aliquid pituitę, quod tanquam ineptum alendo corpori excernit per vrinas. Hæc verò in febribus, quæ materiam habent pituitam crudam incluſam in ventre, & circa ventrem.

## SCHOLIA.

*Qvintum diagnoſticum. Quibuſcunque hypochondria cum murmure repentè intumuerunt, ac veluti ſuſpenſa percipiuntur ſine inflammatione, aut ſcirrho, ſuperuenientes dolores lumborum propriè dictorum, partiúmque quæ in lumbis continentur, & earum quæ ab his originem ducunt, vnde ſignificatio fit materiæ deorſum vergentis: his alui humectantur, ſi ad partes è lumbis enatas feratur materia: niſi flatus ſilentes, ſonori, ſtridentes erumpant: aut vis vrinæ magna fundatur, tranſlata materia quæ meteoriſmum & borborigmum faciebat, ad partes quæ in lumbis continentur. Atque hæc in febribus eſſentialibus, nec vlla aut inflammati hepatis aut ſcirrhoſi cauſa adferatur. Nam febres illarum affectionum non ſunt eſſentiales, ſed ſymptomaticæ. Cæterum μετεωρισμὸς tribus modis ſumitur apud Hipp. Primo pro hypochondrij vnius vel vtriuſque tumore. Secundo, pro reſpiratione ſublimi, cum ſcilicet quis niſi erecta ceruice reſpirare nõ poteſt. Tertio pro ἀνακαθίζειν, cum quis nonpoteſt iacere, ſed ſemierectus in lecto ſe continet: & coniunctum hoc eſt cum inflammatione, æſtu ingenti & difficultate reſpirationis. Meteoriſmus autem hypochondrij coniungitur cum triplici inæqualitate ſubſtantiæ, vt cum durum aut molle: quantitatis, vt cum contractum, aut non: qualitatis, vt cum frigidum aut calidum.*

## *APHOR. LXXIIII.*

Ὁκόσοισιν ἐλπὶς ἐς τὰ ἄρθρα ἀφίστασθαι, ῥύεται τῆς ἀποστάσιος οὖρον πολὺ καὶ παχὺ, καὶ λευκὸν γινόμενον, οἷον ἐν τοῖσι κοπιώδεσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἄρχεται ἐνίοισι γίνεσθαι. ἢν δὲ καὶ ἐκ τῶν ῥινῶν αἱμορραγήσῃ, καὶ πάνυ ταχὺ λύεται.

*Qvibus ſpes eſt ad articulos futurum abſceſſum, liberat ab abſceſſu vrina multa, craſſa, & alba prodiens,*

*qualis in laborioſis febribus quarto die quibuſdam exire incipit. Si verò ſanguis quoque è naribus profluxerit, breui admodum leuatur æger.*

HIc Apho. locum habet in febribus quæ materiam habent multam, craſſam & frigidam. Cum ergo natura moliatur morborum ſolutiones, primum per excretionem, deinde per coctionem, pòſt per abſceſſum, poſtremò per metatheſin, hoc eſt morbi tranſmutationem in morbum. Vt cum è grauiori morbo fit leuior: ſi ponamus febrem à multitudine crudæ & craſſæ materiæ, quia hæc materia rarò iudicatur per excretionem: in ea febre expectandus potius abſceſſus aut coctio, quam excretio. Si contigerit, vt natura robuſta ſit & viæ vrinales pateant, natura excernet partem materiæ crudæ cum cocta, non expectata perfecta coctione morbi aut abſceſſus, tuncque fient vrinæ multæ albæ, craſſæ ac crudæ: multæ, ob humoris multitudinem, & quia vt diximus natura robuſta eſt, & viæ liberæ. Albæ, ob pituitæ naturam quæ alba eſt. Craſſæ, quia vna cum parte materiæ coctæ excernitur cruda. Quare quibus in febribus à materia cruda & craſſa (in quibus laſſitudo eſt magna, & dolor in articulis) expectamus abſceſſum in articulos, non eſt expectandus abſceſſus ad articulos, ſi æger derepentè meiat vrinas multas craſſas & albas. Porro laborioſarum febrium, vt antea dictum eſt, duplex eſt genus: vnum, quod reuera natum eſt ex vehementi motu & exercitio: vt ſi quis diu æſtate ſub ſole ſeſe exercuerit: in qua febre eſt laſſitudinis vlceroſæ ſenſus, eamque hoc loco intelligit Philotheus. Alterum, quod natum eſt ex multitudine crudæ & craſſæ materiæ, in qua etiamſi non anteceſſerit exercitium, æger tamen magnam ſentit laſſitudinem, vt non poſſit

mouere corpus ſine dolore: & hanc hoc loco intelligit Hipp. prima illa febris ex multo labore bilioſiſſima eſt, neque poteſt iudicari per abſceſſum, ſed potius per ſudores aut hæmorrhagiam. Gal. in 6. Epid. vbi Hippo. citat hanc ſententiam in ſeruo Archigenis, dicit hoc in loco oportere intelligere febrim laborioſam ex multa materia cruda & craſſa, quæ ſæpius ſoluitur per coctionem vel abſceſſum. Addit in comm. poſſe præceſſiſſe aliquid exercitij, vnde laſſi ſint articuli & excalfacti. Vt ſiquis plenus crudi & craſſi humoris corpus exerceat, facilè is humor incendetur & febrem adferet. Neque (vt Oribaſius) intelligemus hemitritæon & duplicem tertianam: neque vt alij, febres graues & ſolutu difficiles: neque (vt Philotheus) febrem laborioſam ortam ex vehementiori motu & exercitio: quæ vt eſt bilíoſiſſima non ſolet iudicari per abſceſſum, ſed potiùs per ſudores aut hæmorrhagiam. *Quarto die.*) Solet ſæpe Hippocr. notato vno multa intelligere: & ita hîc intelligit quoque reliquos dies indices & iudices, vt ſeptimum, 11. 14. 17. & 20. Nunc quarto die Hippo. dicit, quòd in his febribus ſoleat ſæpe accelerari ſolutio morbi. *Si verò ſanguis* &c.) Quæritur, an velit Hippocr. vt ſimul & vrinæ albæ ac craſſæ excernantur, & ſanguis fluat è naribus? Poteſt iſtud contingere: quia in his febribus eſt materia multa & cruda, cui nonnunquam permixtum eſt bilis aliquid. Itaque ſi natura quód craſſum eſt excernit per vrinas: quod tenuius eſt & calidius per nares, breui ſoluetur morbus, eo quod ita tota materia expurgatur.

## SCHOLIA.

*Sextum diagnoſticum. Quibuſcunque ſpes eſt ad articulos abſceſſum iri in febre diuturna, cuius diuturnitas in pepaſmi difficultate conſiſtit: accedente etiam articulorum dolore praeunte, coniuncto aut ſuperueniente: ab abſceſſu vindicat vrina multa craſſa & alba. cuiuſmodi in febribus à laßitudine vltrò oborta natis, primis ſtatim diebus nonnullis ferri incipit, vt Archigenis ſeruo 6. Epid. ſect. 4. textu 2. Quòd ſi & ſanguinis è naribus profluuium acceſſerit, breui admodum materia & occaſio iamiam futuri abſceſſus tolletur. vnde colligas tria euacuationum genera liberare ab abſceßibus ægrotantes febre laborioſa detentos, ſiquis in illis abſceſſus ſperatur: fluxus ventris, vrina multa craſſa, & fluxus ſanguinis. Abſceſſus autem tum demum ſperandus in febribus laborioſis. ſi dolor non ceſſauerit, ſputum non excernatur ſecundum rationem, neque fuerint alui deiectiones bilioſæ, neque diſſolutæ atque ſynceræ, neque vrina valde multa & craſſa, ac plurimum continens ſedimentum. Quales omnes febres à craßis ac pituitoſis humoribus ortum habent.*

## APHOR. LXXV.

ΗΝ αἷμα ἢ πύον οὐρέῃ, τῶν νεφρῶν, ἢ τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

*Si quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.*

Difficultas in eo eſt, an oporteat legere ſanguinem aut pus, an ſanguinem & pus ſimul. Celſus vertit, aut, non &. At Gal. magis probat ꝫ quàm ἢ. Ex ſententia omniũ interpretum ſanguis & pus videtur poſſe excerni & ſimul & ſeorſũ ex pene, veſica, meatibus vrinariis,

renibus, hepate, thorace, corde, pulmone, & toto corpore. Purus ſanguis (& cum pure etiam) excernitur è pene, & aliquando è collo veſicæ. At vrinæ permixtus venit potius à veſica. Vbi autem ex aliis corporis partibus pus vel ſanguis aut pus & ſanguis excernitur, inſpiciendum qua in parte ſit dolor. Eſtne neceſſe ſi quando pus & ſanguis effluat vnà cum vrina, vt ſit à veſica aut à renibus? Minimè verò. Nam fit aliquando vt ſanguis ex vna parte proficiſcatur, & pus ex alia. Vt ſiquis eſt abſceſſus in hepate, vel thorace, vel pulmone, vel corde, pus interdum demittitur ad veſicam: quod pus cùm ſit acre in tranſitu exulcerat quampiam venam (vt in partibus vrinariis) ita vt ſanguis cum pure ſimul fluat per vrinas. Vt contigit ſemel mulieri noſtræ ætatis, quę quatuor menſes integris minxit pus, & aliquando propter puris acrimoniam ſanguinem puri commixtum. Medici conſulti adhibuerunt remedia, ac ſi renes exulcerati fuiſſent, quòd in eis per interualla magnum dolorem ſentiret mulier. Hæc moritur quarto menſe, diſſecta eſt, inuenti renes integri & veſica integra: at in corde inuenti ſunt duo calculi & abſceſſus multi, qui expurgabantur per vrinas, atque in tranſitu pus dolorem inſligebat renibus. Sic ſolus ſanguis poteſt à thorace demitti ad veſicam vt excernatur. Itaque non eſt omninò fidendum Aphoriſmis, qui veri ſunt magna ex parte: & magna ex parte ſanguis aut pus cum vrina, eſt à veſica aut renibus, quorũ exulceratio ſignificatur.

## SCHOLIA.

*Septimum diagnoſticon. Si ſanguinem quis, aut pus meiat vt meiendi ſinem non faciat: vt nulla ſuſpicio ſit partium*

*diaphragmate ſuperiorum malè affectarum: nec peculiaris morbi ipſius pudendi, aut fiſtulæ vrinariæ: renum aut veſicæ exulcerationem ſignificat: præſertim ſi purulentæ vrinæ cruentas ſequantur. Qui fœda illuuie laborant, pus quidem dicuntur reddere, ſed non meiere: nam ἰχὼρ non ſpectatur in ipſo excretionis actu, ſed cum iam ad veſicam vrina influxit. Item, ſanguis meiitur ſæpenumero vel ob ſuppreſſas hæmorrhoides: vel, ab amputata, aut mutilata aliqua corporis parte: vel à venis totius corporis ſanguinẽ quantitate aut qualitate peccantẽ continentibus, ſeſe ſanguine vicioſo, per venas emulgentes nimiũ hiantes, in renes exonerantibus: vel ab hepate imbecillo: vel à venis meſaræi, aut alterius partis: vel à laxatis meatibus ad renes ſanguinem ducentibus: vel vitio renum imbecillitate laborantium, vt qui non poſſunt frui eo ſanguine qui debet aßimilari & in nutritionem conuerti: vel ab attritu calculi. Proinde ex cruentis vrinis ſtatim non diiudicandum de exulceratis renibus, niſi pus & ſanguis mictu excernatur. Ideo illa particula, ἢ, in textu debet verti per copulatiuam coniunctionem.*

## APHOR. LXXVI.

Ὀκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι σαρκία μικρὰ, ἢ ὥσπερ τρίχες ξυνεξέρχονται, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν ἐκκρίνεται.

*Quibus cum vrina craſſa exiguæ carunculæ aut veluti pili vnà exeunt, iis à renibus excernuntur.*

Poſſunt è renibus & veſica aliquando emingi carunculæ, quæ reuera carunculæ ſunt, & aliquando non carunculæ, ſed carunculis tantùm ſimilia. Gal. in comm. profitetur ſe nunquam vidiſſe in vrinis has carunculas veras: tamen veriſimile eſt Hippocratem vidiſſe. Idem Gal. ſexto de loc. affect. meminit harum

caruncularum, quæ quidem indicant locum affectum, vt renes. Quomodo vbi eſt dyſenteria & exulceratio in inteſtinis, excernitur ſæpe pinguedo & carunculæ, inteſtinorum ſubſtantia: vbi eſt vlcus pulmonis, expuitur aliquando pulmo ipſe: ita ſi ſit in renibus pus acre & mordax, ſæpe carunculæ de renum ſubſtantia cum vrinis exeunt, & hoc eſt quod vult Hipp. Quando igitur in vrinis videbimus carunculas, intelligemus magnum eſſe vlcus renum: ſed neceſſe eſt antequàm emingantur tales vrinæ, præceſſiſſe renum dolorem, & vrinas purulentas. Et eiuſmodi quidem carunculas mictas non comitatur febris. Aliquando ſimile quid carunculis excernitur, quod facit ſedimentum orobeum. Hæ vrinæ ſignificant ſanguinem craſſiorem in hepate aut renibus aſſari à calore febris, quæ ſæpe eſt ardentiſſima. Ponamus duos ægros, vnum qui emingat veras carunculas: alterum, qui particulas ſimiles carunculis. Si quidem adſit vehementiſſima febris, intelligemus ſanguinem craſſiorem aſſari à febre. Si vero præceſſit vrina purulenta & dolor in renibus, & emingantur carunculæ, dicemus has eſſe de renum ſubſtantia. Craſſam vrinam hîc exponit Gal. mediocrem, vt hæc comparetur ad tenuem & aquoſam. *Aut veluti capilli.*) Morbus hic dicitur τριχίασις, id eſt, capillitium: frequens eſt in his regionibus. Multi enim (vt ij qui intemperanter viuunt, & quibus præſertim magnus eſt calor hepatis, renum, & venoſi generis) emittunt capillos longos vnà cum vrina, & aliquando breues. Neque ſolùm capillos, ſed etiam vermes, vt ipſimet vidimus. Horum capillorum materia eſt pituita quædam lenta, viſcida, & mucoſa, quæ effluit aliquando è venis, interdum à ventriculo per hepar ad renes: quò

vbi peruenit, renum caliditate reſiccatur & conuertitur in capillos. Nonnunquam eadem pilorum materia dum putreſcit in renibus, animatur, & vertitur in vermes. Plerunque ea materia non eſt per ſe lenta & craſſa, ſed ( vt eſt ductilis ) ob viarum, per quas tranſit, calorem ſæpe lenteſcit. Quicquid ſit, vbi colligitur eiuſmodi materia craſſa & lenta in renibus, oportet hos eſſe calidiores. Hi autem capilli ( authore Gal. in comm. ) ſemper meiuntur cum vrinis craſſis, hoc eſt, nunquam cum tenuibus: & nos ipſi vidimus excerni cum craſſis vrinis.

## *SCHOLIA.*

*Octauum diagnoſticon. Caruncula, aut filamenta cum vrina excreta, à renibus prodeunt. Reuera carunculæ exeuntes cum vrina, renes exulceratos indicant: filamenta tamen aliunde quàm à renibus vlceratis manare poſſe certum eſt. nam vel à venis aduſtum ſanguinem continentibus: aliquando ex iis vaſis quæ paraſtatæ dicuntur, in quibus teretem figuram ſortiuntur ex ſeminis materia, quæ vi morbi ſenſim defluens calore craſſeſcit. apparent autem in iis plurima, qui fœda exulcerataque Gonorrhæa correpti non ita pridem fuerunt, & iis mulieribus quibus albicantes menſes profluunt, aut vterus fœda colluuie turget: nonnumquam & vrina quæ prima fit à concubitu, tale quiddam refert, aut aliquantum filamento craſſius. Repetitur hic Aph. lib. de natura humana.*

## *APHOR.* LXXVII.

ὉΚόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ παχεῖ ἐόντι πιτυρώδεα συνεξουρέεται, τουτέοισιν ἡ κύστις ψωριᾷ.

*QVibus cum vrina craſſa, quædam furfuroſa vnà exeunt, his veſica ſcabie laborat.*

CRaſſa, id eſt, mediocriter habente. In tunica interiore veſicæ poteſt aliquando colligi acris & ſalſa pituita quæ ſcabiem efficiat, non ſecus atque in cute exteriore. Quare quemadmodum exterior cutis ſcabioſa ſi confricetur, reddit furfures: ita non mirum eſt, ſi veſicæ ſcabioſæ idem accidat. Sic etiam quemadmodum in cutis exterioris ſcabie, pſora, lepra, impetiginibus: ita & ex veſica ſcabioſa poſſunt deradi veluti quædam ſquamæ aut lamæ, vt cum vrinis excernantur. Sed Hipp. vt eſt breuis, dixit tantum furfurea. Aliquando furfur aut ſimile quid furfuri emingitur in febribus ardentibus, vbi non veſica, ſed totum venoſum genus ſcabiem parte interiore contraxit: idque vel à pituita ſalſa, vel à bile vſta, vel ab humore melancholico. Quamobrem vbi in febrib. ardentib. talia ſedimenta erunt, vel innatàntia quædam in vrinis, dicemus vehementem febrem id efficere, & ſummam eſſe colliquationem: quod admodum periculoſum eſt. Contrà ſi nulla ſit febris, & adſit pruritus ac dolor in interiori parte veſicæ, ex eiuſmodi vrinis colligemus veſicam ſcabie infeſtari.

SCHOLIA.

*NOnum diagnoſticum. Si cum vrina craſſa concocta vt nulla ſit ſuſpicio male affectarum venarum, furfures quidam ferantur, veſica pſora laborat, eſtque aſpera & ſuperficie tenus exulcerata. Talis autem vrina mala eſt, quia curatu difficilem affectum indicat. Repetitur hic Apho. 5. Epid. & lib. de natura hominis.*

APHOR.

## APHOR. LXXVIII.

Ὁκόσοι ἀπὸ ταὐτομάτου αἷμα οὐρέουσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῶν νεφρῶν φλεβὸς ῥῆξιν σημαίνει.

*Qvicunque inopinanter ſanguinem meiunt, his in renibus venulæ ruptionem ſignificat.*

Diſputarunt veteres de mictione ſanguinis. Eſt apud Aurelianum Mileſius medicus, qui contendebat fieri ob imbecillitatem vaſorum ſpermaticorũ, quæ quòd ſanguinem conceptum continere non poterant, emittebant. Archigenes verò ait, quemadmodum ſtatis temporibus excitantur derepente menſes mulieribus, & viris quibuſdam hæmorrhoides: ita & aliquando ſtatis periodis collectus in corpore ſanguis multus defluit ad renes & veſicam, vnde cruentæ vrinæ. Sed habendum eſt ita tunc fieri excretionem ſponte naturæ ſine rupta vena. Quantum ad Mileſium attinet, nos ipſi vidimus adoleſcentes duos, qui propter immoderatam venerem ſanguinem purum meiebant. In his veriſimile eſt fuiſſe vaſorum ſpermaticorum imbecillitatem. Sunt & nonnulli qui ſi durius equitent, aut ſeſe exerceãt immoderatius, excalfactis renibus ſanguinem meiant. Ex doctrina itaque Galeni eſt, vrinas exire cruentas interdum ab hepate, aliquando ex imbecillitate renum, nonnunquam rupta vena in renibus vel veſica, aut eroſa vena, aut aperta. Si rupta vena, ſanguis erit copioſus, purus, & derepente effluet. Si aperta per anaſtomoſin, & laxiora ſunt venarum ora, tunc non emittetur purus ſanguis, ſed tinctæ erunt ſanguine vrinæ. Si vas ſit exeſum, præcipuè quum pręceſſit vlcus, effundetur ſanguis non purus, non copioſus, neque repente, niſi magna ſit eroſio. Cęterùm venæ ruptio de

qua hîc eſt ſermo, fit quum à multo ſanguine & craſſo vas diſtenditur, quam diſtentionem ſequitur veræ ruptio, vnde mictus ſanguinis. Ἀπὸ ταὐτομάτου autem dicitur tripliciter, vel pro ſponte, vt Apho. 2. lib. 1. vel ἐξαίφνης, ἢ ἀθρόως, hoc eſt, repente, & vniuerſim ac copioſè, vt hoc loco. At qui ſanguis ex veſicæ vena rupta aut exeſa emittitur, non tam copioſus eſt quàm à renibus.

## *SCHOLIA.*

*DEcimum diagnoſticon. Quicunque repente atque confertim ſanguinem meiendo fundunt, ſpõte & abſque cauſa manifeſta, quæ vel interna ſit, vt venæ ruptura aut vaſorum anaſtomoſis: vel externa, vt ſaltus, ictus, medicamenti acrioris potio, his rupta a renibus venæ ſignificatio fit. Notandum vero mictionem cruentam multiplicem eſſe, & a variis cauſis excitari. Puri ſyncerique ſanguinis eruptio ex interiore penis meatu, vt in his qui immoderatè coeunt, mictio haudquaquam appellanda, quod ſine vrina, nulloque voluntatis arbitrio ex rupta, aperta, vel exeſa vena fiat. Vt ergo mictio cruenta dicatur, oportet ſanguinem vrinæ permiſceri. Is autem ſanguis qui mingitur, vel a renibus, vel a ſphinctere ceruicis muſculo, vel ab vretere, vel a veſicæ corpore emanat. Copioſus quidem a renibus, aut ſphinctere emanare poteſt: ab vretere autem aut veſicæ corpore paucus. Qui a renibus quomodocunque affectis defluit vrinæ toti exquiſitè permiſcetur, vt ea quaſi dilutus ac tenuis quidam ſit ſanguis, hic vero mox ſubſidet rubicundus, liquidus ac minimè concretus. Qui verò à ſphinctere muſculo in veſicæ capacitatem inſtillatus mictionem cruentam reddit, vrinam non æquabiliter perfundit, ac ſubſidens in imo concreſcit in grumos: eius quoque portio aut grumus interdum citra vrinam excidit: dolor plerunque meiendo premit,*

*ac veluti radicem penis adurit, aliaque vel vlceris vel ruptæ venæ ſigna comitantur.*

## APHOR. LXXIX.

Ὁκόσοισιν ἐν τῷ οὔρῳ ψαμμώδεα ὑφίσταται, τουτέοισιν ἡ κύστις λιθιᾷ.

*Qvibus in vrina ſubſident ſabuloſa, his veſica calculo laborat.*

GAl. non probat hanc ſententiam, niſi intelligamus arenas eſſe ſignum calculi renum vel veſicæ. Alij interpretantur Hippocratem, quòd vbi calculus eſt in veſica, meiuntur arenæ: non tamen ſequitur, arenæ apparent in vrina, ergò calculus eſt in veſica. Hipp. lib. de morbis internis reprehendit veteres medicos, qui putant arenam eſſe ſignum calculi in veſica, non autem renibus. Verum eſt, quòd ſępe habemus rationem arenæ: nec tamen eſt intelligendum, arena eſt, ergò calculus. Multi enim poſſunt meiere arenas, vt nõ ſit calculus. Sic non ſequitur, non emittit vrinas arenoſas, ergò non eſt calculus. Nam aliquando calculus eſt, nec tamen arenæ meiuntur: & maximè vbi calculus infixus eſt ſubſtantiæ renum. Ergò arena non poteſt eſſe cõſtans ſignum calculi. Verum ſigna certiſſima calculi in renibus ſunt ea quæ ab Hippo. ſcribuntur 6. Epid. & lib. de morbis internis. ſexto enim Epid. In renem (inquit) dolor grauis. Et lib. de mor. int. In renem dolor acutus. Horum vtrunque verum eſt. hic dolor lumborum ſæpe extenditur ad nothas coſtas, & deſcendit ad teſticulum reſpondentem reni affecto. Prætereà ſtupor eſt cruris eiuſdem partis, idque propter conſenſum neruorum & venæ emulgentis. Et hi

primum vomunt pituitam, poſteà vbi intenduntur dolores bilioſa, æruginoſa. Deinde quum vrina deſcendit in veſicam & fiſtulam vrinariam, dolor eſt acerbiſſimus, vt ſæpe moriantur. Tũ aſtringunt ſe & incuruant, ſubſiſtit vrina, deinde ſubſtillat, ac vacuata vrina miteſcit dolor. Poſtremò deſcendunt arenæ rufæ, & rubræ & flauæ, vel medio colore inter rubrum & flauum. Quęritur, an veluti ſunt ſigna calculi renum, ſint quoque ſigna calculi in veſica? Sunt qui negarunt calculum gigni in veſica, eò quòd antè gignatur in renibus. Gal. tamen dicit gigni, ſed ferè albidior eſt, aſperior, & maior, quàm à renibus: quanquam poſſit nihilominus arena è renibus deſcendere in veſicam, & ibi concreſcere in calculum. Si itaque videamus aliquem meiere vrinas arenoſas, difficultate meiendi laborare, dolorem percipere in pube, & prætereà quum meit, ſentire corpus quoddam graue quod veluti obſtruat os veſicæ, tum certò iudicare poteris calculum eſſe in veſica. Sed ſignum erit certius ſi catheterem immittas in veſicam, & diligenter circunducas in omnes partes veſicæ. Aliquando fluctuat in veſica calculus, & tum facile eſt euellere, vel ſine periculo. At ſi tenaciſſimè inhęret tunicæ veſicæ, non poterit vnquam euelli ſine vitæ periculo: quia interim dum magna vi euellitur & extrahitur, dilaniatur veſica, vnde magna febris & inflammatio ſuboritur, & ſtatim moriuntur. Cęterum calculi non ſolum in renibus & veſica, ſed etiam in aliis corporis partibus gignuntur: vt in corde in muliere quadam inuenti ſunt duo calculi in modum teſtæ limacis: in vtero, quod vidit Hippo. in capite, qui calculus cranio inhęrebat, vt vidi-

mus in liene, vt & ſcirrhus: in colo inteſtino, in hepate, in folliculo fellis ſæpe in his regionibus: in meſenterio cuiuſdam pueri: in pulmonibus, lib. de loc. aff. de eo qui grandines expuebat. Gignitur autem calculus, quia in veſica, vt & in aliis corporis partibus poteſt eſſe craſſa, lenta, & viſcida pituita, quæ à calore concreſcat & coeat in calculum. In pueris gignitur ſępius in veſica, non alia ratione, quàm quia eſt iis robuſtus calor natiuus: idque maximè ſi vtantur lacte craſſiore, intemperante victu, intempeſtiuo exercitio. Succus enim ille craſſus in diſtributionem alimenti deſcendit ad renes. horum vis robuſta deponit in veſicam, vbi calore lapideſcit. Adde his, quòd viæ à renibus ad veſicam ſunt molles, laxæ, & facilè cedentes. At in adultis fit potius calculus in renibus quàm in veſica. Vide Gal. in ſextum Epid. Quibus igitur in vrina ſunt arenulæ, &c. Philotheus putat eas arenas eſſe detritum aliquod calculi: ſed falſum eſt. Nam aliquando & calculus eſt, & arenæ ſunt ſeorſum. Prętereà calculi veſicæ ſunt duri, renum verò friabiles. Quinetiam dicit idem Philoth. quòd propter capacitatem veſicæ calculus fit ſępius in veſica, quàm in renibus. Imò ſępius generatur in renibus quàm in veſica. Verum quidem eſt veſicæ capacitatem aliquid conferre: ſed magis cauſa calculi eſt robur facultatis renum, & prętereà facilis molliſque via à renibus per meatus vrinarios. Fit aliquando vt pituita putris ad veſicam delapſa repręſentet calculum, & ſua qualitatę faciat ſtranguriam. Aliquando poteſt eſſe in veſica & pus & calculus, vt æger reddat vrinas modò purulentas, modò arenoſas:

vnum non tollit alterum. Poſſunt denique excitari dolores in veſica & à calculo, & à pure, & à pituita putri. Quare non eſt fidendum vni ſigno.

## *SCHOLIA.*

*VNdecimum diagnoſticum. Si in vrina craſſa, arenulæ ceu ſabuloſa quædam reſideant, calculi in veſica aut renibus ſignificatio fit, ſi modo arenulæ illæ diutius retineantur, aut paulatim ac pauca quantitate excernantur: quanquam arenulæ cum vrina excretæ non ſemper in renibus aut veſica concretum calculum, aut diatheſin ad calculi generationem indicant, ſed ſæpiſſimè in iecore & venis vitium eſſe ſignificant. has ſic diſtingues. Quæ propter ſanguinis in venis aduſtionem cum vrina exeunt, ſubtiliores eſſe ſolent, ratòque ſubſident: ſed ad matulæ hærent latera. Tales ſæpe per ardentes febres meiuntur, interdum etiam per ſanitatem in quibus iecoris calor eſt feruentior. Ideo autem vrinæ calculo laborantium aqueæ ac albæ viſuntur, quia obſtructis renibus à craſſa materia, veluti per tenue aliquod cribrum effluunt: aut ſanè, quia veſica calculi frigiditate affecta, vrinam neque concoquit, neque renes trahendo expurgat.*

## *APHOR.* LXXX.

ΗΝ αἷμα οὐρέῃ, καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ ὑπογάστριον, καὶ ἐς τὸ περίναιον, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονεῖ.

*SI quis ſanguinem aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat, dolore ad hypogaſtrium, pectinem & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant.*

HOc in Apho. Hippocrates (vt breuis eſt) nomine veſicæ intelligit partes omnes vrinales, vt ſatis oſtendit Progn. primo. Sunt autem quatuor, renes, vreteres, veſica, & fiſtula vrinaria. Poteſt è renibus per vrinarios meatus fluere ſanguis purus & liquidus ad veſicam, illicque grumeſcere: & tum animaduertere oportet an dolor renum præceſſerit. Poteſt erodi aut rumpi vena in meatibus vrinariis, vt effluat in veſicam ſanguis, qui in grumum concreſcat. Poteſt etiam rumpi vel erodi vena in veſica aut pene, vt meiatur ſanguis & grumi. Eſt autem grumus nihil aliud quàm concretus ſanguis. Periculoſiſſimum itaque eſt, acerbiſſimuſque percipitur dolor, non ſolùm quum grumus reſtitat in veſica, ſed etiam quum vel in vtero, vel inteſtinis, vel in ventre, &c. adeò vt mors impendeat niſi eiiciatur grumus. Iam verò ſtranguria fit vel propter veſicæ imbecillitatem, vel propter inflammationem in oſculo veſicæ, vel ob quantitatem aut qualitatem materiæ: vt quum eſt grumus, pus, pituita multa lenta & craſſa, quæ viam vrinæ intercipit: item quum eſt pituita ſalſa & putris, vel bilis acrior vrinæ permixta. Ad imum ventrem, ἐς τὸ ὑπογάστειον. Quidam non magno diſcrimine legunt ὑποχύστειον, quæ eſt pars ventris ſub vmbilico vbi ſita eſt veſica. Et antiqui ventrem etiam inferiorem vocarunt κύστιν, vnde ὑποχύστειον. Interfœmineum, περίναιον: nonnulli legunt τὸ περιτόναιον.

*SCHOLIA.*

*DVodecimum eſt diagnoſticum, de dignoſcendis magnis veſicæ affectibus: ſcribitur autem hic Aphoriſmus non*

*iiſdem planè verbis in omnibus exemplaribus: in aliis enim, vt in verſione Leoniceni & Plautij cum particula diſiunctiua (aut) ſiquis ſanguinem, aut grumos meiat, aut vrinam guttatim emittat: in aliis cum coniunctiua (&) ſiquis ſanguinem, & grumos meiat, & ſtranguria laboret: ſic enim Hollerius, Fuſchius & Plautius ipſemet Apho. 39. ſect. 7. Quæ licet verſiones diuerſæ ſint, ſenſum tamen Aphoriſmi diuerſum non faciunt. Hic enim veſicæ totius, hoc eſt, ceruicis & membranarum eiuſdem magno aliquo ac graui affectu, vt phlegmone, ſi adſit febris: aut vlcere, non quidem profundo aut purulento, ſed lato ſi febris abſit, laborantis ſigna deſcribuntur: ita vt ab illo magno affectu, non ſolum totum veſicæ corpus grauiter lædatur, ſed & partes quæ ſunt circa veſicam, quales ſunt, vrinæ dicatæ, potiſſimum vreteres (renes non item, vt qui à veſica paulo remotiores ſunt) maximè verò, partes veſicæ proximæ, venter imus, pecten & perinæum, imo & ipſum rectum inteſtinum non mediocrem noxam ſentiant. Nam cum veſica leui aliquo affectu laborat, vt ſcabie, Apho. 77. aut arenulis, Apho. 79. aut vlcere aliquo profundo ac purulento, Apho. 81. huius lib. 4. eius noxa partibus, quæ ſunt circa veſicam non communicatur, ſed ſolum ſuos manes, ſuamque noxam patitur. Proinde certum miniméque fallax veſicæ graui aliquo affectu laborantis ſignum eſt, ſi in liquidi aut grumoſi ſanguinis mictione, imus venter, pecten & perinæum doleant. Certius verò, ſi is dolor accidat in vrinæ ſtillicidio. Certiſſimum autem, ſi tribus hiſce ſymptomatibus vna conſpirantibus, dolor is veſicam parteſque veſicæ annexas ac vicinas exerceat. Qui ſanguis liquidus fluit, ſiue à renibus vlceratis: ſiue ab imbecillitate eorundem: ſiue à rarefacta eorum ſubſtantia: aut apertis vel ruptis eorum venis: ſiue à nimia dilatatione*

*aut ruptione vaſorum meatuum, per quos ex vena caua, in renes vrina percolatur: ſiue ab imbecillitatę iecoris: ſiue ab exulceratis vreteribus, aut veſicæ corpore, ducat originem: ſi in cauitate veſicæ colligatur, in grumum concreſcit, cum ſit extra ſua vaſa: ſanguis autem grumoſus diuturna in veſica mora acrimoniam acquirit, quam cum veſica ferre non poßit, guttatim vrinam emittere cogitur: Tandem vero grumoſus ille ſanguis acrior factus putreſcit, ab eo putrente phlegmone, aut vlcus in veſica excitatur: vnde dolor ſuboritur, qui non tantum veſicam ipſam, ſed & vreteres, imum ventrem, pecten & perinæum exercet. Ita vt ex tribus illis ſymptomatis mictione cruenta, thromboſa, & vrinæ ſtillicidio, iſtarumque partium dolore, veſicam ipſam graui aliquo affectu laborare, facile ſit dignoſcere.*

## *APHOR. LXXXI.*

ΗΝ αἷμα καὶ πῦον οὐρέῃ, καὶ λεπίδας, καὶ ὀσμὴ βαρέη ᾖ, τῆς κύστιος ἕλκωσιν σημαίνει.

*SI ſanguinem aut pus meiat, aut ſquamulas, grauiſque odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur.*

HIppocrates hîc vtitur ea arte, qua vti decet in morbis diiudicandis. Iudicamus enim per ſigna communia, & propria. Communia per ſe nihil faciunt ad iudicium morbi, propria faciunt: aliquando tamen communia propriis coniungimus, & ex concurſu ſignorum communium cum propriis facimus proprietatem. Sanguinem & pus meiere ſigna ſunt communia, quia vtrumque poteſt eſſe à renibus & veſica, ab hepate, thorace, corde, pulmone, &c. Ergo non poteſt inde colligi veſicæ exulceratio. Quare ſignis communibus ſunt addenda, quæ reuera ſunt propria, & quæ

ſumuntur ab eſſentię proprietate. Addit ſquamulas Hippocrates, & anteà furfures: ſed oportet priùs vrinas eſſe naturales. Nam aliquando (vt ante diximus) in febribus ardẽtibus propter colliquationem & ſcabiem in genere venoſo excernuntur furfures quidam, & item ſquamulæ ac lamæ, nec tamen eſt exulceratio veſicæ. Squamulæ igitur mictę cum vrina naturali ſunt exulcerationis veſicæ ſignum proprium, quia ea membranacea eſt: quemadmodum exulcerationis renum ſignum proprium ponebat carunculas, quia renes ſunt carnoſi. Grauis quoque odor, ſignum eſt quod maximè facit ad exulcerationem veſicæ, quum videlicet pus grauiùs olet quàm pro puris natura. Siquid puris è veſica excernatur, grauiùs olet quàm ſi promanet ex hepate, renibus, thorace, & aliis corporibus. Primùm propter loci naturam: quia dum in veſica (quæ eſt veluti matula totius corporis) diu moratur vrina, acquirit quandam qualitatem alienam, & veluti putredinem: haud ſecus ac matula non alia ratione grauiter ſæpe olet, quàm quòd diutiùs nonnunquam in ea retinetur vrina. Deinde quum pus, quod excernitur ab aliis partibus, permiſcetur in tranſitu multis corporibus, fit vt hinc deponat aliquid fœtoris & graueolentiæ: at pus veſicæ non tranſit per multa corpora, nec ex permixtione deponere poteſt fœtorem. Iam ſi pus veſicæ conferas cum veſicæ pure, aliud grauiter olet, aliud grauius, aliud grauiſſimè. Quod pus grauiter olet, indicat putredinem, & prætereà malum habitum contractum in veſica. Quare tum potionibus immiſcemus amara quæ putredinem prohibeant: quemadmodum vbi fœtor eſt in abſceſſibus externis, chirurgi ſuis medicamentis immiſcent aliquid aloës, aliquid

myrrhæ, & alia pleraque amara ad arcendam putredinem & fœtorem.

## SCHOLIA.

*TRedecimum diagnoſticon. Veſicæ vlceratæ certiſsimum ſignũ eſt, ſi quis continenter & non per interualla ſanguinem & pus meiat, & ſquamulas, quæ ſunt reſolutæ veſicæ particulæ, adſitque grauis odor. Pus enim quod manat ab exulcerata veſica, fœtidũ eſt, tũ quia à loco exangui manat, tũ quia recens eſt admodũ & breuiſsimo tempore eductũ ex veſica, tum quia non admodum vrinæ confuſum eſt: quò enim pus recentius eſt ac aliis minimè permiſtum, eò fœtidius. Sic enim pus, quod ab exulceratis renibus meiendo funditur, minus fœtidum eſt, quàm quod ab exulcerata veſica. Cæterum licet hæc tria, ſemen, pituita, pus, in vrinis finitima cernantur: tamen his ſignis diſtingui ac internoſci poſſunt. Semen, quia tenue & leue, vrinæ ſemper innatat: pus & pituita ſubſident: pituita tamen craſſa atque tenax ſibi cohæret, pus vero agitatum mox diſſoluitur ac diffluit: item purulenta miſtio fœtet plus aut minus, pituitoſa vero non item. Pus album & corpulentum, ità vt collum ægre prætereat: pituita ſi putruit percolatur facilè, ſi non putruit ſæpe longiſsimè ſeruata continuitate trahi poteſt. Pituita à ventriculo, cerebro, aut aliis partibus tranſmiſſa velut acceſsiones quaſdam & affluxus copioſos habet: pus continenter æquale ex vlcere excernitur.*

## APHOR. LXXXII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύμα φύεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύσις.

*Quibus in meatu vrinario naſcitur tuberculum, ſuppurato eo & rupto, ſolutio.*

Hoc accidit ſæpe vt intercipiatur vrina, vnde dolores grauiſſimi fiunt, & intumeſcit pubes: id fit propter aliquod tuberculum. Vrinarius meatus dicitur ea pars quæ eſt à veſica ad finem penis: in hac φῦμα, id eſt tuberculum oritur. Dicitur autem φῦμα quicquid foras enaſcitur. Sed hîc pro tuberculo interno in fiſtula vrinaria, & præſertim in collo veſicæ: túmque æger aſſerit ſe ſentire dolorem in radice penis. Oritur autem in hac via tuberculum duplex. Vnum, quod materiam habet aptam ſuppurationi. In quo ſi non fiat ſuppuratio, via intercipitur, & accidunt grauia ſymptomata cum tumefactione pubis, vt ſæpe moriantur ægri. Sed tuberculo ad ſuppurationem adducto, & facta puris eruptione, bene eſt, & fit ſolutio mali: hoc eſt, obſtructionis, doloris, ſuppreſſionis vrinæ & ſtranguriæ. Iſchuria enim eſt, vbi tota via intercipitur: ſtranguria verò vbi relinquitur aliquid viæ & ſpacij ad vrinæ tranſitum. Alterum porrò tuberculum eſt ſuppurationi ineptum, quod eſt velut caruncula nata, quia locus perpetuò humectatur: vt videmus carnem excreſcere in vlceribus externis, quum non reſiccantur tempeſtiuè. Eiuſmodi caruncula nonnunquam intercipit vias vrinæ, & quia tum vrina in veſicam regreditur, pubes intumeſcit. Quòd ſi catheterem immittere coneris, nihil efficies propter carunculam illam interiectam. Quare ne moriatur æger, cogimur carnem illam conſumere aut abrumpere, facta excoriatione in pudendo interno. Quòd ſi innata illa caro tenella eſt & mollis, liberabitur promptiùs æger.

## SCHOLIA.

DEcimumquartum eſt diagnoſticon ad artem curatricem pertinens repetitum ſectionis 7. Aphoriſm. 57. & Aphoriſm. 52. ſect. 2. lib. 6. Coac. & lib. 1. de morbis, & de affectionibus. Tuberculum ceu tumor ἀποστηματώδης materiam ſuppurabilem continens, primigenius, aut fœdæ illuuiei conſequens in vrinaria fiſtula ceu meatu colli veſicæ, quem οὐρήθραν Græci nominant, natus, à quo dolor grauis excitari, & vrina ſupprimi per ἰσχουρίαν: aut difficulter reddi per δυσουρίαν vel στραγγουρίαν conſueuit: obſtructo nimirum meatu illo vrinario obſtructione attenuatoria, non coarctatoria, non carnoſa. Triplici enim obſtructione meatus ille vrinarius obſtrui poteſt. Vna, attenuatoria, eſt cum vel corpus ipſius meatus vrinarij, aut colli veſicæ ad inſignem tumorem attollitur, vt ob phlegmonem, ſcirrhum, abſceſſum, vel alium quemuis tumorem parti ipſi primigenium, vel ob partium vicinarum tumorem, vt vteri, vel recti inteſtini inflammationem, aut abſceſſum: nam tumor corporis circundantis meatum vrinarium, aut vicini corporis facit vt accedant ad ſe mutuo meatus latera, nec ſeiungi patiantur. Quod etiam à ſiccitate in febribus ardentibus fieri poſſe putat Gal. 6. de ſympto. cauſis, & thaſmi à conſumpta humiditate in coitu: quanquam vix vnquam vita ſuperſtite meatus vrinarij latera ad eam ſiccitatem venire poſſunt, vt coeant, indéque exitum vrinæ prohibeant. Altera eſt carnoſa, quando caro fungoſa in medio meatu adnaſcitur, aut verruca aut callus. Tertia coarctatoria, in qua meatus aliunde impletur, vt à grumo, humore craſſo, pure, calculo. Tumor, inquam, ille ſuppurabilis natus ab obſtructione attenuatoria, primigenio ipſius meatus vrinarij affectu excitata, curationem recipit à ſuppurato & puris eruptione, vnde meiendi libertas comparatur. Poteſt quidem ille tumor ſuppurabilis digeri, ſed non tam facilè quàm ſuppurari, quòd locum

*obſideat frigidum ac neruoſum: quòd digeſtio longius tempus poſtulet quàm ſuppuratio: quòd etiam meiendi impedimentum dolorem augeat, dolor autem cogat naturam moliri ſuppurationem morbo creſcente. Proinde tuberculum iſtud rarò digeri, frequentiſſimè verò ſuppurari ſemper eſt obſeruatum. Quanquam in principio tumoris tentanda eſt omni arte digeſtio, calida aqua affuſa, & olei calentis litu ad aliquot horas, vel etiam diu repetito, vt partis tumentis tenſione non parum relaxata, & dolore non ita grauiter infeſtante, æger vrinam reddere conetur, interim manu veſicæ tumorem ad inferiores partes impellendo, & blande ac ſenſim premendo. Nam ſic vrina redditur, atque interim tumor diſcutitur. Tuberculum vero ceu caruncula in anfractu colli veſicæ, vel in reliqua penis fiſtula (à quibus & dyſuria & dolor grauis dum meiitur) curatur conſumptione eius quod excreuit. Rumpitur enim, abſumitur, purgatur & cicatrice obducitur: vide noſtrum Paraum & Amatum Luſitanum curatione 19. centuriæ quartæ, & lib. 2. noſtri operis de morbis mulierum.*

## *APHOR. LXXXIII.*

Οὔρησις νύκτωρ πολλὴ γινομένη σμικρὴν τὴν ὑποχώρησιν σημαίνει.

M*ictio noctu copioſè facta exiguam deiectionem ſignificat.*

LArgior fit mictio interdum à largiore potu, interdum in ægris & conualeſcentibus, vbi ſuppreſſis ſudoribus & aluo natura morbum indicat per vrinas. Et in dipſaco morbo febre ardentiſſ. vbi renes admodum concalefacti & reſiccati attrahunt quicquid eſt in corpore humiditatis, ægri perpetuò ſitiunt & meiunt: qui

morbus eſt incurabilis. Sine his contingit extra morbũ ſanos largiùs meiere: de qua mictione tantùm loquitur Hippocrates, aliis prætermiſſis. Huius rei ratio aſſignatur à Gal. in com. Nam quum chyli benè in ventriculo confecti fit celeris tranſpoſitio in hepar, ita vt parum materiæ in chylum conuerſæ confluat ad inteſtina, tum multa eſt vrina, & exigua deiectio. Contrà, ſi pauca ſit anadoſis. Noctu dicit, non quòd ob id diem excludat penitus, ſed quia (vt teſtatur Philotheus) noctu ratione ſomni concoctiones magis fiunt, & excrementorum ſecretiones.

## *SCHOLIA.*

*Decimumquintum diagnoſticon. Mictio ſi multa de nocte fit, quo tempore ſcilicet natura concoctioni dat operam, exiguam deiectionem ſignificat: deriuatione materiæ quæ per aluum ferri debebat ad vrinas, & denegato facilius ipſis vehiculo: forti quoque attractione chyli ab hepate robuſtiore, aut paulò calidiore exſugente ſeroſiorem ac magis aquoſam partem chyli: quò enim chylus in hepate fuerit copioſior, eò & excrementum ſequetur copioſius. Integra item & accurata coctione chyli in ventriculo, à quo parum admodum fæcis craſſiorisque excrementi relictum fuerit, plurimum verò liquidioris ſubſtantiæ. Vt enim alimentum obiter coctum in ventriculo multam relinquit fæcem: ita diligenter elaboratum paucam. Hoc autem axioma intellige habita ratione eiuſdem hominis, eodem victus genere vtentis: in quo ventriculi, hepatiſque concoctiones naturaliter ac legitimè fiant. Fieri enim poteſt, vt ob cibos varios, aut cruditatem, aut cibi in ventriculo non exactam elaborationem, quis plurimum meiat, & ſimul egerat.*

*Proinde licet mictio plurima, paucam deiectionem: & plurima deiectio paucam mictionem ſignificet, non tamen vtrumque ſemper verum ac neceſſarium eſt. Poteſt enim vtrumque ſupprimi, & vrina & deiectio, in febribus ardentibus: item ex ſudoribus: item in his qui ad aſciten præparantur.*

Quartæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIVS QVINTVS.

*In hac Sectione agit Hippocrates de accidẽtibus quæ dicuntur* Ἐπιχειρήματα, *quæ ſequuntur immodicas purgationes & repletiones.*
*Secundo de vi calidi & frigidi.*
*Tertio de mulierum affectionibus.*
*Poſtremo redit ad* ἐπιχειρήματα *quædam.*

## APHOR. I.

Σπασμὸς ἐξ ἐλλεβόρου, θανάσιμον.

*Conuulſio ab ellebore, letalis.*

Hoc

HOc Aphoriſmo agit de vehementiſſimo medicamento, & violentiſſimo ſymptomate, quod ſequitur immoderatam vacuationem. Iam antè ſectione 4. diximus veteres vti ſolitos Elleboro, & nomine Ellebori ſimpliciter intelligi album. Porrò commouetur conuulſio ab Elleboro multis modis. Idque vel circa initia purgationis, vel poſt purgationem. Si circa initium purgationis, fit, vel quia medicamentum ſua qualitate acri mordet os ventriculi, vel quia idem medicamentum attraxit multitudinem materiæ quæ qualitate & quantitate os ventriculi afficit. Gal. in comment. refert hiſtoriam adoleſcentis qui accepto Veratro circa initium purgationis conuellebatur, ſed cum vomuiſſet æruginoſa, liberatus eſt. Vidimus quendam ab Elleboro conuulſione correptum, qui datis vomitoriis lenitiuis breui liberatus eſt. Eodem fortaſſe remedio ſanatus eſt ille Galeni adoleſcens. Si quando igitur in ægrú incideris qui circa initium purgationis conuellatur, vel vi medicamenti acrioris, vel ratione materię attractæ, vtendum medicamentis lenibus quæ contemperent acrimoniam illam, & vomitionem excitent. Si verò poſt immoderatam purgationem accidit conuulſio, letalis eſt. Fit enim eiuſmodi conuulſio ratione medicamenti acrioris, quòd vacuata materia quæ quantitate & qualitate peccabat, abſumpſit & exiccauit proprium illum rorem & humiditatem radicalem neruoſi generis, hoc eſt muſculorum, neruorum, tendinum & ligamentorum.

## SCHOLIA.

HAc quinta ſectione primum agitur de quibuſdam ſymptomatibus ἐπιγιγνομένοις quæ toto genere ſunt contra naturam, potiſsimum vero de iis, quæ ad immodicas purgationes & repletiones ſequuntur. Deinde de quibuſdam pulmonis ac thoracis affectionibus. Tertio, de vi ac poteſtatibus calidi ac frigidi. Quartò, muliebrium rerum proprieque ad mulieres pertinentium hiſtoria continetur. Poſtremò fit reditus ad ſymptomata quædam ἐπιγιγνόμενα. Initium autem ideo à conuulſione purgationi ſuperueniente ſymptomate ducitur, quòd cum libro quarto de variis excretionum generibus ſiue fiant natura, ſiue præter naturã, ſiue artificio medici per vomitum, ſputa, hæmorrhagias, deiectiones, vrinas, diſputatum ſit, ad quas grauia ſæpe ſymptomata conſequantur, qualis eſt conuulſio & exolutio ab exhauſto. Hîc familiari exemplo conuulſio proponitur, quæ ſæpenumero excretionibus illis nimiis ſuperuenit. Conuulſio autem eſt neruoſarum partium quæ motu voluntario mouentur, ad ſuum principium inuoluntaria, repente facta & præter naturam contractio. Quæ duplex eſt, vna quæ fit adhuc, qualis eſt conuulſionis motus ex morſu neruoſarum partium excitatus ab agente natura & excutiente noxam: altera in facto eſſe, vt diſtentio à ſolo morbo, id eſt à ſiccitate aut humiditate: Proinde omnis conuulſio vel fit vi cauſæ morbificæ, cum nimirum neruus, aut muſculus cauſam conuellentem intra ſe continet, inanitionem videlicet, aut repletionẽ: vel fit vi naturæ agentis ac pellẽtis noxã: verbi gratia in partibus neruoſis, quæ & exactũ ſenſũ habẽt, & ſocietatẽ per neruos cũ cerebro, puris, aut humoris aut medicamenti vapor, aut noxia qualitas neruũ, vel cerebrũ per neruũ offendẽs excitat vim animalẽ, quæ inimicã qualitatẽ deuitans neruũ conuellẽdo contrahit. Conuulſio autem multiplex à medicamẽto accidere poteſt. Vna, quam acrimonia humoris in ventriculo, vel medicamenti, aut quã conatus inuexit in vomẽdo cõſentiẽtibus neruis: omniũ

*mitiſsima eſt, & excluſa è ventriculo acri materia ſtatim conquieſcit. Altera, deterior multò, ab ipſa euacuatione ortũ habẽs, dũ ægri vltra modũ purgãtur, vt in cholera morbo, in quo muſculi, præſertim in ſuris cõtrahũtur. Tertia mediũ locum obtinet, quæ propter pharmaci efficaciã ex venis primũ, deinde conſecutione ex neruis humores ad ſe vehementius attrahẽtis accidit, vt ex labore potius & vexatione ægri conuellantur, quã reſiccatione. Omniũ maximè pernicioſa eſt, in qua vi medicamenti, vt ellebori, ad diſtributionem vehemẽtius concitata, deſtitutis primũ venis ac arteriis ſua æquabili humorum proportione, non inanitis tamen neque penitus exhauſtis. (Sic enim mors præueniret antequã vis ad neruos deducta eſſet) neruorũ humidũ violenter & inæqualiter diſsipatur, vnde venis & arteriis per inanitionẽ cõtractis, nerui quoque contrahũtur. Qualis venarũ, arteriarũ, & neruorũ à ſuo humido reſiccatio, licet in hecticis & tabidis appareat, nõ tamẽ hos conuelli neceſse eſt, quod nimirũ illis accidentaria quædã humiditas & mala colliquatio, vt ſcribit Hip. ſemper adſit, vnde nerui humectari poſsint. Ergo quæ cõuulſio in hypercatharſin albi ellebori cadit, eſt calamitoſa, interceptione communis officij, doloris acerbitate, & curandi ἀδυναμία: quòd ab exhauſto fiat, quæ cauſa eſt inſanabilis. Vnde Hip. non ὑπὸ ἐλλεβόρου, ſed ἐξ ἐλλεβόρου, dixit. ὑπὸ enim ſignificat cauſam efficientem: at ἐξ ſignificat abſentiam ellebori, vt elleborus ſuò functus munere & poſt abſolutum penſum conuulſio ſequatur.*

## *APHOR. II.*

Ἐπὶ τραύματι σπασμὸς ἐπιγενόμενος, θανάσιμον.

*Conuulſio à vulnere, letalis.*

Ἐπιγινόμενοι apud Hippocratem & Gal.eſt malum ſymptoma, quod malo morbo ſuperuenit, tamen dicitur etiam aliquando de bono, vt qui ardente febre correptus eſt ſi rigor ſucceſſerit,&c.lib.4.Aph.58. & item 64.ἐπὶ τραύματι, alias legitur τρώματι.Philotheus diſtinguit, quia(inquit) τραῦμα eſt ſolutio continui in carnoſa parte: τρῶμα verò in neruo: ſed errat cum idem apud Hipp.ſignificent, vt videre eſt in prorrh.& lib.de vulneribus. Tertio tamẽ Prorrh. & ſexto Epi.author eſt Gal. τρῶμα ſignificare omnem inſignem noxam à cauſa externa, vt ſunt luxationes, contuſiones, exanthemata, abſceſſus, hæmorrhagia caſu commota. Ergò ἐπὶ τραύματι, ſeu τρώματι, à vulnere. Quęritur cur conuulſio ſequatur ex vulnere: propter quatuor cauſas. Aliquãdo enim vbi infligitur vulnus, incidit in magnas venas & arterias, Sequitur tũ magna hæmorrhagia, à qua cõuulſio, nonnunquã animi deliquium: Sed ab hac conuulſione & ſyncope non ſemper moriuntur. Aliquando vulnus infligitur in neruoſum genus, cuius vulneris ratione ſequitur conuulſio partium neruoſarum, qui dicitur ſpaſmus. Tertia cauſa eſt, quia inde fit inflammatio, quæ cũ genus neruoſum occupat, conuulſio ſequitur. Quarta cauſa, quia aliquando eſt anguſtior exitus puris & ſaniei acris, quæ retenta mordicat & irritat neruos, conuulſionémque inuehit. Id ſæpe accidit vbi non bene purgatur vlcus, aut cum ante tempus clauditur. Gal. in comment. dicit eiuſmodi conuulſionem fieri è directo partis vulneratæ. Sæpe tamen docet experientia, quòd vbi vulnus eſt in dextra capitis parte, pars ſiniſtra conuellitur: & contrà, vbi vulnus eſt illatum in partem ſiniſtram, dextra conuulſione laborat. Letalis autem eſt, non tanquam ex neceſſitate, ac ſemper mortẽ affe-

rat, ait Gal. ſed tanquam admodùm crebrò.

## *SCHOLIA.*

*Conuulſio item quæ in vulnus incidit, calamitoſa, ad quam nimirum ſi non ſemper, at certe magna ex parte mors ſequitur. Nomine autem vulneris, inaudienda omnis grauis offenſio à cauſa externa, vt luxatio, vſtio, contuſio, vulnus partis principis aut neruoſæ, punctura nerui. In his enim omnibus occluſo, vel non ſatis patente foramine, vel aucto intus dolore, copia humoris quam dolor allicit cohibita, neruum inflammat & replet: ex quo ſequitur conuulſio primùm quidem partium quæ è directo inflammationi reſpondent: deinde totius corporis vbi ad principium ipſum intemperies vel humor vel inflammatio peruenerit, tum propter acrem ſenſum neruoſarum partium, tum ob magnam, quam habet cum cerebro, communionem. Conuulſio quoque quæ in vulnus incidit, ſequitur alias cauſas, vt immoderatam hæmorrhagiam, exhauſtam neruoſarum partium humiditatem natiuam, dolorem vehementem, humoris ad interiora refluxum, puris vaporem aut acrimoniam, aut noxiam qualitatem, medicamenti acrioris, quale eſt euphorbium, intempeſtiuam admotionem, nerui nudi refrigerationem, exitum denegatum puri aut ſaniei ab incautè clauſo vulnere. Quæ omnes conuulſiones calamitoſæ ſunt, potiſsimum ſi in partem aliquam vulneratam præſtantem incidant. Sic enim lethalis plane eſt conuulſio, capite aut fine muſculorum vulneratis. Vel ſauciatis muſculis temporum, aut etiam capite ipſo. Vel euaneſcente tumore qui prius in vlcere parte poſtica apparuerat. Vel nullo ſuperueniente tumore in vulneribus: tum enim ſuſpicio eſt humores ad partes nobiles refluxiſſe: vel cum in op-*

*poſita parte fit conuulſio, vt ſæpe fit in vulneribus capitis. Vide Aphor. 12. ſect. 3. lib. 1. Coac.*

## *APHOR. III.*

AΙματος πολλοῦ ῥυέντος, σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

*A Copioſo ſanguinis fluxu, conuulſio, aut ſingultus, malũ.*

HIppocrates lib. prorrh. rectè dicit, Si larga, ſi violenta, ſi multa effuſio ſanguinis eſt, interdum ad conuulſionem æger deducitur. Soluit autem venæ ſectio per vices, quod etiam vſu experimur. Hoc Aphoriſm. non ponit Hippocrates θανάσιμον, ſed κακὸν, quod Galen. dubitat an idem ſignificet quod letale. Sed aliquando fit hæc conuulſio ad quam etiam ſequitur animi deliquium, nec propterea moriuntur. Vidimus quinquagenarium hominem qui ſanguinem emiſit quantum duo vaſa aquaria (*deux ſeaux*) capere poſſent; incidiſſe in conuulſionem & animi deliquium, ſed tandem conualuiſſe admotis cucurbitulis, & venæ ſectione. Quare malum reuera eſt, non tamen letale. Nonnulli in hæmorrhagia è naribus fronti & temporibus applicant valdè refrigerantia, & repellentia vt ſiſtant hæmorrhagiam. Galen. eos reprehendit, vultque maiorem eſſe ſpem in cucurbitulis & phlebotomia ad reuulſionem. Tum itaque cephalæa vtriuſque lateris aperiatur anguſto foramine, & per vices ſanguis detrahatur. Quod ſi dum prorumpit ſanguis è naribus medicus adhibuerit fronti, temporibus, naribus medicamenta valde refrigerantia, indè ſequetur conuulſio, non propter hæmorrhagiam,

ſed quia refrigeratur cerebrum & repletur. Præterea, quod ipſi vidimus motu critico, cum ita refrigerantibus reprimimus, & repercutimus ſanguinem ad interiora, ſæpè defluit in pulmonem, & fauces, & æger ſuffocatur. Iam conuulſio, vt ait Philoth. fit in omni parte quæ vltrò mouetur. Singultus ſpecies eſt conuulſionis, fitque in orificio ventriculi propriè, ob id quidam non rectè voluerunt eſſe tantum animæ affectum, cum ſit etiam affectus corporis. Vtrumque itaque & ſingultus & conuulſio ab inanitione, letale eſt.

## SCHOLIA.

*Conuulſio aut ſingultus ſi inciderint à nimia ſanguinis profuſione per nares, aut à profluuio muliebri, aut vulnere, funeſta, quod illa conuulſio & cauſa inſanabili & ſymptomate ipſo calamitoſa ſit. Ideò autem conuulſio ad immodicam ſanguinis profuſionem ſequitur: vel quod venæ & arteriæ commoderata ſanguinis quem continent proportione deſtitutæ depleantur, depletæ contrahantur, & contractæ contrahant neruos. Vel quod venæ exhauſtæ à vicinis partibus trahunt, & velut mutuum beneficium repoſcunt: indeque exſiccatæ longa effuſione ſanguinis, à neruis alimentum repetunt. Quo fit vt nerui ſiccati ac contracti ad ſuum principium, quaſi ſuppetias petant, conuellantur. Aut ſanè, quia venæ & arteriæ immodicè exhauſtæ, totum ſpiritum, nedum ſanguinem ab extremis partibus intrò rapiunt, vnde refrigeratio neruis ſubito accidit, ac proinde conuulſio. Qualis conuulſio extemporanea eſt, non diuturna: non à cauſa præter naturam, ſed potius ab agente natura, & noxam ex inanitione pellente, orta. Nam citius quidem intereat æger exhauſto vniuerſo ſanguine, quam in primum conuulſionis incurrat. Repetitur*

*hic Aphoriſmus, Aphor. 11. & 13. ſect. 2. comment. 1. in lib. 4. Coac. Singultus vero ad immodicam ſanguinis profuſionem ſequitur, ob frigiditatem & ſiccitatem ex immoderata vacuatione in eo contractam, quam natura depellere nititur motu conuulſioni haud abſimili.*

## APHOR. IIII.

Ἐπὶ ὑπερκαθάρσει σπασμὸς ἢ λυγμὸς ἐπιγενόμενος, κακόν.

*A Purgatione immodica conuulſio aut ſingultus ſuperueniens, malum.*

Iſtud iam antè dictum eſt, nomine Ellebori nos intelligere omne vehemens pharmacum. Purgationem nos intelligimus ſiue fiat ſpontè, ſiue arte per vomitiones, deiectiones, &c. nec poteſt non eſſe malum, ſi hanc ſequatur conuulſio. Nam purgatio ipſa eſt inanitio quædam. Conuulſio autem, aut ſingultus ex inanitione eſt letifera. Sic omnis purgatio immodica exitialis eſt.

## SCHOLIA.

*IN hypercatharſi nerui ideo conuelluntur, quia immodica ſanguinis euacuatio è venis ac arteriis, ad ſe euocat ſpiritum & ſanguinem in neruis contentum: vnde nerui ſuo illo humido, quo nimirum humectantur, inflantur, tenduntur, deſtituti, contrahuntur: contracti, conuelluntur. Quanquam nec venas nec arterias, nedum neruos, ita exſiccari ac ſuo humido exhauriri veriſimile eſt, quin illis ſui illius humidi aliqua ſuperſit portio: alioquin venarum immodica euacuatio mortem prius adferret, quã ad neruos deducta eſſet. Quin potius in hypercatharſi, ſucci qui in maſſa ſanguinis cõtinẽtur, nõ toti ac vniuerſi euacuãtur, ſed tantũ vltra eam proportionem ac latitudinem quam in maſſa*

*ſanguinis obtinent, educuntur. Quando enim medicamentum purgans tantum humoris ſibi familiaris vacuauit, vt illum ad ſuæ latitudinis extremum purgauerit: alium ſecundum, item tertium alium ſequi paratiorem adoritur ac ſuperpurgat. Quibus omnibus ad extremum ſuæ latitudinis vacuatis, ſanguinem, reliquiarum aliorum ſuccorum adhuc participem, quem natura tanquam vitæ theſaurum retinet, ſuperpurgat. Vnde mors tandem ſubſequitur, ſed non prius, quàm conuulſio, exolutio, aliaque ſymptomata præceſſerint, & ad aliorum ſuccorum vltra ſuam latitudinem expurgatorum euacuationem, ſubſecuta fuerint.*

## APHOR. V.

ΗΝ μεθύων ἐξαίφνης ἄφωνός τις γένηται, σπασθεὶς ἀποθνήσκει, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ, ἢ ἐς τὴν ὥρην ἐλθὼν, καθ' ἣν αἱ κραιπάλαι λύονται, φθέγξηται.

*SI ebrius quiſpiam derepente obmutuerit, conuulſus moritur, niſi febre corripiatur, aut qua hora crapula ſoluitur, vocem recuperet.*

RArus eſt apud nos is caſus, nempè derepentè obmuteſcere ex ebrietate, & conuulſos exanimari. Sed ſæpè accidit noſtris, vt per ebrietatem fiant phreniticis ſimiles, & delirent, donec vinum edormierint. At ſi obmuteſcant, ſtatim morientur, perinde atque apoplectici. hoc fit ratione vinorum acrium, vinoſorum & craſſiorum, qualia erant Coa, Rhodia, Cretica. Item quia locus calidus eſt, & calor natiuus debilis, & præterea ob peculiarem naturam eorum qui ebrij ſunt. *Siquis igitur repentè mutus fiat ex ebrietate*, &c. Gal. de placitis Hipp. & Plat. & lib. de rat. vict. in morb. acu. & de ſymptom. cauſis, interpretatur quid ſit ἄφωνος apud Hipp. Eſt itaque propriè non is qui non loqui-

tur, ſed qui ſine ſenſu & motu, & voce eſt, vt contingit apoplecticis. *Conuulſus moritur.* Non eſt neceſſe vt moriantur: tamen veriſimile eſt Hippo. id expertum eſſe, quia, dum Coum vinum acrius calfaciebat, & ſiccabat neruorum humiditatem, fiebat conuulſio, vnde mors. Contingit ergò in ebrietate, vt vinum efferueſcat ac repleat caput, & intercipiat non ſolum venas & arterias iugulares, ſed etiam præſertim venas & arterias quæ ſunt in plexu choroïde. Intercipiuntur autem his tribus potiſſimum, copia ſanguinis, vaporibus, & quia vinum quodammodo ſanguinem fermentat & ferueſacit. vbi ſanguis concepit calorem vini, maiorem locum occupat quam anteà, quo fit vt venæ plexus choroïdis & arteriæ diſtendantur, & meatus ſpirituum intercipiantur, vnde illa ἀφωνία & conuulſio. Item ab acri vapore vini nimium incaleſcunt & reſiccantur nerui, & fit conuulſio. Tertia ratio eſt quia vinum ſua caliditate & tenuitate humores corporis exagitat, nerui infirmi & debiles humoribus illis & qualitate vini facilè opplentur, à qua plenitudine conuulſio. Quapropter non eſt exiſtimandum conuulſionem hanc fieri à refrigeratione neruorum, vt vult Oribaſius, cum potius fiat à plenitudine. Et obmuteſcũt etiam propter immodicá repletionem neruorum recurrentium. Conuulſi igitur, & ferè apud nos ſuffocati, à plenitudine ſcilicet moriũtur, vt apoplectici: niſi, inquit, febris corripiat &c. Febris hanc conuulſionem ſoluere poteſt, quia coquit, incidit, & tenuat, diſcutiens materiam illam frigidam humidam neruos opplentẽ. Vinum enim immodicè ſumptum, non modo non calfacit, imò potius refrigerat, calore natiuo reddito imbecilliore. Sed idem vinum præſtantiſſimum poteſt, vt & febris, ſanare conuulſionem, quia quæ mala ſuæ ſubſtãtiæ tenuis copia inuexit,

eadem ſua qualitate tollit calfaciendo & exiccando. Quare colligendum eſt hanc conuulſionem quā febris & vinū ſoluunt, eſſe à plenitudine. *Aut ad eam perueniens horā* &c. Ambiguitas eſt de crapula. Aliis enim tardius, aliis celerius. Conſideranda natura ebrij & vini. Nam ij citius & diutius inebriantur quibus venæ ſunt anguſtiores, nimis calidæ, & conſtitutio corporis, præcipuè capitis denſior. At quibus & ſuturæ magis patent, & item venæ, capitiſque & venarum natura ac conſtitutio eſt frigidior, iis celerius ſoluitur crapula. Iam in vini natura, & conſiſtentiam, & qualitatem, & quantitatem ſpectamus. Vinum craſſum & nigrum ſtabiliorem facit ebrietatem. hinc qui zytho hordeaceo, aut ceruiſia inebriantur, longiore tempore manent ebrij. At à vino tenui breuior eſt ebrietas. In quantitate, multitudo vaporum non tam facilè diſcutitur, neque tam breui tempore quam parua copia. In qualitate ſi vinū ſit forti⁹, citius inebriabit & diutius. Ob id dicit Oribaſius crapulá ſolui 7. aut 9. hora, quia fortaſſe Byzantij, vbi ille medicinam faciebat, frigidior erat regio, vina nimis craſſa & valida. At Gal. ex Hipp. dicit quod ſoluitur crapula aliquando 2. die, aliquando 3. & ita terminum ebrietatis conſtituit tertium diem. In his regionibus ſoluitur potius, vt in regione Oribaſij, 7. aut 9. hora, quam vt ſcripſit Hipp. Gal. & Philoth. ſed citius, & tardius pro natura ægri & vini. *Loquatur.* Alij dicunt nos debere expectare ſitim, vt febrim.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticon eſt experientia Hippo. confirmatum, repetitum ſecundo de morbis. Si quis ebrius vino & ſomno ſepultus cum interceptione motus, ſenſus & vocis iaceat: qualis interceptio nec fortis nec debilis apoplexia eſſe poteſt, ſed*

*potius affectus quiſpiam apoplexiæ ſimilis, quòd is à ſolis vaporibus, non à craßis humoribus, vt apoplexia, excitetur: quòd is motum & ſenſum planè non tollat, vt apoplexia, ſed ſolum ſtupidum reddat: quod is non in paralyſim, vt apoplexia ſæpe, ſed in conuulſionem deſinat: aut ſi apoplexia ſit, erit ea debilis apoplexia, quæ fit prohibito vitalis ſpiritus ex quo animalis recreatur, aditu ad cerebrum, & impedito exitu animalis ſpiritus ad inferiora, vt illis motum & ſenſum impertiatur: nimirum per obſtructionem venarum iugularium à vini vaporibus contractam. Qualis apoplexia ſolutu eſt facilis, quòd vapores ipſi facile diſſoluantur; eoque promptius quòd in loco ſunt calido, nimirum venis iugularibus. Is autem ebrius, non particulari ſed vniuerſali conuulſione ob affectum cerebrum prehenſus moritur: niſi hunc febris corripiat, quæ ſit conuulſioni analoga. nam conuulſioni febrem ſuperuenire melius eſt, quam conuulſionem febri: aut cum ad id tempus peruenerit, quo crapula ſoluuntur, vocem recuperet.*

## *APHOR. VI.*

Ὁκόσοι ὑπὸ τετάνου ἁλίσκονται, ἐν τέσσαρσιν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται· ἢν ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

*Qvi diſtentione corripiuntur, intrà quatuor dies intereunt: ſi verò has effugerint, incolumes euadunt.*

EOrum meminiſſe oportet quæ diximus Apho. 26. lib. 2. Febrem in conuulſione &c. & 57. lib. 4. Qui conuulſione, aut diſtentione &c. Tetanus rigor eſt & æqualis conuulſio in anteriorem, & poſteriorem partem. Morbus eſt acutiſſimus & crudeliſſ. quia eſt intolerabilis cruciatus propter contentionem omnium neruorum. vbi ergò videmus aliquem corripi hac con

uulſione, tum iudicare oportet mortem prima periodo, hoc eſt quaternario primo, quia morbi acutiſſimi ſoluuntur die quarto: vbi quidem eſt vegetior ſenſus, natura mollior, & cruciatus ille nullas dat naturæ inducias, ita vires naturales & vitales profliguntur, ita diſſoluuntur ſpiritus, vt ſæpè moriantur, vel intrà 20. horas. Ἀλίσκονται, hoc verbo vtitur Hippocrates, vbi indicat magnitudinem paſſionis. Pereunt, niſi corripiantur febre, vt Apho. 57. lib. 7. Si verò hos dies effugerint, & melius habeant, ſani fiunt. hoc dicit quia magna ex parte id accidit, nam etiam vltra quartum diem poteſt perſeuerare conuulſio in corpore duriore, & non ita ſenſus vegeti, ac vbi magnus eſt animus.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticum eſt de tetano. Quos tetanus exercet, id eſt muſculorum antagoniſtarum æqualis conuulſio, vt quibus vniuerſum corpus, potiſſimum verò ceruices obriguerunt, vt nullam in partem moueri poſſint, intra dies quatuor intereũt, quia tetanus peracutus eſt morbus, & peracutorum more intra quatuor dies vel ad ſalutẽ vel ad mortem finitur: intereunt autẽ doloris acerbitate & partium impedimento, quarum officio vita carere nequit. Quodſi effugerint eos dies quatuor, conualeſcunt, quòd vires natura colligat ad cauſæ morbificæ depulſionem, ipſa doloris & interceptæ actionis impatiens: adiuta præſertim conuenientibus auxiliis, aut febre ſuperueniente. Tetanus autem non tam cauſæ magnitudine quam ſymptomatum vehementia funeſtus eſt. Cuius vis maximè in ceruice eluceſcit; afficitque diaphragma per conſenſum, quia a quarta vertebra ceruicis producuntur nerui ad diaphragma: preinde ceruice conuulſionem patiente non poteſt non affici diaphragma, ac proinde*

*impediri reſpiratio. De tetano vide Aphor. 57. lib. 4. & 12. lib. 6.*

## *APHOR. VII.*

ΤΑ' ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται, μετάστασιν ἴσχει· ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει.

*EPilepſia ante pubertatem amotionem recipit, poſt viceſimum verò quintum annum ferè comitatur ad mortem vſque.*

DIximus libris præcedentibus epilepſiam eſſe morbum puerilem, quia pueris neruorũ natura mollis eſt & imbecilla: præterea ea ætas propter vitã intemperantem, & intempeſtiua exercitia colligit crudos humores, qui facilè à neruis excipiũtur, vnde fit epilepſia. Si itaque morbus comitialis primis menſibus & annis pueros inuaſerit, ſpes eſt ſolutionis morbi in mutatione ætatis. Succedet enim ætas calida ſicca quæ materiam morbum conſtituentẽ tenuabit, incidet, quę illam frigiditatem & mollitiem, ac humiditatem corriget, ſimulque neruoſum genus roborabit. Tamen non expectata ætatis mutatione poſſumus morbum profligare, ſi vtemur frictionibus, ſi dabimus balanos, qui reuellant, ſi inſtituemus vitæ rationem quæ calefaciat, & ſiccet, & leuiora item medicamenta. Si his nihil proficiamus, expectanda erit pubertas qua fiet acrior calor, vnde humiditas illa neruorum corrigetur, & nerui robuſtiores reddentur. Tumque ad remedia redire poterimus, & naturam arte noſtra iuuare, quò facilius vincatur malum. Galenus circumſcribit terminum pubertatis à 14. anno vſque ad 25. ſed iſtud intelligendum magna ex parte, quando alij celerius, alij tardius pubeſcãt, & aliis extendatur pubertas vſque ad 30. Iam μετάστασις

proprie dicitur ab Hipp. & medicis tranſmutatio morbi in morbum, vt pleuritis aliquando tranſmutatur in peripneumoniam. Tamen hoc loco idem ſignificat quod μεταβολή, hoc eſt mutatio, & ſolutio morbi, λύσις. Gal. magis probat vt hoc modo interpretemur quàm aliter. verum morbus comitialis reuera ſoluitur & ſolutione propriè dicta, & propriè dicta μεταστάσει. vt hic puer hoc morbo ſoluetur beneficio ætatis, vel adhibita recta victus ratione & iuſtis remediis, hæc eſt ſolutio: alter, idque per μετάστασιν, incidet in febrem quartanam, & ita liberabitur epilepſia. Poſſunt, vt ſcribit Gal. 6. Epid. commoueri hæmorrhoides & varices in cruribus, tranſlata materia à capite in crus, & ita ſoluetur epilepſia. Poteſt item fieri, vt qui anteà erat epilepticus, fiat podagricus. *Quibus autem 25. poſt annos pubertatis* &c. Notandum eſt quod ſi quis nunquam laborauerit epilepſia ante 25. annum, eo morbo correptus poſt 25. annos vix poterit ſanari, quia morbus maximè repugnat ætati. Et quanto longius à 25. anno inuaſerit, tanto contumacior erit, & ſolutu difficilior, non tamen omnino inſanabilis eſt, & ob id addidit τὰ πολλὰ, quia in declinatione ætatis ſoluitur. Morbus comitialis ſolet ſolui pubertatis tempore, & primo partu, alioqui conſeneſcit, niſi, inquit Aurelianus, natura diu luctante, & iuſtis medicamentis, ac moderata victus ratione ſuperetur. *Commoriuntur*, aliter inueteraſcunt, vel diu perſeuerant.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticum eſt de epilepſia. Epilepſia quæ eſt conuulſio uniuerſi corporis periodica cum mentis & ſenſuum obla-*

*ſione, ſi ante pubertatem incidat, vt pueris ob nimiam crudi humoris abundantiam & neruorum infirmitatem. Curationem recipit, cauſæ morbificæ amotione ſcilicet, non alterius morbi ſucceſſione, per ἔκλαμψιν, id eſt fulgore emicante caloris natiui materiam coquentis, & abſumentis humiditatem crudam, neruoſque confirmantis. At ſi poſt 25. ætatis annum ſuboriatur, maximam partem commoritur manetque inſanabilis, quòd inſanabilem cauſam habeat in vitio cerebri: & quia non poteſt ſperari aut habitus aut temperamenti in melius mutatio, quòd iuſtum magnitudinis modum iuuenes attigerunt.*

## *APHOR. VIII.*

Ὁκόσοι πλευριτικοὶ γενόμενοι, οὐκ ἀνακαθαίρονται ἐν τεσσαρεσκαίδεκα ἡμέρῃσι, τουτέοισιν ἐς ἐμπύημα μεθίσταται.

*QVi pleuritide laborant, niſi intra dies quatuordecim ſupernè repurgentur, iis in empyema fit mali tranſlatio.*

HIc Aphoriſmus cum multis ſequentibus ſcriptus eſt in Coacis præſagiis. pleuritici propriè dicuntur quibus inflammata eſt membrana ſuccingens coſtas, & hæc vera eſt pleuritis. Oportet intelligere quid ſcribatur à Gal. in comm. Apho. 12. lib. 1. & 1. de criſibus, quod pleuritides magna ex parte ſoluuntur intra 14. dies, aut die 14. quia ſunt acuti morbi. Morbos ſolet natura ſoluere excretione, coctione, abſceſſu, & metaſtaſi. Excretione, vt cum per febres ardentes mouet ſudores, vomitiones &c. In pleuritide quoniam mouet expuitiones 14. diebus. Si ſpuere incipiunt ſtatim primo die, aut ſecundo, iudicamus morbum breuiorem fore, ſi verò nono, vndecimo, longiorem. Denique quò tardius apparet ſputum, eò longius protrahitur morbus.

morbus. vbi natura robuſta eſt, & materia non eſt contumax, ſoluit morbum per excretionem, hoc eſt, expuitionem, alioqui conuertitur ad ſuppurationem, materiam illam coquit, & in pus conuertit. Pus autem vbi acrimonia ſua corroſit tunicam illam ſuccingentem, effunditur in ſpatium thoracis, & ita per os expuitur, vel deiicitur aliquãdo per inteſtina aut veſicam. Cæterum ἀνακάθαρσις vox eſt peculiaris Hippo. pro repurgatione per ſputa, ſic κάθαρσις, ſed rarius, vt quæ vox ſit ambigua, vt de menſtruis & de purgationibus quæ fiunt per medicamenta. Quæſtio eſt, an oporteat ſupputare 14. dies ab eo die quo cœpit ſpuere pleuriticus, an à principio morbi. Supputandum à primo die totius morbi. Fuchſius abuſus eſt hiſtoria Anaxionis lib. 3. Epid. & malè hanc citauit. primũ Anaxion pleuriticus non cœpit ſpuere liquida 17. die, ſed 11. deinde non eſt iudicatus per ſuppurationem, ſed per ἀνακαθάρσει & ſudores. Tertius error eſt quod à 17. die ad 34. numerat dies 14. cum reperiantur 17. Porrò Hippocrates in hoc Aphoriſmo ſcribit expectandam eſſe ſuppurationem vbi æger non eſt per ſputa repurgatus in 14. diebus, quod intelligendum eſt fieri magna ex parte.

## SCHOLIA.

*Prognoſticum de ſolutione pleuritidis. Quicunque pleuritici, non inchoata ſed abſoluta obſeſſi pleuritide, quæ eſt inflammatio tunicæ coſtas ſuccingentis, ex ſanguinis biliosi affluxu per venam intercoſtalem mammariam, vel ἄζυγον: aut ipſius humoris orgaſmo, aut doloris acerbitate, aut alterius morbi ſucceſſione: non expurgantur per expectorationem*

*materia quæ facit pleuritidem, neque remediis à medico tentatis cedunt, vt ſanguinis detractione, alui deiectione, diæta, admotis lenientibus, ac cucurbitulis parti, quia materia contumax hæret concluſa parte dolente: intra decimumquartum diem aut vigeſimum ad ſummum ab hiſtoria morbi finiuntur ad mortem, ſi quod aliud malum appareat, antequam ad ſuppurationem ventum ſit: aut ſi nullum pernicioſum ſignum accedat, collecto pure in loco phlegmones, vomicam excitant, atque in ſuppuratum degenerant, rupta ea vomica, & effuſo pure in ſpatium inane thoracis. Rarò autem apud nos eiuſmodi ſuppurationes fiunt, quia multò ſanguine detracto & purgatione, topicisque remediis anteuertimus.*

## *APHOR.* IX.

Φθίσις γίνεται μάλιςα ἡλικίῃσι τῇσιν ἀπὸ ὀκτωκαίδεκα ἐτέων, μέχρι πέντε καὶ τριήκοντα.

*TAbes iis maximè ætatibus fit, quæ à decimooctauo anno ſunt ad triceſimumquintum.*

HIc Aphor. ſcriptus eſt lib. de Coacis præſagiis & 2. Prognoſt. Tabes dicitur multis modis, aliquando eſt marcor, & cachexia totius corporis ab abſceſſu aliquo interno viſceris, vt hepatis, idque ſine vlcere pulmonis. Eſt & tabes renalis, cum nonnulli ab vlcere renum contabeſcunt & emarceſcunt. Eſt & dorſalis tabes. propriè tamen tabes eſt ab vlcere pulmonum propter ruptam vel eroſam venam. Et eſt quod ſæpè ſcribit Gal. tabem fieri vel à ruptione venæ in pulmonibus, vel à defluxu capitis in

pulmones; cum videlicet hæc fluxio erodit venam in pulmone, & facit vlcus, tabes itaque fit à 18. anno ad 25. in adoleſcentibus, & à 25. vſque ad 35. in iuuenibus. comprehendit enim ætates duas τῶν νεανίων καὶ νεανίσκων, idque propter ruptam venam vel eroſam, vel defluxionem, vndè vena rumpitur, aut eroditur. In adoleſcentia quia copia eſt ſanguinis, qui vaſa pulmonis diſtendit & rumpit, neceſſe eſt ſubinde conſequi tabem. Fit etiam venæ ruptio à rebus externis, vt vociferatione &c. In iuuenibus ſanguis eſt acrior: præterea ob vitam intemperantem ac violentam, & exercitia intempeſtiua, ſæpè colligunt acria excrementa, quæ erodunt vaſa, vndè ſanguinis ſpuitio, quam ſequitur tabes, ſæpè etiam in iiſdem rumpitur vas pulmonis, à rebus externis.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon de ætatibus ad tabem obnoxiis. Ea enim tabes quam parit pulmonum vlcus, in adoleſcentiam & iuuentutem potiſſimum cadit: non quidem ex qualibet cauſa, vt deſtillatione ferina à capite, aut à ſuppurato pleuritidi ſuperueniente: ſed potius à ruptura, aut apertione vaſorum pulmonis. Quæ illis contingit, non tam ob incautum ac intempeſtiuum viuendi genus ferè illis conſuetum, cum hæc occaſio omnibus aliis morbis ſit communis: quàm ob ſanguinis copiam, quæ in his ætatibus abundat: indicio eſt hæmorrhagia quæ illis citatur ex facili. Item, ob eiuſdem ſanguinis acrimoniam & efferueſcentiam, propter vicinum cor, & vitæ inſtitutum in laboribus & exercitiis: in qua ſanguinis efferueſcentia & fuſione à calore,*

*maior locus neceſſario occupatur, vt inde in pectore vaſa facilè rumpantur. Quinetiam copia ſanguinis, in otioſis, aut in quibus ſanguis ad inferiora non trahitur, vel ſupprimitur, facilè ad ſuperiora fertur, atque in illis partibus redundat. Quo fit vt podagricis & arthriticis, materia tranſlata ab articulis in pulmones: item ſuppreßis menſibus, hæmorrhoidibus, aut alia ſolemni euacuatione mulieres frequentißimè in hæmoptoiſin incidunt. Pueri autem non ſunt obnoxij tabi, quia in illis ſanguis tum in alimentum tum in incrementum abſumitur, & ſi catarrhi ferini vrgeant, humido multo acrimonia obtunduntur. neque ſenes, ob ſanguinis paucitatem, calorem exiguum, humores frigidiores, errata pauciora in victu. Veteres tabem ab vlcere pulmonum* θηρίωμα *vocabant: quod & conſumptione ſanguinis & infectione aëris, quem ſpirando ducimus, habitum corporis omnino extenuet.*

## APHOR. X.

Ὁκόσοισι κυνάγχην διαφεύγουσιν ἐς τὸν πνεύμονα τρέπεται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀποθνήσκουσιν· ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ἔμπυοι γίνονται.

*QVibus ex angina ad pulmonem mali fit conuerſio, ij intrà dies ſeptem moriuntur: ſi verò hos effugerint, purulenti euadunt.*

ANgina propriè dicta eſt inflammatio muſculorum laryngis internorum qui eam claudunt, & hæc periculoſiſſima eſt. At minus periculoſa eſt ea, in qua inflammantur laryngis muſculi externi aperientes. In hac eſt tumor externus, & nonnunquam rumpitur ſua ſponte abſceſſus, vt pus expuatur, ali-

quando fomentis, & vnguentis rumpimus, aliquando lanceola configimus. Quare ſanabilis eſt. Philotheus (& rectè) dicit Hipp. hic agere de vera angina quæ fit in muſculis laryngis internis, in qua nullus apparet tumor in faucibus: hæc cum rumpitur, non ſentiunt ægri dolorem in larynge, facilius ſpirant & degluciunt, & liberantur quidem, ſed per metaſtaſin: nam pus in pulmones deſcendit, & ita ex angina fit peripneumonia. Quam metaſtaſin colligemus ex propriis peripneumoniæ ſignis, atque ij ſtatim quarto aut quinto vel ad ſummum ſeptimo die moriuntur. Si verò hos dies effugerint, ſuppurantur. Non dicit quod debeant omninò ſeruari, ſed magna ex parte. nam ſi pus effuſum non fuerit expurgatum, tabes ſolet ſuccedere. Ἐμπύημα dicitur ſuppuratio omnis in quacunque parte corporis. Secundò, vbi abſceſſus eſt in viſcere aliquo, liene, rene, ventriculo &c. Tertiò, dicitur maximè & propriè in thorace, quando pus effunditur in ſpatium thoracis. hoc loco intelligitur ἐμπύημα propriè de his quibus eſt ſuppuratio facta in thorace.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon de conuerſione anginæ in peripneumoniam. Ea enim, quæ nihil aliud eſt quam inflammatio muſculorum propriorum laryngis & quæ planè funeſta eſt per ſe, ob interceptionem viarum quibus aër ducitur, ſpirituſque ad cor fertur, & fuligo excluditur: ſi effuſo pure in pulmonem, vel materiæ morbificæ adhuc crudæ ſymptomatico ad eundem motu, vnde peripneumonia fit, conuertatur: in-*

*tra ſeptem dies non a primo morbi die, ſed à tranſlatione ſymptomatica, interimit: interceptione officij ad vitam neceſſarij, feritate materiæ quæ in angina vitium inſanabile contraxit; & difficultate curandi: adde quòd peripneumonia morbus eſt peracutus, qui intra ſeptem dies ad ſalutem aut ad mortem iudicatur. Quòd ſi hos dies effugiat, empyema ſuboritur vtraque thoracis parte: pure quod expectorari non potuit, pulmonum facultate expultrice labefactata à materiæ, quæ præcedentis morbi ſucceſſione in eos irruit, feritate, in ſpatium thoracis effuſo, & calore loci cordiſque propinquitate ſuppurationem promouente. Additur conditio in Coacis, niſi eductio fiat pituitæ: quæ tamen vix vnquam locum habet, niſi in morbo leuiſſimo & materia admodum benigna. lib. 6. Epid. Hippo. ait angino ſos non peripneumonicos, ſed pleuriticos fieri: ſed ibi non de vera angina loquitur, ſed de ſecunda ſpecie anginæ, vnde vocat* ἐρύθημα συναγχικόν.

## *APHOR. XI.*

Τοῖσιν ὑπὸ τῆς φθίσιος ἐνοχλευμένοισιν, ἢν τὸ πτύσμα ὅπερ ἂν ἀποβήσσωσι βαρὺ ὄζῃ ἐπὶ τοὺς ἄνθρακας ἐπιχεόμενον, καὶ αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέωσι, θανάσιμον.

*Qvi tabe infeſtantur, ſi ſputum quod extuſsiunt olet grauiter carbonibus iniectum, & capilli defluunt, letale.*

SÆpè fit poſt ſuppurationem, quòd pus acrimonia ſua exulcerat pulmones, & fit tabes. in Prognoſt. habes indicia ſuppurationis & tabis. Ex hoc Aphoriſmo cognoſcemus mortem eſſe in ipſo li-

mine, ſi ſputum, aut pus quod expuit tabidus grauiter oleat impoſitum carbonibus. Si etiam ſputum iniicitur in aquam marinam, & fundum petat, quia ſpiritu eſt deſtitutum, ſignum eſt mortis propinquæ. Omne enim ſputum naturale ſupernatare debet. Aliud ſignum mortis propinquæ eſt, ſi cum anteà multum puris expueret, iam nihil expuit, ſi nugari, & delirare incipiat. Omne quidem ſputum tabidorum grauiter olet, adeò vt halitus tabidi inficiat. Sed antè animaduertemus, num ſit aliquod vlcus in ore vel gingiuis, vndè pus grauem illum odorem contrahat. Quod ſi non eſt, dicendum eſſe à pulmonibus, iudicandumque in partibus ſpiritalibus & humoribus eſſe cacoëthiam quandam & putrefactionem. letale quoque eſt ſi capilli defluunt à capite in tabidis, quoniam magna reſiccatio totius habitus corporis, & præcipuè capitis, à qua ſiccitate alimenti prouenit inopia, oſtenditur, & aliquando (inquit Galen.) humorum corruptio.

## SCHOLIA.

*Prognoſticum mortis proximæ in tabe ex puris malitia & capillorum defluuio. Si in tabe iam inueterata, à diuturno pulmonum vlcere, ſiue id primigenium ſit, ſiue ſuppurati conſequens, contracta: ſputum quod tußiendo excluditur, non purum, album, miniméque aut modicè fœtidum fuerit, ſed in carbones coniectum grauiter oleat, vnde pulmonum necroſis & inſanabilis materiæ corruptela.*

*ſignificatur, mortis proxima eſt præſagium. Licet enim omnis puris odor ingratus ſit, non tamen grauis aut fœtidus: quia fœtor à putredine oritur, & extraneo calore tum ipſius puris aut alterius humoris, tum vlceris, aut partis vnde manat. Si quod ergo pus fœtidum ſit, non modo pus eſt, ſed aliquid deterius, quale pus liuidum, pallidum, viride, cœnoſum, ſubcruentum. Puris autem graueolentis fœtor exploratur iniectus carbonibus, vel ſuper vitrum, aut peluim argenteam igni impoſitus. Efficit enim ignis, vt quæ vel alioqui non oleant, vel minus, ſuum odorem edant. abſumis enim quod humidius obtundebat odorem, & e reliqua parte halitum excitat odoris ſubiectum, & tanquam vehiculum: aere namque odor ſubuehitur. vnde hyeme omnia minus odorem reddunt quieto tum pigroque aere, & quaſi concreto. Et quia fœtor ſputi, abſolutè lethalis non eſt, quòd pituita ſanioſa non ſolum ſuper carbones, ſed etiam per ſe fœtet: aliorum ſignorum teſtimonio firmandum præſagium. Si videlicet vna cum pure fœtida capilli defluunt prohibita generatione ipſorum, materiæ ſpermaticæ & ſucci alibilis ceu vltimi alimenti defectu & inopia, ob caloris natiui infirmitatem, & nimiam partis in qua pili naſcuntur ſiccitatem ab exhauſto humido: corruptela eiuſdem alimenti ob vapores aut humores vitioſos, radices pilorum corrumpentes, & ob capitis cachexiam: poris quoque cutis per quos exeunt pili nimium laxatis. Addit Hipp. in Coacis aliud ſignum lethale tabis, ſi pus tuſsiendo excluſum coniectum in aquam marinam, aut aquam ſale ſubduplo in aqua liquefacto marinam redditam, fundum petat: marina enim aqua ferendo oneri aptior eſt. Indicium hoc erit extinctionis caloris natiui, & reſolutionis partium ſolidarum e quibus ſputum manat, exuſtum, terreum, fæculentum, omni calore & ſpiritu flatuoſo*

*deſtitutum. Præter hæc, manifeſta grauitas, & contagioſus halitus, qui tamen ab oris aut gingiuarum vlcere non exhalet, putredinem ac cacoëthiam produnt in tabe, ob febrem in corde accenſam, aërem inſpiratum, qui tabificam qualitatem contrahit in pulmonibus, & vlceris malignitatem.*

## APHOR. XII.

Ὁκόσοισιν ἐν φθισιῶσιν αἱ τρίχες ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ῥέουσιν, οὗτοι διαῤῥοίης ἐπιγενομένης ἀποθνήσκουσιν.

*Quibus per tabem capilli capite defluunt, ij alui profluuio ſuperueniente moriuntur.*

Ex alui profluuio intelligimus vim retentricem eſſe imbecillam, præterea cum ſit ſymptomaticum vires diſſoluit, atque deiicit, vnde mors ſtatim inuadit.

## SCHOLIA.

*Alterũ mortis præſagiũ in tabe. Si in tabe iam confirmata, capilli defluant inopia ceu defectu vltimi alimenti ab exhauſto partium ſolidarum, aut ſucci alibilis corruptione, & diarrhœa ſuperueniat iſti capillorum defluuio, aut etiam ante capillorum defluuium ſuboriatur: quæ diarrhœa non ſit ſoboles praui illius humoris è capite portione vna in pulmones, altera in ventrem defluentis, vnde ventris perturbatio excitari poßit: neque ſoboles puris è rupta vomica, aut ſaniei reſudantis ab vlcere ſordido pulmonum, per cor, hepar genúſque venoſum in aluum tranſmiſſi. (Talis enim diarrhœa ſalutaris eſſe poteſt in tabe, dummodo tempore conquieſcat, & tußis imminutionem adferat, ſin minus, calamitoſa) ſed ſoboles potius humoris tum*

*alimentarij tum primigenij partium ſolidarum prænimia ſiccitate colliquatarum: hæc mortem proximam minantur. Quò enim plures facultates labefactatæ ſunt, eò res ægri peiore ſunt loco: Vnde Hippocrates, quibus (inquit) extenuatis nigra deiiciuntur, poſtridiè moriuntur.*

## APHOR. XIII.

ΟΚόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπλύουσι, τουτέοισιν ἐκ τοῦ πνεύμονος ἡ τοιαύτη ἀναγωγὴ γίνεται.

*QVi ſpumantem ſanguinem extuſsiunt, iis ex pulmone educitur.*

QVi ſpumoſum ſanguinem expuunt, ſiquidem dolor non eſt ſub diaphragmate, vt ſcribit in Coacis præſagiis, his è pulmonibus educitur. Hîc alia exemplaria legunt ἀναβήττουσι. i. extuſſiunt. Quæſtio eſt an oporteat ea quæ educuntur è pulmonibus eſſe ſpumoſa. Primo non eſt neceſſe, quia aliquando rupta vena aut exeſa emittitur ſanguis non ſpumoſus, aliquando materia, quę à capite delapſa in pulmones, ibi fit craſſior, & viſcida magis, educitur abſque vlla ſpuma. Adhæc Gal. dicit non poſſe eſſe ſpumoſum ſanguinem, niſi educatur è carne, & ſubſtantia pulmonis. Itaque ſi ſanguis ille ſpumoſus, tenuis, ſubtilis, qui pulmones nutrit, expuatur, ſpumoſus neceſſario erit. At ſi vena ſit rupta aut exeſa in pulmone, non eſt neceſſe, vt Aphor. 30. lib. 7. ob id falluntur multi qui dicunt, non eſt ſpumoſus ſanguis, ergò non eſt ex pulmone. Neque ſanguis eſt ſpumoſus propter motum & agitationem pulmonis, propter ingreſſum & exitum ſpiritus per inſpirationem & expirationem, neque pro-

pter calorem: verum eſt, motum eum iuuare poſſe; ſed non eſt ſufficiens cauſſa. Alia quæſtio eſt, an neceſſe ſit ſanguinem qui ſit ſpumoſus eſſe de ſubſtantia & carne pulmonis, non quia aliquando è latere educitur ſpumoſus ſanguis, vt in pleuritide. Aliquando vbi educitur è vena pulmonis eſt ſpumoſus, ſed quia perpetuum eſt, aut magna ex parte ſit, vt ſanguis cum educitur à ſubſtantia pulmonis ſit ſpumoſus, ideo quod perpetuum eſt ſequimur. At à latere, & à vaſis pulmonis rarò ſpumoſus eſt. Quod ſi indè ſit ſpumoſus, talis eſt potius à cauſa externa, vt propter agitationem inſpirando ſpiritum & expirando, non à propria cauſa, qualis eſt ſanguis è pulmone. Educitur autem de pulmone ſanguis ſpumidus, exulcerata videlicet carne & ſubſtantia pulmonis. Quod videmus in iis quibus vlcerati ſunt pulmones. Tum enim emittitur per vulnus ſpumoſus ſanguis.

## SCHOLIA.

*Prognoſticum ſpumoſi ſanguinis. Sanguis ſpumans tuſſiendo excluſus à pulmone exulcerato manat, non à larynge, non ab ore, neque à faucibus, neque ab aſpera arteria, neque ab ipſo thorace, neque ab hepate, ventriculo, aut liene, vtero, cerebro. Nam cum omne excrementum præ ſe ferat idæam partis vnde manat, ſpuma ſanguinis flaui qui copioſe, & ſine dolore cum tuſſi excluditur, non alibi quam in pulmonibus gigni poteſt. Spumæ enim generatio ex ſpirituoſa conſtat ſubſtantia, quæ plurima eſt in pulmonibus; tum ob perpetuam aëris inſpirationem atque expirationem, tum ob ſubſtantiam ipſorum pulmonum, quæ tota veluti coagulata ſpuma eſt. Quanquam ſpumoſus ſanguis aliunde, quàm ex pulmone manare*

*videri poteſt. Etenim pleuritici & peripneumonici ſpumoſum ſanguinem interdum expectorant: ex gutture quoque atque ex pectore, aliquando etiam ex hepate, cerebro, liene ac utero ſpumoſus ſanguis prodit. Quæ omnia accurata diſtinctione opus habent. Qui enim ſpumoſus ſanguis manat ab exulcerata ſubſtantia ceu carne pulmonis, totus ſpumoſus eſt, ſine dolore reiectus, rotundus, non continuò fluens, ſed per interualla interciſus ac ſeparatus, dilutus ac albidus ex permiſto plurimo aëre & pulmonis ſimilitudine. Qui ſpumoſus ſanguis prodit in pleuritide ac peripneumonia, ſeroſus & leuiter ſpumæ permiſtus prodit. Qui ex gutture, leniter ſpumæ permiſcetur. Qui ex hepate, liene, cerebro, utero, exiguæ ſpumæ eſt particeps, adſuntque indicia in corpore male affectarum huiuſcemodi partium: ſpumoſus quoque ſanguis manare poteſt ſine dolore ex rupto aliquo vaſe pulmonis, quemadmodum in iis qui ex alto ceciderunt, aut calcibus cæſi ſunt, aut vulnerati in palaſtra: aut ex vaſe eroſo ab acri diſtillatione. Sed is ſanguis licet plurimum ſpumoſus ſit, non tamen totus ſpumoſus, fluitque coloratiſſimus magna copia.*

## APHOR. XIIII.

Ὑπὸ φθίσιος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγενομένη, θανατῶδες.

*SI tabe detento profluuium alui ſuperueniat, pernicioſum.*

SI ſit alui profluuium ſolum, diſſoluuntur paulatim vires: ob id ſignum eſt lethale. Si verò adſint duo, & capillorum caſus, & alui profluuium, ſtatim deiicientur vires & morietur æger.

## APHOR. XV.

Ὁκόσοι ἐκ πλευρίτιδος ἔμπυοι γίνονται, ἢν ἀνακαθαρθῶσιν ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν ἀφ' ἧς ἂν ἡ ῥῆξις γένηται, παύονται· ἢν δὲ μὴ, ἐς φθίσιν μεθίστανται.

*QVi ex pleuritide empyi fiunt, ſi a ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur: alioqui tranſeunt in tabem.*

CVm hoc Aphoriſm. coniungere oportet octauum huius ſectionis, & intelligere, quod quicunque pleuriticus eſt, ſi ſeruari debet in diebus quatuordecim repurgabitur: vbi verò dies 14. præteriit, & videmus ægrum non eſſe repurgatum, dicemus quod fiet ſuppuratio, tum notare oportet diem 20. 30. 40. & aliquando 60. quia vt plurimum per eos dies ſolent fieri ſuppurationes, & ſolet pus moueri. Quando igitur videmus ægrum abſolutum febre, ſequitur vt natura iam pus conficiat: circa 20. diem recurrit febris & maximus eſt dolor, quia dum pus efficitur, &c. Poſtea natura elaxat vias & pus erodit membranam, vt effundatur & erumpat in ſpatium thoracis, & ita facilius expuatur. Illa autem puris eruptio dicitur ῥῆξις. Suppuratio facta eſt 20. die. fingamus ῥῆξιν fieri 30. die, vt ſæpius accidit, neceſſe eſt, vt pus illud per expuitionem repurgetur in 40. diebus ab eo die in quo facta eſt ruptio. Si non repurgetur per interuallum 40. dierum, contrahet malignitatem quandam & putredinem, qua exulcerabuntur pulmones ſua natura molles, rari, ſpongioſi, & iniuriam facilè admittentes, vnde tabes & poſtremò mors. Verùm ἔγχυσις illa ſeu effuſio puris non ſemper fit in ſpatium thoracis, imò aliquan-

do, rarius tamen, contingit effundi pus illud & repurgari per vrinas & inteſtina. At quibus in ſpatium thoracis effuſum eſt, ij dicuntur ἐμπύοι. i. ſuppurati.

## SCHOLIA.

*Prognoſticum tabis iamiam affuturæ in ſuppuratis ſiue ἐμπύοις. Pleuritis, quæ intra quatuordecim aut ſaltem viginti dies abſolutam purgationem non habuit, ſed in ſuppuratum ceu empyema degenerauit, 20. 30. 40. 60. die. Si intra quadraginta dies ex quo rupta eſt uomica, cepitque pus expectorando purgari, nullus fiat expectorandi finis, necdum integræ materiæ ſuppuratæ expectoratio facta fuerit, pulmonem exedi neceſſe eſt, pure temporis diuturnitate putreſcente & corrumpente ſubſtantiam pulmonum, unde phthiſis. Quanquam propter varietatem puris in calore, acrimonia & erodendi vi, aut propter temporum conſtitutionem, vel ætatem multi ante eum diem phthiſici fiunt. Signum autem puris confecti in pleuritide, eſt pondus quoddam in latere affecto, item horror, quia veluti quibuſdam ſtimulis a pure lancinatur membrum: mutua quoque horreſcendi & ſudandi viciſſitudo.*

## APHOR. XVI.

Τὸ θερμὸν βλάπτει ταῦτα τοῖσι πλεονάκις χρεομένοισι, σαρκῶν ἐκθήλυνσιν, νεύρων ἀκράτειαν, γνώμης νάρκωσιν, αἱμοῤῥαγίας, λειποθυμίας, ταῦτα οἷσι θάνατος.

*Calidum frequentiore vſu hæc inuehit incommoda, carnis effœminationem, neruorum incontinentiam, mentis torporem, profuſiones ſanguinis, animi deliquia: ad quæ quidem mors.*

HI omnes Aphor. citantur ab Hipp. 1. de vſu liquidorum, quòd veteres ſolebant vti balneis ad voluptatem & ad alia multa. Vbi ergo habuerimus rationem moris veterum, & præterea eorum quæ Galenus ſtatim initio comment. 24. Aphoriſm. huius lib. ſcripſit: Cum dicit, hactenus de calida & frigida diſſeruit Hippocrates. Intelligendum agere hoc loco de vſu immoderato calidæ & frigidæ in balneis, perfuſionibus, irrigationibus, iniectionibus, fomentis. Duplex autem eſt vſus in quantitate & qualitate: Σύμμετροι καὶ ἄμετροι dicuntur in quantitate magis: εὔκρατοι vero καὶ ἄκρατοι in qualitate. Calidum igitur immoderatum, hoc eſt, vſus immodicus calidæ, quia videlicet largius, quia ſæpius & longiori tempore vtimur in perfuſionibus, balneis, &c. adfert carnium effœminationem. i. languorem & imbecillitatem. Vſus enim balnei frequentior & diuturnior carnium fibras emollit, laxat & ſoluit: quo fit vt diffundantur ſpiritus per carnes ſparſi, qui ita fuſi exoluuntur. *Neruorum incontin.*) Robur neruorum eſt in ſolido & ſicco moderato, & vbi nerui ſicci ſunt, tum ſunt robuſtiſſimi, vt in febribus ardentibus. Ergo cum vis neruorum ſit in ſicco, ab immodico vſu calidæ redduntur molliores, elaxantur, & ita neruorum ipſi ſpiritus reſoluuntur. Iſtud maximè facit calida ad voluptatem vſurpata, hoc eſt, vt ex ea ſit ſenſus ſuauis & iucundus, non autem vrat. *Mentis torporem*). Γνώμη ſeu διάνοια vis eſt iudicandi & ratiocinandi. Anima ſicca eſt prudentiſſima. Talis autem eſt vbi ſpiritus ætherij ſunt calidiores & ſicciores. Temperamentum enim inſtrumentorum ſeruientium animæ iudicanti & ratiocinanti

debet eſſe calidius & ſiccius, vt habet Aphrod. de temperamento corporum celeſtium. Anima præterea prudentiſſima eſt, vbi cerebri ſubſtantia non eſt nimium humida, ſed durior & ſiccior. Quia igitur reddit cerebrum humidius, & ſpiritus propria animæ inſtrumenta diſſoluit, propterea mentis ſtuporem, hoc eſt, imbecillitatem in cognoſcendo, ratiocinando & reminiſcendo inducit. *Hæmorrhagias.*) Concaleſcit ſanguis, tenuatur & funditur, ſpiritus implentur & intumeſcunt venæ, laxatíſque tandem meatibus fit hæmorrhagia, quam ſequitur animi deliquium reſolutis ſpiritibus, & inde mors. Hæc itaque omnia ſimul oportet intelligere, remolleſcunt carnes & nerui, diſſoluuntur vires omnium partium, ſpiritus animalis & vitalis reſoluuntur, fit hæmorrhagia & defectio animi, quam ſequitur mors.

## SCHOLIA.

*HActenus de ſymptomatibus* ἐπιγενομένοις. *Nũc de poteſtatibus calidi & frigidi agitur: calidum fomentum, vt balneum aquæ dulcis vniuerſale, aut ſingulare, ſiquis eo diu multumque vtatur, carnem effœminat ac emollit plus æquo, laxatis fibris, diſſipatoque proprio carnium pabulo, & inducto humore excrementitio: neruos, tendones, ligamenta propria & communia infirmat, quorum robur in ſiccitatis mediocritate conſiſtit. Cerebrum ſtupidum reddit, illiuſque ſenſum, motum, omnes denique eius actiones infirmat. Sanguinis profluuia è naribus ab vtero hæmorrhoidibus laxatis venis & ſanguine fuſo concitat. Animi deliquia inuehit diſſipatis ſpiritibus, & reſolutis membranis. Ad quæ omnia ſequi mortem neceſſe eſt.*

*APHOR.*

## APHOR. XVII.

ΤΟ` δὲ ψυχρὸν σπασμοὺς, τετάνους, μελασμοὺς, καὶ ῥίγεα πυρετώδεα.

*Frigidum vero conuulſiones, tetanos, nigrores & rigores febriles adfert.*

DE frigido immoderato loquitur & aqua frigida. Tamen (vt notato vno reliqua ſolet intelligere) innuit etiam reliqua frigida. vſus igitur frigidæ immoderatus efficit conuulſiones, idque per ſe & per accidẽs. Per ſe & propria ſua qualitate, quia frigiditas eſt inimica neruis, & quia reſiccat, conſtringit & condenſat ſubſtantiam neruorum. Per accidẽs, quia plenitudinem facit, dum intrò materiã compellit, & præterea cogit & conſtringit cutim, vt non poſſint exhalare excrementa. Diſtenſiones fiunt ab eadem cauſa. Μελασμοὺς) denigrationes ſeu liuores. Licet Hip. ſæpiſſimè vſurpet in vlcerib⁹. (quia ſi quod vlcus aut vulnus refrigeratum eſt, ſtatim nigreſit) tamen ſatius eſt intelligere liuores partium refrigeratarum, quod etiam vſu experimur. Quibuſdam enim perfrigeratis nigreſcit cutis faciei & reliqui corporis cutis nudata. Aliis per ſumma frigora ſummi pedes, extremæ manus non ſolum nigreſcunt, quia extinguitur calor natiuus: ſed etiam vbi eo extincto, calor præter naturam oritur, putrilaginoſa vlcera extrahunt, & tandem decidunt mortuæ. Rigores febriles, qui febrẽ excitant, frigus dum condenſat partes extremas excrementa retinentur in corpore, & retenta putreſcunt, oborto calore præter naturam, vnde febris putrida. Poteſt etiam diaria à ſola refrigeratione.

## SCHOLIA.

FRigidum, cuiuſmodi eſt aqua frigida, poſca, omphacium, acetum, herbarum frigidarum liquores, ſucci, ſi quis eo conſideratè vtatur adfert conuulſiones tum per ſe, tum ex euentu. At per ſe quidem, quia neruos ſiccando indurat atque mordendo contrahit: ex euentu, humores excrementitios cogendo ac impediendo ne diſſoluantur. Diſtentiones, affectu æqualiter antagoniſtis muſculis. Liuores & quaſi partium denigrationes, extincto partis calore natiuo, & intercepto vitali ſpiritu. Atque adeo rigores febriles, ſuppreſſione ſcilicet excrementi quod in peculiari cuiuſque natura redundare conſueuit.

## APHOR. XVIII.

ΤΟ ψυχρὸν πολέμιον ὀστέοισιν, ὀδοῦσι, νεύροις, ἐγκεφάλῳ, νωτιαίῳ μυελῷ· τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον.

FRigidum inimicum oßibus, dentibus, neruis, cerebro, dorſali medullæ: calidum verò amicum.

FRigore læduntur partes exangues, vt cerebrum, inteſtina, vterus, veſica, penis. Itē partes calidæ, vt thorax, ventriculus, quia frigidum inimicum vitæ & naturæ. Sed exangues & frigidæ naturæ promptius & celerius offenduntur, quia exiguum habent calorem, quo ſe tueantur aduerſus vim & iniuriam frigoris. Oſſa patiuntur à frigore, non dolent. lib. 5. de vſ. part. Neruis etiam eſt frigus infeſtiſſimum. ob id Galenus paſſim prohibet in vulneribus, ſi quis neruus ſit læſus, ne exponatur frigori, eo quod periculum eſt ne oriatur ſtupor, paralyſis vel conuulſio. Cerebro

quoque & dorſali medullæ, natura frigidis partibus, eſt aduerſum frigus. At calidum qualitate & quantitate moderatum amicum eſt non ſolum his partibus, ſed etiam toti corpori.

## *SCHOLIA.*

*Frigidum, vt aqua frigida, poſca, ſucci herbarum, acetum, his partibus bellum indixit, oſſibus non ſentiendo, ſed patiendo, quia exanguia & frigida: Dentibus, ſentiendo & patiendo, qui quidem oſſa ſunt, ſed quia ſentiunt, ſecluduntur à numero oſſium, quæ omnino ſunt ſenſus expertia. Neruis, qui ob ſenſum facilè patiuntur, ſuntque caloris imbecilli: cerebro, quod natura frigidum eſt ſi cum cæteris partibus conferatur. Calidum vero his partibus plurimum prodeſt, non quidem ſuum natiuum temperamentum ſeruantibus, ſed ſui temperamenti limites egreſſis. Nam ſimilia ſimilibus ſeruantur, contraria vero ſuumque temperamentum prætergreſſa, contrariis curantur.*

## *APHOR. XIX.*

Ὁκόσα κατέψυκται, ἐκθερμαίνειν δεῖ, πλὴν ὁκόσα αἱμοῤῥαγέει, ἢ μέλλει.

*Quæ perfrigerata excalfacere oportet, præter ea quæ ſanguinem profundunt, aut breui ſunt profuſura.*

Est axioma, contraria contrariorum ſunt remedia. Hoc perfrigeratum eſt, ergo oportet excalfacere.

*Exceptis iis vnde profluit ſanguis, aut fluxurus*) Gal. lib. 6. Epid. legit tantum αἱμοῤῥαγέειν μέλλει. i. fluxurus eſt. Hîc tamen legitur melius. Intelligere oportet Hippocratem hoc loco agere de hæmorrhagia quæ fit rupta vena à frigore. Vnde alibi dixit, frigidum rumpit venas. Quare ſenſus eſt huius Aph. Quæ perfrigerata ſunt, &c. Niſi ſi qua perfrigerata ſunt, & inde profluit ſanguis. Quæritur ſi quando fiat hæmorrhagia, an nunquam oporteat vti excalfacientibus, ſed ſolis vtendum ſit refrigerantibus? reſpondeo. Vtimur quidem aliquando calfacientibus, ſed cauſticis, vt cauteriis, non tamen quod ſanguinem ſiſtant copioſè profluentem. At Galenus prohibet vſum valdè refrigerantium, quia conuulſionem excitant. Hoc intelligendum eſt ne vtamur immoderatè, ſed modicè & ad tempus. Vt ſi ſit hæmorrhagia ex vtero quę non facilè ſiſti poſſit, remedium erit præſtantiſſ. ſi adhibeas parum aceti, etiamſi ſit partibus omnibus neruoſis infeſtiſſimum. Vtebantur autem oxycrato veteres. Hoc tamen & illo modicè & ad tempus vtendum, vt diximus.

## SCHOLIA.

*QVæ vim frigoris conceperunt, vel ab exhauſto humidi primigenij & diſſipatione caloris natiui: vel caloris appulſu: decet calefacere, vt ſcilicet ſymmetrum in quo naturæ virtus conſiſtit reſtituatur rei quæ redundat detractione, & eius quæ deeſt adiectione: ſi ea exceperis quæ ſanguinem fundunt, aut quæ fuſura ſunt. Nam vnde natura magis eſt opis indigens, hac illi ex parte magis eſt ſuccurrendum: & calamitoſior eſſet*

*hæmorrhagia quam ſymmetriæ reſtitutio utilis. Proinde in complicatis affectibus, aut diuerſis morbis, aut habita ratione morbi & cauſæ, non ſemper locum habet hoc axioma medicum, contraria contrariis curantur.*

## *APHOR. XX.*

Ελκεσι δὲ μὲν ψυχρὸν δακνῶδες, δέρμα περισκληρύνει, ὀδύνην ανεκπύητον ποιέει, μελασμοὺς, ῥίγεα πυρετώδεα, σπασμοὺς, καὶ τετάνους.

*Frigidum vlceribus mordax, cutem obdurat, dolorem inſuppurabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, conuulſiones & tetanos creat.*

VLceribus frigidum eſt mordax, id eſt punctorium, vt pars videatur acubus configi: id fit multis de cauſis. Primò, quia pars vlcerata nuda eſt cute. Experiẽtia enim videmus, quod pars quæ contecta eſt cute, facilius perfert frigus affrictum linteum, quam quæ nudata eſt. Altera cauſa eſt, quia pars vlcerata non eſt aſſuefacta frigori, vt manus etiam ſi ſint neruoſæ, facilius tamen ferunt frigus, quia ſunt aſſuetæ. Tertia cauſa, quia vlcera illa rara ſunt, caro vlceris mollis, frigus autem facilè ſubit. Alia ratio quia frigus contrahit, & contrahendo diuellit partes, ea deductione dolorem illum punctorium excitat. Poſtremo quòd frigus partes vlceris ſuperficiales conſtringit, vt iam fuliginoſum excrementum ſanies, & pus non poſſit expurgari. Quare dum pus & ſanies intus retinetur, dolorem & mordicationem faciunt. *Cutem obdurat.*) Nam quemadmodum calor laxat & rarefacit, ſic frigus ſiccat: &

aſtringendo duriorem cutim efficit. Philotheus dicit, quod frigus expellit intrò materiam, vnde fit plenitudo, & à plenitudine extenditur cutis, vnde durities, ſed hoc falſum eſt. ὀδύνῃ ἀνεκπυήτῳ, ) alias legitur ἀνεκποίητοι. Quam lectionem, eamque meliorem agnoſcit Gal. lib.3. de articul. & Philotheus etiam, interpretaturque dolorem πολυχρόνιον. i. multi temporis. Galenus tamen in comment. legit ἀνεκπύητον per υ, id eſt, inſuppurabilē: dolor impropriè dicitur ſuppurari: dolor enim non ſuppuratur, ſed abſceſſus. Ergo inſuppurabile, quia calor eſt qui ſuppurat, alioqui frigus externum intrò compellit calorem: Sic collectus fit fortior, quo fit vt celerior fiat ſuppuratio. Obiiciet tamen aliquis, ſi frigidum vlceribus mordax, cur ergo dixit Hippocrates lib. de vuln. capitis, vulnera capitis facilius ſaneſcere, nec tam letalia eſſe hyeme quàm æſtate? Scito frigus per accidens plus adferre commodi, quam per ſe incommodi. Nam quod incommodum ab ambiente accidit, facile poteſt temperari & corrigi admoto ferro candente: per accidens verò, quoniam putridum arcet: nil autem eſt, quod magis præcipitet ægrum ad mortem, quam corruptio. hanc arcet frigus: Ergo, &c.

## SCHOLIA.

*Frigidum vlceribus mordax, tum per ſe, tum ex euentu: ac per ſe quidem, humores tenues exprimendo, carnem mollem & raram & ſua cute nudatam diuellendo, & continuum ſoluendo: ex euentu, ichorem vlceris cogendo, materiamque inſuppurabilem reddendo. Obdurat cutem, partes*

*quas non penetrat comprimendo & exprimendo. Doloris cauſam facit inſuppurabilem: pus enim à calore natiuo conficitur. Rigores febriles & non febriles appulſu frigoris & contactu rerum ſenſu præditarum, creat.*

## *APHOR. XXI.*

Ἔστι δὲ ὅκου ἐπὶ τετάνου ἄνευ ἕλκεος νέῳ εὐσάρκῳ, θέρεος μέσου, ψυχροῦ πολλοῦ κατάχυσις ἐπανάκλησιν θέρμης ποιέεται· θέρμη δὲ ταῦτα ῥύεται.

*Est tamen vbi in tetano ſine vlcere, iuuene euſarco, æſtate media frigidæ larga profuſio calorem reuocat. Calor verò hunc ſoluit.*

MVlti reprehendunt Hippocratem in hac ſententia, vt Æginetà, Soranus, Aurelianus, & alij veteres: ſed malè, quia ſi animaduertamus quod ſcribit Hippocrates: omnino verum eſt. Ponamus quod hæc particula ἔστι δὲ, indicat effectum hunc frigidi eſſe rarum, ſicut ea quæ deinceps ſcribit fieri à frigido & calido, rarò in vſum veniunt. Eſt autem, quaſi dicat, id fit, etiam ſi raro, vt in diſtentione, &c. præterquam quod rarum eſt, oportet circunſcribere ſententiam, vt Hippocrates ipſe. Addit enim ſine vlcere, iuuene bene carnoſo, &c. Senſus igitur is eſt: eſt autem cum, id eſt, rarò quidem id vſurpatur & vſurpari debet, tamen aliquando contingit vt frigidæ aquæ perfuſione reuocetur calor in diſtentione. *Sine vlcere*) quia frigidum vlceribus inimicum. *Iuuene bene carnoſo*) rectiùs vertit Leonicen. quàm Fuſchius. Nam ſi iuuenis eſt εὔσαρκος, id eſt mediocriter carnoſus & quadratus, non poteſt eſſe illa quadratura

ſiue multo calore & humiditate. Et ita benè temperatus eſt. Æſtate media (inquit Phil.) calor externus internum iuuat, quod falſum eſt. Imo potius calor natiuus internus ab externo attrahitur & reſoluitur, vt in Canicula. Itaque ratio hæc eſt. Calor internus qui antea exhalabat, & diſſoluebatur, iam occurſu frigidæ & denſatis poris, intrò compellitur, & ſe colligit ad cauſas, quæ conuulſionem faciunt. Calor autem hæc, id eſt conuulſiones & diſtenſiones ſoluit: quia materiam frigidam neruis imbibitam, quæ conuulſionem facit, concoquit, tenuat, reſoluit, & præterea neruos corroborat. Erat & alia ſecta quæ reprehendebat Hippocratem: vt qui ſibi repugnare videatur, quando ponit ſimilia ſimilibus curari, cum eodem authore contraria contrariorum ſunt remedia. Hoc quidem axioma verum eſt, contraria contrariis curari. Quod autem curatur conuulſio frigore, id fit tantum per accidens. Solus enim calor per ſe curat conuulſionem.

## SCHOLIA.

*HActenus incommoda calidi & frigidi deſcripta ſunt. Nunc commoda vtriuſque proponuntur. frigida aqua, potiſsimum inter ea quæ actu vel poteſtate, vel frigida ſunt per accidens & ex euentu curat affectus etiam frigidiſsimos, eoſque non tantum internos, ſed etiam externos. In his enim, aqua foris aſperſa, calorem fluentem ab habitu corporis compellit intrò, eundem poris obſtructis diſcuti ac diſsipari prohibet, vnde per antiperiſtaſin auctior in interno corpore factus, magiſque vnitus, tādē ad habitū corporis fortior ac vegetior reuertitur, vbi craſſos ac frigidos ſuccos concoquit, coctoſque reſoluit. Eſt enī calor, omnis coctionis reſolutioniſque authcr. Tetanus eſto huiuſce curationis*

*exemplum: hic enim frigidiſsimus affectus externus, ceruicis muſculos antagoniſtas obſidens, larga aquæ perfuſione ſanatur: ſeruatis interim quinque conditionibus: vbi ſit ſine vlcere, vlceribus enim frigidum mordax: in iuuene, in ſene enim ob caloris defectum, in puero ob humiditatem & mollitiem corporis larga frigidæ perfuſio citra iacturam ferri non poteſt: Quadrato, id eſt mediocriter carnoſo, in quo nimirum nerui habent ſuum πρόβλημα, id eſt carnem, quæ impedit ne vis frigoris integris viribus intrò ſubeat, nam in obeſo, venæ anguſtæ ſunt & paucus ſanguis, in gracili nulla aut pauca caro obducta neruis, ob id a frigido in vtriſque prompta læſio. Æſtate media, quia calor fluens in habitu diffuſus temperat frigus aquæ affuſæ: quòd larga manu, confertim ac ſubito aqua frigida affundatur, idque ex alto, vt calor citius intrò cogatur. Meminit huius curationis Hippo. 3. de morbis, his verbis. Aquam frigidam plurimam ſuperfundito, & poſtea veſtimenta tenuia, pura ac calida ſuperintegito: ignem autem tunc non adhibeto, hoc auxilium & ad tetanos & ad opiſthotonos adhibe.*

## *APHOR.* XXII.

ΤΟ' θερμὸν ἐκπυητικὸν οὐκ ἐπὶ παντὶ ἕλκει, μέγιστον σημεῖον ἐς ἀσφαλείην, δέρμα μαλάσσει, ἰσχναίνει, ἀνώδυνον, ῥιγέων, σπασμῶν, τετάνων παρηγορικόν· τὴν δ' ἐν τῇ κεφαλῇ καρηβαρίην λύει· πλεῖστον δὲ διαφέρει ὀστέων κατάγμασι, μάλιστα δ' τοῖσιν ἐψιλωμένοισι. τουτέων δ' μάλιστα τοῖσιν ἐν κεφαλῇ ἕλκεα ἔχουσι. καὶ ὁκόσα ὑπὸ ψύξιος θνήσκει ἢ ἑλκοῦται. καὶ ἕρπησιν ἐσθιομένοισιν, ἕδρῃ, αἰδοίῳ, ὑστέρῃ, κύστει, τουτέοισι τὸ θερμὸν φίλιον καὶ κρῖνον· τὸ δὲ ψυχρὸν πολέμιον καὶ κτεῖνον.

*CAlidum in quo vlcere pus mouet, maximum ſecuritatis præſtat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, conuulſiones, tetanos mitigat: capitis grauitatem ſoluit: oſsibus fractis plurimum prodeſt, maximè ſi nudata ſint,*

*multóque magis ſi in capite. His etiam prodeſt quæ moriuntur aut vlcerantur a frigore. Herpetibus denique exedentibus, ſedi, pudendo, vtero, veſicæ, his omnibus calidum amicum & decretorium, frigidum inimicum & interimens.*

QVemadmodum proximus Aphoriſmus de iis erat quæ rarò accidunt in vſu aquæ frigidæ, ita initio huius Aph. de iis agit, quæ rarò fiūt in vſu calidæ. Vt autē Aph. hunc intelligamus ſcire oportet, tria eſſe neceſſaria ad ſuppurationē. Primū eſt, vt natura partis ſit integra, hoc eſt ſuū calorē, & ſpiritum habeat integrum. Secundum, ſit vlcus aptum ſuppurationi. Tertium, ſit remedium conueniens ſuppurationi. Calida aqua rarò vtemur ad ſuppurationem, quia reſoluit, præterea poros aperit, quos obſtruere oportet, vt celerior fiat ſuppuratio. Oportet itaque in ſuppuratione remedia eſſe calida, vel actu vel potentia, vt acetoſa herba cocta ſub cineribus & impoſita, pus mouet, quod agit tantum quod calida ſit actu, non autem potentia. *Non in omni vlcere.* Nō enim vlcus omne eſt idoneum ſuppurationi, vt cacoëthes, propter intemperiem partis: vt, cuius in ambitu caro liuet, cuiuſmodi & cancrodes & carbunculi: quos tametſi dicat Galenus non oportere ſuppurare, aliter tamen hodie vſu experimur. nam eos paſſim ſuppuramus, vt baſilico. Prętereа vlcera maligna & diuturna, qualia ſunt telephia, & phagedęnica. Item vlcera putrida, necnon rheumatica ſuppurationem nō admittunt. In ſumma oportet ea vlcera quæ ſuppurantur eſſe ἀσύνθετα καὶ ἀσύστατα, id eſt ſimplicia & ſine alio affectu, nō rheumatica, non maligna & diuturna, non habentia putredinem aut labra exeſa & vlceroſa. Vt, ſi ſit vlcus rheumaticum, in hoc non vtemur aqua calida; quia hęc vias elaxat: ſi ſit putridum, non ſuppurabimus, quia ma

gis putreſceret. Ob id Hipp.6.Epid.vbi vlcerum diffe-rentiás oſtendit, ait oportere vlcus omne vehementer ſiccare, & ſcarificare. *Maximum ſecuritatis ſignum.* ) Quemadmodum in morbis coctio omnis ſecuritatem morbi pollicetur:ſic in omni vlcere,quando ad ſuppu-rationem ducitur,ſalutare eſt. Si eſt vlcus in pulmoni-bus,melius eſt ſuppurare quam putreſcere. Cutẽ emol-lit,quia laxat & humectat. Extenuat quæ ſunt craſſio-ra. Dolorem lenit,non quia materiam reſoluit, vt vult Philot. Sed quia re vera anodyna mediocri ſunt calidi-tate,id eſt calore temperato & mediocri,qui ſenſum iu-cundum & voluptatem afferat.*Rigores* &c. Quia mate-riam concoquit, tenuat, reſoluit, præterea partes cor-roborat.καρηβαρίαν propriè vocamus dolorẽ capitis gra-uem.Philot.de tẽſiuo interpretatur.Sed non eſt aſtrin-gẽdum ad hunc dolorẽ tẽſiuum:quare hîc vterq; dolor locum habebit.*Plurimum verò oſſibus fractis* &c.quia fri-gidum,oſſibus inimicũ, calidum verò amicũ.hinc Hip. in fracturis oſſiũ commendat perfuſionẽ aquæ calidæ: cui ſi ſit hyems, miſceatur oleũ,vt fiat hydrelęũ.Duplex autẽ eſt vſus calidæ in oſſiũ fracturis.Primo,circa initia, quãdo à deligatiõe cõtracta eſt prurigo,huiuſq; materiã reſoluere & diſcutere volumus:tũ enim vlcus perfũdere oportet aqua calida. Secundo poſt ſeptimũ diem, quia perfuſio calidæ euocat materiã & ſanguinem gignẽdo callo, quo iungũtur partes oſſis ſolutæ.*Nudis præcipuè* ) quia percipiũt facilius calorẽ:prętereà iis *maximè quibus in capite* &c.Hip.lib.de vlceribus non vult vlcera made-fieri aqua, quia vlcus, quà eſt vlcus, eget ſiccantibus. Imo veteres interdixerunt aquam calidã,imo etiã mix-tionẽ aquæ calidæ in medicamẽtis adhibẽdis in vlcere. Cur ergo hîc ponimus aquã calidã prodeſſe vlceribus? Hippocrates hic loquitur de vſu aquæ calidæ,ſed raro.

Præterea ſi adhibeatur, id fit non quò vlcus, neque vt fracta conſolidet, ſed vt ſuo calore temperet, & mitiget dolorem. *Et iis quæ a frigore* &c. vt hyeme contingit in pernionibus: his enim admodum confert calidum temperatum (vt ſi inuoluantur quibuſdam pellibus) cum linteis carptis & quiete. Nec tamen ſtatim in iis veniendum ad vſum calidæ, niſi dolor ſit vehemens & à frigore extinguatur. *Herpetibus exedentibus.* ) Id eſt, ſerpentibus vlceribus à bile flaua: hæc poſthac diſtinguit à phagædenis, quæ habent materiam craſſam & erodunt intrò ad oſſa, herpetes vero exulcerant tantum ſuperficiem. Herpetibus itaque adhibetur calida, tum vt eam bilis acrimoniam & calorem temperet, tum vt materiam reſoluat, non tamen ſtatim ea vtemur. *Sedi* &c.) quia hæ partes maximè neruoſæ ſunt, ob id iuuantur calidis: his calidum amicum & iudicans, quia ſoluit: frigidum verò inimicum & interimens, quia calorem extinguit natiuum, & prohibet iudicationem ſolutionemque morborum.

## *SCHOLIA.*

*HÆc ſunt commoda aquæ tepidæ. Aquæ tepidæ fotus: aut cataplaſmatum moderato ac benigno calore præditorum, non aßidua, ſed per interualla admotio (aßiduus enim vſus aquæ tepidæ relaxat) egregium eſt auxilium ad ſuppurandas inflammationes, non quidem conſiſtentia ſua, ſed calore blando atque ſuaui naturæ noſtræ conſentaneo: etiam inflammationes vlceratas: non qualibet tamen vlcera ſuppurat, ſed ea tantum, quæ in partibus frigidis conſiſtunt, oßibus, membranis, ſede, pudendo, vtero, veſica: aut quæ frigidum ſequuntur, quales ſunt perniones calcaneorum: non autem illis conferre*

*poteſt ſuppurandis vlceribus, in quibus naturæ integritas aut materiæ bonitas deſyderatur, aut eſt perennis materiæ malignæ affluxus: cuiuſmodi ſunt carcinomata, vlcera telephia, & phagedanica: aut in quibus nondum conſtitit fluxio: ea enim, cum plurimum humida ſint, humectari non poſtulant, ſed exſiccari. Signum autem ſecuræ inflammationis aut ſecuri vlceris, fidiſſimum erit, ſi ab illis aquæ perfuſione humectatis, coctus & ſuppuratus humor prodeat. nã omne ſuppuratũ pepaſmus eſt, & a pepaſmo ſpes certa ſalutis oſtẽditur, maximéq; vbi tanta naturæ virtus elucet, materiæque bonitas, vt ſolius calidæ vſu fiat ſuppuratum. Calidum quoque cutim emollit, quæ aut ſiccitate aut concretione aut diſtenſione obduruit. Extenuat, digerendo craſſos humores. Dolorem ſedat, vacuando, rarefaciendo, temperando, & ad æqualitatem reducendo, quæ aut craſſorum aut glutinoſorum, aut acrium, aut multorum humorum aut flatulenti ſpiritus copia, ſpecie, temperamento, & habitu in vitio ſunt. Rigores, obortos ſuppreſſione excrementi quod in peculiari natura redundare conſueuit, mitigat reſoluendo. Conuulſiones, diſtenſiones, grauitatem capitis perſanat, exhauriendo & concoquendo copiam rerum, vel acrium, vel lentarum, vel craſſarum, aut flatulenti ſpiritus iſtos affectus committentium, vnde adhibent medici betonicam, meliſſoph. ſtech. melil. chamemel. folia ſennæ & agaricum. Admirabile eſt quantum cæteris antecellat ad oſſium fracturas: ſeptimo die, ad ſedandum pruritum: viceſimo, ad generationem calli, ſuccum alibilem attrahendo: maxime verò ad denudatas, quòd oſſibus, & vlceri calidum ſit amicum, & præſertim ad fracturas capitis cum vlcere, non quidem ratione vlceris quod in oſſe inſedit, nam os poſtulat conſeruationem ſui per ſimilia: quòd item Hippo. libro de vulneribus capitis, vulnera nullo humore, ne vino quidem lauari voluerit: ſed ratione coniuncti aliſuius affectus: vt ſi eryſipelatodes os fuerit bilis acris affluxu,*

*poterit vlcus aqua lauari calida ad infringendam vim bilis. Herpetes exedentes iuuat, non ratione vlceris, ſed materiæ acrioris, cuius potior eſſe debet cura quam ipſius vlceris.*

## APHOR. XXIII.

ΕΝ τουτέοισι δὲ δεῖ τῷ ψυχρῷ χρέεσθαι, ὁκόθεν αἱμοῤῥαγέει ἢ μέλλει, μὴ ἐπ' αὐτὰ, ἀλλὰ περὶ αὐτὰ ὁκόθεν ἐπιῤῥεῖ· καὶ ὁκόσαι φλεγμοναὶ ἢ ἐπιφλογίσματα ἐς τὸ ἐρυθρὸν καὶ ὕφαιμον ῥέποντα νεαρῷ αἵματι, ἐπὶ ταῦτα. ἐπεὶ τά γε παλαιὰ μελαίνει, καὶ ἐρυσίπελας τὸ μὴ ἑλκύμενον ὠφελέει· ἐπεὶ τό γε ἑλκύμενον βλάπτει.

*FRigido vero in his vtendum, vnde fluit aut fluxurus eſt ſanguis, non quidem eodem loci, ſed ad ea loca vnde fluit admoto: & ſi quæ partium inflammationes, aut deflagrationes ad rubrum ſanguineumve colorem tendunt recenti affloreſcente ſanguine, iiſdem ipſis adhibito. nam inueteratas nigreſacit. Eryſipelas etiam non vlceratum iuuat, ſiquidem exulceratum lædit.*

IN hoc Apho. loquitur de vlceribus, vnde profluit ſanguis, aut fluxurus eſt, in quo reprimendo commendat frigidam, & præterea quæ qualitate reſpondet aquæ frigidæ. Cauendum tamen eſt, ne hoc remedio abutamur, non enim vtendű eſt, niſi extrema neceſſitate vrgente & tentatis prius remediis omnibus emplaſticis & obſtruentibus, quæ vias intercipiunt, phlebotome, cucurbitulis & ſcarificationibus & aliis reuellentibus. Nam omnibus his auxiliis adhibitis ſi non ſiſtatur ſanguis, poterimus vti medicamentis refrig. & ipſo etiã aceto, & aliquando oxycrato impoſitis parti. Sic in profluuio ſanguinis è naribus, cogimur aliquãdo adhibere acetű ipſis naribus. Sed ſi quando contingat vt in hæmorrhagia ſit vtendű frigidis, non vult Hipp. frigidum adhiberi ipſis partibus fundentibus ſanguiné, ſed vici-

nis,hoc eſt,quę venas habent cõmunes parti vnde fluit ſanguis aut fluxurus eſt,vt ſi ſanguis fluat è nare dextra. Oribaſio placet frigida applicari hepati, ſi fluat è ſiniſtra,lieni.Sed periculum eſt viſceribus admouere frigida, quoniam ſic vis eorum læditur. Præterea ſi ſit obſtructio in viſcere,augetur refrigerantibus.Quare cum intelligamus venas mammarum communicare venis nariũ,affigemus mãmis cucurbitulas, aut alia remedia, vel fronti,vel occipiti,vel ceruici,cui etiam frigidã adhibebimus, modo caput ſit robuſtum. A frigida enim conuulſionem metuimus,in capite imbecillo:aliquando longius remedia applicamus,vt cum Oribaſio hepati aut lieni.Et mulieres interdum madefaciunt ſcrotum, aqua roſarum, plantaginis, & aliis refrigerantib. Sed periculoſus eſt vſus frigidorum in teſticulis & partibus principibus : in maribus non tam periculoſus. *Quinetiam vbi inflammationes.*) Hipp.hic vſurpat phlegmonas à ſanguine calidiore : alias vtitur indiſtinctè pro tumoribus omnibus præter naturam calidis.Addit ἐπιφλογίσματα,id eſt ſuperficiales inflammationes, quas vulgus ignem appellat,& re vera videtur ignis in parte incluſus. Et ita hic intelligit,quia iuuatur is ignis frigida, vt aqua morellæ, roſarum, plantaginis, lactucæ, nenuphar. &c. *Ad rubrum.* &c. Nam ſi quando videmus hos ignes, habent calorem & rubrum & cruentum, vt videatur ſanguis affuſus recenti ſanguine &c. Quod vocat νεαρὸν αἷμα,poteſt duobus modis intelligi, vel intelligitur is ſanguis,qui recẽs influxit in partẽ qui tenuior eſt,ſed poſtquam diutius inhęſit parti,craſſeſcit à calore:vel intelligitur ſanguis recẽs factus, νεώτερον αἷμα, qui ruber eſt , tenuior magiſque diluto colore.

At vetus ſanguis iam craſſior & nigrior eſt. quemadmodum enim eſt in nobis caro recens genita mollior, colore magis diluto, & vetus durior magiſque ſecuro colore. Sic & recens erit ſanguis & vetus, in colliquatione, penuum caro recēs nata deinde vetus ſegneſcit. *Iis frigidum* &c. Quia ardorem extinguit & præterea vacuat, quia repellit materiam in alias corporis partes. Calida verò vacuant, quia reſoluunt. *Veteribus*, &c. τὰ παλαιὰ, χρόνια interpretatur Phil. vbi vtemur repellentibus, ſiue ea aſtringentia ſint, ſiue frigida & aquea, oportet materiam quæ repellitur eſſe idoneam & obſequentem: alioqui ſi craſſior ſit, concreſcit magis. Quum igitur in veteribus & epiphlogiſmatis, ſanguis quia diu immoratus eſt in parte, ſit iam craſſus, grumoſus & niger: ſi frigida adhibeantur, concreſcet magis in grumos, fiet craſſior & nigrior. Ob id Gal. authore debet eſſe quidam modus: debent adhiberi refrigerantia, vt extinguatur tantum ardor, non inducatur parti liuor. *Eryſipelas quoque* &c. Aliud eſt exulceratum, aliud non exulceratum: quod exulceratum eſt fit à ſanguine bilioſo acriore: quod non eſt exulceratum, à mitiore & clementiore. Hippocrates aliquando vocat eryſipelata, quæ modo appellauimus epiphlogiſmata: quia videmus aliquando rubores qui quodāmodo flaueſcunt, ſed in his nullus eſt tumor, nulla materia, aut pauca. At eryſipelas, quod eſt cum materia diſtinguere oportet. Nam vel eſt à materia non peſtilente, non maligna, ſed familiari naturæ, vel à peſtilenti & maligna. A familiari naturæ materia, vtemur refrigerantibus, vt ardor repellatur, non inducatur liuor. Si eſt à maligna materia, non adhibebimus refrigerantia, ſed ſcarificabimus tantum, & euocabimus, vt tertio ſtat. tertij Epid.

SCHO-

## *SCHOLIA.*

*HÆc ſunt commoda aquæ frigidæ. Aqua frigida aut ſuccorum herbarum frigidarum fotus confert ſiſtendo profluuio ſanguinis aut præſenti aut imminenti: rupta ſcilicet, erosa vel aperta vena & ſauciata parte, non quidem admotus parti ſauciatæ, nam frigidum vlceribus mordax, ſed ſuprà aut circumcirca, vnde ſcilicet influit ſanguis, ut materiam incraſſando & meatus ſiſtendo ſiſtatur & ſupprimatur fluxus. Confert quoque initio inflammatis partibus, ardoribus partium ex ſanguinis recenti affluxu obortis, ſi ſuper his ad perpendiculum & è directo apponatur, modò nulla neque efficientis cauſæ, neque materiæ neque partis obſeſſæ excuſatio adferatur: quandoquidem ea quæ inueterarunt denigrat extinguendo calorem natiuum. Iuuat vero quouis tempore eryſipelas vlceris expers, materiæ acrimoniam infringendo, affluxum & incrementum prohibendo, lædit autem illud quod eſt vlceris particeps, non ratione materiæ, ſed vlceris ipſius, cui frigidum mordax eſt & acerbum.*

## *APHOR.* XXIIII.

ΤΑ' ψυχρὰ, οἷον χιὼν καὶ κρύσταλλος τῷ στήθει πολέμια, βηχέων κινητικὰ, αἱμορροϊκὰ, καὶ καταρροϊκά.

*FRigida velut nix & glacies pectori inimica, tuſſes mouent, venarum ruptiones & deſtillationes efficiunt.*

PEr ψυχρὰ hoc loco intelligit valde frigidum, quod teſtatur Gal. 6. Epid. com. tertio: vbi inquit hunc Apho. eſſe de valdè frigidis, exemplo niuis & glaciei. Veterum vſum intelligere oportet, nam illi vtebantur aliquando niue, aliquando glacie neceſſitate coacti, vt

qui non haberent alias aquas: cuiuſmodi erant Scythæ. Pueri nōnunquam vtuntur, ſed ad voluptatē, vt etiam Romani. Sanè Hipp. hic ſpectat Scythas & alios populos, qui neceſſitate vtuntur aquis niualibus, glacialibus. Huiuſmodi autem aquæ crudæ admodum & frigidæ effectæ ſunt, quod plurimum nocet capiti, gutturi & thoraci. Ob id qui ea vtuntur, ferè laborant deſtillationibus, & gutturoſi ſunt: hoc eſt herniis gutturalibus prehenduntur. Præterea Hip. teſte, breuioris ſunt vitæ. At aqua mollis & limoſa, qualis eſt Sequana, non tam nocet partibus ſuperioribus, quàm inferioribus, vt ventri, renibus, veſicæ, pedibus. Vnde Pariſini ferè liberas aluos habent, ſunt hernioſi, laborant calculo, & podagrico dolore. Cæterùm duabus de cauſis inimica eſt thoraci aqua niualis ſeu glacialis. Primum, quia thorax oſſeus, cartilagineus, & membranaceus. Deinde, quia natura ſua gaudet calido, & læditur frigido: vt Aquilonibus &c. Tuſſes quoque mouet aqua valdè frigida, duplici ratione, vel propter ſolam intemperiem, vel aliquando propter refrigerationem. Quia enim tunica illa fauciū communis eſt mēbranis cerebri & thoracis, ideo vbi frigiditas contrahitur in faucibus, facilè communicatur & cerebro & thoraci. huc accedit, quod ob frigiditatem iſtā mouentur deſtillationes à cerebro in thoracem, vnde etiam læditur thorax, & tuſſis excitatur hæmorrhagica, quia vt ait Hipp. 6. Epid. τὰ ψυχρὰ φλεβῶν ῥηκτικὰ id eſt, quæ frigida ſunt valde venas diſrumpunt. Nam condenſantur & dureſcunt venæ: tum autem quia minus tranſpirat ſanguis, magis implentur & diſtenduntur. Vbi igitur tantopere diſtenduntur, non ita cedunt ac ſi molles eſſent, quare facilè rumpuntur, (& præcipuè in thorace) vnde hæmorrha-

gia. Quare autem catharros excitent valdè frigida, iam expoſitum eſt.

## SCHOLIA.

*A Quæ incommoda. Aqua extremè frigida, qualis eſt nix & glacies: quæ, aqua elementari ſimplici frigidiores ſunt, non ſolum quòd aſtrictiorem & compactam magis habeant ſubſtantiam: ſed etiam quia aſtrorum frigiditate infrigidentur: item tempeſtas aquilonia ventis placida: pectori ſunt inimica, ſpiritus & ſanguinis vias intercipiendo, ipſiuſque thoracis naturam, quæ oſſea ac cartilaginea eſt, labefactando, quæque multo calore gaudet ad vitæ conſeruationem. Tuſſes mouent, intemperiem & inæqualitatem fautibus atque laryngi inducendo, & catarrhum exprimendo. Hæmorrhagiam cient, induratis venis ſanguine diſtentis, quæ ob duritiem dilatari non poſſunt, proptereaque diſrumpuntur. Catarrhos omnis generis excitant aluinos, tuſſiferos, arthriticos. Eadem incommoda & his plura adfert ventriculo aqua extremè frigida potus: non æquè tamen grauia, quod ventriculus thorace ſit paulo calidior, ſaltem partibus externis.*

## APHOR. XXV.

ΤΑ' δὲ ἐν ἄρθροισιν οἰδήματα καὶ ἀλγήματα ἄτερ ἕλκεος, καὶ ποδαγρικὰ καὶ σπάσματα, τουτέων τὰ πλεῖστα τὸ ψυχρὸν πολλὸν καταχεόμενον ῥηΐζει τε καὶ ἰσχναίνει, καὶ ὀδύνην λύει· νάρκη γὰρ μετρίη ὀδύνης λυτική.

*ARticulorum tumores & dolores abſque vlcere, atque etiam podagricos, & conuulſiones magna ex parte frigida largè effuſa leuat & extenuat, ſoluitque dolorem. nam modicus torpor dolorem ſoluendi vim habet.*

HIc quoque notat effecta aquæ frigidæ, & eorum remediorum quæ qualitate reſpondent aquæ frigidæ οἰδήματα Gal.hoc loco interpretatur omnes quidē tumores præter naturam,ſed vt hæc ſententia aſtringatur iunioribus calidis,qui ſunt à ſanguine calidiore,vel vt Philoth.à ſanguine bilioſo.*Sine vlcere*)quia vlceribus eſt inimicum frigus. *Podagr. dol.* ) à bile ſeu bilioſo ſanguine,vel feruidiore.Frigida enim repellit,& repellendo vacuat. Secunda cauſa, quam affert Hipp. quia mediocris ſtupor dolorem ſedat. Duos arthriticos nouimus,quorum alter vbi inuadit dolor pedem ſenſim immergit aqua niuali,alter pedem ſtatim dimittit in aquā frigidiſſimam, atque ita vterque ſtupore dolorē leuat. Sed ille (qui eſt ſatis carnoſo corpore) ſtuporem & frigus ab aqua relictum,corrigit petræleo,quod calidum, ac deinde inuoluit partem lana ſordida.Poſterior verò adhibet ſolum chamamelinum , & macilento eſt corpore.Quamobrem ſi quando in podagra & arthritide, his refrigerantibus vti in animo fuerit, oportebit poſtea refouere partes calefacientibus, vt corrigatur ſtupor is, & frigiditas. Σπάσματα, id eſt, conuulſa. Gal.in Meth.med.σπάσμα vocat ſolutionem continui in fibris neruoſis, ſine vlcere externo, & ſolutione continui in cute:quaſi dicas laxationem ceu diuulſionem qualemcunque partis, & vltra naturalem ſtatum tractionem. Iſtud accidit in violentis motionibus , vt athletarum. *Horum quidem plurima* &c. Oportet diſtinguere cauſas. Nam ſi tumor eſt à materia craſſa,ſiue ea ſit feruida ( vt in carbunculo ) ſiue frigida,perfuſio aquæ frigidæ non iuuabit. Si à tenui & calido humore, iuuabit, niſi ea materia ſit peſtilens. ἰσχναίνει, id eſt minuit, vel extenuat, id eſt, dolorem minuit, vel tumorem, poteſt enim re-

ferri & ad dolorem, & ad tumorem. *Stupor enim* &c. Fuerunt multi medici, vt Diocles, qui reprobarũt vſum narcoticorum, ſed Hippocrates videtur contentus eſſe ſtupore mediocri. Ergò ſtupor mediocris, vel quia non eſt vtendum narcoticis diutius & ſæpius, vel quia in narcoticis eſt aqua mediocris.

## SCHOLIA.

*HÆc ſunt alia cõmoda aquæ valdè frigidæ. Sanat queſuis tumores articulorum & conuulſiones quæ diuulſis fibris eueniunt, ex humoris contra naturam effluxu partem ipſam diſtendentis & lædentis progenitæ, potiſsimum ex ichoris biliosi affluxu, ipſum humorem temperando & repellendo: talis eſt aquæ niualis, oxycrati ſiue poſcæ, ſuccorum vel aquæ plãtag. aut ſolani ſtillatitiæ perfuſio. dolorem quoque diſcutit, reſtitutione temperamenti & habitus in priſtinum ſtatum, quorum mutatio in cauſa doloris erat.*

## APHOR. XXVI.

ΥΔωρ τὸ ταχέως θερμαινόμενον, καὶ ταχέως ψυχόμενον, κουφότατον.

*AQua quæ citò caleſit & citò refrigeratur, leuiſsima.*

CVm alij variè diſputent de aquis, Hipp. hac ſententia complexus eſt veritatem aquę optimæ. Nam ſi ſpectemus differẽtias aquarum, quæ ſumuntur à pluuia, fluuio, fonte, ciſterna, puteo, lacu, palude, hæ omnes aquæ ad hanc ſententiam redeunt. Si præterea diſtinguamus aquas, quod ſint turbidæ, vel duræ, vel molles, vel mediæ, rurſus eodem redeunt. Itaque Hippo. eam aquam optimam eſſe cenſet, quæ citò caleſcit, & citò

refrigeratur, quæ eadem leuiſſima eſt. Solebant veteres, vt licet colligere ex Gal. com. aquæ bonitatem pondere metiri, neque re vera nota hæc eſt reprobanda. Nam ſi aquæ pondere æſtimentur, quæ leuior erit, ea erit & melior. Hipp. tamen non intelligit eam optimam eſſe, quæ pondere ſit leuis, ſed eam quæ celerrimè alteratur, & tranſmutatur à calore, & diſtribuitur per anadoſim in corpus, & excernitur. Cæterum vt de aquis iudicemus, facere oportet hanc diſtinctionem. Aquarum aliæ ſunt duræ & crudæ, aliæ molles, aliæ mediæ. Duræ ſunt & crudæ magna ex parte puteales, quia nunquam inſolantur: fluuiales, molles, quia limoſæ & cœnoſæ, & hæ improbantur, quia non ſunt vtiles, niſi prius depoſuerint limum in vrna, ciſterna &c. mediæ ſunt tenues, leuiſſimæ & optimæ, quales ſunt pluuiales & aquæ ciſternarum, licet Plinius has improbet. Verumtamen qui omnino probant aquas pluuias, re vera ſunt reprehendendi. Hipp. facit triplex genus aquæ pluuialis. Quædam inquit, hyberno tempore colligitur. Si hanc intelligimus, omnino damnanda eſt, quia cruda eſt admodum & incocta. Quædam colligitur tonitrui tempore, & hæc media eſt. Optima verò ea eſt quæ colligitur æſtate media: huiuſmodi aquæ dicuntur tempeſtiuæ, quia decidunt ea anni parte quæ ὥρα vocatur, hoc eſt, media æſtate. Dicuntur quoque æthereæ, propterea quod ſolis calore, qui tum viget, vapores ſurſum feruntur vſque ad æthera, id eſt, aëris ſupremam regionem: vbi vi ſolis cocti & tenuati cõuerſique in pluuias decidunt. Quare hæ aquæ quia coctę ſunt vi ſolis & tenuatæ, optimæ cenſentur. Si igitur hoc modo aquas pluuiales diſtinxeris, malæ omnino vel probantur, vel improbãtur. Sic eſt diſtinguendũ in aquis ciſternarum.

Nam quæ hyberno tempore collectæ ſunt, meritò reiiciuntur: quæ verò tempeſtiuæ ſunt & æſtate media calida ſicca collectæ, laudantur. At medici vtuntur aqua ciſternarũ in diarrhœis: Quæritur an ſit hac in re ſalutaris. Si ea aqua collecta fuerit æſtate media, illis nocentiſſima erit, quod aluum mollit, potius quàm retineat. Quod ita ſit docet Hipp. cum ait: Aquæ tenues inſtitui debent iis, qui dura ſunt aluo, hybernæ verò, qui humida & pituitoſa. Sic etiam aqua cocta non aſtringit aluum contrà opinionem vulgi, imò emollit, hæc enim aqua quæ antè coctionem cruda erat, tenuatur coctione, & cum tenuis, facilius excernitur. Fluuiales porrò merito reprobantur, quòd ſint limoſę, ſed quæ magnas vrbes alluunt, & cloacas excipiũt, ſunt peſſimæ: vt aqua Sequanæ. huiuſmodi aquis redduntur quidem piſces pinguiores, reprobandi tamen ſunt, tanquam minus ſalubres. Sic equi ea aqua pingueſcunt, licet ſit peſſimum nutrimentum. Puteanę, vt diximus, duræ ſunt & crudę: fontanæ, modo obuerſæ ſint orienti, in media ſunt laude, Meridionales verò & Septentrionales improbantur. Aquæ enim ab aëre alterantur. Sed licet fontanæ obuerſæ ſint Orientibus, tamen videndum eſt an non contraxerint quandam malignitatem, per canales, aut vias quà tranſeunt: ſiquidem aliquando canales contrahunt limum, & tum aqua alioqui obuerſa orienti, mala eſt. Aliquando canales ſunt plumbei, & tum aqua parit dyſenterias, vt ſcribit Gal. in Epid.

## SCHOLIA.

*EXperimentum dignoſcendæ aquæ optimæ. Si cito calefiat & cito refrigeretur. Tam facilis enim mutatio eam leniſ-*

*ſimam eſſe arguit, non leuiſſimam quidem quæ in lance minus ponderat, ſed quæ hypochondria minus grauat, eſtque per eadē promptè meabilis, neque cunctando bileſcit: quæque his, quibus interdicendum eſt vino inflammationis aut delyrij cauſa vel metu, conuenienter exhibetur. Agnoſcitur quoque aqua leuiſſima, ſi in ea carnes, piſces aut herbæ facilius & citius elixentur quam in alia. Item ſi nullum ſaporem ac odorem habeat, ſi limpidiſſima ſit. Aqua pluuia præ cæteris eligenda, niſi haberet vim aſtringendi, quam ex aqua marina eius parente, & terrena ſubſtantia ſimul cum nubibus elata, contraxit. adde quod vſtionem aliquam à ſole paſſa eſt: proinde ipſam ebullire medici præcipiunt, vt partes diuerſæ ſeparentur in ea.*

## APHOR. XXVII.

ὉΚόσοισι δὲ πιεῖν ὀρέξιες νύκτωρ, τοῖσι πάνυ διψῶσιν ἢν ἐπικοιμηθῶσιν, ἀγαθόν.

*QVibus noctu bibendi eſt auiditas, iis admodum ſitientibus obdormiſcere, bono eſt.*

OPortet coniungere ſententiam hanc ſententiæ 6. Epid. vbi Hippocrates loquitur de iis qui leuiter ſitiunt. Hoc autem Aphor. agit de iis qui multum. Gal. in commentario accommodat ſeſe vtrique ſententiæ, & de leui & de multa ſiti. Contingit ergo aliquando, vt ægri vel conualeſcentes, & ſani etiam noctu à cibo ſitiant, alij multum, alij leuiter. Oportet diſtinguere ſitim, nam aut ſitiunt ab inopia, quia non biberunt in paſtu, vel quia parcius: aut ſitiunt quia vſi ſunt vino meraciore & fortiore, vel cibis

acribus & ſalſis. Fingamus aliquem vſum vino meraciore cibis acribus & ſalſis, eumque ſitire hora tertia poſt cœnam. Si ſitis illa leuis ſit, non debet bibere, quia interturbabit actionem. Diſſoluetur enim ventriculus, & in eo fluctuabit cibus, qui niſi à ventriculo comprehendatur, nunquam concoquetur. At ſi abſoluta coctione incipiat ſitis, poterit bibere. Tamen eiuſmodi ſitis leuis, remedium erit ſomnus. In magna ſiti oportet ſatisfacere deſiderio ægri ſitientis, & ſitim reſtinguere ablutione oris, vel exiguo potu: & multò magis ſi excitata ſit inopia, quia parcius bibit & corpus ſiccius eſt. Vbi paucum potum aſſumpſit, debet ſuperdormire. Si poſt ſomnum adhuc ſitiat, bibat largiter. Gal. in comment. citat duas cauſas, vnam propter defectum, alteram propter vapores calidos, vt à vino meraciore: qui quidem orificium ventriculi & fauces reſiccant. Itaque in leui ſiti ſomnum imperamus. Vbi verò quis vehementer ſitit, dare oportet potum duobus modis. Initio quidem priuſquam ſit abſoluta coctio, ſed modicum: poſt ſomnum autem & abſoluta coctione, largiter. Aliquando fit vt poſt longam euacuationem, vel manifeſtam vel inſenſilem, reſiccata ſint corpora, tum liquidis oportet fouere corpus, & potu implere, quia ſiti magis rurſus ſiccatur corpus. Sed quæritur an illis debeamus præſcribere ſomnum, quia hic leuat ſitim. Somnus quidem breuis & leuis iuuabit ægrum, ſed multus offendet, & ita cauendum eſt, ne in his reſiccationibus ægri & ſæpius & longius dormiant. At dicet aliquis, ſomnus eſt veluti cibus: verum eſt in cruditate ciborum, quia concoquit, & ita iuuat. At in magna vacuatione ſi quis vacuo ventre dormiat, lædetur, quia calor natiuus pabulo deſtitutus

languesſcit & contabeſcit. Quare non ſemper verum eſt ſomnum cibum eſſe. *Qui igitur noctu bibere appetunt,* &c.) Appetunt, vt diximus, vel propter defectum vel propter vapores calidos, à potu meraciore, cibis acrioribus & ſalſis, in defectu conſideratur inopia potus, quia fortaſſe largiter cœnatus parum bibit; in hac ἐνδείᾳ exhibere potum oportet vt ſatis ægri deſiderio fiat: nõ tamen multum, etiamſi defectus requirat, ne perturbetur coctio. Abſoluta coctione ſi ſitiat, detur multum. A vaporibus autem calidis ſi leuis eſt, ſomnus iuuabit: ſi magna, exiguo potu fallere oportet deſiderium ægri, & coctione abſoluta largiter dare. πάνυ, *admodum*) In Epid. dicit Hipp. ἐπιπολῆς, vbi loquitur de leui ſiti. Hipp. hîc non dicit an illis potum offerre debeamus, necne. Quare quæritur an ſomnus ſit perpetuum remedium ſitis. Verum eſt, quòd cum ſitis ſit ab inopia humidi, contingit aliquando, vt ſomno corrigatur, aliquando non. Itaque non ſatis eſt dixiſſe, ſi ipſi ſuperdormierint, ſed debuit dicere, ſi bibant, & ſuperdormierint. Sed tamen ſiue bibant, ſiue non, confert ſomnus, modò æger non ſit vacuo ventre, & reſiccato corpore à nimia vacuatione: Somnus enim coquit materiam quæ ſitim excitabat, & ita ſitis ſomno ſubducitur. Præterea cum per ſomnum calor natiuus & ſanguis cum humiditate totius corporis initio confugiat in medias partes, corrigitur ea ſiccitas, & vapor calidus qui ſitim excitabat, coquitur. Quocirca ſi ſuperdormierint, bonum eſt, quia ſitis ſomno ſedatur & coquitur materia, quæ ſitim faciebat. Item in medium corpus conuehitur ſanguis cum humiditate, quia temperatur ſiccitas, & vapor calidus.

## SCHOLIA.

*Etſi aqua, potus ſit omnium iucundiſſimus ſuo tempore; & qui ſitim à ſiccitate, aut caliditate, aut vtraque cauſa ortam, omnium facillimè ſedat: tamen hi qui de nocte bibendi ſunt appetentes, & admodum ſitiunt humoris inopia, cibi aut potus calore, aqua potui exhibēda non eſt, nedum potus alius: ſed potius ſuperdormiendum, & ſomno fallenda ſitis, qualiſcunque ea fuerit. Somno dum partes humeſcunt, viſcera humectantur, cibi aut potus vis acrior mitificatur, atque ita omni de cauſa ſitis nata ſedatur. Adde quod iis, qui noctu bibere appetunt & admodum ſitiunt, ſitis ex multa cruditate ciborum oritur vt plurimum, à qua cruditate multi vapores emittuntur, non aliter quā à lignis viridibus multæ eduntur fuligines, qui ſtomachum ſiti affligunt, donec mitior concoctio cœperit. Argumento ſunt ebrij, in quibus per ſe tandem ſitis deſinit. Cæterum ſitim excitant panis calidi eſus, potus vini potentis, potus qualeſcunque calidi, copia ciborum, labores, ſalſa. Item 6. Epid. aër calidus, multus ſermo, & os apertum tenere.*

## APHOR. XXVIII.

Γυναικείων ἀγωγὸν ἡ ἐν ἀρώμασι πυρίη· πολλαχῆ δ' καὶ ἐς ἄλλα χρησίμη ἂν ἦν, εἰ μὴ καρηβαρείας ἐνεποίει.

*Suffitus aromatum muliebria educit. Ad alia verò multa vtilis eſſet, niſi capitis ingeneraret grauitatem.*

Sequentes hi Aphoriſmi, ſunt de affectionibus mulierum & grauidarum & non grauidarum. Quia autem affectiones hæ vt plurimum ferè accidunt propter ſuppreſſionem menſtruorum, ob id

initium ducit à mouendis menſtruis. Supprimuntur porrò menſes multis de cauſis. Aliquando propter inflammationem, aliquando propter tuberculum natum in collo vteri, &c. Virginibus parum fluunt menſtrua, quia quicquid colligunt ſanguinis, vertunt in alimentum. Sunt & quædam viragines quæ multum exercentur, quibus non fluunt, neque tamen inde offenduntur. Ob id rogamus mulieres, an deterius habeant, ob ſuppreſſos menſes: ſi non habeant deterius, nihil eſt mirandum, neque ſunt mouendi. Ceterum cum natura nihil prius efficiat, quàm exigat neceſſitas, menſes non generantur antè tempus generationis, vt ante 14. annum: ceſſant autẽ magna ex parte poſt iuſtum tempus, vt poſt annum 50. aliquando tamen anno 55. 40. 45. licet aliquando ſexageſimo, quo tempore etiam nonnullæ peperere, ſed vltra hoc tempus, nunquam protrahi poſſunt: nutrices nullos aut paucos menſes habent, quia ſanguis refluit in mammas ad lactis generationem. Si ergo, vbi aduenit menſtruorum tempus ab anno 14. ad 50. mulieri menſes ſupprimuntur, & ob id deterius habeat, videnda eſt cauſa. Fieri enim poteſt, vt in collo vteri ſit aut inflammatio, aut tuberculum: & aliquando in ipſo vteri ore interiore. Fieri etiam poteſt (quod frequenter accidit) vt idem orificium interioris vteri obuertatur, & reflectatur, cum via ab vtero debeat eſſe recta, vt rectè fluant menſtrua. Ponamus obſtetricem reperiſſe nihil obſtructum, nihil inflammatum, nihil fluxum, nihil aut inuerſum, in collo vteri, nec in ore, veniendum eſt ad acetabula ſeu cotyledones: hoc eſt fines, & ora vaſorum, per quæ ora, ſanguinis ſuperuacaneum, ſingulis menſibus, ex toto corpore in vterum deriuatur. Sunt

tamen ad os interius & collum vteri, alia vaſa, per quæ fit aliquando ſanguinis profluuium: ſed id hęmorrhoides & hæmorrhagiam vocamus, non autem menſes. Nonnunquam itaque acetabula intercipiuntur craſſiore aliquando muco & pituita craſſa. Eſt etiam cum denſata ſunt & conſtricta. Quicquid horum fuerit, maximè conueniet ſuffitus, aromatum potiones, item & ſyrupi, vi incidendi & tenuandi præditi. Materia ſuffitus notatur ab Hippocrate, éſtque aroma, id eſt odoramentum quod tenuet, incidat, vt eſt cinamomum, amomum, ſpica, caſſia, calamentum, artemiſia, maioranæ ſuccus, hyſſopus, thymum, pulegium, origanum. Vbi materia parata eſt, ſcire oportet modum faciendi ſuffitum. Oportet (vt vult Oribaſius) aromata fingi cum benioino aut reſina, & facere trochiſcos. Hippocrates fingit veluti corylam quandam de ſtercore bubulo, vel (vt nos) ex benioino, & in eam immittit aromata trita, aut herbas odoratas: poſtea corylam illam ſuperponit carbonibus, vt inſidens mulier ſuffitum excipiat. Sed non ſatis eſt iſtud: nam ita difficile eſt, vt ſuffitus intromittatur in vterum. Quare Hipp. mollem cucurbitulam colli anguſtioris accipit, huius fundum reſcindit, ac deinde collum immittit in pudendum muliebre, ita vt extremitas colli cucurbitulæ ſubeat ipſum vterum. Vel ſic (quia ſuffitus non ſunt perpetui) facit peſſaria ex penna obuoluta ſtupa, quæ ſit illita medicamentis aromaticis. Hanc ſtupam rurſus obuoluit linteolo illito oleo aromatico, vt de coſto, ſpica nardi. Poſteaquam ita conformauit peſſarium, immittitur in collum vteri, & illic parumper ſiſtitur, ſed id videndum eſt, vt quæ vterum ſubeunt ſint tenuia, velut medius digitus, & longitudinem habeant ſex digitorum.

Iam ad Aphor. veniamus. πυρίη aliquando fomenta, aliquando ſuffimenta ſignificat. τὰ γυναικεῖα Hipp. ſæpè dicuntur purgationes menſtruæ, & puerperia, vt in hiſtoria Philini vxoris. Aliquando ſic dicuntur omnes morbi mulìebres. Hinc eiuſdem liber περὶ τῶν γυναικείων. Hoc loco non tantum menſes, ſed & excrementa, fœtus mortuos, maximè verò purgationes puerperij intelligit. Ob id hîc rectius verteretur muliebria, quàm menſes. Sæpè verò ad alia vtilis eſſet, id eſt ad alios affectus, primum quidem vteri, deinde reliquarum partium corporis: tamen hoc incommodum ſubſequitur, quia adfert dolorem capitis. Cum enim ſuffitur vterus, odor ſuffitus redit ad os & nares, idque propter maximum conſenſum vteri cum ſyncipite per venas: imò etiam vapor ille poteſt excipi à capite per venas omnes. Neque tamen hoc omnibus mulieribus accidit. Nam ſi denſior ſit vterus, non percipient tum odorem ore & & naribus: vnde iudicabimus mulierem eſſe ſterilem. Et Aph. 59. huius ſectionis, & lib. περὶ γυναικείων ſuffimentum facit, vt ex allio ſubdito, ſi mulier non ſit ſterilis, peruadit odor allij ad os & nares: ſi verò peruadat illuc odor, & non gerat vtero, ſterilitas à marito proficiſcitur. hoc dico, vt intelligamus ſuffitum poſſe facere quibuſdam dolorem capitis, quibuſdam non item. Odores enim qui venas ſubeunt, ſuo calore ſanguinem turbant & commouent, quo fit vt caput repleatur, & ita graue fiat.

## *SCHOLIA.*

*NVnc agitur de quibuſdam mulierum affectionibus: fotus aromatum, qui aut ſuffitu, aut aſperſione, aut etiam*

peſſario ſit, ciet purgationes menſtruas ſuppreſſas, & puerperia retenta: excitando naturæ vim, quod vtero ſint grata aromata, refrigerata calfaciendo: liberando obſtructa: arctata relaxando, materiámque craſſam præparando: quòd calida, & ſicca & tenuis ſint ſubſtantiæ: modo nulla neque inflammati, neque intemperie calida & ſicca laborantis, neque eroſi, neque peruerſi vteri, neque ſenilis ætatis, neque grauiditatis, neque lactationis, neque anteacti morbi excuſatio adferatur. Sed & ad alios peculiares vteri affectus vtilis eſſet hic fotus aromatum: vt ad omnem frigidam vteri intemperiem, ad flatus vteri diſcutiendos, ad vteri ſuffocationem, ad ſeminis retentionem, ad tormina quæ edito partu ſuboriuntur, vt ſi cum grauidæ dolores coxendicis ſuborti fuerint, ſi fœtu in lucem edito iidem dolores repetiuerint, odorata bibere, & ad os vteri admouere confert, lib. de ſuperfœtatione. Niſi capitis grauitatem inducerent, vaporibus caput opplendo, quòd calor aromatum cum tenuitate partium ſit coniunctus. Adde quod ex odoribus idem contingit cerebro, quod hepati ex dulcibus: vt enim hepar dulcia promptiſſimè trahit, & ab eorum immodico vſu, ſibi alioquin iucundiſſimè obleditur: ita cerebrum odorata quia diligit, confertim trahit, & dum illis auidiſſime fruitur, non citra ſui grauitatem oppletur.

## APHOR. XXIX.

Τὰς κυούσας φαρμακεύειν, ἢν ὀργᾷ, τετράμηνα, καὶ ἄχρι ἑπτὰ μηνῶν, ἧσσον δὲ ταύτας· τὰ δὲ νήπια καὶ πρεσβύτερα εὐλαβέεσθαι.

PRægnantes purgabis ſi materia ad ſui excretionem inuitet, quadrimeſtres, & vſque ad ſeptimum menſem, ſed has minus, minore vero aut grandiore fœtu, abſtinebis.

APhoriſmo 1. lib. 4. expoſuimus hunc Aphor. vbi diximus authore Hippocrate lib. de morb. mulier. & atteſtante experientia, licere inſtituere medicamentum mulieribus etiam grauidis, metu abortionis, & præſertim his quæ cacochymia laborant, & ſolitæ ſunt abortire, hæ enim non abortiunt, vbi purgantur, à 4. menſe vſque ad 7. potiſſimum, quia tum fortior eſt fœtus.

## APHOR. XXX.

Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα φλεβοτομηθεῖσα ἐκτιτρώσκει, καὶ μᾶλλον, ἢν μεῖζον ἔῃ τὸ ἔμβρυον.

*Mulierem grauidam morbo quopiam acuto corripi, perniciosum.*

Θανάσιμον intelligimus letale, non quod ſit neceſſe mulierem correptam morbo acuto, interire: ſed quia magna ex parte. Hippocrates lib. de morb. mul. circa initia commemorat morbos acutos, quibus mulieres grauidæ magna ex parte intereunt, cuiuſmodi ſunt pleuritis, peripneumonia, eryſipelas vteri, angina, febris ardens, phrenitis, epilepſia, apoplexia, conuulſio, tetanus, &c. Idque maximè ſi hi morbi ſint magni, & vehementes. Multæ tamen ex his morbis euaſerunt, vt quædam mulier laborans febre ardenti, cuius meminit Hippocrates lib. 1. Epid. Præterea multas ex noſtris videmus hodie conualeſcere: fortaſſe quia fortiores ſunt quam tempore Hippocratis, vel quia noſtris auxiliis iuuantur: vt phlebotomia, quæ Hippocratis temporibus reprobabatur. Itaque ſententia hæc non eſt vniuerſalis, quia magna pars noſtratium euadunt: & contra

contrà moriuntur multæ, præſertim ſi vehemens fuerit morbus. Quod autem hic dicit in genere, particulatim explicat lib. 1. de morb. mulierum, circa initia,

## *SCHOLIA.*

*MVlierem grauidam ineunte aut iam affecta grauiditate ſiue eſſentiali, ſiue ſymptomatica febre acuta corripi: aut etiam morbo acuto ſine febre, vt conuulſione, tetano, apoplexia, calamitoſum: magnitudine cauſæ, ſymptomatum vehementia, & difficultate curandi: quòd neque diæta, neque pharmacia, neque chirurgia conuenienter quis vti poteſt ſine incommodo fœtæ aut fœtus.*

## *APHOR.* XXXI.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ, ὑπό τινος τῶν ὀξέων νοσημάτων ληφθῆναι, θανάσιμον.

*MVlier in vtero ferens ſecta vena abortit, eoque magis ſi grandior ſit fœtus.*

DIximus ſæpius, quam hoc remedium fuit inuſitatum veteribus, nempe detrahere ſanguinem mulieribus grauidis, nec Hippocrates vnquam meminit, niſi ſemel tantum lib. de morb. mul. Si, inquit, mulier iuuenis, robuſta & multi ſanguinis, & grauius laboret in partu, prodeſt miſſus ſanguis è malleolo, vt tota natura concurrat, & expellat fœtum. Sed hoc nó confirmat Hipp. probaſſe detractionem ſanguinis in grauidis, vt quam inſtituit tantùm ad partum faciliorem. Celſi temporibus docuit vſus, non eſſe vſque adeo reformidandam phlebotomiam in grauidis: & nos hodie

ſæpe à morte vindicamus & matrem & fœtum miſſione ſanguinis, etiam in morbo periculoſiſſimo, vt pleuritide, febre ardente, &c. quanquam in his ferè abortiũt. Quod autem nolit Hip. ſanguinem detrahi grauidis, id facit, non ſolum quòd inuſitata eſſet ſuis temporibus phlebotomia, ſed etiam quia veretur ne alimentum fœtui grandiori ſubtrahatur. Quare non temerè detrahendus eſt ſanguis, fœtu prȩſertim iam grandiore: ſed vidẽdum eſt, an robuſtæ ſint vires, & an ea mulier ſit obnoxia abortioni, præterea ſi quando ſanguinẽ mittemus, ne alimentum detrahatur fœtui, ſubſtituemus ea quæ facilè coquantur, & celeriter diſtribuantur, vt gelatinam, colatitia, analeptica, & quæ ſpiritus inſtaurant, vt electuaria, &c. atque ita venã aperire poterimus bis, ter, quater, vt & fœtus liberetur & mater. Verum ſi fœtus auctior ſit, & 7. menſem attigerit, magis periculoſa eſt venæ ſectio, quia tum eget copioſiore alimento. Præterea vt plantæ ſi alimento deſtituãtur, langueſcũt, reſiccantur, & ita decidunt, ſic in mulieribus vtero gẽrentibus, ſi deſit alimentum, reſiccatur fœtus, reſiccatũr & vinculũ vteri, & ita ante tempus pariunt. Sunt quædam mulieres, quæ quia ſanguine redundent, ſæpe copia ſanguinis fœtum ſuffocant, ob id illis cogimur ſæpe quarto aut 5. menſe venam ſecare, ne abortiant: idque ſi morbus poſtulat, & ſi valent vires, nec leuiſſimè abortiat mulier. Tum itaque mulieris colorem inſpicere oportet, & percunctari, an vbi purgantur menſtrua multum ſanguinis effundat, & an diu fluant menſes, vt 7. aut 8. dies. Aliæ facilè abortiunt ob cacochymiam, tum inſtituemus pharmacum, & vbi erit copia ſanguinis, phlebotomiam.

## SCHOLIA.

*IN muliere vtero gerente vena ſecta, vt ſcilicet in morbis acutis obſtructa liberetur, inflammatio extinguatur, tranſlatio ſymptomatica auertatur, corpuſque adeo perſpirabile fiat ad materiæ febrilis excluſionem: abortionis cauſam adfert, à lipothymia & exhauſto, fœtus infirmitate & vinculorum vteri laxitate. Maximéque, ſi fœtus grandior ſit: quò enim grandior eſt, eo magis ſuo genio defraudatur. Quanquam ſi morbus aliquis acutus vrgeat, ſanguis mitti poterit citra vllum fœtus detrimentum, poſtremis etiam menſibus geſtationis: in quibus licet fœtus pluri alimento opus habeat ad ſui nutritionem, quàm prioribus, quia tamen ſanguis pluribus menſibus retentus eſt, ob id copioſior poſtremis quam prioribus menſibus exiſtit: ita vt quamuis multum in infantis alitionem abſumatur, multus quoque ſuperſit, qui ad mammas regurgitet ad lactis generationem.*

## APHOR. XXXII.

Γυναικὶ αἷμα ἐμεούσῃ, τῶν καταμηνίων ῥαγέντων λύσις γίνεται.

*MVlieri ſanguinem vomenti, menſtruis erumpentibus ſolutio fit.*

SCribit Hippocrates de Coacis præſagiis, mulieribus ſterilibus vomitus ſanguinis ad conceptum prodeſt. Natura ſæpe ſolet tranſmittere ſanguinem menſtruum per partes quibus conſentit vterus: conſentit enim cum mammis, ventriculo, ſyncipite, vt etiam teſtatur Hippocrates de morb. mul. & multis aliis

partibus. Sed hoc regulare eſt, quia multis mulieribus vbi ſupprimuntur menſes, contingit vomitus ſanguinis. Atque fieri poteſt vt ſanguis recurrat in vterum: quanquam hoc non eſt neceſſe, ſed ſæpe vbi ſiſtuntur menſes, reliquæ venæ pleniores fiunt, & vicinæ ſanguinem eructant in vicinas per conſecutionem quandam: ita vt aliæ ſanguinem euomant, aliæ expuát, emittant per nares, per hæmorrhoidas: nonnullæ indè incidant in phrenitidem, aut aliquo morbo acuto corripiantur. Si itaque moueatur vomitus, is quaſi naturalis eſt, quia natura multitudinem excernit. Sed ſi dum fit vomitus, menſes erumpant, reuulſorium erit remedium. Hîc igitur loquitur de vomitu ſanguinis, qui fit propter ſuppreſſos menſes.

## *SCHOLIA.*

*SI in mulieribus, ſanguinis copioſi vomitus vrgeat, qui à ſanguinis mẽſtrualis ad ſuperiores partes refluxu, aut aliunde à partibus inferioribus ortum habeat: dummodo nulla ſit ſuſpicio ruptæ aut exeſæ venæ in aluo: menſtruis ſuperuenientibus ſiſtitur vomitus, vacuatione & auerſione eius materiæ cuius copia & ſurſum refluxu vomitio excitabatur.*

## *APHOR.* XXXIII.

Γυναικὶ τῶν καταμηνίων ἐκλιπόντων, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆναι, ἀγαθόν.

*MVlieri menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens bono eſt.*

MAximus eſt conſenſus vteri cum ſyncipite. Rationes ſunt ſcriptæ 6. Epidem. circa initia, ob id ſuppreſſis menſibus mulieres dolent capite in priore parte, ſtomacho, ſterno, cruribus & lumbis. Accidit itaque vbi menſtrua ſupprimuntur, vt venę vteri quæ antea ſolebant exinaniri, repleantur, & alię deinceps, vt tandem natura moueatur ad excretionem, vt vomitum, aut hæmorrhagiam è naribus: quam euacuationem multo magis probat Galen. quam eam quæ fit vomitu. Vbi vacuata eſt multitudo venarum illarum, tum conſecutione quadam attrahitur ſanguis, qui eſt in acetabulis. Quæritur, cum medicus ſit imitator naturę, ea autem reuellat materiam per loca oppoſita, cur ſuppreſſis menſibus non detrahemus ſanguinem è cubito? Solutio eſt: ſi ſuppreſſi ſunt menſes, medici conſilium poteſt eſſe duplex, vel vt moueat menſes, & tum aperit venam poplitis aut malleoli: vel, vt multitudinem ſanguinis vacuet: & tum poterit quidem ſecare venam cubiti, imitatione naturæ, quæ aliquando per nares euacuat plenitudinem ſanguinis. Imò contingit interdum, vt aperta cubiti vena moueantur menſes: Licet Gal. in lib. de ſanguin. miſſ. id nolit, quod ita, inquit, menſes potius retineantur. Nonnunquam menſtruis ſuppreſſis, corripiuntur morbo acuto mulieres, vt pleuritide, peripneumonia, febre ardente. Tum mouendi ſunt menſes: Itaque aperiemus venam cubiti, quia ſic & iuuamus pleuritidem & peripneumoniam, & vacuamus multitudinem ſanguinis collecti ob menſes ſuppreſſos. Retentis ergo menſtruis aperimus venam cubiti, imitatione naturæ, ad vacuandam ſanguinis copiam: quanquam ſic aliquando commouentur menſes, & eadem aperta in

morbo acuto, (qui eget phlebotome per ſuperiores partes) & copiam ſanguinis vacuamus, & morbo medemur.

## *SCHOLIA.*

*SI in ſuppreßis menſibus, profluuium ſanguinis è naribus ſuboriatur, bonum, quòd illa hæmorrhagia, vnde, quò, quà, & quamobrem fieri debeat, legitimã & naturæ conſentaneam rationem obtinet: proinde tollitur occaſio mali futuri, exoneraturque natura eo onere quo premebatur. Quare quando menſes præter naturam ſupprimuntur, alia euacuatione eorum ſupplenda euacuatio: vt per nares, per hæmorrhoidas, per aliquod emiſſarium in internis fœmoribus pyrotico procuratum.*

## *APHOR. XXXIIII.*

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ἡ κοιλίη πολλὰ ῥυῇ, κίνδυνος ἐκτρῶσαι.

*MVlieri vterum gerenti ſi aluus multum fluat, periculum eſt ne abortiat.*

PRofluuium alui grauidis periculum affert abortus. Iam ſæpe diximus vbi multa deiiciuntur per aluum, paucam fieri anadoſim. Itaque ſi mulieribus grauidis profluuium alui moueatur, pauca diſtribuentur hepati ad ſanguificationem: cum hepar paucũ ſanguinem conficiat, paucus fiet ſanguis, ad nutritionem fœtus, & ita neceſſe eſt, mulierem abortire. Deinde exoluuntur vires deiectione multa, etſi vitioſa ſint ea, quæ deiiciantur. fieri enim poteſt minimè, quin ſemper vtilia cum inutilibus excernantur. Tertia cauſa eſt, motus & agitatio, quæ & vincula vteri, & vterum præter naturam mo-

uent. Quarta cauſa, quia dum materia illa per rectum inteſtinum tranſit, ſi quid eſt grauioris odoris, offenditur inde vterus & fœtus. Quinta, quia ab alui profluuio nimium aliquando humectantur vincula vteri, aut vbi nihil omnino confluit, reſiccantur. Igitur ſi non nutriatur fœtus, ſi magnę ſint agitationes, & motus magnus, ſi grauis odor, ſi vteri vincula nimium reſiccentur, aut humectentur, periculum eſt ne mulier abortiat.

## SCHOLIA.

*Lienteria, diarrhœa, aut dyſenteria mulieri habenti in vtero ſuperueniens, periculum adfert abortus, defraudato fœtus genio: infirmitate matris: vinculorum & vteri laxitate: vteri & fœtus commotione: fœtus & vteri à tetro vapore excrementorum, offenſione potiſſimũ, bilis amarore, fœtui veneno pernicioſiſſimo: cauſæ magnitudine, non enim alui profluuium grauida citra cauſam magnam accidere poteſt, vt quæ aluo dura eſſe conſueuit: metu teneſmi, à quo abortus citiſſime obrepit. In grauidis autem mulieribus fiunt ſæpenumero alui profluuia à deſtillatione acris pituitæ.*

## APHOR. XXXV.

Γυναικὶ ὑπὸ ὑστερικῶν ἐνοχλουμένῃ ἢ δυστοκούσῃ, πταρμὸς ἐπιγενόμενος, ἀγαθόν.

*Mulieri hyſtericæ aut difficulter parienti ſternutamentum ſuperueniens, bonum.*

Ὑστερικὰ exponuntur à Gal. in comm. & lib. 6. de loc. aff. affectiones vteri, & propriè ſuffocationes. Eſt autem ſtrangulatio ſiue vteri ſuffocatio, quando vterus

mouetur more animalium,aliquando ad latus,aliquando ſurſum ad hepar,diaphragma,ventriculum,cor,pulmones,&c. vnde putarũt nonnulli vterum eſſe animal. Intelligere oportet Hippocratem ſępe loqui more vulgi. Mulieres enim vbi diutius ieiunant, dicunt vterum ſibi moueri ad cor,ad ventriculum. Sic Hippocrates,li. de morb.mul. dicit vterum conuerti ad cor. Vterus nõ conuertitur re vera,nec aſcendit ad cor, ſed repręſentatur imago quædam vteri ita aſcendentis. Accidit enim, vt aliquando vterus contrahatur, perinde ac ſi ſtrangularetur,ita vt mulieres maneant quaſi ſemimortuæ,ſine ſenſu,ſine motu,pulſu & reſpiratu. Cæterum vt intelligamus an ſuffocationem iuuet ſternutamentum , ſcire oportet cauſas ſuffocationis illius : hæc fit aliquando, vbi diutius ſupprimuntur menſes, vt in viduis mulieribus,cum iam non coeunt:aliquãdo, à ſuppreſſo ſemine,vt in iiſdem præſertim quę frequenter coibant: aliquando propter grumũ ſanguinis in vtero incluſum. Eſt præterea quando vterus ſanguine deſtitutus reſiccatur & incaleſcit.Ita ergo affectus , naturali quodam impetu veluti animal quoddam ſurſum aſcendit, vt inueniat humiditatẽ,&attrahat ab hepate,cerebro,aliiſq; corporis partibus:atque ita mulieres manẽt quaſi mortuę,donec vterus ſit humectatus.Si itaque mulier ſuffocatione vteri laborauerit propter tres priores cauſas, ſternutatio iuuabit tãquã ſignũ & cauſa.Signũ eſt bonũ, quia vt ait Gal.in com.naturã ſenſificam ac vitalem,quæ prius erat emortua, ſignificat excitari, & reuiuiſcere, & propriarum meminiſſe actionum & motionum, dum aliqua ſuperuacanea eiicit atque propulſat. Cauſa bona, quia dum corpus ita totum concutitur, natura excitatur & commouetur materia quæ expurgetur.

Quod ſi ſuffocatio ſit à ſiccitate (tum autem obſtetrix iniecto digito reperit vterum ſquallidum) ſternutatio non iuuabit: quin potius opus erit humectantibus, vt balneis. Sed is caſus admodum rarus eſt. Prodeſt etiam ſternutatio ei quæ difficulter parit. Hippo. in lib. de mor. mul. in partu inſtituit ſuccuſſiones, ſcalas, & ſaltus, vt citius exeat fœtus. Sic ſternutatio prodeſt in partu, quia totum corpus exagitatur, & commouetur natura ad eiiciendum fœtum.

## SCHOLIA.

*Si quæ mulier vterina ſuffocatione laborat à ſeminis aut menſtruorum corruptione, non autem ſiccitate, in qua reſpirationis vſus tollitur, à venenata vtriuſque materiæ corrupta aura, vt ſpiritus nullomodo ducatur per os: aut ægre pariat, ob infirmitatem fœtus, aut vteri: ſternutamento incidente iuuatur: eſtque illi ſalutare, vt ſignum & cauſa: vt ſignum recreatæ naturæ quæ ante ſui negligens erat: vt cauſa, quoniam concuſſiuo motu ſternutamenti excutitur venenata aura, & excluditur teter ille vapor plurimus, qui ad caput delatus eſt, qua ſublata redit reſpirationis vſus. In qua vero partus difficile in lucem editur aut retinetur, iuuat ſternutatio, quia partum mouet, quatit & prouocat. compreſſis enim magna vi muſculis epigaſtrij, & ſpiritu à ſuperis ad inferna violentius depulſo, fœtus facilius excluditur. Proinde ſternutamentum commodè in partu difficili poteſt excitari.*

## APHOR. XXXVI.

Γυναικὶ τὰ καταμήνια ἄχροα, καὶ μὴ κατὰ τὰ αὐτὰ αἰεὶ γινόμενα, καθάρσιος δεῖσθαι σημαίνει.

*MVlieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.*

VT hunc Apho. intelligamus, teneas oportet, quis ſit naturalis color mẽſtruorum, pręterea quod ſit conueniens tempus, & quæ ſit iuſta menſura menſtruorum. Hip. lib. de mor. mul. & Ariſt. lib. 7. hiſtor. animal. imò experientia ipſa docet, quòd ſi ſana ſit mulier, menſtrua erunt coloris floridi, & rubri, quemadmodum eſt ſanguis animalis recens mactati. Cum enim mactatur animal, effluit ſanguis mixtus ex ſanguine venarum & arteriarũ, & is ſanguis colorem habet floridum & mixtum. At vitioſus menſium color, eſt albus, pallidus, ſanioſus, ſubalbidus, rubro minus dilutus, pelliculas habet permixtas, & filamenta telis aranearũ ſimilia, aliquando etiam grumos. hic color indicium eſt pituitoſi ſanguinis, & tum pituitam purgabimus. Solẽt enim huiuſmodi menſes effluere copioſiores, & pręterea puellis humidioribus, & victus ratione humidiore vtentibus. Breuiter ſpectanda eſt natura & tẽperamentum mulieris, ætas, regio, anni tempus, & victus ratio. Aliquando flaui ſunt menſes à bile, & in media ætate, pręſertim etiam à bile in iunioribus, nedum prouectioribus, quia fortaſſis vtuntur vino meraciore, alimentis ſalſis & acribus. Hîc bilis venit purganda. In ſenibus craſſi ſunt menſes, nigri & pauci, aliquando ſplendidi, ſed exulcerantes, ac cum fermentatione radentes terrã. Hi periculoſi ſunt, fiuntque ab atra bile: quam purgare oportet, alioqui periculum eſt ne exulceretur vterus, & gignatur cancer. Interdum turbulenti ſunt vt cœnum. Aliquando ſalſi & acres. In his omnibus purgatione opus eſt. Hip. lib. de mor. mul. docet quo pacto opor-

teat cognoſcere menſes vitioſos, & peccantem in his humorem. Oportet inquit, arenam menſtruis infectam inſolare. Ea dũ reſiccabitur à ſole, indicabit colore ipſo peccantẽ humorem: vel vt hodie facimus, quod & ſcripſit Hip. accipienda lintea intincta, vbi fuerint reſiccata, color menſtruorum apparebit. Quinetiam hæ purgationes naturaliter mulieribus accidunt Luna decreſcẽte: ea enim creſcente, augetur ſanguis, & venæ naturaliter implentur. Decreſcente verò, effluit is ſanguis, & excernitur. hoc tamen generale non eſt, & mulieribus quibuſdam ſecus accidit. Debent etiam naturaliter purgari mulieres duobus aut tribus diebus, qua in re conueniunt Hip. & Ariſt. Porrò iuſta menſtruorũ menſura eſt duarũ heminarum Atticarum, hoc eſt à checopina vſque ad tres ſemiſextariolos Pariſienſes. Si quid excedat, ſi quid deficiat, vitioſum eſt: καταμήνια dicuntur menſes, quia ſingulis menſibus redeũt naturaliter. Aliquando tamen vno menſe intermiſſo, aliquãdo duobus, ſed hoc vitioſum. Interdũ redeunt bis & ter in menſe, vt in ſummo ardore libidinis. Nonnullis non fluũt vnquam menſes, vt viraginibus quibuſdam: & tamen concipiũt, vt vult Ariſt. & vſu etiam experimur. ἄχροα, id eſt, mẽſes malè colorati, hoc eſt nõ naturaliter: ſic enim vertendũ. *Nec eodem tempore* &c. Non certæ ſunt periodi. Quibuſdam enim redeũt menſe intermiſſo, vt diximus: tamen naturalis eſt periodus decreſcente luna. Si mulieri quæ purgari ſolebat ſingulis menſibus, anticipent, aut tardent menſtrua, id fit vitio aut vteri, aut ſanguinis menſtrui. Si anticipent, ſignum eſt oſculum vteri, aut acetabula magis hiare, & ampliora ſolito: vel vteri ipſius ſubſtantiam leuiorẽ eſſe, magiſque lubricã: aut etiam ſignũ ſanguinẽ ipſum vel copioſiorẽ eſſe, vel humidiorẽ, vel

acrioré. Sin tardent, vel acetabula ſunt cõſtricta: vel os vteri inflexũ, tuberculo aut inflammatione pręceditũ: vel vteri ſubſtãtia denſior, aut aſperior: aut etiam vitiũ eſt in ſanguine. Itaq; vbi primũ ad mulieres accedem*, interrogabimus an ſint regulares necne, (ſic enĩ loquũtur) ſi nõ ſint, quęremus cauſã aut in ſanguine mẽſtruo, aut in vtero. *Purgatione* &c. κάθαρσις aliquando (& peculiariter) de menſtrua purgatione intelligitur: aliquando de purgatione quæ fit arte & per medicamenta, vt hoc loco. Alias de ſpontanea purgatione dicitur, ſiue ea ſit naturalis, ſiue ſymptomatica.

## *SCHOLIA.*

*Menſes qui conſiſtentia & colore non referunt ſanguinem recens mactati animalis ſolidi & ſucci pleni, ſed ſunt ſeroſi, pallidi, albicantes, nigri, virides, aut diuerſorum colorum, ob corruptionem propriæ ſubſtantiæ, aut miſtionem alienæ materiæ: nec eodem mõdo benè reſpondent, ita vt vniuerſalis & particularis periodi quantitatis & excretionis ratio deſideretur: indicant purgationem vniuerſalem epoto cathartico, & particularem, per vterum. vniuerſalis periodus fluxionis menſtruorum, eſt ſingulis menſibus decreſcente luna. Particularis eſt quod per ſeptem dies fluant in Leuitico apud Moſẽm: aut per quinque dies in regione Hippo. vide noſtrum opus de morbis mulierum.*

## *APHOR. XXXVII.*

*Γυναικὶ ἐν γαςρὶ ἐχούσῃ ἢν οἱ μαζοὶ ἐξαίφνης ἰσχνοὶ γένωνται, ἐκτιτρώσκει.*

*SI mulieri vterum ferenti mammæ ſubito extenuentur, abortus ſequitur.*

HÆc ſententia eodem modo ſcripta eſt ab Hipp.2. Epid. Quia Gal.in com.diſputat an extenuatio & gracilitas mammarum ſit ſignum abortionis futuræ, diſquirendum eſt quomodo ſit ſignum. Primum intelligere oportet magnum conſenſum eſſe vtero cum mammis per venas quæ oriuntur ex vaſis ad crura tendentibus, ſurſumque per rectos abdominis muſculos aſcendunt & coeunt cum extremis venarum quæ per thoracem ad hypochondria deſcendunt. Prętereа ex lib. de glandulis & de natura fœtus, ſimulatque grauida eſt mulier, vterus attollitur, & ob id comprimit vicinas partes, ventrem ſcilicet, inteſtina, omentum. hæ partes compreſſæ quodammodo per venas illas communes exſtringunt & exprimunt ſurſum portionem ſanguinis, eámque pinguiorem. Sanguis hic expreſſus, vbi ad mammas peruenit, lacteſcit, & in lac conuertitur à glandulis. Idque 3. aut 4. menſe cum fœtus moueri incipit: & tum turgeſcunt mammæ, non antea. Non tamen lac illud perfectum eſt, neque qualitates habet boni lactis, imò ſeroſius eſt & ſalſum. Si itaque mammas quæ naturaliter extumuerunt, videamus repentè extenuari, in pręgnantibus, ſignum eſt fœtum laborare inopia alimenti, & ita fore vt ante tempus edatur. Nam fœtus primum attrahit ſanguinem è venis vteri, poſtremò cum non ſufficit ille vteri ſanguis, attrahit & ſanguinem, & lactis aliquid è venis & mammis: hoc ſigno fœtum robuſtum eſſe intelligimus, & ob id multo egere alimento: ſed vbi attraxit è mammis quicquid potuit, illæ graciłeſcunt, vel quia nihil exprimitur ab vtero in mammas, vel quia nihil iam ad vterum confluit, quo fit vt indigens alimento fœtus calcitret, & membranas ac vincula ante tempus diſrum

pat. At verò vbi natalis eſt fœtus, vt 7. menſe cùm Gal. aut 9. aut 10. cum Ariſtot. tum debent magis turgere mammæ, quia eo tempore natura iam parat commeatum futuro homini. Ob id per id temporis colligitur maior copia ſanguinis in mammis, vnde lac copioſius & perfectius ac melius. *Repente.*) ſine cauſa manifeſta, vel nullo antecedente morbo aut ſymptomate.

### SCHOLIA.

*LAc in grauidis mulieribus, ſimulatque fœtus motum habet, generatur, & in mammis illectum eas intumeſcere facit. Si ergo iam grandiore fœtu mammæ repente gracileſcant, nullo antecedente mammarum affectu, indicium eſt vel male affectum eſſe vterum ad quem natura omnia deorſum pellit, vel nihil amplius ſanguinis ab vtero ad mammas deferri, ob penuriam ſanguinis in vtero etiam bene affecto, cuius ſanguinis inopia fœtus ſuo defraudatur genio. Qui caſus minatur abortum, vel ob vteri morbum, vel ob fœtus infirmitatem. Cæterum illud* ἐξαίφνης, *id eſt, ſubitò, dicitur* πρός τι. *ſcilicet facta comparatione cum toto corpore, vt ſi totum corpus ſit habitius & mammæ extenuentur, ſignificatio fit non vitij hepatis, non defectus ſucci alibilis: nam vberior corporis moles declarat neutrius vitium, ſed ſignificatur quoddam vitium vteri, cuius in ſympathiam trahuntur mammæ. Eſt enim Hip. 6. Epid.* μαζῶν, φωνῆς καὶ γονῆς *magnus cõſenſus. Æque facit ad abortionem ſucci inopia & fœtus infirmitas. Si graciles ſint mammæ, eſt inopia ſucci. Si infirmus ſit fœtus, mammarum eſt tenſio dolorifica, quia obruitur fœtus, & non poteſt alimentum capeſſere. Vide noſtrum opus de morbis mulierum.*

## APHOR. XXXVIII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ ἢν ὁ ἕτερος μαστὸς ἰσχνὸς γένηται δίδυμα ἐχούσῃ, θάτερον ἐκτιτρώσκει· καὶ ἢν μὲν ὁ δεξιὸς ἰσχνὸς γένηται, τὸ ἄρσεν, ἢν δὲ ὁ ἀριστερὸς, τὸ θῆλυ.

*Mulieri geminos ferenti ſi altera mamma extenuetur, alterum abortu edit. Et ſiquidem dextra mamma extenuata eſt, marem: ſi verò ſiniſtra, fœminam abortione excludit.*

Hic ſupponit mares gigni in dextra vteri parte, & fœminas in ſiniſtra. Id quidem magna ex parte verũ eſt, non tamen perpetuò. Si mamma dextra, id eſt, papilla mammæ dextræ ſit magis exerta, magis rubeat & turgeat, quam papilla ſiniſtræ, marem concepit mulier. Contrà ſi accidat, eſt fœmina &c. *Geminos.* Naturale eſt, inquit Ariſt. vt homo vnum gignat.

### SCHOLIA.

*Ratio huius Aphoriſmi petenda ex præcedenti. Vnde colligas quòd ſi vtriuſque mammæ repentina extenuatio abortionem præſagiat, videri vix poſſe fieri, vt in geſtatione gemellorum, vnius tantum mammæ extenuatio alterius abortionem gemello altero ſeruato, prænunciet. De ſympathia vteri cum mammis vide Veſalium lib. 5. cap. 15. & noſtrum opus de morbis mulierum. De generatione gemellorum vide ibidem.*

## APHOR. XXXIX.

Ἢν γυνὴ μὴ κύουσα, μηδὲ τετοκυῖα γάλα ἔχῃ, ταύτης τὰ καταμήνια ἐκλέλοιπε.

*Si quæ nec prægnans nec puerpera eſt lac habet, ei menſtrua defecerunt.*

LAc authore Hippo. in mulieribus grauidis gigni incipit, vbi mouetur fœtus: non tamen quòd lac illud ſit verum & perfectum, cum ſit ſeroſum, ſalſum & vitioſum. Non enim perfectè coquitur, niſi vbi natalis eſt fœtus, vt 7. 8. 9. menſibus. In puerperis eſt etiam lac, quia ſanguis qui confluebat ad vterum tranſfertur ad mammas. Sed mulier hęc, neque grauida eſt neque puerpera, & tamen lac habet: non ergo fluunt menſes, ſed ſurſum aſcendunt ad mammas, vbi in lac vertuntur. Fieri poteſt (teſte Ariſtot.) vt mulier quæ neque grauida ſit neque puerpera, lac habeat: ſiquidem frequenti ſuctu & frictione vtantur (vt in venis communibus infernè ſurſum, & deinde in ipſis mammis) ſi etiam alimenta lac gignentia offerantur. Sic in viris (qui pręſertim rariori ſunt cute & molliore) non eſt abſurdum educi lac multo ſuctu, quemadmodum memorant paſtores quoſdam è capris maſculis lac emulgere ſolitos. Cum ergo mulier, quæ neque fert vterum, neque peperit, lac habet, id fit vel propter pauciores menſes, vel quia hi ſunt omnino ſuppreſſi. Cęterum vt gignamus lac non ſolum vti poſſumus iis quæ pręſcribit Gal. in ſimpl. ſed etiam alimentis quæ lentorem habent & pinguedinem: vt ſunt iuſcula pinguia, frumentata &c. Et hęc etiam ratio eſt: ſiquidem docente Hippocrate, ſanguis pinguior relicto vtero fertur ad mammas, vt ibi lacteſcat.

## *SCHOLIA.*

*LActis materia eſt ſanguinis menſtrui puriſſima portio, qui non alia re quam ſola copia moleſtus deponitur apud mammas per venas vtero & mammis communes, ibique vi*

*natiua*

*natiua glandularum, quas mammæ plurimas habent, è rubro in album ſimilem, nimirum colorem ſubſtantiæ mammarum, trãſmutatur, lactiſq; naturam acquirit. Proinde lac gignitur in mãmis tribus maximè temporibus: tempore geſtationis, partus, & ſuppreſsionis menſium. Quibus menſtrualis materia ad mammas refluit, & in illis, partis integritate & ſucci bonitate lac gignitur. Quod poſtremum rarum eſt, & Hippocratis potius experimento comprobatum quam vlla ratione confirmatum. Vix enim ac ne vix quidem fieri poſſe videtur, vt ſine concubitu ac conceptione mammæ lacte turgeant, & à ſuppreſsis menſibus ſanguis ad mammas delatus, coquatur in illis, & in lactis ſpeciem tranſeat citra vllam mulieris moleſtiam, cum teſte Galeno prouidentia naturæ lac gignatur in mammis ſolius fœtus tum vtero concluſi, tum in lucem editi nutriendi gratia. De lactis natura vide lib. 3. noſtri operis de morbis mulierum.*

## APHOR. XL.

Γυναιξὶν ὁκόσῃσιν ἐς τοὺς τιτθοὺς αἷμα συστρέφεται, μανίην σημαίνει.

*Qvibus in mammas ſanguis colligitur, furorem ſignificat.*

GAlenus putat hunc Aph. eſſe eorum quæ rarò apparẽt, tamen non eſt multum alienus. Tota autem huius Apho. vis eſt in verbo συστρέφεται. Gal. in Exegeſi vocũ Hipp. & lib. 4. de vict. acutorum, ait συστροφὴν eſſe omnem tumorem præter naturam, aut tubercula quædam dura. Itaque illud vſu experimur contingere, quando mulieribus ſupprimuntur menſes, vt ſanguis ad mammas recurrat, & illic gignat tubercula quædam dura, quæ non ſuppurantur, ſed in dies duriora euadunt, ſuntque teſte Hippocrate de mor.

O

mulier. certiſſima futuri cancri indicia, niſi curentur. Quod ſi malum inualeſcat, & ſanguis ille delabatur per vniuerſum corpus, caputque potiſſimum petat, inde mulieres mente percelluntur, & in maniam incidunt. Fingamus ea tubercula colligi in mammis: aliquando etiam fit, vbi ſanguis vel malignior eſt, vel copioſior, qui corrumpatur, vt vel portio aliqua ſanguinis, vel vapor quidam malignus aſcendat ad cerebrum, & maniam faciat. Prӕterea vt tollamus quæ ſcripta ſunt ab Hippocrate lib. de mor. mul. tamen videmus in viduis, vbi ſuppreſſi ſunt menſes: ſanguinem coaceruari in mammis, vnde furor, ſyncipite per cõſenſum affecto. Non tamen hinc colligere oportet omnes, quibus in mammis ſanguis colligitur, in maniam incidere: ſed id fit magna ex parte. Hippocrates enim multa ſcripſit ex obſeruatione & arte. Quare ſi per συστροφὴν intelligamus quod propriè dicitur ab Hippocrate, omnem videlicet tumorem præter naturam natum in mammis, inueniemus quod aliquando ex eiuſmodi tuberculis fiunt maniæ. Nam ſi copioſior ſanguis fertur ad mammas, & illic corrumpitur, ferturque inde, vel eiuſdem portio, vel vapor ad caput, fiet furor. Quod aliquando contingit, licet non ſit ita frequens.

## SCHOLIA.

*Ex ſuppreſſione menſium, ſi ſanguis ad mammas feratur, ibique non conuertatur in lac, ſed maneat impermutatus: quòd vel multò copioſior quàm par ſit illuc delatus ſit, vel quia inſigniter ſeruidus ac ſiccus exiſtat: tandem diuturna illic mora vel putredinem contrahit, indeque inflammationem concipit: vel citra putredinem ac inflammationem in-*

*caleſcit ac phlogoſin excitat, indeque longa vſtione ater ac melancholicus euadit. Hinc exorti vapores caput feriunt, vel etiam ſanguis ipſe feruidus ad cerebrum euectus, maniam ac furorem in cerebro ſuſcitat.*

## APHOR. XLI.

Γυναῖκα ἢν θέλῃς εἰδέναι εἰ κύει, ἐπὴν καθεύδειν μέλλῃ, μελίκρητον διδόναι πιεῖν, κἢν μὲν στρόφον ἔχῃ περὶ τὴν γαστέρα, κύει, ἢν δὲ μὴ, οὐ κύει.

*SI ſcire velis an mulier conceperit, dormitura aquam mulſam potui dato: & ſi ventris tormina patiatur, concepit: ſin minus, non concepit.*

SVnt qui hos omnes Aphoriſmos de mulieribus reprobant, nec putant eſſe Hippocratis (ex quibus eſt Oribaſius) propterea quod hæc ſententia experimento non eſt vera: tamen Hippocrates non ſolum hoc loco, ſed etiam lib. de mor. mulierum huius ſententiæ meminit. Vult autem eo in lib. aniſum conteri, & permiſceri melli, deinde hoc ita permiſtum aqua dilui, vt inde fiat aqua mulſa cruda. Oribaſius addit, vt fiat probatio huius aquæ oportere mulierem non eſſe aſſuetam potioni mulſæ, alioqui fallet hoc experimentum. Sed oportet octuplam partem aquæ, & ſuboctuplam mellis crudi. Sunt & alia ſigna certiora & experimenta de conceptu, de quibus poſtea, quæ præcognoſcenda ſunt ad inſtitutionem & vitæ, & remediorum. Itaque ſi noſſe velis an mulier conceperit, ei pleno ventre, id eſt, vbi cœnata eſt, bibendam dabis aquam mulſam, crudam ſcilicet: & ſi cruciatus ac tormina circa ventrem hanc corripuerint, concepit &c. Galen. & Philoth. putant hæc tormina

fieri in mulieribus grauidis, quia cruda mulſa flatuoſa eſt: quæ cum talis ſit flatus inclusi in inteſtinis, ſi viam non habeant & exitum, retinentur, & ea diſtendunt, ſicque tormina excitant. Nihilominus tamen certum eſt, quod initio geſtationis vteri mulieres habent inteſtina minus aſtricta quam antè, & ventrem qui antea tumebat, & corpulentus erat ſubſidere, & planum eſſe: quod inter conceptus ſigna numeratur. Nam ſimul atque ſemen cōceptum eſt, tum vterus totus cōſtringitur & colligitur, vt comprehendat ipſum ſemen: vt videre eſt in mulieribus quæ tum moriūtur. Si enim eas ſeces, non inuenies vterum craſſiorem vna & maiorem vna nuce. Idem fit in ventriculo vbi cibum concepit. Quia ergo conſtringitur vterus, fit vt inteſtina & aliæ ventris partes verſus eundem colligantur, & ita ſubſident. Quare non eſt veriſimile vt circa initia mulſa excitet tormina. Cum ſemen vtero conceptum eſt, neque excidit, mulieres habent leues quaſdam purgationes poſt 30. dies: deinde ilia amplia ntur, & extuberat venter. Itaque ſi contingat vt poſt 30. dies venter extumeſcat, leues eæ purgationes eant, & ſentiat mater in vtero motum, indicium eſt marem eſſe conceptum. At ſi hæc poſt 40. aut 42. dies accidant, mulier fœminam concepit. Præterea ſi marem conceperit, tertio menſe motum fœtus ſentiet: ſi fœminam, quarto menſe. Aliquando ſentiet mulier ſexta hebdomada, vt vult Ariſtot. Sed duplex eſt motus in vtero. Vnus Hipp. alter Ariſt. Natura vbi primum conceptum eſt ſemen, non occupatur circa formationem fœtus: ſed tum fœtus ipſe eſt tantum caro quædam rudis, in qua incluſus eſt ſpiritus ille ſemineus: denique eſt veluti fermentum, idque vſque ad 30. diem in maribus: aut 42. in fœminis. Dein

de fit vt leues illæ purgationes eant, & ſine noxa. Præterea, dum natura incipit carnem illam rudem formare & diſtribuere in partes, atque diſcriminare, ſentitur motus non fœtus, ſed naturæ. Et hic eſt motus de quo intelligit Ariſto. A 30. die in maſculis, ad 3. menſem: & à 42. die in fœminis ad 4. menſem natura conformat membra: & ita tertio menſe, ſi mas ſit: & 4. ſi fœmina, omnibus membris abſolutis fœtus mouetur, qui motus fœtus eſt Hippocrati.

## *SCHOLIA.*

*SI qua mulier laboret morbo, quæ ſe grauidam ſuſpicetur, vt curationi locus ſit cuius occaſionem præripere poſſet grauiditas: hac arte ſitne grauida explorari poterit. Dato illi dormituræ potionem ex octupla vel duodecupla aquæ parte, & ſimpla mellis crudi confectam: qua hauſta, ſi ventrem torminibus diuexari ſentiat, à flatulento ſpiritu aquæ mulſæ, in colo inteſtino retento, nec exitum habente ob eorum contractionem ab vteri contractione inductam, grauida eſt. Hoc autem experimentum Hipp. vt verum ſit has cautiones habeat oportet: vt fiat ſtatim à conceptione, in muliere quæ mediocri corpore nata eſt, nam in calido flatus ſtatim diſſiparentur: quæ non ſit torminibus obnoxia, quæ non aſſueuerit potui aquæ mulſæ: quæ nec dura nec lubrica ſit aluo: nam in dura aluo, flatus facilè colliguntur, in fluida, facilè diffluunt.*

## *APHOR. XLII.*

Γυνὴ ἔγκυος ἢν μὲν ἄρρεν κύῃ, εὔχροός ἐστιν, ἢν δὲ θῆλυ, δύσχροος.

*MVlier grauida ſi marem gerit, coloratior eſt, ſi fœminam decolor.*

IS color bonus aut malus debet conferri cum colore ipſius mulieris, cum non grauida erat: hoc ſignũ annotauit etiam lib. de ſteril. Hip. tamẽ non eſt perpetuo verum, ſed magna ex parte. Præter colorem, ſunt alia certa ſigna maris aut fœminæ, vt de motu qui fit 30. aut 42. die in dextra vel ſiniſtra parte. Spectare item oportet vtrumque oculum. Nam pupilla oculi dextri maior eſt & ſplendidior quam ſiniſtri, vbi mulier marem concepit. Oportet contingere arterias carpi dextri, & quæ mouentur in temporibus; ſintne magis commotæ, & tumidiores quam lateris ſiniſtri: deinde inſpicere venas ſub linguã, an ſint dextra parte tumidiores quàm ſiniſtra: præterea an non inſtiterint in facie maculæ quædam ac lenticulæ, quales fiunt à Sole, hæ maculæ fœminam indicant: & reliqua ſigna antedicta, marem. Quinetiam ſi mamma dextra maior eſt, & tumidior ſiniſtra, ſi eiuſdem mammæ pupilla magis erecta, ſi eiuſdem mammæ pulſus eſt validior, hæc ſunt indicia maris. Non enim oportet vno tantũ ſigno contentũ eſſe. Cæterum ſi mulier marẽ conceperit, coloratior eſt: quia magna ex parte calidior eſt mas, quam fœmina, & à calore fit color melior. Quanquam nonnulli (vt Ariſto.) putant fœminas viris calidiores, propter ſanguinis copiam, ſed id non eſt veriſimile.

## SCHOLIA.

*MVlier grauida, marem gerens ſeipſa coloratior eſt gerente fœminam: & quæ fœminam gerit, ſeipſa decoloratior eſt gerente marem: id quod à maiore aut minori calore ipſius fœtus in vtero concepti ac contenti dependet. Color enim in cute ſimilis effloreſcit humoribus ac calori in internis*

*viſceribus vigenti. Hic autem Aphor. eſt de his quæ vt plurimum fiunt. videas enim plurimas grauidas quæ gerentes fœminas, coloratiores ſunt ſeipſis gerentibus marem: quòd nimirum multæ fœminæ ſint quibuſdam maribus calidiores & robuſtiores. Adde quod grauidæ pro vario victus genere quo vtuntur, hunc atque alium colorem obtinent. calidior enim victus viuidiorem colorem, frigidior decoloratiorem efficit. labor quoque quem mater ſuſtinet gerendo: item curæ aliquid coloris detrahunt. Aſtra etiam quia plurimum ad conceptionem virium habent, (ſol enim & homo hominem generant, inquit Ariſto.) multos maſculos effœminatos, multas quoque mulieres viragines generant. vide lib. 3. noſtri operis de morbis mulierum.*

## *APHOR. XLIII.*

HN γυναικὶ κυούσῃ ἐρυσίπελας ἐν τῇ ὑστέρῃ γένηται, θανατῶδες.

*SI prægnanti fiat in vtero eryſipelas, lethale.*

MEminiſſe oportet morborum, qui mulieres grauidas neceſſariò interficiunt. Inter hos periculoſiſſimum eſt, eryſipelas vteri, & ignis ſacer, à bile, vel feruentiſſimo ſanguine. Eſto vt ſit eryſipelas in vtero, mox conſequetur febris ardens: fœtus itaque qui deberet eſſe in humido, & temperato calore, erit in calore ardente, reſiccabitur vterus, corrumpetur alimentum fœtus, & tandem fœtus & mater morientur: quare inter ſigna peſſima eſt eryſipelas vteri.

## SCHOLIA.

*ERyſipelas in vtero coniunctam habet febrem ardentem, etſi vterus pars princeps non ſit. Ab vtroque itaque ſymptomate & matri & fœtui cita mors impendet, matri quidem à febre & inflammatione partis quæ cum principibus maximum habet conſenſum: fœtui, tum à febre, tum à tumore, qui aut abortum commouebit, aut fœtus intus concluſum calore & compreßione necabit.*

## APHOR. XLIIII.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν λεπταὶ ἐοῦσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσιν, ἐκτιτρώσκουσι πρὶν ἢ παχυνθῆναι.

*QVæ præter naturam tenues vterum gerunt, abortiunt donec habitiores euaſerint.*

VT intelligamus hunc Aphor. ſciendum, quod primis menſibus, hoc eſt 30. diebus, ſi mas eſt, & 40. ſi fœmina, paucus ſanguis defluit ad vterum, quia tum natura pauco eget alimento. Poſt diem 30. & 40. illi opus eſt aliquo ſanguine: vbi perfectus eſt fœtus, multo eget. Corruptiones fœtuum fiunt, vel ante 7. diem, vel poſt 7. vt ad 30. diem aut 40. vel 42. Vocant autem ante diem 7. ἐκρύσεις, id eſt, effluxiones: poſt verò 7. ἐκτρωσμοὺς eſſe, id eſt, abortiones: licet putet Ariſtot. ἐκτρωσμοὺς eſſe διαφθοράς. Fingamus mulierem eſſe fame extenuatam, vel morbo: quia corpora morbis defuncta, ſunt ſolutiora ac ſalubriora, ſi tum coeat, facilè concipiet. Si cum ita extenuata ſit, conceperit, neceſſe eſt vt & matris corpus, alimento reparetur & nutriatur.

At cum in morbo extenuatis imbecillus ſit calor natiuus, hic autem paucum ſanguinem conficiat, non poterit pauco hoc alimento nutriri mater vnà cum fœtu, adeo vt ſit neceſſe, vel matrem perire, dũ ſanguis qui deberet conuerti ad eius nutritionem, conuertitur ad vterum, vel contrà fœtum abortire. Et quæritur cur non potius abortiat primo menſe, quam ſecundo: quia fœtus primo menſe non eget multo ſanguine, & natura illi diſtribuit ſanguinem quantum ſatis eſt, & ſi tum reparetur mater, declinabit abortum. Sin poſt 30. diem perſeueret matris extenuatio, quia tum natura occupatur circa formationem fœtus: & fœtui maiori opus eſt ſanguine copioſiore, ſanguinis autem portio relicto vtero fertur ad mammas, ſecundo menſe abortiet, alimento deficiente. Quæ verò poſt ſecundum menſem fiunt abortiones, fiunt aliis de cauſis, præſertim externis. *Donec craſſeſcant*) id eſt recorporentur. Nam ſi poſſint recorporari duobus primis menſibus, & primo præſertim, optimum eſt. Si igitur videamus mulierem morbo liberatam, & extenuatam concepiſſe, ſumma adhibenda eſt cura, vt optimè nutriatur, ante 30. aut 42. diem, alioqui periculum eſt ne abortiat. Aliquando tamen fit vt mulieres etiam multum extenuatę & emaciatę, fœtus validos & bellè habitos ferant: hoc fit, quia natura magis occupatur circa nutritionem fœtus, quàm matris, idque propter conſeruationem & propagationem ſpeciei. Hinc ſępe videas in morbis acutis naturam ita fœtus prouidam, magis quam matris, vt is primùm eiiciatur, deinde ſi debet ſeruari mater oboriatur quędam criſis.

## SCHOLIA.

GRauidæ quæ contra naturam à morbo, aut in obſidione, aut fame publica extenuatæ ſunt: non quidem extenuatione inchoata, diſſipatis tantum ſpiritibus atque humoribus: ſed perfecta & abſoluta à partium ſolidarum exhauſto, abortiunt: extincto fœtu, qui ſuo defraudatur genio, priuſquam vberiore ſint habitu. Non enim tantum alimenti mater poterit conficere, quod ad ſui alimoniam fœtuſque augmentum ac nutritionem ſufficiat, ſed totum quod mater aſſumet in ſui alimoniam conuertetur. Proinde fœtus priuabitur alimento. Vnde abortus ſequetur.

## APHOR. XLV.

ΟΚόσαι δὲ μετρίως τὸ σῶμα ἔχουσαι ἐκτιτρώσκουσι δίμηνα καὶ τρίμηνα ἄτερ προφάσιος φανερῆς, ταύτῃσιν αἱ κοτυληδόνες μύξης μεσταί εἰσι· καὶ οὐ δύνανται κρατεῖν ὑπὸ τοῦ βάρεος τὸ ἔμβρυον, ἀλλ᾽ ἀπορρήγνυνται.

QVæ verò mediotriter corpulentæ abortum faciunt ſecundo menſe aut tertio, ſine cauſa manifeſta, iis cotyledones lentoris ſunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abruptis decidit.

SCribitur hic Aphoriſmus ab Hippocrate in lib. de muliebri natura. Ea autem eſt ſententia huius Aph. Si mulier ea quæ facilè concipit, & parit, ſine vlla occaſione manifeſta, abortit ſecundo menſe & tertio, oportet acetabula vteri eſſe plena humore viſcido, craſſo & phlegmatico. Hoc ſcribit, vt ſublatis aliis cauſis intelligamus hanc cauſam præcipuam. Abortio-

nes quæ fiunt ab illo excremento mucoſo fere accidunt 2.3. & 4. menſe. Ob id Galenus 6. de loc. aff. cap. 5. meminit 2. & 4. menſis, & lib. de vteri diſſect. tertij & quarti. Hippocrates hoc loco dicit ſecundo & tertio menſibus. At in lib. de morb. mul. non deſignat menſes, ſed dicit ſimpliciter abortiunt. Quæ igitur mulieres prætenues ſunt, non pariunt: quæ pingues, non concipiunt, vt ſequenti Aphoriſm. At quæ mediocri ſunt corporis habitu, id eſt neque tenuiores, neque pinguiores, quando à mucoſo illo ſucco intercipiuntur acetabula, 2.& 3. menſe, & 4. quoque (vt ait Galenus de loc.aff.) abortiunt. Quod accidit non quia, vt vult Philoth. fœtus tam iuſtum pondus habet, ſed propter grauitatem quæ incumbit ori vteri. Nam ſi acetabula plena muco & cruditate ſint, cruditas illa grauitatem facit, & viam intercipit: quo fit, vt neceſſe ſit ſanguinem fœtus alimentum reſtitare in ipſis cotyledonibus, & illic colligi: Vel abortiunt, quia neceſſe eſt ab illa viſcoſa humiditate, vincula quibus ſecunde alligantur vtero, laxa, vieta, & flaccida fieri: ob id minus firma facta non tam facilè poſſunt fœtum ſuſtinere. Adde his, quod inde ipſius vteri vis redditur debilior, & ita abortiunt. Notatur porrò ſecundus & 3. menſis: quia primis diebus informis eſt fœtus, licet ſeptimo etiam die re vera ſint iam in eo lineamenta quædam omnium corporis partium, ſed nondum ſunt diſtinctæ partes. Vbi aduenit trigeſimus dies, diſtinguitur manifeſtè, formatur & augetur fœtus: quo fit vt copioſiore ſanguine egeat tum natura. Si igitur eo tempore quo & natura & fœtus multo ſanguine eget, acetabula & viæ ſint interceptæ,

neceſſe eſt vt abortiant: fœtus quidem per id temporis grauior eſt,quia debilior.Nam quantò debilior eſt fœtus, tantò eſt grauior,magiſque deſcendit; quantò verò robuſtior, tantò leuior eſt, magiſque mouetur ſurſum. Quare per accidens tantum, ob imbecillitatem ſcilicet,grauitas fœtui tribuitur. *Sine cauſa manifeſta)* προφάσιος aliquando dicitur de cauſis externis. Tamen hoc loco intelligit cauſas quæ ſeſe proferunt, ſiue internæ ſint,ſiue externæ. Aliæ abortus cauſæ deſcribuntur à Galeno lib. 3. Epid. Et ab Hippocrate lib. de morb. mul. vt grauis morbus, præſertim acutus: aut dolor lumborum,& maximè vbi morbus ille eſt in vtero, vt eryſipelas,vel in partibus vicinis vtero: item motus vehemens animi & corporis: Animi,vt mœror,ira,timor: Corporis, vt ſi leuent aliquod pondus graue: ingens vociferatio: nimia diſtenſio alicuius membri, vt brachij,caſus,ſaltus: vt de ancilla Hippocratis, quæ fœtum 6.dierum ſaltu eiecit. Præter hæc, ſunt vacuationes inſignes,vt profluuium ſanguinis, alui,phlebotomia,medicamenta eiectitia. Aliquando præ frigiditate vteri abortit mulier, quia ſcilicet ea refrigerata vel pedibus vel ventre,&c. Vterus flatibus impletur,qui agitati excutiunt fœtum tunicis diſſolutis. Nonnunquam anguſtior eſt vterus vel laxior,vel denſior,vel maior vel minor. Neque ſolum vitium vteri affert abortum, ſed & alimentum, quia vel copioſius eſt (vnde ſuffocatur fœtus, niſi in tempore detrahatur ſanguis) vel parcius quàm ęquum ſit. Hæ ſunt cauſæ manifeſtæ. Iam acetabula Gal. multis locis probat eſſe multas venas & arterias, quæ ad vterum perueniunt, quibus productis ſecundæ (vulgo *arrierefaix*) adhæreſcunt vtero. Fœtus enim in aquis fluctuat: deinde ſunt ſecundæ quæ vtero

connectuntur per intermedias venas & arterias. Si igitur hæ venæ & arteriæ mucore intercipiantur, quando per eas defertur alimentum ad vterum, fœtus alimento deſtituetur: præterea vincula vteri laxa, mollia & imbecilla fient, vnde abortio μύξα apud Græcos dicitur, mucus qui excernitur per nares, tamen aliquando dicitur κορύζα. Et hoc loco intelligimus omnem craſſiorem pituitam & viſcidiorem, ſiue illa excernatur per nares, ſiue per vterum. *Neque præ pondere)* &c. Non propter pondus fœtus, ſed quia pondus incumbit vinculis, quæ pondere tenſa rumpuntur, iis ruptis neceſſe eſt fœtum exire.

## SCHOLIA.

*GRauidæ quæ moderato corporis habitu ſunt præditæ ſi bimeſtres aut trimeſtres fœtus abortiant, nulla incidente illius abortionis cauſa, nullo alui profluuio, nulla hæmorrhagia, nullo vteri morbo, nullo ictu, caſu, prolapſu, denique nulla re quæ fœtum reddat infirmum, ſuo defraudet genio, vincula vteri, fœtus & ſecundarum laxiora faciat, & quæ vi fœtum excludat. His venarum & arteriarum ſpermaticarum orificia mucoris plena ſunt, decurrentis ad vterum pituita à capite copia, quæ neque per aluum, neque per vrinas, neque per os, neque per nares exitum habet, nec fœtus ob grauitatem, potentia ſunt, ſed diſrumpuntur, & auulſis ſecundis fœtus excluditur.*

## APHOR. XLVI.

Ὁκόσαι παρὰ φύσιν παχεῖαι ἐοῦσαι μὴ ξυλλαμβάνουσιν ἐν τῇ γαστρὶ, ταύτῃσι τὸ στόμα τῶν ὑστερέων ἀποπιέζει, καὶ πρὶν ἢ λεπτυνθῶσιν, οὐ κύουσιν.

*QVæ præter naturam craſſæ non concipiunt, iis vteri os ab omento comprimitur. Itaque grauidari donec extenuentur nequeunt.*

HIppocrates lib. de ſuperfœtatione, & de ſterilibus, & de morb. mul. exponit hunc Aph. Intelligere oportet vt fiat conceptus, neceſſe eſſe ſemen viri euibrari in capacitatem vteri, & vt perueniat, mulieres habere collum vteri rectum. Ob id, quibus collum vteri eſt obliquum & diſtortum (quod ſæpe accidit) hę non concipiunt. Sic oportet viri genitale non eſſe diſtortum: alioqui non recta eiaculabitur ſemen in vterum. Prætereа licet rectum ſit collum, ſi tamen os interius vteri præcluſum ſit, non concipient. Præcluditur autem, quando aliquando diſtortum eſt & obliquum, ita vt vergat in coxam, vel in rectum inteſtinum. Quare in coitu ſemen non peruenit ad vterum, ſed reſtitat in collo, & refrigeratur, diffluuntque ſpiritus: quibus ſublatis, ſemen ineptum eſt conceptui. Aliquando callo intercipitur, ita vt ſępe non concipiant, & interdum menſes nulli aut pauci fluant. Eſt etiam quando mulier pinguior eſt & craſſior, vt præ pinguedine omenti prematur, & præcludatur os vteri. Nonnũquam neque collum vteri, neque os interius quicquam habent vitij, & vterus attrahit quidem ſemen, ſed tardiùs: quo fit vt refrigeretur, & diffluant ſpiritus, neque concipiat mulier. Cæterum Hipp. lib. de ſuperfœt. de ſteril. de mul. mor. docet quaſdam eſſe mulieres craſſas & pingues, ex propria natura, & temperamento, alias ex vitæ ratione. Sic videas ſæpe viros natura admodum craſſos, etiamſi minimum edant: alios tenues, etiamſi multum. Ea-

dem eſt cauſa in mulieribus. Ideo diſtinguere oportet mulieres craſſas natura, & ratione vitæ. Si mulier ſupramodum craſſa ſit, non ex propria natura, ſed vitæ ratione, ea non concipiet. Sin ex propria natura craſſa ſit, poterit. Quæ itaque immodicè craſſæ(alibi coniungit craſſas & pingues) non concipiunt iis omentum eſſe, &c. Omentum Philoth.exponit de pinguedine adnata vtero: poteſt tamen intelligi de vero epiploo, quod vteri os comprimit. Eſt autem duplex os vteri, exterius,quod pudendum dicitur: interius, vbi collum incipit & capacitas vteri: hîc intelligit os interius. Priuſquam extenuentur, id eſt ad mediocritatem reducantur, non concipiunt: Hippocrates dicit oportere mulieres pingues medicamentis iis purgare, quæ pituitam vacuent: deinde habita ratione totius corporis expurgandum eſſe vterum, qui excrementa colligit. His peractis rurſus inſtituit medicamenta, quæ generent flatus. Iſtud fieri debet, quando intelligimus mulieres non concipere,aut non parere, vbi minor eſt & anguſtior vterus. Tum enim oportet ea inſtituere quæ generent flatus: quia diſtendunt flatus, & facta diſtenſione maior fit vterus. Sic in ventriculo vbi intelligimus eſſe anguſtiorem, multum cibum inſtituimus, vt gignantur flatus. Ariſtot.lib. 1. cap. 18. de generatione animal. dat rationem cur viri pinguiores non generent, neque mulieres concipiant, cum lac & ſemen generentur ex puriore parte ſanguinis ( eſt enim eadem generatio lactis & ſeminis ) quia, inquit, pars illa pinguior ſanguinis quæ debebat conuerti in ſemen, conuertitur in pinguedinem.

## SCHOLIA.

*MVlieres quæ vberrimo habitu ſunt præditæ contra naturam: veluti ſomno, ocio, diæta intemperantiore, ita vt partes corporis impediantur ne probè offitium ſuum facere poſſint: ſi concipere nequeant, his omentum vteri os comprimit: vt ſemen virile ab vtero extipi non poßit præ anguſtia, frigore adipis extinguatur, & in via reddatur euanidum. Nec ante concipiunt, priuſquam mediocritatem habitus ſint conſecutæ, & viæ excipiendo ſemini confertim & repente delato, fiant patentiores. Adde quòd, quemadmodum ſcripſit Ariſt. cap. 5. lib. 2. de part. animalium, obeſa corpora ideo infœcunda ſunt, quòd in illis qui ſanguis in ſemen conuerti debebat, totus abit in adipem & ſeuum.*

## APHOR. XLVII.

ΗΝ ὑστέρη ἐν τῷ ἰσχίῳ ἐγκειμένη διαπυήσῃ, ἀνάγκη ἔμμοτον γενέσθαι.

*SI qua parte vterus coxæ adiacet ſuppurauerit, emmotis medicamentis curetur neceſſe eſt.*

VTerus alligatur vndiquaque vicinis partibus, aliquando autem diuertit ad partem dextram, ſiniſtram, ſurſum & deorſum, verſus inguina & coxam, ita vt per eiuſmodi deprauatum motum vteri in coxam reflectatur os vteri, vt non poſſint menſes effluere, nec mulieres concipere. Hipp. lib. de mul. nat. huius affectionis meminit: nec tamen exiſtimandum eſt eſſe inflammationem vteri quæ ſpectet ad inguina, aut coxam, vel etiam inflammata eſſe vteri vincula quæ ſunt

ſunt ad inguina. Nam aliquando ſine inflammatione, vterus deflectit in coxam & inguina: denique ſiue ſit inflammatio, ſiue non, reuera mouetur loco vterus: hoc loco intelligere oportet, inflammationem eſſe, ſiue ſit in ea parte vteri, quæ ſpectat coxam, ſiue ſit in ipſis vinculis ad inguina: vtroque autem modo poterit mutari loco vterus. *Neceſſe eſt emmoton fieri.*) Sequitur benè, ſuppuratio eſt, & pus collectum in ſpatio illo medio inter coxam & inguina: ergo oportet repurgari. Repurgabitur quidem, ſed duobus tantum modis. Primum immiſſis ſpecillis quibuſdam & ſyphonibus, & catheteribus, vt aliquando vtimur iis in ſuppuratis, vbi patet via per thoracē vt extrahamus pus. Si his ſpecillis pus educere nequeamus, vtemur ferramento, aut vſtura. Iam ſi non poſſit extrahi ſpecillis, pus illud collectum effundetur inter coxam, inguen & vterum. Ponámus ita eſſe effuſum, nulla eſt via qua poſſit duci, ergo oportet vt naturę beneficio pus illud, quia acre eſt, paret ſibi viam ad exitum, & ita pus vacuabitur, aut ſi natura id non moliatur, oportebit vti remediis, vt ferro, vel vſtura, alioqui morietur mulier. Verùm notandum eſt (quod dixit Gal. lib. 6. Epidem.) hunc caſum rarum eſſe: ſi tamen accidat, ex præcepto Hippocratis faciemus emmoton. Emmoton vox eſt ambigua apud Hippocratem. Aliquando enim ſignificat vlcus profundum, altum, exeſum & diſperſum, vt lib. *κατ' ἰητρεῖον*. Aliquando eſt ratio curandi *διὰ μότων*, vel *μοταρίων*, quæ fit per concerpta linamenta, per penicillos vulnerarios, gallicè, *tantes, cherpiz*. Ob id Leonicenus non inepte vertit linamentum. Interdum ſic vocamus non omne liquidum medicamentum,

ſed id tantùm quo imbuuntur linamenta. Suidas ait μοτάριον eſſe quo vtuntur medici, vt iis in plagas inditis prohibeatur, ne vlcus celerius coaleſcat, & rectè. Nam quum volumus non claudi vulnus, aut radicem gentianæ immittimus, aut linamenta, aut ſpongias, aut ſiphunculos plumbeos, aut cannulatas, (vt vocant) tantas. Vbi igitur ſuppuratio facta eſt, videmus neceſſe eſſe pus expurgari, alioqui morietur mulier. Vt id fiat oportet viam & exitum parari, aut natura, aut arte. Natura quidem quæ pus rodit & facit emmoton, id eſt vlcus profundum, diſperſum, & exæſum, & ita poteſt intelligi hîc emmoton. Arte verò (vt interpretatur Galen.) quia neceſſe eſt emmoton fieri, id eſt curationem tentari per lintea concerpta, & medicos indere linamenta: vel etiam (ſed minus rectè) oportet adhibere linamentum liquido medicamento intinctum.

## *SCHOLIA.*

*SI vterus inflammetur, vergatque ea inflammatio ad coxam, & ſuppuret vomica ab inflammatione orta, vlcus ſinuoſum linamento medicamento conuenienti illito curandum erit. Emmotum enim hîc ſignificat non linamentum, ſed potius vlcus ſinuoſum ac profundum, ita dictum à modo curandi (vt hodie fiſtulam) quod non niſi longo indito ſpecillo curari poterat. Illud autem vlcus ideo ſinuoſum euadit, propter vterum ſuo loco motum, qui ſuppuratus nec digitis nec rectis ſpecillis, nec igne curari poteſt, ſicut cum ſuum locum retinet, tametſi ſuppuratus fuerit.*

## APHOR. XLVIII.

Ἔμβρυα, τὰ μὲν ἄρσενα ἐν τοῖσι δεξιοῖσι, τὰ δ' θήλεα ἐν τοῖσιν ἀριστεροῖσι μᾶλλον.

*Mares dextra uteri parte, fœminæ ſiniſtra magis geſtantur.*

HÆc ſententia eſt eorum quæ magna ex parte accidunt. Eius ſententiæ fuit primum Parmenides, Empedocles & Hippocrates: prætereа experientia nos docet iſtud. Si velis videre diſputationem Empedoclis, hac de re vide Ariſt. 4. de generatione animal. Rationes verò lege 6. Epid. initio: ſed his nunc non eſt opus. Oportet intelligere mares magna ex parte geſtari latere dextro: fœminas verò ſiniſtro. Hippocrates in lib. de ſuperfœtatione cauſam geſtationis maris in latere dextro caliditati & robori ſeminis attribuit. Nam (ait ipſe) ſi ſemen viri benè concoctum eſt, calidum & robuſtum, & illud in duos ſinus vteri diſtribuitur, in duobus illis ſinibus mares duo gemelli concipientur. At ſi dilutum, nec ita forte & concoctum eiaculetur in vterum, vtrumque videlicet ſinum, generabuntur duæ fœminæ. Itaque maxima vis generandi eſt in ſemine, & præterea (ſi ſinus ſpectes) in ſinu dextro, quia calidior eſt propter viciniam hepatis & vaſa ſpermatica. Demus ergo quod mares magna ex parte generentur in dextra vteri parte, aliquando tamen concipiuntur in ſiniſtra, vt & fœminæ in dextra: ſed illud ſemini robuſto & benè cocto tribuatur.

## SCHOLIA.

*MAres in dextro vteri ſinu magis generantur, ratione loci & materiæ. Loci quidem, quia ſinus dexter calidior multo eſt ſiniſtro, tum ob viciniam iecoris, tum ob ſanguinem calidiorem & bilioſiorem, qui non ab emulgente, vt in ſiniſtro, ſed à vena caua per venas maiores & directiores ad dextrum vteri ſinum defertur: adde quod dextra pars validius exercetur quàm ſiniſtra. Hic autem Aphor. de his intelligendus quæ fiunt vt plurimum, fieri enim poteſt vt pars ſiniſtra vteri in quibuſdam mulieribus ſit validior extra, aut à prima vteri conformatione, aut caſu, quòd dextra læſionem aliquam acceperit: videas quoque quaſdam mulieres quæ ſuos fœtus ſiue mares ſiue fœminas in ſiniſtro vteri ſinu geſtare conſueuerunt. Videas item quaſdam, quæ maſculos ſemper generant ſiue in dextro ſiue ſiniſtro vteri ſinu contentos. Vide ſect. 2. lib. 6. Epid.*

## APHOR. XLIX.

Ἐς ὑστερίων ἐκπτώσιας πταρμικὸν ἐπιθεὶς ἐπιλαμβάνειν τοὺς μυκτῆρας καὶ τὸ στόμα.

*AD ſecundas deturbandas ſternutamento immiſſo nares & os manu obtura.*

VT intelligamus hunc Aphor. oportet intelligere ordinem partus quem ſcribit Hippocrates lib. de ſuperfœt. & pueri natura. Vbi natalis eſt fœtus, vt menſe 7. 9. & ad ſummum 10. ſolent flacceſcere, & laxari vincula, & acetabula ac vaſa vmbilicaria. Per copulationem eorum vaſorum connexio eſt ſecun-

darum cum vtero, & fœtus cum ſecundis. Cum acceſſit dies natalis, copulationes illæ reſiccantur & ſoluuntur: tum, quia grandior eſt fœtus, agitat ſe & calcitrat, vnde diſrumpuntur vincula illa iam flaccida: & tum ſolent mulieribus profluere aquæ quædam quæ vulgo dicuntur, *eauës perſes*, quibuſdam profluit ſanguis, quibuſdam ſerum aliquod rubrum: hæ aquæ partum antecedunt, vt via magis lubrica ſit: mox enim ſubſequitur fœtus. Poſtquam fœtus prodiit (in caput naturaliter) effluit adhuc aliquis mucus, ſed ligatus adhuc eſt fœtus ſecundis & vtero per vmbilicum. In cuius vmbilici ſectione nonnunquam peccatur ab obſtetricibus: vt ſi eum ſecent priuſquam oporteat, ſecundæ quæ adhæreſcunt vmbilico retrahuntur ad vterum, & ibi remanent, vnde grauis dolor excitatur. Secunda ſequitur fœtum per vmbilicum, qui eſt veluti vinculum, debetque incidi vna cum vmbilico. Si ergo hic ſecetur, antequam oportet, ſecunda reſtitat. Aliquando diſrumpitur vmbilicus, & tum prodit fœtus, & ſecundæ intus manent, vnde grauiter torquentur mulieres: aliquando inuoluitur collo fœtus, & ipſum ſuffocat: tumque cum magna vi interdum rumpitur, remanet ſecunda. Nonnunquam (quod rarum eſt) prodeunt ante fœtum ſecundæ, & tum grauis eſt partus. Aliquando & naturaliter editur prior fœtus, & ſequuntur ſecundæ. Porrò ſecundæ Græcis dicuntur modo ὑστέρα, modò χόριον, aliquando ὑμένες. Sanguis qui deſcendit in vterum poſt conceptum, ſic diſtribuitur à natura. Qui purus eſt & dulciſſimus, ſeruatur in alimentum fœtus. Reliquus craſſior ad generationem ſecundarum, quæ ſunt velut ſanguis concretus. Itaque ſi fracto vmbilico

ſecundæ reſtitant, dolorem grauem facient in imo ventre. In ilibus excitatur inflammatio, febris, rigores, vnde & aliquando moriuntur. Nonnunquam 2.3.4. 5.6.7. die ſecundæ exeunt, ſed totæ putrefactæ, aliquando antè moriuntur. Tunc ergo dum intus manent, vt eiiciatur, vtemur ſternutatione: & primùm ſpiritum cohibere, & vehementer nares comprimere imperabimus, vt retento ſpiritu per partes ſuperiores ipſe deorſum vergat quærens ſibi pabulum. Omnis enim ſpiritus calidus (vt habet Hippocrates lib. de nat. pueri) frigido nutritur. Si igitur ſpiritus alimento frigido deſtituatur, quia os eſt clauſum, quærens ſibi pabulum, recurrit ad partes inferiores, quod dum facit, depellit ſecundas. Idem facit vehemens motus & concuſſio per ſternutationem. Præter id habet potiones Hippocrates, & monet (quod maximè eſt notandum) quod inter omnia medicamenta nullum eſt præſtantius arthemiſiæ ſucco expreſſo cum vino albo. Datur enim hic ſuccus ad eiiciendas ſecundas tantum, non etiam, vt nonnulli putant ad accelerandum partum: Poſſet quidem accelerare, ſed fœtum necabit, quia arthemiſia eſt admodum amara. Dictamnus quoque & ſemen violæ albæ, huic morbo proſunt. Habet etiam concuſſiones Hippocrates. Aliquando vna cum ſecundis vmbilici ſecti, vel fracti pars extrema intus remanet. Tum huic parti vmbilici alligabimus appendices ex ſtanno, vel plumbo. Nam quemadmodum fœtus ſuo pondere facit, vt prodeant ſecundæ, ſic & appendices illæ eam adferent grauitatem vt ſecundæ excidant.

## SCHOLIA.

*SI ſecundæ, edito fœtu, in vtero reſtitent: adhibendum ſternutatorium ex puluere naſturtij, ellebori, aut pyrethri: eoque adhibito nares & os comprimendum ne ſpiritus per hæc loca libere exeat, ſed vehementiori motu feratur deorſum, & ſecundas excludat. Nam quò ſpiritus diutius & anguſtiùs concluditur, eò vehementius erumpit: ſic flatus qui in auribus moleſtiam faciunt compreſsis naribus & ore excludimus. Sic ſordes ab oculis excutimus.*

## APHOR. I.

ΓΥναικὶ τὰ καταμήνια ἢν βούλῃ ἐπισχεῖν, σικύην ὡς μεγίστην πρὸς τοὺς τιτθοὺς πρόσβαλλε.

*MVlieri ſi placet menſtruá ſiſtere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.*

ANte hunc Aphor. in quibuſdam exemplaribus legitur Aphor. 27. lib. 7. Mulier vtero gerens, ſi teneſmo capitur, &c. Sed prætermittamus. Aliquando menſes immoderatè profluunt, vel alius quiuis ſanguis ex vtero, hoc eſt remedium illius profluuij: non tamen quod hoc ſolò remedio poſſumus cohibere ſanguinem illum. Ex anatome ſunt vtero cum mammis venæ communes, quæ per partem interiorem ſterni deſcendunt & copulantur in vmbilico. Per has venas fluxus eſt ſanguinis ab vtero ad mammas. Si ergo fluant immodicè menſtrua, vt ea ſiſtas,

cucurbitulam affigere oportet ſub mammis: Sed antè inuolutas lana ſordida manus mulieris & partes cruris ſupra genua, vinculo excipere, & aſtringere oportet, deinde apponere, ſed ſine ſcarificatu, cucurbitulam in dextra parte, à qua poſtea transferemus ad partem ſiniſtram. Aliquando contingit vt adhibitis cucurbitulis oriatur ſpirandi difficultas: ſtatim eas auferemus. Maximam autem vult eſſe cucurbitulam, vt & magis & vehementius per venas cõmunes ſurſum attrahat atque reuellat. Præter hæc oportet adhibere medicamenta quæ ſanguinem reprimunt: cuiuſmodi eſt ſuccus plantaginis, Galeno ad id valde commendatus. Interdum non ſtatim hoc vtimur remedio, ſed phlebotomiam inſtituimus. Multas enim vidimus, quæ detracto ſanguine multo è vena conualuerunt, cum nullis aliis remediis poſſet reprimi fluxus ſanguinis.

## *SCHOLIA.*

*IMmoderatum menſtruorum profluuium quod non à rupta aut exeſa vena excitatur, ſed ſola copia & quantitate peccat, hoc eſt, largiore copia, & pluribus diebus quam natura ac conſuetudo menſtruatæ mulieris poſtulet, fertur: metu hydropis & cachexiæ, ſiſtendum admota cucurbitula alta & lata ſub mammis, ceu mammarum radicibus. Hac enim reuulſione ſanguis, qui à partibus ſuperioribus affatim deorſum irruit, promptiſsime retrahitur ad illum locum vnde fluxit, per eas venas quibus conſenſus eſt vtero cum mammis, quas anatomici appellant mammarias. Vide Veſalium.*

## APHOR. LI.

ΟΚόσαι ἐν γαστρὶ ἔχουσι, τουτέων τὸ στόμα τῶν ὑστερέων συμμέμυκεν.

*QVæ ventrem ferunt, iis os vteri conniuet.*

AGit Hip. de ore interiori. Intelligere oportet Hip. ſcribere quod naturale eſt. Nam quibuſdam hiat vterus à conceptu, & hæ abortiunt: quibuſdam clauditur, ſed non exactè, & hæ ſolent ſuperfœtare. At ſi naturaliter habeat mulier, ita clauditur vt ne ſpecilli vel acus mucro ſubire poſſit: breuiter ita conſtringitur, vt dicas ficus eſſe extremum. Quod autem nonnulli dicunt oportere fœtum per hoc os reſpirare, abſurdum eſt. Id enim habet per vmbilicum. Cur ergo clauditur os vteri? quia non oportet maius frigus vterum ſubire, quam quod attrahitur per vmbilicum. Præterea oportet alimentum fœtus quod recipitur per vmbilicum, retineri, nec effluere. Tertiò prouidet natura ne elabatur fœtus.

### SCHOLIA.

*SIgnum certiſsimum concepti fœtus in vtero eſt, ſi os vteri ad finem ceruicis mollitur clauſum ſit, neque hiet vt antè: ne ſcilicet inſueto aëre lædatur fœtus: ne diſsipetur prolificus ſpiritus: ne corrumpatur ſeminis materia. quod fit naturæ prouidentia, tum etiam peculiari ipſius vteri motu, qui non ſecus, quam cibo ventriculus, ſemine fruitur.*

## APHOR. LII.

ΗΝ γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ γάλα πολὺ ἐκ τῶν μαζῶν ῥυῇ, ἀσθενὲς τὸ ἔμβρυον σημαίνει· ἢν δὲ στερεοὶ οἱ μαζοὶ ἔωσιν, ὑγιεινότερον τὸ ἔμβρυον σημαίνει.

*MVlieri vtero gerenti ſi lac è mammis fluat copioſe, fœtum imbecillum ſignificat: ſi vero firmæ ſolidaque mammæ fuerint, valentiorem conceptum indicant.*

GAl. lib. 14. de vſ. part. ex hoc loco ſcribit vbi lac plurimum eſt in mammis, indicium eſſe fœtus imbecillioris: vbi paucum, robuſtioris & inopiæ ſanguinis. Ante diximus lac 1. & 2. menſibus non gigni, ſed ſimulatque abſolutus eſt fœtus, & moueri incipit (vt tertio menſe in maribus, quarto in fœminis) fit vterus amplior, & ita opprimit partes ſuperpoſitas, ac quicquid eſt pingue in ſanguine ad mammas exprimitur, vt lac generetur. Sed lac iſtud vitioſum eſt, ſeroſum & ſalſum. Vbi accedit natalis dies, vt 7. aut 9. menſe, lac tum incipit dulceſcere, & benè concoqui. Quare hic Aphor. de poſtremis menſibus intelligitur. Per hocce ergo tempus tres ſunt mammarum conditiones, vel enim pleniores ſunt & multum lac habent, vel ſolidæ, vel flaccidæ. Si pleniores ſunt, indicium eſt fœtus imbecillioris, qui ad ſui nutritionem parum attrahit lactis ac ſanguinis & conſumit, ob idque refluit in mammas. Si ſolidæ, id eſt, mediocriter plenæ, fœtum ſaniorem eſſe & validiorem indicant, vt qui tantum alimenti aſſumit, quanto ſibi opus eſt. Reliquum vero ſanguinis ad mammas defertur, ad generationem lactis. Si ſunt flaccidæ, indicium quidem eſt roboris fœtus, ſed laborare inopia alimenti. Nam quod ad mammas fluere debet, id totum ad fœtum conuertitur.

## SCHOLIA.

LAc gignitur in mammis non ad nutritionem fœtus quandiu vtero continetur, (hic enim non lacte ſed puriſsima ſanguinis menſtrui portione alitur) ſed vt edito in lucem fœtui ſit commeatus: ob id non primis, ſed poſtremis conceptionis menſibus ſecundum naturam generatur in mammis; eo nimirum tempore quo venæ vteri & mammarum communes abundè ſunt oppletæ: tum enim ſanguinis menſtrui purior portio venis vteri amplius contineri non potentis, in mammas regurgitat, vbi in lac conuertitur, nec ab illis antè defluit donec tempeſtiuo partu prægnans ſuo fœtu expedita fuerit. Si ergo lac plurimum effluat, indicium eſt fœtus imbecilli, qui cum non niſi paucum ſanguinem ad ſui alimoniam præ imbecillitate poſsit trahere, tractum concoquere, concoctum abſumere: multum ſanguinem relinquit, qui tandem ad mammas confluens in lac tranſit: ibique præ nimia copia cum contineri nequeat, e mammis plurimum effluit, magnum certe aborſus futuri argumentum, potiſsimum ſi aquoſum fuerit. Quòd ſi pauca copia fluat, ſintque mammæ ſolidæ & firmæ, ſanum eſſe fœtum ſignificant: quòd fœtus trahit quod ſibi conuenit, & mammis relinquit, quod ſatis eſt ad illarum ſoliditatem.

## APHOR. LIII.

Ὁκόσαι διαφθείρειν μέλλουσι τὰ ἔμβρυα, τῇσιν οἱ τιτθοὶ ἰσχνοὶ γίνονται· ἢν δὲ πάλιν σκληροὶ γένωνται, ὀδύνη ἔσται ἢ ἐν τοῖσι τιτθοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσιν ἰσχίοισιν, ἢ ἐν τοῖσιν ὀφθαλμοῖσιν, ἢ ἐν τοῖσι γούνασι, καὶ οὐ διαφθείρουσιν.

QVæ fœtum ſunt perdituræ, iis mammæ extenuantur: contrà vero duræ ſi fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt.

HIppocrates ſcripſit hanc ſententiam ambiguè: ob id dubitat Galenus, & quærit an pariter ad graciles mammas & duras ſequatur abortio. Duras vocamus non ſolidas, ſed re vera duras & nimium tenſas. Reſolutio eſt, ad graciles mammas perpetuo ſequitur abortio: ad duras non ſemper. Quærit etiam an in omni abortione mammæ graciles fiant, ſiue præcedant, ſiue ſequantur graciles. Galenus vult in omni abortione graciles præcedere, vel ſequi: quia ſi contingat, mammas gracilescere, repentè ſignificant abortum propter inopiam alimenti. Galenus dicit in comment. Si dolor fiat in vtero, ſanguis qui antea ad mammas ferebatur, refluit ad vterum, & ita diminutiores fiunt mammæ. Quare concludit graciles mammas & præcedere & ſequi abortionem. *Si verò contrà*) &c. Contrà, poteſt exponi bifariam, primùm, quia quæ antea erant graciles, poſſunt fieri duræ & recorporari, & tum ſignum eſt abortionem eſſe extra metam. Alter ſenſus, quia etiamſi non præceſſerint mammæ graciles, tamen duræ poſſunt eſſe, non ob plenitudinem boni ſanguinis & lactis, ſed ſanguinis vitioſi, quia natura quicquid eſt vitij in vtero, tranſmittit ad mammas. Tunc itaque quia fœtus liberatus eſt eo vitioſo ſanguine, necnon vterus, non eſt metuenda abortio. Dolor autem erit in mammis, propter vitium & copiam materiæ. At ſi natura mammarum eſt robuſta, materiam illam tranſponet in aliam partem, vt in coxas, oculos, genua, ibique fiet dolor, nec abortient. Nec tamen id vult Hippo. quòd nunquam abortient, ſed multo minus eſt periculi, quam ſi graciles eſſent mammæ.

## SCHOLIA.

*Abortus futuri varia ſunt indicia. Primum ac maximum eſt, ſi mammæ quæ alioquin à motu fœtus, ad extremum vſque geſtationis tempus à lactis copia tumentes ac ſolidæ eſſe debent, extenuentur ſiue ſenſim, ſiue repentè, nimirum pro maiore aut minore cauſæ extenuantis impetu: inedia ſiquidem, & multi morbi diuturni ſenſim extenuant: ictus, ſaltus, lapſus, animi motus, aliæque ſimiles cauſæ, repentè. Illa autem mammarum extenuatio ſiue paulatim ſiue repentè fiat, à lactis defectu proficiſcitur. Deficit autem lac in mammis duabus de cauſis: vna, per alimenti inopiam, quando illæ ſanguine deſtituuntur, nec amplius ab vtero vlla aut niſi pauca ſanguinis menſtrui portio vnde lac gigni poßit, ad eas tranſmittitur, quod plurimùm contingit in magna inedia, aut longis ac diuturnis morbis. Altera, cum ad vterum malè affectum, vtpote vel eryſipelate, vel phlegmone, vel dolore, vel alio graui ſymptomate, vt ruptione vinculorum ab ictu, caſu, lapſu, laborantem, ab vniuerſo corpore nedum mammis ipſis, ſanguis ac ſpiritus confluunt, velut illi laboranti ſuppetias laturi. Alterutra harum cauſarum ſi adſit, ad mammas lac tranſmitti non poteſt, cum fœtui ipſi parum admodum aut non ſatis ſanguinis ſuppetat ad ſui alimoniam, multo minus ad lactis generationem. Vnde non ſolum mammas extenuari, ſed & abortum ſequi eſt neceſſe: maximè verò ſi mammæ ſubito extenuentur: quoniam iſtius tam repentinæ extenuationis maximam oportet ſubeſſe cauſam, vehementemque mutationem præceßiſſe, quæ vterum vſque adeo perturbarit, & fœtum admodum imbecillum reddiderit: alioquin ſi ſenſim ac paulatim extenuentur mammæ, non eſt ſemper neceſſe abortum ſubſequi, præſertim ſi partus immineat, aut ſi magnus extiterit. fieri enim poteſt, vt fœtus circa nonum menſem auctus multo alimento indigeat, &*

*partim menſtruo, partim lacte fruatur, indeque mammæ extenuentur: fieri quoque poteſt, vt ſatis ſanguinis ſuppetat alendo fœtui imbecillo, non item lacti generando: fieri etiam poteſt vt ſanguis ad mammas peruenire non poßit, aut ob ſanguinis craſſitiem, aut ob venarum anguſtiam, aut earundem obſtructionem. Quibus ex cauſis, ſi mammæ extenuentur, id fiet citra periculum aborſus. Quinetiam fieri poteſt non modo in ea mammarum extenuatione quæ fit ſenſim, ſed ea quæ repentina vt nullum aborſus periculum ſequatur. Poteſt enim morbus, qui extenuationem commiſit dirimi aut aboleri, eo ſublato in priſtinas vires natura reſtitui, ſanguis gigni copioſus, & inde lactis plurimum in mammas euehi, tandemque mammæ, quæ per morbum prius extenuatæ fuerant, repleri, ſolidæque ac firmæ fieri. In quo tamen caſu ferè accidit, vt nequeunte fœtu præ imbecillitate collectam ſanguinis copiam conſumere, neque mammis totum ſanguinem excipere ac continere, aut in lac conuertere, potentibus, mammæ rurſus indureſcant, ac proinde nullus ſequatur abortus. Quæ tamen mammarum durities, quia à ſanguine ſola copia peccante ſuboritur, dolorem in mammis excitat retento ibi ſanguine: aut, in oculorum vel coxarum, vel genuum dolorem ſoluitur, eo ſanguine à mammarum robuſta natura in eas partes tranſlato. Quanquam iſta mammarum durities de nouo ſuborta, non ſemper prægnantem liberat abortu: cum ſanguis ille paulò copioſior ad vterum depelli poßit, & ex eo phlegmonem aut eryſipelas committere, indeque fœtum corrumpere: Ea tamen cum adeſt, qualiſcunque ea fuerit, ſi modo perſeueret, omnem abortus metum adimit.*

## *APHOR.* LIIII.

Ὁκόσῃσι δὲ στόμα τῆς ὑστερέων σκληρόν ἐστι, ταύτῃσιν ἀνάγκη τὸ στόμα τῆς ὑστερέων ξυμμύειν.

*QVibus os vteri durum eſt, iis arctetur eſt neceſſe.*

COmprimitur os vteri interius in iis quæ conceperint vſque ad partum, niſi quod quibuſdam contingit non ita exactè claudi, quia ſuperfœtare poſſunt, ſed rarum eſt. Os igitur vteri concluſum in grauidis molle & ſpongioſum eſt, vt eſt ficus. At ſi comprimatur non propter conceptum, ſed vitio aliquo, vt inflammatione, ſcyrrho, vehementi ſiccitate aut frigiditate, iam durum erit. Ob id Hipp. iubet obſtetrices digitum immittere, vt intelligamus an os vteri durum ſit necne, & ceruix etiam, quia aliquando dura eſt. Si deprehendatur durities remedia adhibere oportet. Nam ſi tum grauida eſt mulier, periculum eſt ne abortiat. Si non eſt grauida, non fluent menſes.

## *SCHOLIA.*

*IN conceptione, & duritie vteri ab inflammatione aut ſcyrrho vteri, clauditur os interius vteri: diſcrimen hoc eſt inter vtranque conniuentiam, quia in conceptione, os vteri tactu molle eſt ac omnis doloris expers: in diſtenſione ab inflammatione aut ſcyrrho aut callo, durum ac dolorificum.*

## *APHOR. LV.*

ΟΚόσαι ἐν γαστεὶ ἔχουσαι ὑπὸ πυρετῶν λαμβάνονται, καὶ ἰσχυρῶς ἰσχναίνονται ἄνευ προφάσιος φανερῆς, τίκτουσι χαλεπῶς καὶ ἐπικινδύνως, ἢ ἐκτιτρώσκουσαι κινδυνεύουσι.

*QVæ geſtantes vterum febribus corripiuntur, aut vehementer ſine euidente cauſa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.*

DIxit ſupra, mulieres morbo acuto corripi, lethale eſſe. Dicit nunc, ſi mulieres grauidæ febribus corripiantur &c. Phil. intelligit de vehementi febre, vt de continua & intenſa. Gal. non interpretatur, quod genus frebrium inaudiatur. Mulieres grauidæ propter contractum aliquod vitium, vel ante conceptum, vel in conceptu, laborant aliquando acutis & vehementibus febribus: aliquando remiſſioribus, ita vt ſemper toto geſtationis tempore leuiter febricitent, & inæquali vtantur valetudine: vt modò caleant, modò frigeant ac horreant. Ponamus duas mulieres, vnam febre ardenti ac vehementi correptam: alteram toto geſtationis tempore propter vitium ſanguinis habentem febres illas inæquales, & incertam valetudinem. Illi quidem metuendum ne abortiat, quia fere huiuſmodi mulieres abortiunt, non tamen perpetuo moriuntur, quanquam ſæpius. Hæc vero vel abortiet vel difficulter pariet. Nam, vt facilis ſit partus, requiritur & matris & fœtus robur. præterea oportet vias eſſe apertas, molles & lubricas, cui rei præmittuntur aquæ illæ perſicatæ. Si igitur corpus matris vitioſis humoribus abundet, quum iis & mater & fœtus alantur, fieri non poterit quin vterque ſit imbecillior. Vbi enim cacochymia eſt, ibi non poteſt conſiſtere virium robur. Ad hæc, ratione febris reſiccantur aquæ illæ perſicatæ. Quæcunque igitur vtero gerentes à febribus corripiuntur, & vehementer extenuantur &c. Alij legunt θερμαίνονται, id eſt, fortiter calefiunt, quod conuenit cum Philotheo. Si legamus ἰσχναίνονται, hoc ipſum ſequitur & ad febres ardentiſſimas & ad remiſſiores. Prætereà mulieres grauidæ extenuantur, quia quicquid eſt vtilis ſanguinis fœtus attrahit. Quare autem dicit Hippo.

Hipp. ἄνευ προφάσιος φανερῆς, Philoth. exponit ex neceſſitate. Gal. item: & ſemper ita ſententia quadrat. ita vt opus ſit ἄνευ προφάσιος referri ad verbum pariunt. ſicque clarior erit Aphoriſmus. Ex neceſſitate ergo difficulter pariunt & cum periculo, quia cauſæ neceſſariæ ad partum facilem tolluntur, vt ſunt robur matris & fœtus, viæ apertæ, molles & lubricæ. Nam ſiue febris ea magna ſit, ſiue remiſſa, ſemper inde imbecillitas ſequitur, & reſiccantur quoque aquæ illæ perforatæ, quæ ſolent præcedere partum ad molliendum iter & lubricandum. *Aut abortientes.* (quia pariunt ante tempus) periclitantur, propter reſolutionem ſubſtantiæ, & imbecillitatem virium, ratione ſcilicet febris propter vitium humorum, & quia fœtus attrahit quod eſt vtiliſſimum. Quod autem Hippocr. in Aphoriſ. dicit ἐκτρωσμοὺς, vocat διαφθορὰν in Epidem. & lib. de morb. mulieb.

## *SCHOLIA.*

*Extenuatio vehemens & ſumma, quæ non à manifeſta occaſione, ſed à febre acuta aut lenta ortum habet, in mulieribus vterum gerentibus difficilem ac periculoſum partum, aut etiam abortum minatur. vehemens enim ac ſumma corporis extenuatio ad omnium pene virium infirmitatem ſequitur, quæ cum adeſt, facilis ac ſecurus fieri partus non poteſt. Partus enim facilis ac ſecurus matris, fœtuſque ipſius robuſtas ac vegetas vires omnes poſtulat. Occaſiones quidem manifeſtæ, quales ſunt mœror, ictus, lapſus, caſus, vigilia, inedia, ventris fluxus, venæ ſectio, purgatio, corpus vehementer extenuant: ſed quia ea extenuatio quiete, cibo, ſomno atque aliis præſidiis breui, & vt dixit Hippo. in progn. per diem & noctem poteſt reparari, non vſque adeo vires deiicit, vt gerentibus*

*vterum, difficilem ac periculoſum partum abortumque adferat. At febris acuta, præterquam quod vtero gerentibus planè funeſta eſt, ſua magnitudine, ſuorumque ſymptomatum vehementia, ac frequenti remediorum, vt purgationis ac venæ ſectionis vſu, corpus tantopere extenuat, eiuſque vires adeo labefactat, vt nec matri nec fœtui ſatis vegeta ſufficere poſſint ad fœlicem partum: febris verò lenta, quia diuturnitate temporis corpus extenuat, vireſque tum matris tum ipſius fœtus ſenſim demolitur, difficilem quidem ac periculoſum partum, non item abortum ſæpenumerò inuehit.*

## *APHOR. LVI.*

Ἐπὶ ῥόῳ γυναικείῳ σπασμὸς καὶ λειποθυμίη ἢν ἐπιγένηται, κακόν.

*SI muliebri profluuio conuulſio, aut animi defectus ſuperueniat, malo eſt.*

HIppocr. in his Aphoriſmis (quod antea monuimus) loquitur vocibus vſitatis. Ob idque intelligere oportet per muliebrem fluxum, ſiue is ſit ruber, ſiue albus, aut pallidus, omnem immoderatum fluxum per vterum. Si igitur à largiore aut diuturniore fluxu ſequatur animi defectus, malum: quia cum inutili vacuatur aliquid vtilis, & pars & ſpiritus reſoluitur. Malum etiam conuulſionem ſequi. Conuulſio fit à reſiccatione & inanitione partis neruoſæ propriè. Sed quoniam partes omnes albæ & exangues (vt veſica, inteſtina, vterus) dicuntur neruoſæ largius, propterea ab vteri affectione ſequitur conuulſio (quamuis rara ſit, nec facile fiat) non quidem ratione ipſius vteri, ſed ab inanitione.

## SCHOLIA.

TRia ſunt excrementorum genera, quæ mulieri per vterum, nullo peculiari ipſius affectu vteri, prodeunt: menſtrualis purgatio, lochia à partu, & fluxus muliebris ceu rheumatiſmus vteri. hic autem rheumatiſmus & materia, & colore, & qualitate, & copia, & periodo, & excernendi modo à menſtruali purgatione plurimum diſsidet. nam eius materia ſerum eſt ſanguinis bilioſi aut pituitoſi: color eſt pallidus, ruber, aut albus: qualitas eſt toto genere præter naturam, plurimum moleſta naturæ: quantitas modum excedens: nulla periodus, vt qui ſine ordine fluat quibuſdam mulieribus quotidie, aliis pòſt, aliis inter menſtruas purgationes: nullus excernendi modus. Cum ergo hic rheumatiſmus ſit ſoboles ſeri bilioſi, aut pituitoſi collecti ac geniti tum in venoſo genere, tum in aliquo viſcere nobili, hepate, cerebro, ventriculo, liene: ſi iuuante natura confertim & repentè excludatur, id fiet bonis naturæ rebus: ſi vero in excluſione ſui, conuulſionem à ſiccitate & exhauſto neruorum: aut deliquium animi, à ſubito & vehementi ſpiritus animalis motu aut vitalis diſsipatione, vel partium ſolidarum atrophia adſerat; funeſtum: quia ad calamitoſam vim morbi, accedit ſumma virium imbecillitas.

## APHOR. LVII.

Καταμηνίων γινομένων πλειόνων, νοῦσοι ξυμβαίνουσι, καὶ μὴ γινομένων ἀπὸ τῆς ὑστέρης ξυμβαίνουσι νοῦσοι.

MEnſtruis abundantibus morbi eueniunt, & ſubſidentibus accidunt ab vtero morbi.

APpellamus propriè menſes, purgationes menſtruas. vt autem intelligamus an menſtrua plura fiant, an pauciora, reuocanda ſunt ea quæ diximus ex Hippocratis mente: iuſtam & naturalem eſſe menſuram menſtruorum duas heminas Atticas, aut circiter, non olei, vt putauit Fuſchius, ſed vini, aut aquæ, vt redeant ad tres ſemiſextarios Pariſienſes, natura interim, ætate & ſimilibus perpenſis. Dicebamus præterea naturalem purgationem fieri ſingulis menſibus ſemel. Quamquam fiat quibuſdam vno menſe, aut duobus interpoſitis: atquę ſunt libidinoſæ, neq; tamen coëunt, ſæpe purgantur bis aut ter in menſe. Dicebamus item oportere purgationem duos aut tres dies perſeuerare. At menſura menſium earum quæ poſt puerperium purgantur, eſt ſeſquihemina, id eſt, chopina Pariſienſis. ſed fere fluunt diutius, vt 40. diebus, idque paulatim & parum. Si ergo mulier quæ naturaliter purgari debet ſemel tantum in menſe, & cum iuſta menſura, purgatur bis aut ter & immodicè, morbi accidunt. Effuſo enim multo ſanguine non ſolum vterus, ſed & corpus reliquum refrigeratur. Vnde fiunt hydropes, marcores, morbi frigidi. *At ſi ſupprimuntur* &c.) Dicit Galen. quod in defectu menſtruorum fiunt morbi ex vitio vteri. In copia vero menſtruorum, ex reliquo corpore. Sunt infiniti morbi qui fiunt à ſuppreſſis menſibus. Hos omnes enumerat Hippoc. lib. de morb. muliebr. Sed qui inde contrahuntur morbi non ante prodeunt quam poſt tertium menſem, vt quarto, quinto, ſexto menſe. Nam dum diutius retinetur is ſanguis, corrumpitur, putreſcit & in ſaniem conuertitur: vnde febris, eryſipelas, inflammatio, cancer in vtero. Aliquando effluit pus per pudendum. Ali-

quando inflantur crura, pedes: nonnumquam fit morbus coxarius. Interdum ſi multus ſanguis collectus eſt in vtero, reſtuit in partes ſupernas, vt in caput & faciem, & facit maniam: ad thoracem, & facit pleuritidem, peripneumoniam, tabem. Eſt quando ſpargitur in totum corporis habitum, quo refrigerato hydrops naſcitur.

## *SCHOLIA.*

*SI menſtruæ purgationes & quantitatis & temporis modum non teneant, morborum ilias ſuboritur: quia à ſanguine ſupra modum vacuato calor natiuus languet, & partes nobiles calore deſtitutæ ſua non obeunt munia. Vnde cachexia, hydrops, lienteria quoque ipſa, primæ, ſecundæ, & tertiæ concoctionis priuatio. Si vero non bene reſpondeant, ab vtero morbi contingunt, & in vtero: in vtero inflammationes, eryſipelata, carcinomata, ſcirrhi ab vtero, quia quæ ſunt propinqua queque communia, laborante vtero primum & maxime affici ſolent: quibus accedit palindrome & refluxus materiæ menſtrualis ad ſuperiores partes: vnde morbi accidunt, qui partis obſeſſæ materiæque morbificæ naturam ſequuntur.*

## *APHOR. LVIII.*

Ἐπὶ ἀρχῷ φλεγμαίνοντι καὶ ἐπὶ ὑστέρῃ φλεγμαινούσῃ, καὶ ἐπὶ νεφροῖσιν ἐμπύοισι στραγγουρίη ἐπιγίνεται· ἐπὶ δὲ ἥπατι φλεγμαίνοντι λὺγξ ἐπιγίνεται.

*AD recti inteſtini & vteri inflammationem, puruletoſque renes accedit ſtranguria: iecore vero inflammatione laborante interuenit ſingultus.*

SAtis intelligimus ex anatome quod vterus collocatus eſt inter veſicam & rectum inteſtinum, veſica tamen magis inſidet ceruici vteri. Vterus in fœminis alligatur recto inteſtino. At in viris, veſica recto inteſtino eſt vicina. ἀρχὸς propriè dicitur anus ſiue podex, id eſt, extremum recti inteſtini. Philoth. rectum inteſtinum appellat: ſit ita, vt intelligamus vel proprie partem inteſtini recti, vel totum inteſtinum. Recto inteſtino inflammato (præſertim vbi magna eſt inflammatio) affectio communicatur veſicæ per conſenſum, vel vbi rectum inteſtinum eſt inflammatum, & item podex, ſtatim calfacit veſicam. In hac cogitur pituita, quæ efficit vt intercipiatur via vrinæ. aliquando ob inflammationem eãdem, opprimitur ceruix veſicæ: retentáque tum vrina fit acrior, veſica fit imbecillior, & via anguſtior, vnde ſit ſtranguria. *Et vtero.*) Vterus parte inferiore alligatur recto inteſtino; ſuperiore ſubiacet veſicæ. & ob id ſi quando accidat inflammatio parte inferiore vteri, oppreſſo recto inteſtino prohibebitur ſtercus & reſiccabitur. Si vero in parte ſuperiore, debiliore facta veſica, vrina acriore & via anguſtiore, fiet ſtillicidium vrinæ. Si & parte ſuperiore & inferiore inflammatur vterus, retinebitur ſtercus, & fiet ſtillicidiũ. Quæritur cur in grauidis non ſupprimitur neque vrina neque ſtercus, cum deberet vterus comprimere veſicã & rectum inteſtinum? Ratio eſt, quia per geſtationem vteri, fœtus præſertim robuſtior, maxime ſitus eſt in parte ſuperiore vteri. Rectum autem inteſtinum & veſica magis conſentiunt cum eius ceruice quę tum compreſſa parum eſt, neque laborat. Quare pars illa ſuperior non offendit neque veſicam, neque rectum inteſtinũ. Aliquando tamen laborant leui ſtillicidio vrinæ. ſed

hoc nihil eſt. *Renes purulentos*) quia tum pus ad veſicam delatum ſua acrimonia mordicat veſicam. atque hac ratione excretoriam veſicæ facultatem aſſidue irritans, vt guttatim vrinam excernat, efficit. Ergo acrimonia vrinæ, veſicæ imbecillitas & viæ interruptæ, faciunt ſtillicidia vrinæ. *Si vero iecur.* Hoc fit multis de cauſis. Primum ſi gibbæ hepatis partes magna & vehementi inflammatione corripiantur, comprimetur ventriculus, & ita non emittit libere ſpiritum, ob id fit ſingultus. Deinde, propter viciniam, ventriculus contrahet intemperiem, quia nimium calefiet, reſiccabiturque omnino eius humiditas, vnde ſingultus conuulſionis ſpecies. Tertio, in ea inflammatione, ex cauis hepatis partibus aliquid repurgabitur in ieiunum, à ieiuno in ventriculum, & propter acrimoniam materiæ quæ orificium ventriculi mordicat, fit ſingultus. Quarta cauſa aſſignatur ab Hippo. 2. ἐπιδημ. quòd videlicet neruos breuiſſimos recipiat à ſexta cerebri coniugatione, qui raro inueniuntur in anatomia.

## SCHOLIA.

*VRinæ ſtillicidium, quod fit potiſſimum à veſicæ infirmitate, ab acrimonia vrinæ, ad tria morborum genera ſequitur. Recti inteſtini inflammationem, vteri inflammationem, & renum ſuppurationem. Compreſſo enim meatu vrinario ac anguſtiori reddito vrina guttatim deſcendit vel nobis nolentibus, aut volentibus quidem nobis, ſed nequeuntibus multam vrinã mingere. Inflammatio autem recti inteſtini aut vteri comprimit ſua vicinitate os veſicæ. Renum vero ſuppuratio pus vna cum vrina excludit, quod & ſua craſſitudine & acrimonia, vrinæ ſtillicidium inuehit: craſſitudine quidẽ, pariendo obſtructionem,*

*acrimonia vero, irritando intempeſtiue ad excretionem vrinæ. At inflammationem hepatis ſingultus ſequitur, vicinia, exhauſto, bilioſi humoris affluxu, & ſympathia hepatis per duos neruos ſextæ coniugationis hepati & aluo communes, quos τόνους appellat Hippocrates 2. Epid.*

## APHOR. LIX.

Γυνὴ ἢν μὴ λαμβάνῃ ἐν γαστρὶ, βούλῃ δὲ εἰδέναι εἰ λήψεται, περικαλύψας ἱματίοισι θυμία κάτω· κἢν μὲν πορεύεσθαι σοι δοκέῃ ἡ ὀδμὴ διὰ τοῦ σώματος ἐς τὰς ῥῖνας καὶ ἐς τὸ στόμα, γίνωσκε ὅτι αὐτὴ οὐ δι᾽ ἑαυτὴν ἄγονός ἐστιν.

*SI mulier non concipit, & ſcire placet, an ſit conceptura, veſte præligatam & vndique obuolutam ſubter ſuffito: at ſi odor corpus peruadere videatur ad nares & os vſque, non ſua culpa ſterilem eſſe ſcito.*

VT ſcribit Gal. veteres poterant repudiare mulieres ſteriles, ob id adhibebantur medici & obſtetrices, vt de ſterilitate iudicaretur, aut fœcunditate mulieris. Inter ſigna quæ indicant fœcunditatem, hoc maxime probatur à Gal. Sunt & alia lib. de ſteril. vt ſi nutricis lac detur cum butyro, & mulier euomat: ſi item iuſculum lactucæ: ſi aniſum aqua dilutum, & mulier eructauerit, ſignũ eſt fœcunditatis. Sed vidamus rationem, an hoc quod ſcripſit Hipp. de ſuffitu, arguit fœcũditatem mulieris. Vt perueniat ſuffitus ad os & nares oportet vias eſſe liberas, & nihil eſſe quod obtundat vim ſuffimenti: vt gratia exempli, non oportet os vteri eſſe præcluſum. Quibuſdam mulieribus naturale eſt, ait Ariſt. lib. 1. de hiſt. animal. vt ſtatim à menſibus præcludatur & cõprimatur os vteri, quemadmodũ in mulieribus grauidis: & hæ ſteriles ſũt. Fingamus mulierẽ talem

eſſe, non tranſibit ſuffitus ad os & nares,tamen non eſt ſterilis. Nam ſi,vt ait Hip. experientia doctus, coeat paulo antequam fluant menſes,cócipiet,& maxime fœminas. Si vero à menſibus coeat, non concipiet, quia concluſo vteri ore non poterit ſubire ſemen. Quare vt ſuffitus ad os & nares perueniat, oportet vias eſſe liberas, acetabula, venas communes vtero & mammis, venas & arterias iugulares non eſſe oppletas craſſis & viſcidis humoribus. Præterea oportet nihil eſſe quod obtundat vim ſuffitus, quod facit nimia caliditas vteri, frigiditas, humiditas, ſiccitas, & denſitas. Ergo cuicumque mulieri ſubdita aromata, vt allium, ſtyrax, cynnamomum, & præſertim cum it dormitum, poſſunt ad os & nares venire, oportet eſſe bene ſanam: alioqui ſi vitium eſt vel in collo vteri, vel in vtero, vel in viis ab vtero, non concipiet. Ariſtot. dicit, quod ſi viæ quæ deſcendunt à pectore & regione ſepti tranſuerſi, interceptæ fuerint, non penetrabit odor ſuffitus ad nares. Sed hoc non eſt admodum credibile. Dat aliud ſignum Hipp. Oportet, inquit, illinere oculos mulieris aliquo humore, hunc ſi combibant oculi, fœcunda eſt. Dat & aliud. Capillis nudetur vertex: adhibeatur linteú mundum, quod reticulo alligetur: ſed ita vt & linteum & reticulum nihil extrinſecus odoris habeant. Cum mulier it cubitum, immittatur & ſubdatur allium, aut aliquid tale. Mane ſi linteum, reticulum, & vertex mulieris redoleat allium, ſignum eſt fœcunditatis. Si igitur mulier non concipit, ſcire autem velis num conceptura ſit; id eſt futura fœcunda, pannis circuntectam (ne ſcilicet vapor diffundatur & pereat) ſuffies ab imo, id eſt pudendo. Si odor perueniat ad nares & os, ipſa non ſua culpa, ſed viri ſterilis eſt.

## SCHOLIA.

*Ratio experiundæ ſterilitatis nuptarum mulierum per ſuffitum aromatum, per infundibulum in ſinum pudoris ſuſceptum: cuius vapor ſi ad nares & os per medium corpus, quod confluxile & tranſpirabile eſt omni ex parte, peruenerit: indicium eſt mulierem nuptam ſuo vitio infœcundam non eſſe: quod ex percepto aromatum ſuffitu & odore, ita comparatus uterus ſignificetur, vt habitu & temperamento ad excipiendum, concipiendum, incrementis augendum & continendum vſque ad legitimum tempus ſit accommodatus. Quanquam hoc experimentum vim habere videtur potius in neganda, quàm aſſeueranda ac affirmanda mulierum nuptarum ſterilitate: Poteſt enim ſuffitus aromatum ad os & nares penetrare per corpus: & tamen non deſinit mulier ſterilis eſſe ſuo ipſius vitio: vt cum ſanguis menſtruus, qui alterum noſtræ generationis principium exiſtit, tenuis eſt plus æquo, aut ſemen paulo frigidius, ob frigidam teſtium intemperiem, aut quando os vteri paulo laxius eſt quam vt ſemen retinere aut concipere queat, ob tenuem quendam humorem quo madeſcit: aut cum os vteri non comprimitur, ſed hiat perpetuò ob partum magnum ac laborioſum qui præceßit.*

## APHOR. LX.

Ἢν γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ αἱ καθάρσιες πορεύωνται, ἀδύνατον τὸ ἔμβρυον ὑγιαίνειν.

*SI prægnanti purgationes menſtruæ curſum ſuum teneant, fœtum benè valere eſt impoßibile.*

DIximus plurimas venas peruenire ad vterum, quæ ab eadem diſtributione perueniunt in collum vteri. Sunt etiam à vena caua plurimæ ad fundum vteri. Fieri non poteſt in muliere grauida, vt ſanguis ab vteri fundo profluat, quia venæ vmbilicales in fœtu deſinunt in orificia acetabulorum, ea implantantur ſecundis, quæ rurſum reliquas duas membranas, totúmque fœtum complectuntur, & circundant, ita vt non poſſit effluere ſanguis ex vtero. Præterea orificium interius vteri prçcluſum eſt. Sed ſi ſanguis effundatur, oportet eum effundi per venas quæ perueniunt ad collum vteri, & ob id malè nutritus fœtus redditur debilior, quia pars alimenti quæ fluere debet ad ipſum fœtum per acetabula, diuertit ad ramos venarum quæ perueniunt ad collum vteri. Hipp. lib. de morb. mul. ait, quòd quibuſdam grauidis mulieribus hiat os vteri, vt menſes poſſint effluere: quod ſi ita ſit, fieri poteſt vt ſit è cauitate vteri. Item Ariſt. 5. de hiſt. anim. dicit quibuſdam toto geſtationis tempore fluere menſes: & hæ, inquit, pariunt fœtus paruos, imbecilles, parumque vitales. Ergo καθάρσιες, ſiue per collum vteri ſiue aliter effluunt vt è capacitate vteri. κάθαρσις propriè dicitur de purgatione menſtrua: Vnde καθαρτήρια dicuntur medicamenta quæ vterum repurgant & menſes promouent. Hip. hoc in loco vtitur numero plurali, quia ſi cui mulieri dũ geſtat vtero paucus ſanguis effluat, non eſt neceſſe fœtũ non recte valere, & parum vitalem eſſe. At ſi crebro, vt ſingulis menſibus, & copioſe fluat, non poterit eſſe ſanus fœtus. Sed aut corrumpetur, aut paruus erit, imbecillus, & parum vitalis.

## SCHOLIA.

*MVlieribus vterum gerentibus fluere poſſunt menſes citra vllum fœtus detrimentum, primo aut ſecundo conceptionis menſe, hoc eſt, ante τύπωσιν ipſius fœtus, nimirum ante triceſimum quintum aut quadrageſimum diem. At poſt perfectam typoſin, non item, ſaltem largà manu & repetito tempore fluere, quia inde ſuo genio fœtus defraudaretur. Nam ſæpe ſine vlla fœtus læſione paucus ſanguis ſemel atque iterum prægnantibus excerni conſpicitur. Quinetiam nouimus quandam mulierem grauidam, quæ ferme ad libras ſex abſque vllo fœtus detrimento excreuit, ſed ſemel tantū, non repetitis aliquot poſtea vicibus. Si enim ex Hipp. lib. de natura pueri, ſanguis ille, qui per totum geſtationis tempus in venis vteri retinetur in puella, ad libras ferme triginta accedat: in maſculo ad viginti duas, poterit eius aliqua portio citra vllam fœtus iacturam tempore geſtationis excludi: imò potius in eius commodum, vt qua fluxione magis defæcatur ſanguis ille retentus. Præterea ſi fœtus non ſit validus, ſed debilis, pauco alimento is indiget, ac proinde de ſuo demenſo aliquid detrahi abſque vlla noxa facilè feret, potiſsimum ſi mulieri, dum vterum non geſtaret, larga manu menſes ferebantur: largiore enim quam par ſit alimento ex ſanguine obruitur, ac velut ſuffocatur fœtus debilis, ac proinde abortit, non aliter quam puſillus ignis copioſa aquæ affuſione facilè extinguitur. Quo nominè prudentes medici huiuſcemodi mulieribus debiles fœtus gerere, ob idque prœmaturè abortire conſuetis, miſsionem ſanguinis ad tertium, aut quartum geſtationis menſem inſtituunt: vt ea arte de largiore copia ſanguinis menſtrui dematur aliquid, & quod eſt reliquum defæcatius reddatur. Nec vero, vt Galeno viſum eſt in commentario, purgationes iſtas menſtruas geſtationis tempore erumpentes, per venas eas quæ ad ceruicem vteri feruntur (per quas virgines ſin-*

*gulis menſibus purgari conſueuerunt) ferri neceſſe eſt: poſſunt enim etiam per venas vteri capacitatem ſubeuntes, ſaltem aliquas non planè occluſas, nec omnino fœtui membranis annexas, quæque fœtum non continent, nec illi ſanguinem pro alimento deferunt (non enim omnes venæ per quas menſes ad vterum deſcendebant, ad fœtum alendum perducunt ſanguinem) effluere: indeque per os vteri emanare. Si enim ſuperfœtatio fiat, quantumuis arctè conniuente ore vteri, poſt primam conceptionem: purgationes quoque menſtruas eadem via exitum ſibi moliri non eſt difficile: adde quod non eſt veriſimile tantam copiam, quanta aliquando apparet in vtero gerentibus, ex ſolis venis in ceruicem vteri deſinentibus effluere: Quin & Hippocrates libro de morbis mulierum ait, concluſo ceu complicato vtero menſes ſupprimi & occultari: quod verum eſſe non poſſet: ſi maior pars ſanguinis ex vteri ceruice, non ex fundo flueret.*

## APHOR. LXI.

ΗΝ γυναικὶ καθάρσιες μὴ πορεύωνται, μήτε φρίκης, μήτε πυρετοῦ ἐπιγενομένου, ἄσαι δὲ αὐτῇ προσπίπτωσι, λογίζου ταύτην ἐν γαστρὶ ἔχειν.

*SI mulieri purgationes non prodeant, neque horrore neque febre ſuperueniente, cibique faſtidium accidat, prægnantem eſſe putato.*

HIc Aphoriſmus eſt intelligendus de mulieribus, quæ ſingulis menſibus ſeruant ſtatam illam naturæ legem, & ſingulis menſibus repurgantur. Itaque ſi mulier quæ eo modo repurgatur, aduenientе tempore menſtruorum derepente, & ſine cauſa manifeſta non purgetur, indicium eſt eam grauidam eſſe, ſi modò

neque horror, neque febris ſequatur, cibos faſtidiat, cauentur oculi & mammæ paulatim turgeant. Nam ſimulatque conceptum eſt ſemen vtero, vterus contrahitur,& acetabula ipſa ſeſe colligunt, vt inhæreant ſecundis & aliis membranis quæ gignentur. Sic nihil iam poteſt effundi è capacitate vteri: ſed totus ille ſanguis conuertitur ad nutrimentum fœtus, & ob id nihil effluit. Itaque adhibitis his ſignis, & quæ iam commemorauimus, indicium eſt conceptus. Faſtidiunt autem cibos circa initia conceptus, quia parum ſanguinis cõfluit tum ad vterum. Qui quidem ſanguis cum iam vitioſus ſit, refluit ad ventriculi orificium, vnde fit cibi faſtidium. At in pica non item. Horror autem & febris fiunt ſuppreſſis menſibus., quia iam corpus vitioſis ſuccis ſcatet.

## SCHOLIA.

*Varia ſunt indicia concepti in vtero fœtus. Primum, oris vteri compreſſio mollis. Secundum, aqua mulſæ potus hauſtus tormina poſtea adſerens. Tertium, poſt vnum aut alterum menſem menſtruorum ſuppreſſio citra horrorem, & febrem: nam rigorem ſine febre fieri non poſſe dicit Hippocrates. Quartum, à ſuppreſſione menſtruorum cibi faſtidium, præſertim pica & malacia & frequentia ſputi. Si ergo ſupprimantur menſes ſine rigore & febre ſuperueniente, ſignum eſt fœtus concepti. Alias enim nunquam ſupprimi videas, abſque rigore & aliquando febre.*

## APHOR. LXII.

Ὀκόσαι ψυχρὰς καὶ πυκνὰς τὰς μήτρας ἔχουσιν οὐ κυΐσκουσι· καὶ ὁκόσαι καθύγρους ἔχουσι τὰς μήτρας οὐ κυΐσκουσιν· ἀποσβέννυται γὰρ αὐταῖς ὁ γόνος· καὶ ὁκόσαι ξηρὰς μᾶλλον καὶ περικαέας· ἐνδείᾳ γὰρ τῆς τροφῆς φθείρεται τὸ σπέρμα· ὁκόσαι δὲ ἐξ ἀμφοτέρων τὴν κρᾶσιν ἔχουσι συμμέτρως, αἱ τοιαῦται ἐπίτεκνοι γίνονται.

*Quæ frigidos & denſos habent locos, vtero non concipiunt. Et quæ præhumidos habent, grauidari nequeunt: extinguitur enim in ipſis genitura. Et quæ ſicciores & æſtuoſos: nam alimenti defectu ſemen corrumpitur. Quæ vero ex vtraque oppoſitione moderatam nactæ ſunt locorum temperaturam, eæ fœcunditate valent.*

Hipp. hic cauſas ſterilitatis enumerat:ſed non omnes. Nam & aliæ multæ ſunt in lib. de ſterilib. & de morbis mulierum.Sed oportet eas intelligere,priuſquam quis conſulat de conceptu. Ponamus hãc muliebrem ſterilitatẽ eſſe, oportet cauſam ſterilitatis & vitiũ cognoſcamus. Præterea animaduertamus an vitiũ illud poſſit corrigi.Deinde ſi poſſit,adhibeamus iuſta remedia.Primum ergo quòd attinet ad ſterilitatis cauſas,poteſt eſſe vitium in ceruice ſeu collo vteri, quia ſcilicet, hoc eſt aliquando obliquum, vlceratum, calloſum. Si quid hîc vitij,eſt oportet corrigere,&ita concipere poterit mulier.Quando collũ vteri eſt omnino incolume, veniemus ad vteri os.Nã quibuſdã mẽbrana quædã naſcitur & obtẽditur orificio vteri Eius meminit Hip.lib. de ſterilib.& conſumẽda eſt,& colliquanda.Vbicunque porro vitium eſt in collo aut ore interiore vteri, mulieres ſtatim à coitu reiiciunt ſemen. Præterea quibuſdam mulieribus perpetuò & ex peculiari natura concluſum eſt orificium vteri,niſi dum efflũt menſes.

His verò ex conſilio Ariſtot. imperabimus coitum, antequam ceſſent menſes, vt ſi menſtrua tres dies fluant, coeant 3. die. Sunt & alia vitia orificij vteri, quia aliquando diſtortum eſt, aliquando conuerſum ſurſum, ad latera: nonnunquam foras tendit ad ceruicem: aliquando inſunt vlcera, tubercula, callus: & ob id præcluditur via. Vbi in his omnibus nihil erit vitij, veniemus ad cauſas has Hipp. Aut enim vterus intemperatus erit, aut totum corpus erit in vitio. Si nihil horum omnium adſit, referemus culpam in virum. Cæterum, quemadmodum vbi volumus naſci & prouenire triticum, neceſſe eſt ſemen genitale eſſe: deinde tempeſtiuè & artificioſè ſeri, & poſtremo ſolum ipſum conuenire naturæ ſeminis: ſic in generatione hominis. Ponamus ſemen viri vitioſum eſſe, etiamſi ſolum ſit ferax, hoc eſt, mulier integra ſit & fœcunda, non tamen fiet conceptus. Ponamus ſemen genitale eſſe fœcundum, at oportet alimentum ſubeſſe quod & qualitate & quantitate conueniat, alioqui periculum eſt ne abortiat. Hoc loco ponimus nihil eſſe vitij in ceruice, nihil in ore inferiore, ſemen viri integrum ac genitale & tempeſtiuè euibrari in vterum. Quæcunque mulieres, inquit Hipp. frigidos & ſpiſſos habent vteros, non concipiunt. Frigiditas illa ſemen excludit. Nam in ſemine præter ſubſtantiam illam, eſt calor & ſpiritus à quo expectatur fermentatio ſeminis, & generatio. At ſi ſemen illud in frigidum vterum iniiciatur, extinguitur ſpiritus, & ita non fiet conceptus. Vel quia, propter frigiditatem illam & ſpiſſitudinem vteri acetabula conſtringuntur: quo fit vt non ſuccedat per eas venas alimentum iuſtum & conueniens, calidum ſcilicet & ſpirituoſum. Vel quia eadem acetabula per ſpiſſitudinem

riem non poſſunt ampliari, vt copulentur membranis & ſecundis. In his oportet relaxare & calefacere vterum per ſuffitus, prius tamen repurgato vniuerſo corpore. Humiditas quoque extinguit ſemen. Nam vt in locis paluſtribus & cœnoſis frumenta & legumina corrumpuntur: ſic ſemen etiam genitale in vteris pręhumidis, qui ſunt excrementis referti, corrumpitur. Eſt autem humidus vterus vel propria intemperie, & tum non poteſt corrigi: vel aduentitia, & corrigi poteſt, vt reſiccantibus. Hi vteri ſunt leues & lubrici: vt, ſtatim à coitu (vt quatuor aut 5. horis) ſoleant reiicere ſemen. At calloſus & ſpiſſus retinet ad 3. aut 4. dies: ſed poſtea reiicit. Siccitas item vteri conceptum impedit. Siquidem vt ſabuloſis locis & arenoſis nihil prouenit: ſic ſicciores vteri cum parum habeant alimenti, & humido deſtituantur, non concipiunt. Sunt ergo humectandi, vt ad temperaturam quandam reducantur. Quarta ſterilitatis cauſa eſt, caliditas, quia ſpiritum vitalem reſoluit, & ſeroſam ſanguinis menſtrui & ſeminis abſumit portionem. Hæ mulieres 2. aut 3. die poſt coitum ſemen reiiciunt ſiccum. Quæcunque vero ex vtriſque oppoſitionibus cal. frig. humiditate & ſicc. mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ ſunt, ſi nihil aliud vitij intercidat.

## SCHOLIA.

*Variæ ſunt cauſæ ſterilitatis: Prima ac potiſsima pendet ab intemperie vteri, qui hortus eſt generationis. Quæcunque igitur mulieres frigido ac denſo ſunt vtero, non concipiunt: quod prolifica vis cæleſtis calor, qui in ſemine ineſt, frigore*

*vteri infringatur, vteri frigida intemperie labefactetur, materiaque ipſa corrumpatur, ac omni motu ac nutricatu deſtituatur, ſecundarum generatio, coactis vteri vaſis, prohibeatur: ac tales mulieres raro in coitu ſemen excernant, menſtrualémque materiam alterum generationis principium ſuppeditent. Prahumidi quoque vteri non concipiunt: Qui vero temperate humidi, poſſunt concipere: ſi adſit ſemen virile paulò ſiccius, à cuius ſiccitate vterus humidus emendetur. Qui etiam ſunt adurentes vteri infœcundi manent: quòd ſemen vtrunque torrefaciant. Tales ſunt in viraginibus, quæ paucos menſes edunt, ſæpe omnino carent, ideoque nunquam fere concipiunt. Has autem vteri intemperatutas, quæ potiſsimæ ſunt cauſæ ſterilitatis, dignoſces per ſuffitum aromatum. Frigidus enim vterus ſuffitûum odorem extinguit: humidus eundem ſuffocat: calidus eundem diſsipat: ſiccus eundem perdit. Nam odor in tenui & humida quodammodo ſubſtantia ſubiectus eſt: quam frigiditas condenſat, humiditas ſuffocat, caliditas tollit rarefaciendo, ſiccitas perdit exiccando.*

## APHOR. LXIII.

Παραπλησίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἀῤῥένων· ἢ γὰρ διὰ ἀραιότητα τοῦ σώματος τὸ πνεῦμα ἔξω φέρεται, πρὸς τὸ μὴ παραπέμπειν τὸ σπέρμα, ἢ διὰ τὴν πυκνότητα τὸ ὑγρὸν οὐ διαχωρέει ἔξω. ἢ διὰ τὴν ψυχρότητα οὐκ ἐκπυριᾶται. ὥστε ἀθροίζεσθαι πρὸς τὸν τόπον τοῦτον, οὐ διὰ τὴν θερμασίην τὸ αὐτὸ τοῦτο γίνεται.

*Par eſt de maribus ratio. Aut enim ob corporis raritatem ſpiritus foras diſsipatur, ita vt genituram eiaculari nequeat: aut propter denſitatem humor foras non proſilit: aut propter frigiditatem non incenditur vt eo loci coaceruari non poſsit: aut propter caliditatem. Hoc idem ipſum vſu venit.*

HÆc ſententia reprobatur tanquam ſpuria & ſuppoſititia, & merito quidem, quia non poteſt huic rei conuenire. Sed debemus ſeruare eandem methodum, quam ſuperiore Aphoriſmo. Vt ſit vir genitalis, oportet inſtrumenta genitiua naturaliter habere. Primum vt pudendum non ſit decurtatum natura vel caſu, vt non poſſit eiaculari ſemen in vterum. Non ſit etiam (vt dicebamus de collo vteri) obortum & inflexum. Vitium illud primum corrigi non poteſt: alterum poteſt. Vidimus qui membro ita obtorto non poterat gignere: quod ſemen ſemper reſtitaret in ceruice vteri. Huic paratus eſt canaliculus plumbeus, vel argenteus accommodatus craſſitudini ipſius penis, in quem immiſſo pene circumpoſitæ & alligatæ ſunt ciſtellæ, ita vt tandem figuram membri rectam ac naturalem recuperarit, & genuerit. Vbi nullum eſt vitium in membro genitali, videndum an ſit in partibus ſeminalibus, vt in caſtratis. Non quod vis generandi ſit in teſticulis, neceſſariumque ſit cui exectus eſt teſticulus non poſſe gignere. Ariſtoteles enim ait eſſe animalia quædam quæ generent ſine teſticulis: Et apud Vitruuium fit mentio tauri, qui exectis teſticulis ſtatim coiit & generauit, & ſpadones generant, modò relicta ſit pars ſuperior teſticuli. Eunuchi emittunt ſemen, ſed non gignunt. Qui fit igitur vt caſtratus non generet? quia fortaſſis in caſtratione vaſa abſcinduntur: & ob id retrahuntur & reuelluntur, vt non ſit continuitas viæ ſpermaticæ ad peraſtatas, vt ſcribit Gal. περὶ γονῆς. Si igitur ſuperior pars teſticuli remaneat cũ vaſis ſeminariis integris, vt ſit illa cõtinuitas, poterit quis generare, etiã

abſque teſticulis. Iam, ſi neque in pudendo neque in vaſis eſt vitium, videndum an ſit in ſemine. in hoc vitium eſt, quia vel liquidius eſt, feroſius, acrius, vel crudius, vt in ebriis, qui ob id non generant, teſte Ariſtotele. Præterea, cum qualis eſt ſanguis, tale ſit & ſemen, ſi ſit vitioſus ſanguis, erit & vitioſum ſemen, neque generare poterit. Ad hæc aliquando viri natura non eſt accommodata naturæ mulieris, nec ſemini ſemen. Quare neceſſe eſt, vt temperamento conueniant. Multas videre eſt mulieres, quæ ex vno viro concipiunt, ex altero non concipiunt. Aliæ ſunt cauſæ ſterilitatis virorum in hoc Aphoriſmo cum ait, *aut propter raritatem ſpiritus extra.* Qui raro ſunt corpore ſunt humidiore temperamento, nec tamen ſequitur eſſe ſteriles. Iam ſpiritus eſt permiſtus ſemini. in eo vis eſt formatrix. is eſt generationis principium & cauſa efficiens cum Gal. Ariſtoteles vult principium motiuum ſeminis (in problematis) & cauſam impulſionis eiuſdem: ſed non propriè. Iſtud quidem verum eſt magnam eſſe vim in ſpiritu: & quò magis ſpirituoſum ſemen eſt, eo magis impellitur, & facilius celeriúſque emittitur. Verum principium motiuum ſeminis eſt in membris genitalibus intenſis, in ſpermaticis vaſis & paraſtatis. Humor non exit, id eſt ſemen. neque id raritas neque denſitas faciunt. *Propter frig.* Semen ſi ſit frigidius non poteſt in vtero concaleſcere.

## *SCHOLIA.*

*QVæ hic cauſæ ſterilitatis in viris adferuntur, non videntur redolere doctrinam atque grauitatem Hippocratis: proinde expungendus Aphoriſmus. Viri autem fiunt*

*ſteriles quinque ob cauſas. Prima eſt, temperatura, paulò frigidior ad generationem prorſus inepta: Etenim calor natiuus author eſt artifexque præcipuus fœcunditatis, vt qui in ſemine habitat, & nuſquam magis quam in ſemine offenditur. Secunda, vicioſus aliquis affectus in toto corpore aut parte aliqua nobili, vt corde, cerebro, hepate, liene, ventriculo, à quibus vis prolifica manat. Tertia, vitium in ſemine: viri enim ſemen multò calidius quam generationi ſit ex vſu: aut frigidius & tanquam glaciatum: aut humidius, tenuius, aquoſius, fluidius, ob id ſtatim ex vtero defluens, quale ſenum & valde puerorum, ebrioſorum, helluonum: aut craßius & ſiccius, eſt infœcundum. Multus item adoleſcentis coitus ſemen reliquis ætatibus imbecillum aut corruptum efficit. Coitus cum puella nimis puſilla proprietate quadam ſemen corrumpit: vſus frequens aut admotio rerum quarundam, vt Caphuræ, ſcammæ ferri, vermium noctu lucentium, opij, hyoſcyami, cicutæ, mandragoræ. Quarta, vitium vaſorum ſpermaticorum, teſtium & penis. Penis viri inæqualis collo uteri, hoc eſt longior, breuior, amplior, gracilior, mollior, & qui rigat, non intrat: Penis obliquus, aut curuus, qualis eſt ſpadonum: paralyticus meatum habens obſtructum. aut compreſſum ob tumorem aliquem præter naturam. Teſtes frigidi ac humidi, puſilli, contuſi, quales ſunt thlibiarum, male conformati, vlcerati, vulnerati, conuulſi, obdurati, tumefacti, intra ventrem adhuc conditi pracipue ambo (quod multis adeſt ac fere primis coitibus deſcendunt) reſoluti, & omnium maxime ob hernias vel cauſas alias excecti ambo: nam altero manente fœcunditas perſeuerat: vaſa ſperma deferentia (paraſtatas vocant medici) obſtructa aut oppreſſa violata ob exciſionem calculi, aut etiam ſpermatica. Quinta, vitium partium ad generationem conferentium, venæ*

*enim & arteriæ iuueniles dictæ poſt aures ſitæ, ſi vulnere, aut ab imperito chirurgo tranſuerſæ ſecentur, quia teſtes cerebri communione priuant, vt ab eo nec ſpiritum animalem nec ſeminalem portionem recipere poßint, ſterilitatem adferunt.*

## *APHOR. LXIIII.*

Γάλα διδόναι κεφαλαλγέουσι, κακόν· κακὸν δὲ καὶ πυρεταίνουσι, καὶ οἷσιν ὑποχόνδρια μετέωρα διαβορβορίζοντα, καὶ τοῖσι διψώδεσι· κακὸν δὲ καὶ οἷσι χολώδεες αἱ διαχωρήσιες καὶ ἐν τοῖσιν ὀξέσι πυρετοῖσιν ἐοῦσι, καὶ οἷσιν αἵματος πολλοῦ διαχώρησις γέγονεν. Ἁρμόζει δὲ τοῖσι φθινώδεσι μὴ λίην πολλῷ πυρέσσουσι διδόναι γάλα, καὶ ἐν πυρετοῖσι μακροῖσι, καὶ βληχροῖσι, μηδενὸς τῶν προειρημένων σημείων παρεόντος, παρὰ λόγον δὲ ἐκτετηκόσι.

*Lac præbere capite dolentibus, febriculoſis & quibus hypochondria elata aut murmurantia, & ſiticuloſis, malum. Malum item quibus bilioſæ deiectiones, febres acutæ & copioſa ſanguinis vacuatio facta eſt. Conuenit vero tabidis non admodum valde febricitantibus & febribus longis & languidis, dum nullum ex ſupradictis ſignis adſit, & præter rationem extenuatis.*

Hippocrates hac ſententia docet commoda lactis & incommoda: quia fuerunt medici qui ſine ratione & inconſultò lacte vtebantur. Fuit Diocles quidam, qui non alia re conualeſcentes ægros renutriuit primus, quàm lacte mixta aqua. Ad hæc efficiebat conſuetudo, vt multus eſſet vſus lactis. Alij vtebantur lacte in capitis doloribus, quod idem Hippocrates reprehendit. Nam tum potius aqua vtendum eſt. Aliis lactis vſus placebat in feruore ſanguinis. Cæterum intelligere oportet lac (quod multiplex eſt pro anni

temporibus, & magis pro vario genere animalium) conſtare triplici ſubſtantia, caſeoſa, butyroſa, & ſeroſa. Non tamen lac omne ex æquo has tres ſubſtantias complectitur. Nam bubulum lac plus habet caſeoſæ ſubſtantiæ, quàm butyroſæ, aut ſeroſæ. Lac aſininum plus ſeroſæ quàm caſeoſæ aut butyroſæ. Ob id à Gal. dicitur tenuiſſimum, non quod omnino ſit tale (nam aliquando camelinum tenuius eſt, & equinum:) ſed quia inter genera lactis, quibus vtuntur medici, non eſt vllum magis tenue & liquidum, cenſetur ob id tenuiſſimum, ſi cum bubulo conferatur. Lac caprillum tenet medium inter bubulum & aſininum, vt quod non habeat plus caſeoſæ ſubſtantiæ, quam ſeroſæ & butyroſæ, nec contra: Sed quia cogitur in ventriculo, nec ita facile diſtribuitur, & deſcendit, non eſt tam tutum quàm aſininum; cui vel prima laus tribuitur, quòd non coaguletur in ventriculo, nec immoretur: ſed ſtatim diſtribuatur, ob ſeri copiam: idem maxime humectat, & ita reſiccatis eſt conuenientiſſimum. Verum, quia eius lactis vſus frequenter incidit apud medicos, ſciendum eſt, quale debeat eſſe, & quibus conueniat, & quibus non. Primum debet eſſe ſplendidiſſimum, tenuiſſimum, & quam dulciſſimum. Gal. 7. meth. dicit oportere aſinam eſſe florentis ætatis, vt in 10. aut 12. anno. præterea bene habitam eſſe; veſci fœno & hordeo: Tum poteſt vti pratis, modò pabulum inde non ſit humidius (vt in locis paluſtribus) aut ſiccius: Sit exercitatio mediocris: fricetur ſtrigilibus, mundetur. Ad hęc vidėdū (vt fit in mulieribus) vt neque lac ſit recens neque vetuſtū. Aſina lactat pullū duos annos: lac vitioſū eſt primis & poſtremis mėſib9. Cū ergo lacte eo volueris vti, pullus die rātū lactetur, non etiam

noctu. Nā primis menſibus, pullus diu noctúque lactatur, 2. anno, die tantum: deinde labori datur: oportet igitur ſubtrahere pullum non omnino (ſic enim ſiccaretur lac (: ſed noctu tantum mane emulgenda eſt aſina. Oportet autem ita emulgeri, tum à pullo interdiu, tum à nobis, ne nimis habeat lactis. Suctus enim frequens (quod in mulieribus experimur) efficit vt & lac ſit copioſius & melius. Supereſt ſcire quibus eſt commodum lac & incommodum. Lac, inquit Hippocrates, dari in capitis doloribus, malum. Ob id libro de morbis mulierum reprehendit eos qui tum lac dandum eſſe putabant, cum danda ſit potius aqua. Lac duplici ratione, quia ſubſtantia caſeoſa flatuoſa eſt: & quia butyroſa edit vapores. Itaque ſi flatibus repletur ventriculus, & hypochondria & caput calidis vaporibus, augebitur dolor. *Febricitant.* Acute inquit Philotheus, lac non debet dari impuro ventriculo, alioqui corrumpitur: atqui in febribus ventriculus eſt impurus. Ergo non eſt dandum. Secundo in calore magno ventriculi & mediarum partium corporis & in magna refrigeratione non eſt lac dandum. Siquidem à frigido aceſcit: ſi accurrit immodico calori corrumpitur, & efferuntur fumi & vapores à ſubſtantia butyroſa, quæ etiam prompte in bilē vertitur: atque ita aucta materia, augetur & æſtus febrilis. *Hypochondria ſublata.* Id eſt inflata murmurāt. Hippocr. multis in locis prohibet lac etiam aſininum, vbi inflata ſunt hypochondria, vbi ſplen intumuit, vbi ſibilant aures. Rationes ſunt dictæ ſupra. In fine 4. Epid. habemus hiſtoriā de quodā, qui ab immodico vſu lactis incidit in borborygmos. Fiunt autē hi, vbi humiditati

& liquidis excrementis permixti ſunt flatus. *Sitibundis.* in febre, ait Celſus, hæc ſitis oritur ex immodico calore ventriculi & partium quæ ſunt circa ventriculum. Si igitur exhibeat lac, corrumpetur, & in nidores & fumos vertetur. *Nocet etiam quibus in acutis.* Inuenimus veteres medicos vſos eſſe lacte, vt temperarent & retunderent acrimoniam humorum. vnde Hippo. exemplo, in acribus fluxibus, vt dyſenteriis, immiſcemus clyſteribus, & experimur non parum prodeſſe. At in magna inflammatione oculi quæ repræſentat febrem ſi lacte vtamur, intumeſcet & augebitur inflammatio, quia butyroſa pars à vehementi illo calore accenditur. Poſſumus igitur lacte vti in bilioſis fluxionibus, vt acrimonia retundatur. ſed duæ ſunt exceptiones: vtendum eſt, niſi fluxio fuerit cum acuta febre, & niſi in particularibus inflammationibus, ac parte multum inflammata, fuerit & fluxio. Lacte enim etiam muliebri læduntur magiſque inflammantur oculi inflammati. *Et quibus ſanguis.* Fuchſius putat hoc à quopiam adiectum, ſed falſum eſt. nam nunquam (inquit Hipp.) debemus dare lac exanguibus & male coloratis. Sed ſi multa fuerit vacuatio, & inde reddatur corpus male coloratum, debemus regenerare bonum ſanguinem. nihil autem eſt quod meliorē ſanguinem gignat quam lac. facile præterea alteratur, concoquitur & diſtribuitur. quare commodum eſſe videtur etiam exanguibus. Sed intelligendum eſt de iis exanguibus, in quibus tanta ſanguinis vacuatio facta eſt, vt ea corpus refrigeretur, necnon ventriculus. Ob id metuit Hipp. ne in ventriculo nimium refrigerato aceſcat lac. Deinde, quia venæ ſanguine vacuato conniuent, vt non poſſit lac ſubire earum anguſtias. Ad hæc, quia neceſſe eſt ex

ea vacuatione immodica vim coctricem imbecillem effectam eſſe. Quid igitur agemus? vbi ea vacuatio præceſſit, animaduertemus an æger bene concoquat. Si coquit, dabimus lac: ſi non coquit, ſed corrumpatur lac, non dabimus. Si aceſcit, calefaciemus ægrum: deinde ad lac redibimus. Sed videndum, an lac corrumpatur aut aceſcat ſuo vitio, an ventriculi, qui ſit imbecillus, an humorum in ipſo ventriculo contentorum. Tollamus cauſam: tum tuto dabimus. nō eſt ergo dandū lac, quibus multa ſanguinis euacuatio facta eſt, quia ſcilicet inde coctrix infirma redditur, venæ anguſtiores, ventriculus imbecillus. *Confert autem tabidis.*) Lac aſininum in hiſtoria Euryphontis & aliorum qui tabidi erant, probat Galenus, quia cum ſeroſum ſit, repurgat vlcera pulmonis, modo ne multum (inquit) febricitent: quia tum lac corrumperetur & conuerteretur pars butyroſa in vapores: vnde fluxio in pulmones maior. *Et præter rationem extenuatis.*) ſiquidem ventriculus poſſit concoquere. Cæterum virginibus, & quibuſdam mulieribus, quæ à ſuppreſſis menſibus extenuatæ ſunt, & contraxerunt aliquid vitij in ſanguinem, cōuenit etiam lac aſininum: tum quia aluum ſubducit propter ſerum, maximè ſi iniiciatur parum ſalis & ſaccari aut mellis: tum quia repurgat vitium ſanguinis, vt non ſine ratione creditum ſit à veteribus medicis lacti vim ineſſe repurgandi ſanguinis. Præterea, quia lac aſininum contra podagram, chiragram, alioſque morbos articulares plurimum faciat (vt teſtatur Plin.) conuenientiſſimum erit extenuatis à lue venerea: primum quia inde fere laborant quibuſdam doloribus articulorum. Deinde cum ſint extenuati, lac vtpote humidiſſimum magnopere conducit vt reficiantur. Ter-

gio ſi quid malignæ qualitatis relictum eſt ab hydrargyro, lac habet aliquid peculiare contra malignitatem hydrargyri, teſte Dioſcor. magiſque hîc conferet quam Guaiacum quo vulgo vtuntur. Quinetiam lac ſenium prohibet, & rugas tollit, colorem quendam roſeum candoremque ac mollitiem cutis conciliat: qua in re prima laus eſt lacti muliebri: deinde aſinino. ob id ferũt Pappæam (ni fallor) Claudij Neronis vxorem educare ſolitam centum aſinas, ex quarum lacte ſibi quotidie parabat balneum ad candorem & mollitiem cutis. Vt autem lac facilius diſtribuatur, & nutriat celerius, nec aceſcat in ventriculo, valde probatur fœniculum aut aniſum ſaccaratum lacti iniectum. ſaccar enim magnam videtur habere familiaritatem cum lacte, prohibetque ne aceſcat & corrumpatur.

## *SCHOLIA.*

*Lactis vſus commoda atque incommoda recenſentur. Lac enim optimum in ſuo genere, quale eſſe poteſt aſininum, licet noſtræ naturæ ſit familiare ac ſalubre alimentum, quòd ſit temperatum, tenui ſubſtantia præditum, concoctu facile, facilem ac celerem nutritionem ſuggerat, bonum ſuccum generet, bonam carnem meliorem reddat, acres humores temperet, ac expurget, aluum efficiat moderatam: tamen eius vſus noxa non caret. eſt enim noxius capite dolentibus, quòd inter coquendum multum vaporem à ſe mittat. vnde capitis grauitas ac dolor augeſcit febricitantibus febre acuta, ob calorem febrilem, à quo lac bileſcit, amareſcit & in nidorem conuertitur: quemadmodum in frigido ventriculo aceſcit: Adde quod lac purum ventriculum & ab omni excremento omnique alio cibo, vacuum requirit: tam facile etenim*

*alterius ſocietate corrumpitur, adeo vt neque aërem ferat, neque ſumptum ſtatim vllum corporis motum patiatur. nocet item hypochondriis phlegmone, aut eryſipelate aut ſcyrrho aliove tumore tumentibus, quòd in iis obſtructione laborantibus retentum citiſsime corrumpatur. Iſdem quoque murmurantibus ac ſuſpenſis hypochondriis, quòd flatulentum ſit. Siticuloſis, ob bilis in ventriculo prouentum, à quo bileſcit. Bilioſis deiectionibus, quòd bilem augeat, fluxumque moueat. Cruentis quoque deiectionibus, non quæ adhuc fiunt, ſed iam factæ ſunt: nimirum per quas tanta ſanguinis profuſio facta fuerit, vt totus corporis habitus parteſque nutritioni dicatæ refrigeratæ ſint, à quo frigore vel potius languido calore, lac aceſcit. Confert autem plurimum lactis vſus, his qui ſola laborant ſiccitate: aut certe magis ſiccitate quàm caliditate aut frigiditate: vt hecticis, aut tabidis ab exulceratis pulmonibus: quòd ſua ſeroſitate, ſerum tum ex toto corpore, tum ex parte vlcerata detergeat, & ſua craßitie ac pinguedine membris nudis acres humores influentes non ſinat occurrere: vlcus quoque conglutinet, febribus etiam lentis, ac longis, ſuaque diuturnitate corpus extenuantibus: dummodo his nec ſitis adſit vehemens, nec ſuſpenſa ſint hypochondria, nec bilioſum alui profluuium, nec cruentæ deiectiones vrgeant. His quoque qui præter modum ſunt extenuati per virium infirmitatem, ſucci alibilis vicium & diſtributionem non facilem. Non item his, qui atrophia laborant, quibus ſolidius alimentum vtilius quàm liquidum. Hæ autem in vſu lactis ſunt ſeruandæ cautiones, vt nuperrime mulctum & adhuc tepidum bibatur: manè, vacuo ventriculo: aluoque ac veſica exoneratis: nullus cibus ingeratur donec illud exacte concoctum ſit, alioquin, ſi nondum eo confecto nouum alimentum aſſumatur, præterquàm quòd ipſummet putreſcet, etiam quicquid adieceris ſimul corrumpet: quieſcendum laborique parcendum ab eius potu, aut ſane deambulandam ſenſim, interiectis*

*quietibus: os colluendum ex vino albo aqua diluto, vt quicquid ab eo caſeoſum dentium inteſtitiis inſeritur detergeatur, & gingiuæ ab eroſione ac putredine vindicentur. non vero ſuperdormiendum, niſi ſumma ventriculi partiumque nutritioni dicatarum imbecillitas poſtulet: tum ſomnus conferet, quo eius concoctio natiui caloris contractione melior fiat, & in corporis habitum maiore alimonia tranſeat.*

## *APHOR. LXV.*

ΟΚόσοισιν οἰδήματα ἐφ᾽ ἕλκεσι φαίνεται, οὐ μάλα σπῶνται, οὐδὲ μαίνονται· τουτέων δ᾽ ἀφανισθέντων ἐξαίφνης, τοῖσι μὲν ὄπισθεν σπασμοί, τέτανοι, τοῖσι δ᾽ ἔμπροσθεν μανίαι, ὀδύναι πλευροῦ ὀξεῖαι, ἢ ἐμπύησις, ἢ δυσεντερίη ἢν ἐρυθρὰ ᾖ τὰ οἰδήματα.

*QVibus ſunt cum vlceribus tumores conſpicui, ij non admodum conuelluntur aut inſaniunt. Quibus verò repente euanuerint, ſiquidem poſtica parte factum ſit, conuulſiones & tetani accidunt: ſi vero à fronte, inſania, lateris dolor acutus, empyema & dyſenteria ſi rubicundi fuerint tumores.*

OΙδήματα dicuntur omnes tumores præter naturam Hippo. in vlceribus ij raro apparent, fiunt tamen nonnunquam propter confluxum materiæ vitioſæ. natura enim vbi habet viam apertam, quicquid eſt vitioſum per eam demittit. At via illa relicta ſi alio confluat materia, periculum eſt ne fiat conuulſio, inſania &c. Si ergo ij tumores euaneſcunt repente, id eſt, ſine cauſa manifeſta, quia non diſcutiuntur, reſoluuntur, vacuantur per locum aliquem: quibus quidem vlcera fuerint à tergo (magis ſcilicet neruoſo) & reliquis partibus neruaceis, fiunt conuulſiones, tranſlata, vti diximus, materia in partes neruoſas. Quibus verò an-

teriori parte ( quæ magis venoſa & arterioſa eſt ) accidunt maniæ, quia per arterias & venas carotides & iugulares fertur materia in caput. Si materia conuertitur ad latus, fiet pleuritis. Si materia non diſcutiatur, ſed vertatur in pus, quod effluat in ſpatium thoracis, fiet ſuppuratio. At facta tranſlatione humorum ad inteſtina fiet dyſenteria, ſanguinea ſcilicet, ſi tumores fuerint rubri, id eſt, ſanguinei.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon de vlceribus ac vulneribus. Quibuſcunque in vlceribus atque vulneribus, tumores, præſertim molles & laxi, apparent: vt facies prætumida in capitis fractura: non facile conuulſio nec inſania ſuboritur: quòd nimirum, qui ad partem vulneratam aut vlceratam ſanguis, ſpiritus, potiſſimum vero humores confluebant, non alio viam affectant, nec ad neruos, vnde conuulſio, nec ad cerebrum, vnde inſania ſuboriretur: ſed in partem affectam perpetuò illabuntur. At verò, ſi illi tumores euanuerint, non manifeſta euacuatione, partemque affectam repente reliquerint, vt inaſpectabilis vacuationis excuſatio omnis tollatur, ſignificatio eſt materiam intro refluxiſſe antequam cocta ſit, aut reſoluta, aut à corpore vacuata: idque vel ad partem aliquam principem, vnde funeſtus aliquis exitus expectandus: vel in partem corporis poſteriorem, vtpote in dorſum, vnde nunc conuulſiones ſi materia muſculos contrahentes obſederit, nunc tetani, ſi materia neruos extendentes occuparit: vel in partem corporis anteriorem, quæ venis & arteriis abundat: ita vt ſi ad partes ſuperiores feratur materia tumoris euaneſcentis, offendaturque cerebrum, excitetur inſania, aut aliquod aliud delirij genus: ſi ad partes intermedias, vtpote thoracem, pleuritis; & à pleuritide non in-*

*tegrè per expectorationem diſcuſſa ob vires à priori morbo plurimum labefactatas empyema ſuſcitetur. Si ad partes inferas, vtpote inteſtina, dyſenteria bilioſa ab eryſipelate aut alio tumore bilioſo euaneſcente: vel cruenta diarrhœa à tumore ſanguinco euaneſcente, inuehitur.*

## *APHOR. LXVI.*

HN τραυμάτων ἰσχυρῶν ἐόντων καὶ πονηρῶν οἰδήματα μὴ φαίνηται μέγα κακόν.

*SI magnis vulneribus & prauis tumor non appareat, ingens malum.*

INgens poteſt referri ad œdema & ad malum. *magnis & prauis.*) periculoſis, nimirum quæ ſunt in partibus neruaceis, vt in finibus muſculorum, & capitibus. In ſumma, quæ ad articulos ſunt vlcera, ea ſunt praua. Ingens igitur malum eſt, quia ſi in parte neruacea vlcus eſt, excitabitur grauis dolor: à dolore, magna fluxio: à qua tumor. Quod ſi nullus appareat tumor, indicium eſt fluxionem, quæ fieri debébat in partem dolentem, diuertiſſe ad partem aliquam nobilem. Hæc fluxio fit aliquando ſponte, aliquando propter peccatum medicorum, qui ad leniendum dolorem refrigerantia & repellentia adhibent. Immò in parte neruoſa vtendum eſt potius lenientibus & anodynis, quæ ſunt temperato calore prædita.

## *SCHOLIA.*

*ALiud prognoſticon de vulneribus aut vlceribus. Si in vlceribus magnis, hoc eſt longis, latis & profundis: aut*

*prauis, dignitate partis, vt quæ partem aliquam nobilem, aut quæ caput vel finem muſculorum, cum omnium, tum maximè neruoſorum ſunt accepta: vel prauitate humoris atque materia, tumores qui ſunt laxi & molles non appareant, malum ingens: quia ſignificatur naturæ infirmitas, humoriſque praui in aliam partem deriuatio.*

## APHOR. LXVII.

TA' χαῦνα χρηστὰ, τὰ δὲ ὠμὰ, κακά.

*TVmores molles, boni: crudi vero mali.*

GAlenus ſuprà calidum ſuppuratorium dixit non eſſe timendum, vbi vlcus ſuppurat. Per molles ergo tumotes intelligit eos, qui vergunt ad ſuppurationem. Si verò duri ſunt, indicant cruditatem materiæ & contumaciam, vt ſunt cancri in mammis, qui nunquam ſuppurant. Sic bubones venerei ſi molles ſint, bonum: ſin duriores, luem illam Hiſpanicam portendunt.

## SCHOLIA.

*EXplicatur quales tumores laudabiles aut illaudabiles in vulneribus aut vlceribus apparere aut euaneſcere ſoleant. Tumores quidem molles, laxi, & qui ab extenuatione materiæ per concoctionem aut ſuppurationem ſubſident, ceduntque prementibus digitis, boni ſunt & laudabiles: quia concoctam ac in pus verſam materiam, indeque bonitatem materiæ & facultatis partium coctricis robur indicant. Tumores vero crudi, qui facultati coctrici non cedunt, renituntur que tactui prementi, mali.*

APHOR.

## APHOR. LVIII.

ΤΑ' ὄπισθεν τῆς κεφαλῆς ὀδυνωμένῳ, ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλὲψ τμηθεῖσα ὠφελεῖ.

*E Parte capitis poſteriore laboranti, in frontem recta excurrens vena inciſa prodeſt.*

Scribitur hæc ſententia ab Hipp.lib.6.Epidem. quia quidam cum laborarent dolore capitis in parte poſteriore,ſecta vena frontis conualuerunt. Conſtat autem & expeiientia, quòd hæc phlebotomia conducit: quippe cum multi deiepente inde liberentur à doloribus capitis. Sunt qui interpretentur de inueteratis & vehementibus doloribus capitis, neque putant ſecandam eſſe venam in fronte,niſi prius ſecta vena in cubito:hoc non eſt vniuerſale. Nam Hipp.ſtatim ſecuit venam frontis. præterea hoc remedium reuulſorium eſt & topicum. Reuulſorium, quia quod hæret in parte affecta reuellitur. Topicum, quia parti affectæ nempe capiti adhibetur. Oportet diſtinguere, vt ratio oſtendit. Si dolor eſt in capite cum corporis plenitudine, oportet primum à cubito incipere, deinde, ſecare venam frontis. Secundo oportet conſiderare,an is dolor ſit primarius affectus, an per conſenſum excitetur. Nam ſi per cōſenſum, oportet prius vti reuulſoriis per venas inferiores, quæ videlicet capiti communicent, vt in ſuppreſſis menſibus primum ſecunda vena malleoli, deinde cubiti, tum frontis. Si cœperit dolor à diaphragmate, aut hepate, aperienda vena cubiti, poſt veniendum ad frontem. At ſi nulla eſt plenitudo, ſi primaria ratione dolet caput, tutò venam frontis ſtatim ſecabimus. Intelligendm ex anatome eſſe venas quæ à iugularibus per partem poſteriorem capitis ve-

niunt ad anteriorem. Cum itaque hæc vena frontis ſit quidam ramus earum venarum, quæ pertranſeunt ſinciput & tempora vtrinque, magnum habet conſenſum cũ poſteriore parte capitis. hoc intellecto, facile eſt videre an dolor capitis poſterioris ſedari poſſit ſectione venæ in fronte. Venam autem frõtis rectam vocat, quia recta à parte poſteriore capitis & ſyncipite deſcendit ad μεσόφρυον: non autem rectam, propter rectitudinem fibrarum & filamentorum. Nec etiam recta dicitur, quia (quod reprehendit Gal.) oporteat recta linea incidi, immo aperienda eſt incidendo non pungendo primum, ne ſi id pungendo facies pars extrema phlebotomi accurrens vicino oſſi rumpatur, & illic maneat: vnde non parum incommodum. Deinde, ne membrana περιόστιος conuulneretur. Sed antequam incidas, iniiciendi ſunt collo laquei ſubiecta lana. Collo enim conſtricto intumeſcent venæ carotides & iugulares antè, deinde aliæ. Alij faſcia cingunt caput ad ſupercilia.

## *SCHOLIA.*

*Conſilium therapeuticum pro medendis doloribus capitis. Qui poſteriorem aut anteriorem capitis partem obſidet dolor, qui cauſam habeat non à iecore, aut vlla ex parte corporis, ſed in capite iam fixam & ſtabilitam, curandus ſecta vena ex oppoſita parte: ex occipite quidem, ſi frontem dolor fatiget, non ſane ad reuulſionem, ſed ad vacuationem materiæ iam contentæ in fronte non adhuc in frontem aliunde influentis: ſi enim reuulſionis gratia ſecanda eſſet vena in dolente fronte, non ex*
a *occipite ſed ex brachio aut alia parte ſecanda eſſet. Sic enim in doloribus oculorum, occipitium ſcarificamus, incidimus, aut cauterio exulceramus, veſicatoria pone aures admouemus, ſe-*

*tonem per ceruicis muſculos traiicimus. Si vero dolor aliquis occipitium exerceat, curandus ſecta vena in fronte: prodeunt enim duo rami à iugalaribus, quorum alter ad occiput, alter ad frontem fertur: per quos ramos communio quadam eſt inter priora & poſteriora capitis.*

## APHOR. LXIX.

Ῥίγεα ἄρχεται γυναιξὶ μὲν ἐξ ὀσφύος μᾶλλον, καὶ διὰ νώτου ἐς κεφαλήν. ἀνδράσι δὲ μᾶλλον ὄπισθεν ἢ ἔμπροσθεν τοῦ σώματος, οἷον ἀπό τε πηχέων καὶ μηρῶν. ἀτὰρ καὶ τὸ δέρμα ἀραιόν· δηλοῖ δὲ τοῦτο ἡ θρίξ.

*Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorſum perueniunt in caput: ſed & viris parte corporis poſteriore magis quam anteriore, veluti ex femoribus & cubitis. Indicio eſt cutis raritas, quam ipſam pilus oſtendit.*

Ῥίγεα. Hipp. vt ante diximus non ita diſtinguit. nam nomine rigoris intelligit, & rigorem propriè dictum, & horrorem & frigus. Sic lib. 6. Epid. ponit ῥίγεα, ſed poſtea addit τὰς φρίκας, id eſt, horrores. hæc ſententia conſtat experientia & ratione, quia partes poſteriores cum plus habeant neruoſæ ſubſtantiæ quam anteriores (quæ ſunt magis veneſæ & arterioſæ) non immerito frigore facilius afficientur. ῥίγεα igitur incipiunt mulieribus quidem (quæ natura viris ſunt frigidiores) à lumbis magis, id eſt, muſculis lumbalibus, & per dorſum perueniunt ad caput, conſentiente cerebro toti generi neruoſo. Sed viris, incipiunt à parte poſteriore, quia huiuſmodi partes ſunt quoque in viris frigidiores anterioribus. *Veluti cubitis* &c. Videtur hæc ſententia intercisa eſſe & quod oportet aliquid addere. vt lib. 6. Epid. adiectum eſt ἔξω καὶ ἔνδον. Ita igitur leges,

viris vero etiam anteriore corporis parte, ſimiliter & in partibus corporis exterioribus magis quam interioribus, veluti cubitis & femoribus. In cubito pars exterior magis eſt neruacea, quam interior, & ob id frigidior. ſic in manu pars exterior minus calida eſt interiore: idem ſentiendum de parte anteriore & poſteriore. In crure quatuor quoque ſunt partes: anterior verſus genu: poſterior verſus poplitem: interior ad inguina: exterior ad coxas. Si accipiamus partes anteriores quæ recta tendunt ad genu, falſum eſt anteriores calidiores eſſe poſterioribus. Nã hæ ſunt magis muſculoſæ, & ob id calidiores: anteriores vero magis neruoſæ propter tendines, ideoque conuulſionibus magis obnoxiæ. Quòd autem partes cruris interiores ſint exterioribus calidiores, minuſque ſentiant frigus & horrores, diſcas licet ex anatomia quæ docet partes eas eſſe magis muſculoſas. *Sed & cutis rara.*) Hoc loco in nonnullis exemplaribus additur ἰχυα. Senſus autem eſt, rigores, frigora, horrores, in corpore magis incipiunt à poſterioribus partibus, quàm anterioribus. in artubus, partibus exterioribus magis quam interioribus. Nam partes tum anteriores tum interiores ſunt rariores & ob id calidiores. Raritas enim ſequitur caliditatem & mollitiem. quod autem rariores ſint oſtendit pilus. raritas partis, pauca humiditas, motus, & agitatio caloris & humiditatis ( præſertim ſpermaticæ ) ſunt cauſæ neceſſariæ ad generationem pilorum Hippoc. teſte. Pueri ſunt rari & humidi tamen quia in his non eſt agitatio & motus ſpermatis, non ſunt piloſi. Ergo vt pili producantur opus eſt & motu & agitatione ſpermatis. Hinc eunuchi & mulieres non ſunt piloſi, nec barbeſcunt, quia non habent tan-

tam agitationem ſpermatis quam viri. Eunuchis præterea & mulieribus, quia frigidiore ſunt temperamento, cutis denſior eſt, & ita non generatur pilus. Eandem ob cauſam, ſi qua pars obducatur cicatrice, in ea non generatur pilus, quia videlicet ibi denſior eſt cutis.

## SCHOLIA.

*Rigor eſt vehemẽs totius corporis concuſſio cum dolorifica refrigeratione neruoſarum partiũ: cuius cauſa eſt inæqualis contractio caloris natiui, à contrariæ moteriæ motu & occurſu quæ materia vel acris eſt humor, motu ſuo vellicans neruoſas partes: vel frigidus & crudus humor: vel ſuppurans vapor aut ſanies mẽbranas per morſum afficiens. A quacũque cauſa fiat, frigidiora corpora frigidioreſque partes corporis magis afficit, quàm calidiora aut calidiores partes corporis. At corpora mulierum ſunt frigidiora corporibus virorum: partes poſteriores corporis, frigidiores anterioribus, quia hæ venis & arteriis maioribus plenæ ſunt, illæ oſſeæ & neruoſæ. Partes externæ frigidiores intimis. Et inter externas frigidiores quæ magis patent, quàm quæ minus detectæ ſunt: exempli gratia, fœmora & cubitus, frigidiores qàam ſemina & alæ: & pars exterior ceu ſylueſtris, cubiti aut fœmoris eſt frigidior parte domeſtica ceu interna eiuſdem cubiti aut fœmoris. Inter externas etiam partes, frigidiores quæ ſunt extremæ, vtpote manus & pedes, quia à fonte caloris magis remotæ. Proinde rigor vehementius exercet mulieres, qnàm viros, & in vtriſque rigor magis in perfrigeratione afficit partes poſteriores, quàm anteriores, quia partes poſteriores ſunt imbecilliores, rigori qualitate magis ſimiles, ſenſu magis exquiſito præditæ quàm anteriores. Qualitas enim omnis fortius*

*afficit ſubiectum magis ſimile, imbecillius & ſenſu acriori præditum. In viris quoque perinde ac in fœminis, incipit refrigeratio ex lumbis & per dorſum ad caput percurrit: non quidem principio temporis in motu, ſed principio impreſsionis à re ſenſifica in parte, quæ ſummam celeremque vim habet ad recipiendam rei ſenſificæ impreſsionem. Et ſi enim ab extremitatibus, vt naſi, vnguium, frigus incipere videatur, prius tamen lumbos cruciat & partes quæ dorſi ambitu continentur: quòd hæ frigus promptius ſentiant ob neruorum copiam & communicationem affectus factam celerrimè per ſpinalem medullam in caput neruorum principium: quandoquidem & ipſa non ſecus ac cerebrum frigida eſt natura & propter ſubſtantiæ ſimilitudinem frigori ſimiliter obnoxia. Adde quòd per ea loca fit materiæ in caput tranſlatio vnde veteres medici in febrium curatione maximam harum partium rationem habendam cenſuerunt. Et Aëtius, neceſſe eſſe putauit omnino affici ſpinalem medullam in febribus, ideoque eam totam contegendam cenſuit lanis imbutis oleo ruthaceo aut ſimilibus. fœminæ autem facilius ac promptius ſentiunt frigus rigoris in lumbis & dorſo quàm viri, non ſolum quia ſua natura viris frigidiores ſint, ſed quia lumbos frigidiores habent ob vteri ſocietatem. Quod autem à poſterioribus frigus magis incipiat, quàm ab interioribus, indicant femur & cubitus quæ partes externæ ſunt ideoque frigidiores, à quibus rigores quoque incipiunt. Quod item partes anteriores ſint calidiores poſterioribus cutis raritas oſtendit: raritas enim ſequitur calorem: etenim eſt calidi rarefacere & diffundere: cutis raritatem indicat pilus qui non in cute denſa ſed rara naſci conſueuit. Partes ob id corporis anteriores ſunt piloſæ, poſteriores depiles.*

## APHOR. LXX.

Οἱ ὑπὸ τεταρταίου ἁλισκόμενοι, ὑπὸ σπασμοῦ οὐ πάνυ τι ἁλίσκονται. ἢν δὲ ἁλίσκωνται πρότερον, ἔπειτα ἐπιγένηται τεταρταῖος, παύονται.

*Qvi quartana corripiuntur, non admodum conuulſionibus tentantur. Si vero prius tentati fuerint, ſuperueniente quartana liberantur.*

SOlet Hippo. vti his vocibus οὐ πάνυ, οὐ μάλα, οὐ πάμυ τι pro rotò, non admodum: ſicque potiùs eſt vertendum quam aliter. Fit aliquando, vt cum quartana non ſoluitur coctione, aut abſceſſu, degeneret in paralyſin (nos ipſi vidimus) materia videlicet quæ febrem faciebat ad neruos conuerſa quod cum accidat poteſt eadem ratione fieri conuulſio. Sed quia iſtud rarò accidit, ob id dixit Hipp. οὐ πάνυ. Scripta eſt ab eodem hæc ſententia lib. 6. Epid. part. 6. A quartana correpti magno morbo, id eſt, comitiali non prehenduntur. quod ſi verò ante capiuntur, quartana ſuccedente liberantur. Agit autem hic non de conuulſione epileptica ſimpliciter, ſe de conuulſione in genere. Si igitur conuulſio eſt multitudine craſſi & frigidi humoris, & ſuccedat febris: rigor, qui vehemens eſt in quartana, agitat materiam conuulſionis: agitata ea materia frigida & humida incaleſcit, & ſi ſatis præparata eſt excernitur. Calor autem febrilis concoquit, id eſt, incidit, attenuat & reddit materiam excretioni paratam. Si itaque tum ſuperueniat rigor, materiam illam excernet. ἁλίσκονται teſte Gal. in comment. dicitur de longitudine temporis.

## SCHOLIA.

*VIx poteſt tanta melancholici humoris copia ſubeſſe in corpore, vt ſimul & muſculos & venas obſideat: ob id qui quartana corripiuntur rarò conuulſionibus tentantur. Superuenire tamen poteſt quartana conuulſioni bonis ægri rebus: calor enim febrilis qui in quartana non admodum validus eſt ſed diuturnus ac longus, craſſum ac lentum humorem conuulſionis authorem concoquere potis eſt: & horror ipſius quartanæ coctum humorem aut etiam crudum vehementi motu excutere. Qua ratione alio loco ſcripſit Hipp. epilepſiam quartana ſanari: & quotidie obſeruamus iniecto vehementi metu, aut moto è crapula vomitu vel alui profluuio, aut graui aliquo caſu, quartanam quaſi excitatis naturæ pigræ viribus ſolui.*

## APHOR. LXXI.

ΟΚόσοισι δέρματα περιτείνεται καρφαλέα καὶ σκληρὰ, ἄνευ ἱδρῶτος τελευτῶσιν· ὁκόσοισι δὲ χαλαρὰ, καὶ ἀραιὰ, σὺν ἱδρῶτι τελευτῶσιν.

*QVibus arida & dura cutis obtenditur, ſine ſudore moriuntur: qui vero laxa & rara, cum ſudore vita defunguntur.*

HÆc ſententia conſtat experientia. inter peſſima ſigna quæ mortem indicant in febribus acutis eſt vbi qui antea molli erat cute, iam eſt ſcabra & aſpera. indicium enim eſt conſumptæ humiditatis. Quare cum accedemus àd ægros inducere oportet manum ad thoracem & hypochondria vt exploremus quomodo habeat cutis. Sunt duæ hiſtoriæ ad finem lib. 3. Epidem. vbi Hippo. annotat hoc ſignum tanquam lethale cutis circumtenſa & arida. *Sine ſudore.* ) quia tota humiditas quæ conuertebatur in ſudores conſumpta

eſt:& hi fere moriuntur cum tremore & reuulſione pulſus ac neruorum. Quibus vero laxa & rara, vt in morbo acuto lethali, intereunt cum ſudore. Sudor indicat laxitatẽ cutis, ſuppereſſeque aliquid humiditatis, quæ iam ob extremam retentricis imbecillitatem exit. Hi poſt commotum ſudorem moriuntur 7. horis 14. 16. ſed non prætergrediuntur 20. horas.

## APHOR. LXXII.

Οἱ ἰκτερώδεες οὐ πάνυ τι πνευματώδεες εἰσίν.

*Auriginoſi, non admodum ventoſi.*

HAC Hippocratis ſententia videtur eſſe contra experientiam, ob id varia eſt interpretatio. Primum, quòd qui morbo regio laborant flatuoſi ſint, Eſt lib. 3. Epid. hiſtoria Apollonij, qui mortuus eſt auriginoſus, & tamen vt ait ibidem flatibus abundabat. Deinde verum eſt, quòd qui morbo regio laborant, magna ex parte flatuoſi ſint, quia apud nos omnes auriginoſi fiunt ab obſtructione, à craſſa & viſcida pituita & imbecillitate ventriculi. Si ergo eſt imbecillitas ventriculi, ſi conditas impacta venis illis anguſtis hepatis, faciat obſtructionem quam ſequitur auriginoſus morbus, neceſſe eſt ægrum flatulentum eſſe. Philotheus ait per ἰκτερώδεις intelligi eos qui ſunt opportuni flatibus. Fuchſius intelligi eos qui abundant flaua bile. Sed hoc eſt falſum, quia (vt teſtatur Gal. loquitur Hippocrates de vero morbo regio. Hippocrates vixit in regione calida, nec tũ homines erant tam intemperantes,

quam ſunt hodie,&ob id non colligebant tantum cruditatis.Sed ſi qui tum erant icterici id fiebat à flaua bile per corpus diffuſa, non ab obſtructione. Poteſt tamen naſci morbus regius ab obſtructione à craſſiore bile, poteſt & à ſola intemperie hepatis calidiore. Itaque ſi accipias morbum regium à ſola intemperie hepatis aut ab obſtructione à craſſiore bile, ſine imbecillitate ventriculi, is erit ſine flatibus. At ſi ab obſtructione à multa cruditate cum imbecillitate ventriculi, neceſſariò erit flatuoſus.

## SCHOLIA.

*Flatus à debili calore fiunt: In ictericis debilis non eſt calor, ſed acris & mordax à biliosſo humore qui icterum parit. Proinde icterici vix aut rarò fiunt flatulenti. Videas tamen ictero ſæpenumerò hydropen ſiccum ſuperuenire, quemadmodum obſeruauit Hipp. Aphor. 31. ſect. 2. lib. 6. Coac. animaduerſionum, quando in ictero aluus fertur biliosſis excrementis, acribus deiectionibus & pinguibus, aut cum vrina bile tincta ſupprimitur.*

Quintæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIVS SEXTVS.

## *APHOR. I.*

ΕΝ τῇσι χρονίῃσι λειεντερίῃσιν ὀξυρεγμίη ἐπιγινομένη, μὴ γενομένη πρότερον, σημεῖον ἀγαθόν.

*IN diuturna læuitate inteſtinorum ſi ructus acidus ſuperueniat, qui prius non extiterit, bonum eſt ſignum.*

HIc liber non poteſt circumſcribi certo argumento quia totus varius eſt. tamen magna pars eſt de iis quæ ſuperueniunt morbis, licet titulus ἐπιγινομένων attribuatur potius lib. 7. quam ſexto Gal. ἐπιγινόμενα καὶ ἐπιγεννήματα interpretatur ea mala ſymptomata quæ malignis morbis ſuperueniunt, tamen dicuntur aliquando in bonam partem vt hîc. Siue itaque bona ſint, ſiue mala quæ morbis ſuperueniunt, ἐπιγινόμενα dicuntur. Agit autē hîc de ructu acido qui ſuperuenit lōgæ leiēteriæ. Leiēteria comprehenditur nomine profluuij alui, vti non ſolum

cibus,ſed & potus neq; odore,neq; colore, aliaue qualitate immutatus celeriter excernitur. Omnino cauſam habet imbecillitatem ventriculi,vel irritationem. Omnis imbecillitas eſt ab intemperie. Lienteria eſt ab intemperie frigida: vnde retentrix & alteratrix ſunt imbecillæ. In hac excrementa nullo modo confecta celeriter excernuntur,ſine vllo doloris ſenſu. Hinc colligimus eſſe intemperiem frigidam. Quod ſi cum ſenſu doloris fiat excretio, oportet tum pro certo habere eſſe vlcus in tenui inteſtino aut ventriculo, à quo quidem vlcere ſanies acris irritat ad celerem excretionem. Iam, ponamus longam lienteriam: in hac fit ructus acidus circa initia.hic quidem ructus nullum ſignum facit aut præſagium,ſed tantum eſt indicium intemperaturæ frigidæ,vel pituitæ frigidæ acidæ quæventriculum refrigerat.Sin in eadem lienteria longa (qua de hîc agimus)moueatur ructus acidus poſt vnum menſem,6. ſeptimenas,duos menſes ſalutare eſt. Inde enim intelligimus naturam & vim concoquendi quæ antea erat proſtrata & deiecta conuerti ad coctionem & fore, vt eadem natura póſt aliquot dies perfecte coquat, atque ita ſoluetur lienteria. Intelligendum autem hîc ructum acidum qui prius non extitit. Ructus ergo acidi circa initia, indicant tantum intemperiem frigidam, aut humorem acidum frigidum concluſum in ventriculo. Sed poſt initia præter id, indicant etiam naturam excitari ad concoctionem.

## SCHOLIA.

*HAc ſexta ſectione inquiruntur ſigna morborum bona & mala, quæ tum ad progno ſin tum ad curationem eorum-*

*dem pertinent. Primus Aphoriſmus ſpem in longa leuitate inteſtinorum pollicetur, ſi ei ructus acidus ſuperueniat. Lienteria ſiquidem eſt imbecillitas retentricis facultatis ventriculi, propter quam celer fit cibi nullomodo tranſmutati excluſio, cum priuatione primæ coctionis. Non enim cruditas feſtiui exitus cauſa eſt, ſed feſtiuus exitus cruditatis, ex qua alui excrementa, ipſa ſunt alimenta, neque conſiſtentia, neque colore neque odore, neque alia quantitate fere immutata, ſed ſubalbida, nulla commixta bile aut ſanguine. In quo à cœliaca differt, in qua tanta cruditas non eſt vt alimenti aſſumpti ſpecies aperte internoſcatur, ſed nec integrè coquitur nec diſtribuitur, ob idque ex medio chyloſa deſcendunt. Huius imbecillitatis continendi cibi cũ tres ſint cauſæ: intemperies frigida humida ventriculi, & hectica inteſtinorum: fluxio è cerebro: exulceratio ſuperficiei ventriculi & inteſtinorum: In prima ſpecie, ſi ructus acidus ſuperueniat, qui prius non extiterit, bonum erit ſignum: quia indicabitur intemperiem iam incipere reſtitui, caloremque natiuum quaſi extinctum iterum excitari. In ſecunda ſpecie, ructus acidus bono eſſe non poteſt, quia præſentem ac vrgentem pituitam indicabit, & ab ea auctam intemperiem. In tertia ſpecie, multominus ructus acidus eſt laudabilis, vt qui caloris imbecilli perpetuo ſit index non vlceris ad cicatricem nullomodo perducti.*

## APHOR. II.

Οἷσι ῥῖνες ὑγρότεραι φύσει, καὶ ἡ γονὴ ὑγροτέρη, ὑγιαίνει νοσερώτερον· οἷσι δὲ τ' ἀναντία, ὑγιεινότερον.

*Quibus nares humidiores natura & genitura humidior, iis minus proſpera valetudine fruuntur: Quibus verò hiſce contraria adſunt, ſalubrius degunt.*

QVodam loco lib. de locis in homine Hippocrates videtur contrà ſentire. Ibi enim exiſtimat cōrpora ſicca eſſe opportuna morbis moleſtioribus, contumacioribus & ſtabilioribus. Humida contrà, admittere morbos qui ſtatim diffluant & facile curentur. Sed ne quis fallatur. His verbis nihil aliud dicit Hippocrates quàm quòd morbi ſicci & firmati & in corporibus ſicci ſint diuturniores. Præterea ſi quis obiiciat illud Ariſtotelis & aliorum philoſophorum: humidum eſſe propinquius vitæ, & (quod dicit Gal.) temperamētum humidum eſſe ſalubre: intelligimus de humido neceſſario, naturali, & radicali, quod habet ſanguinem & pituitam pro pabulo, non autem de humido excrementitio & redundanti vt hîc. Locus eſt 6. Epidem. in iis quę adiecta ſunt & ſuſpecta vbi repetitur hic Aphoriſmus. Eius loci ſententia eſt quam breuiter complexus eſt Oribaſius, quod humidum de quo agit Hippocrates hoc loco eſt malum ſanis, bonum ægris. Proponamus aliquem ſanum, cui perpetuo defluit muccus & humor è naribus & qui abundat ſemine liquidiore, is morboſa valetudine eſt: Contra ſi cui ſint ſiccæ nares, & genitura craſſior, hic ſanus eſt. Iam ægrum capiamus qui conualeſcat, ſi in eo multa defluunt per nares & genitura ſit ei humidior, bono eſt. Ergo hoc malum ſano, bonum ægro. In ſano humiditas illa indicat cerebrum & vniuerſum corpus abundare humoribus excrementiis, quæ ſi retineantur in cerebro, periculum eſt ne intercipiant vias ac fiant apoplexiæ, lęthargi. Si non retineantur in cerebro, fient catharri & fluxiones in fauces, aſperam arteriam, pulmones, thoracem, ventriculum, &c. Vnde tuſſes, anginæ, aſtmata, tabes, alui profluuia, &c. Quod ſi verò ſit vni-

uerſi corporis humiditas, cum corpus humidum ſit fere denſum, dum ea materia retinebitur, putreſcet. Hinc febres putridæ & id genus alij morbi ex putredine nati. At in ægris ea humiditas eſt mala cauſa, bonum ſignum, quia & indicat cerebrum abundare pituita, & naturam eſſe robuſtam, quæ eam materiam expurget. Sic in ſanis, quanquam hi non vtantur commoda valetudine vti diximus. Itaque, dicit Hippocrates, ij degunt valetudinarij id eſt opportuni doloribus capitis, deſtilationibus, morbis putrilaginoſis, qui nares habent natura humidiores, & ſemen genitale humidius. 6. Epidem. vbi repetit hanc ſententiam, additur πλεῖον. id eſt copioſius ſemen. Dicit autem natura. Hoc eſt naturali & ingenita intemperie, vt excludat eos qui nouo caſu & ob cauſam aliquam externam, vt qui ſero vtuntur comeſſationibus, & qui in aëre nocturno frigido aut nubiloſo diu verſantur. Hi enim ſolent habere cerebrum humidius & coryza laborare. Quibus vero contra accidit, id eſt qui ſunt ſicciores neque abundant iis excrementis, viuunt ſalubrius. Siccum ſumitur duobus modis, quod natura tale eſt, & quod caret excrementis. Sic humidum corpus, & quod abundat humido illo radicali & naturali & quod excrementis humidis abundat.

## *SCHOLIA.*

*Signum diagnoſticum ſanitatis magis aut minus ſecuræ, petitum excrementorũ redundantia aut vacuitate in corpore. Felicius enim degunt qui ſicco tẽperamento ſuntpræditi, quã qui humido. Infelici verò, quorum totũ corpus eſt excremẽtoſũ: Tales ſunt quibus nares natura non ex euẽtu aliquo ſunt humidiores*

*& ſemen genitale natura humidius & tenuius: nam nares humidæ, cerebrum humidum arguunt. At à cerebro humido totum corpus humidum redditur multiſque morboſis affectibus obuium, quorum fomites exiſtunt aßiduæ ac pene innumeræ deſtillationes, quæ à cerebro humido in totum penè corpus delatæ illud morbidum ac valetudinarium omninò efficiunt. Semen vero genitale natura humidius, ſanguinem totius corporis vnde ſemen genitale profluit, humidiorem, & teſtes ipſos (à quibus vis & forma ſemini confertur, & qui melioris vitæ in corpore authores ſunt) oſtendunt. At a ſanguine humidiori & ſeroſo, teſtibus quoque humidioribus, corpus humidum ac penè effœminatum euadit. Sic enim Galenus lib. de arte parua.*

## *APHOR. III.*

*ΕΝ τῇσι μακρῇσι δυσεντερίῃσιν αἱ ἀποσιτίαι κακὸν, καὶ σὺν πυρετῷ, κάκιον.*

*IN longis inteſtinorum difficultatibus, cibi faſtidium malum, & cum febre peius.*

HIc Aphoriſmus ſcriptus eſt ab Hippocrate 6. Epi. Satis de dyſenteria antea dictum eſt. Alias enim ſumitur pro alui fluxu ab exulceratione inteſtini. antehac etiam vſus eſt dyſenteriæ nomine, pro dyſenteria cruenta ſiue rubra. Hîc de illa agit quæ eſt ab vlcere in inteſtinis ab humore quodam acri, vt pituita putri & ſalſa, bile flaua & atra. Si dyſenteria eſt, & circa initia fiat ἀνορεξία, non eſt mirandum. Sed ſi quis longa dyſenteria laborarit, & cum antea ſemper appetierit aliquid, tandem cibos omnes faſtidiat, periculoſum eſt. Hoc enim indicat morbos ad mortem inclinare. In dyſenteria inueterata primum partes ſuperficiales inteſtini

ſtini vlcerãtur, ab illa putri,& ſalſa pituita,vel bile alteratra: vnde primùm prodeũt velut raméta pinguedinis: deinde quædam tenuia tunicarũ inteſtinorũ ramenta: Tertiò deſperato iam malo, prodeunt tunicarũ caruncule,quæ ſunt partes ſubſtantiæ inteſtini. Cibos autem faſtidiũt ægri,propter materiam illam communicatam ori ipſius ventriculi.Hoc malum,eſt lethale non ſolum in hoc morbo, ſed etiam in aliis morbis acutis. & diuturnis.Sed ſi ea ἀσιτία accidat cum febre (idque ob magnam inflammationem, aut putredinem vlcerum) peius eſt,inquit Hippocrates.Raro accidunt apud nos dyſenteriæ ſine febre.Vidit in Hipp. interdum ſine febre.In diuturna dyſenteria cum excremẽtis & ſubſtantia inutili,vacuata eſt(vt fere ſit) pars aliqua vtilis ſubſtantiæ & ſpiritus: quare tum natura eget inſtauratione,vt alimentis.At ſi faſtidiat cibus & deinde ſequatur febris,tum ſalus omnino deſperata eſt.Nam diſſoluentur vires,ſuccedet tandẽ ſudor frigidus,& ita morietur.

## *SCHOLIA.*

*Cibi faſtidium in longa dyſenteria perſeuerans,malum: vt ſignum quidem, quia ſignificat extinctionem facultatis appetentis cibos,quæ inanitis partibus ob multas & frequentes deiectiones penuriam non ſentiat, & ad impletionem vrgente neceſsitate non excitetur, ſed cibos quoſcunque & gratos & ingratos auerſetur.Vt cauſa verò, quia tanta ſubeſt in inteſtinis humorum bilioſorum, aut pituitoſorum ſalſorum, aut atrabiliarium colluuies, vt non modò ſtomachus, ſed & ora venarum per quæ alimentum in corpus diducitur, & à ventriculo vrgente fame ſuggitur, hac colluuie replentur: ita vt non ſolum non appetant aut trahant alimentum, ſed & cupiant, quod*

*quod illis oblatum eſt, reiicere. Peius verò erit cibi faſtidium, ſi dyſenteria comitem habeat febrem: quia indicium erit, inteſtina inflammatione, aut abſceſſu, aut vlcere affici.*

## *APHOR. IIII.*

TA' περιμάδηρα ἕλκεα, κακοήθεα.

*CIrcunglabra vlcera, maligna.*

SAtis intelligimus Græcos vt Hippocratem confundere ἕλκεα καὶ τραύματα. Si ergo contingit vlcus aliquod glabroſum eſſe, malum. Nam vt percuretur vlcus, neceſſe eſt non ſolum vlcus: ſed etiam partes vicinas eſſe temperatas: alioqui nunquam percurabitur. Igitur, vt regeneretur caro in vlcere, opus eſt ſanguine vtili & moderato. At ſi partes vicinæ ſunt vitiatæ, loco boni ſanguinis demittunt vitioſum quendam, ac malignum, & velut ſalſuginem quandam: vnde neque regeneratur caro, neque curatur vlcus, & pili defluunt. Dicuntur vlcera κακοήθη, id eſt maligna, contumacia, rebellia, quæ nutriri non poſſunt, nec ad cicatricem perduci.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticon de vlceribus. Ea omnia vlcera ferina, maligna & vix ac ne vix quidem ad cicatricem peruentura ſunt, in quibus & cutis deſquamatur, & pili decidunt. Indicium enim eſt, non modò intemperiem inſignem qualiſcunque ea ſit, iam diu in parte vlcerata viciniſque partibus cõtractam, ſed & ſorditiem ac impuritatem quandam humorum ſubeſſe, quæ cutis & pilorum alimentum corrumpit. Sic enim planta lixiuio, vrina, aut aqua ſalita irrigata pereunt. Hoc obſerues in elephantiaſis, impetiginis & luis venereæ vlceribus.*

## *APHOR. V.*

TΩ͂ν ὀδυνέων καὶ ἐν πλευρῇσι, καὶ ἐν στήθεσι, καὶ ἐν τοῖσιν ἄλλοισιν, ἢν μέγα διαφέρωσι, κατὰ μαθητέον.

*DOloribus lateris & pectoris, cæterarumque partium, an ægri multum differant, diſcendum.*

HÆc ſententia eſt, vt agnoſcamus, præſagiamus, & artificioſe remedia adhibeamus in doloribus. Nã ſi dolorem non cognoſcamus, nihil horum rectè faciemus. Monet tamen Hip. diſtinguendos eſſe dolores, & oportere conferre ægrum, cum ægro, & dolorem cum dolore. Ergo vbi dolor eſt commotus, aduertere oportet ad qualitatem doloris, vehementiam, continuitatem & remiſſionem. Fingamus (verbi gratia) lateris dolorem eſſe. Primum eſt animaduertenda qualitas doloris, vt an ſit grauis, punctorius & acutus. De quibus differentiis ſeu ſpeciebus doloris. Vide Gal. lib. 2. cap. 1. de locis affectis. Non ſatis eſt intelligere qualitatem: ſed oportet rurſus ſpectare vehementiam. Nam pleuriticus dolor differt ab alio, vt capitis, renum; ſecundum vehementiam. Vbi intelligimus & qualitatem & vehementiam, videndũ eſt an ſit diuturnus dolor & contumax, an vero breuis. Vidẽdũ etiã, an ſit cõtinuus, an intermittens. Id agimus vt cognoſcamus partem affectam, materiã morbi, & cauſam quæ dolorem facit. Vt autem præſagiamus & conuenienter curemus: Fingamus dolorem eſſe pungentem, vt in latere pungit, ergo locus affectus, membrana eſt. Grauis eſt, ergo muſculus malè habet. In renibus dolor grauis eſt, ergo afficitur ſubſtantia renis carnoſa. Dolor eſt pungens, offendũtur ergo partes neruaceæ, & mẽbranaceę.

In hepate dolor eſt grauis, ergo hepatis ſubſtantia laborat. Pungens eſt dolor,ergo membrana quę hepar ambit. Iam vti vehemens eſt dolor, fit à natura partis, vel qualitate aut quantitate materiæ. Nam ſi dolor occupat partem neruoſam, vehementior eſt: Si eſt multa materia, maiorem excitat dolorem, quam pauca. vehementiſſimi dolores fiũt ab acri & calida materia. Deinde videbimus diuturnitatem. Si diuturnus eſt, oportet talem eſſe vel ob multitudinem materiæ, vel ob naturam materiæ craſſæ & frigidæ, vel calidæ. Aliquando propter intemperiem & imbecillitatem partis vt capitis in cephalæa. Interdum non quantitas aut qualitas materiæ, non partis intemperies facit huiuſmodi dolorem: ſed fit quia non patet exitus materiæ. Si dolor breuis eſt & intermittit, oportet eſſe flatus tenues, aut ſeroſos humores qui facilè tranſmutant locum. Tum oportet diligenter animaduertere tempora (vt monet Hip.6.Epid.) vt qua parte diei, menſis, horæ repetat dolor. Siquidem alia remedia competunt in exacerbationibus: alia in remiſſionibus. Præter id, vbi dolor vrget videndum quæ partes conſentiant, & quibus cõmunicetur dolor, vt in renibus vbi iam dolor ad crus peruenit, vt ſit in eo veluti quidam ſtupor, tum intelligamus renes vehementer grauari. Aut enim calculus craſſior eſt, aut tuberculum,&c. Item ſi dolor perueniat ad teſticulos, dicemus etiã eſſe dolorẽ in renibus. Poteſt tamen eſſe dolor in crure affectis lumbaribus muſculis interioribus tranſuerſis, nedũ renibus. idque propter conſenſum. Sed cauendum eſt ne fallamur (vt ſæpe fit) in meatibus vrinariis, quia poteſt iis eſſe conſenſus à renibus & muſculis lumbaribus laborantibus, dolor per ſpinam aliquando peruenit ad ceruicem.

## *SCHOLIA.*

*QVoniam dolor ſymptoma eſt, vnde non ſolum partē affectā, ſed & morbi cauſam, ſpeciē, magnitudinem, motum & morem dignoſcere licet: Dolorum ideo differentiæ diligenter ſpectandæ ad diagnoſin prognoſin & curationem morborum. Partem affectam indicat dolor punctorius nempe membranam inflammatam. Pulſatorius, arteriam. Grauis, carnem. Tenſiuus, membranam repletam. Morbi cauſam arguit: Dolor tenſiuus repletionem ſanguinis, aut humoris, aut flatus aut vaporis: Dolor calidus, calidam: Dolor frigidus, frigidam. Speciem morbi oſtendit dolor lateris punctorius, pleuritidem morbi magnitudinem, dolor multum punctorius magnam pleuritidem: dolor mitis leuem pleuritidem. Dolor quoque indicat tempus, ſunt enim quidam dolores, qui certis temporibus inuadunt ac repetunt.*

## *APHOR. VI.*

ΤΑ' νεφριτικὰ καὶ ὁκόσα κατὰ τὴν κύστιν ἀλγήματα, ἐργωδῶς ὑγιάζεται τοῖσι πρεσβύτῃσι.

*REnum & veſicæ vitia, in ſenibus difficulter curantur.*

HIpp. 6. Epid. parte 8. apud Græcos & ſub finem 7. apud Latinos, ait quod nō nouit vitia renum percurata poſt. 50. annum: & non ſolum vitia renum, ſed etiam obſtructiones viſcerum & ſcirrhos, vt lienis, hepatis. νέφριτις eſt aliquādo inflammatio renū, & aliquādo calculus in renibus. Itaque per τὰ νεφριτικὰ nō ſolum calculum renum intelligemus, ſed etiam inflammationes, & dolores. Non tamen ſequitur vt ſi qua ſint vitia

in renibus, ea non poſſint curari: ſed rarò id accidit. Omnia ergo renum vitia difficulter, vel multo negotio ſanantur ſenioribus. Rationem reddit Ariſtot. 3. de partibus animalium, quia, inquit, ſubſtantia renum diuulſa & diſtributa eſt in multos ramos. Aurelianus in Chronicis ſuis adfert alias rationes, quia, inquit, viæ ſunt anguſtæ, & renes poſiti ſunt in receſſu corporis: ita vt medicamenta quæ per os ſumuntur, prius ſint alterata, quam ad eos peruenerint: quia item ſi adhibeantur topica remedia, non poſſunt etiam eò ſuas vires tranſmittere, cũ multi intercedant muſculi. Quarta cauſa, quoniam renes perpetuo recipiunt ſeroſam ſubſtantiam, quæ moleſta eſt propter bilem permixtam. Itaque vitia renum & veſicæ acrimonia eiuſmodi materiæ irritantur. Sed præter hæc communia etiam ſenibus, maior cutis condenſatio, viarum anguſtia, & virium imbecillitas, ac naturæ, iis accidit, & ob id non facilè in iis curantur vitia renum & veſicæ. In iuuenibus & iis qui non attigerunt 40. aut 50. annum, ea vlcera, & abſceſſus & calculi in renibus, & veſica curari poſſunt, recta vict᷒ ratione adhibita. Licet curatio ſit difficilis: in renibus quidem ob diuulſam renum ſubſtantiam, vrinę acrimoniam, & viarum anguſtiam: In veſica vero, quod ea ſit neruacea, & quòd ab vrina irritetur. In veſicæ tamen affectibus, catheteribus & iniectionibus vti licet: nihilominus non facilis ſequitur eorum curatio.

## SCHOLIA.

*REnum paßiones, vt pote obſtructio, inflammatio, abſceſſus, vlcera, calculus: & dolores veſicæ ob vlcera, lapides, vrinæ ardores, ſuppreßiones, & inflammationes in ſe-*

*ribus triplici differentia conſtitutis, difficulter ſanantur. Non ſolum, quia omnes affectus, tum diuturni, tum acuti, in ſenibus difficillimè curantur ob caloris inopiam & naturæ infirmitatem: ſed quòd inter reliquos morbos à renum ac veſicæ affectibus omnium difficillimè ſenes conualeſcant: ob renum & veſicæ temperamentum paulo frigidius: loci profunditatem, ita vt remedia vires ſuas amittant, priuſquam eò venerint: periculum, ne remedia tranſeundo partes intermendias offendant: ob perpetuum affluxum ſeroſi excrementi per renes & veſicam defluentis: unde irritantur vlcera & dolores illarum partium: quibus ad curationem quiete & ſiccatione opus eſt.*

## APHOR. VII.

ΤΑ' ἀλγήματα τὰ κατὰ τὴν κοιλίην γινόμενα, τὰ μὲν μετέωρα, κουφότερα· τὰ δὲ μὴ μετέωρα, ἰσχυρότερα.

*Dolores & tumores ventris ſublimes, breuiores: non ſublimes fortiores.*

Μετέωρα poteſt intelligi ſecundũ longitudinẽ ventris & profunditatem, per ventrem intelligamus quicquid intercipitur à pube ad diaphragma. Longitudo, eſt à diaphragmate ad pubem, & eius medium eſt vmbilicus. Hinc Hipp. lib. 2. Epidem. & in prognoſt. ait quòd quicunque dolores ſunt ſupra vmbilicum, & tumores & abſceſſus, periculoſiores ſunt, (quia ſunt in viſceribus, vel prope viſcera) quàm qui infra vmbilicum. Sed hîc μετέωρα intelligimus ſecundũ profunditatẽ. Scimus per anatomen peritonæũ mediũ eſſe inter muſculos epigaſtrij, & omẽtũ ac inteſtina. Diſtinguamus iã profunditatẽ ventris cute & ſpina lũbari, & ponamus

medium peritonæum. Sic μετέωρα dicuntur verſus cutem ventris ad peritonæum. Gal. ita interpretatur de profunditate, vt dicat. Si cui dolores ſunt & tumores in muſculis epigaſtrij, vel ad cutem ventris, ij minus periculoſi ſunt, quam qui occupant partes quæ ſubſunt peritonæo: Dolores itaque & tumores ventris ſublimes, id eſt, in epigaſtrio vel in cute ſunt leuiores ſeu minus periculoſi: quia longius abſunt à partibus principibus: & quia facilius adhibentur medicamenta partibus exterioribus, quam interioribus. Non ſublimes vero, hoc eſt in omento, inteſtinis viſceribus ſunt vehementiores & periculoſiores.

## SCHOLIA.

*Dolores aut tumores ventris exteriores & qui vltra peritonæum non feruntur, leuiores ſunt: qui vero intra peritonæum ſubeunt, afficiuntque partes abdomine contentas, non tantum fortiores, ſed & periculoſiores: quia infeſtant ventriculum, hepar, lienem, veſicam, vterum, inteſtina, quæ partes ſunt publicum munus obeuntes in corpore, quarum efficio vita carere nequit.*

## APHOR. VIII.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι τὰ γινόμενα ἕλκεα ἐν τῷ σώματι, οὐ ῥηϊδίως ὑγιάζεται.

*Aqua inter cutem laborantibus exorta in corpore vlcera, non facilè ſanantur.*

VLcus quatenus vlcus eſt, reſiccari poſtulat, hoc eſt petit vt repurgetur excrementis, ſanie

nimirum quadam, quæ naſcitur è corruptela partis: & item humiditate, quæ naſcitur ex ſuperfluitate alimenti, in hydropicis multum eſt excrementum quod aperta via eò demittit natura: quare vlcus illud ſemper cum madeat, non poteſt reſiccari, & ita neque curari. Neque verò ſatis eſt vt ſit repurgatum vlcus iis excrementis: ſed oportet carne repleri: quod vt fiat neceſſe eſt naturam partis eſſe integram & temperatam. At in hydropiſi eſt cachexia, ergo non regenerabitur caro. Et vt natura partis ſit integra, non ſatis eſt: oportet præterea tantum ac talem ſanguinem confluere ad partem, vt poſſit caro regenerari. At in hydrope hepar male affectum eſt, & gignit pòtius aquas & pituitam quàm ſanguinem bonum. Si ergo ad partem, loco boni ſanguinis, influat ſanguis ſeroſus & pituitoſus: ſi non poſſit reſiccari, ſi cachexia eſt, non eſt mirum ſi in in hydrope non poſſunt vlcera ſaneſcere. Aquam autem inter cutem intelligit, ſiue ea ſit leucoplegmatia, ſiue Aſcites, ſiue timpanites.

## *SCHOLIA.*

*Vlcera hydropicorum, non ſolum anaſarca ſed & aſcite laborantium vix, ac ne vix quidem curationem recipiunt. Vlcera enim præterquam quod exſiccari poſtulant, humido quoque calore cæleſti perfuſo parti inſito indigent, vt regenerentur ac coeant partes vlceratæ. At in vlceribus hydropicorum nulla exſiccatio procurari poteſt, propter perennem affluxum ſucci ſeroſi putris: parteſque corporis hydropicorum deſtituuntur humido natiuo & calore: ſicceſcunt enim in dies, quòd nullo alimentario humore ac ſanguine laudabili irrorentur ob hepar refrigeratum: refrigerantur quoque in*

*dies à ſucco ſeroſo. Proinde vlcera hydropicorum non tantum inſanabilia ſed & lethalia exiſtunt, quæ ratione hydropis oriuntur.*

## *APHOR. IX.*

TA' πλατέα ἐξανθήματα οὐ πάνυ τι κνησμώδεα.

*LAtæ puſtulæ non admodum pruriginoſæ.*

TA' ἐξανθήματα non ſunt variolæ, vt volunt nonnulli: nec tribuere ſpeciei oportet nomen generis. Nam ἐξανθήματα, in genere φυμάτων continentur, ſed ſunt minora. Exanthematum autem ſpecies ſunt variolæ, rubiolæ, ſcabioſæ. Eſt locus 2. Epidem. vbi Hippo. variolas illas vocat τρηχύσματα, id eſt, aſpredines. Intelligit eas variolas quæ ſpecie milij accidunt criticè, vt menſe maio. Sed exanthematum ſeu puſtularum duæ ſunt præſertim ſpecies. Puſtulæ enim aliæ latæ ſunt, aliæ acuminatæ. acuminantur à materia acri & calida. Lateſcunt vero à craſſitie materiæ & frigiditate. Nam quemadmodum tenuiora & calidiora elementa (vt ignis) tendunt in pyramidem. Frigidiora vero & craſſiora (vt aqua) in latitudinem magis: ita humor calidus & tenuis acuitur. Craſſus verò ac frigidus potius ampliatur. Altera ratio eſt ex meatibus cutis, quia aliquando rarior eſt, aliquando denſior. in denſa cute materia quæ à natura foras repellitur, dilatatur ſub cute. At vbi rarior eſt cutis, facilius exit. Hoc fit, vt in tela recens texta: quæ ſi humore aliquo aſpergatur, diſtenditur humor. Sin ſit vetus quia rara eſt, magis ac celerius

penetrat humor. Porrò omnis pruritus fit aut à pituita ſalſa, aut ab alterutra bile. Si ſit bilis, fit exulceratio & dolor. Si pruritus ſit à pituita ſalſa, non ita mouetur dolor, ſed fit exulceratio, vnde ſcabies. Si materia frigidior eſt, neque dum calorem illum putrefacientem, vnde ea ſalſugo pituitæ, à qua pruritus, contraxit, facit puſtulas latas quæ pruriginem non excitant. Præterea ſalſa pituita non eſt tam craſſa, quàm reliqua pituita quæ ſalſa non eſt. Ob id facilius penetrat cutim & exhalat. At bilis facilius cutim permeat & diſcutitur, quam ſalſa pituita.

## *SCHOLIA.*

*Pruritus, eſt dolor neſcio cuius iucundæ voluptatis particeps, ſine aſperitate & exulceratione, excitatur ſub cute ab excremento acri immoto, biliosſo, aut pituitoſo aut atrabiliario: eos potiſsimos exercens qui ſordidi ſunt, qui cruditate laborant, & vitioſis ſuccis aluntur, multoque magis ſcabioſos & leproſos. Talis autem ſenſus doloris percipitur in ſcalpendo, aut excalefacto acri excremento ſub cute contento, idque plus vel minus, pro ratione excrementi magis aut minus acri: bilioſum enim excrementum, quàm pituitoſum aut melancholicum, acrius ſenſum mouet. Hinc fit, vt latæ puſtulæ quæ fiunt à pituita, minus pruriant, quam acutæ & faſtigiatæ, quæ fiunt à bile. Bilis enim calida cum ſit, ſicca & tenuis ſenſum magis proritat, quàm pituita & melancholia. Adde quod, latæ puſtulæ habent maiorem tranſpirationis locum quàm acutæ & breues. Quinetiam pituita & melancholia non niſi per accidens mouent*

*pruritum, quando ſcilicet putrefacta fuerint, vt videre licet in ſcabie, pſora & lepra.*

## *APHOR. X.*

ΚΕφαλὼ πονέοντι καὶ περιωδυνέοντι, πῦον, ἢ ὕδωρ, ἢ αἷμα ῥυὲν κατὰ τὰς ῥῖνας, ἢ κατὰ τὸ στόμα, ἢ κατὰ τὰ ὦτα λύει τὸ νόσημα.

*CApite dolenti & vehementer laboranti, pus vel aqua vel ſanguis, per nares, aut os, aut aures effluens, morbum ſoluit.*

HIc Aphoriſmus eſt de diuturnis capitis doloribus, & aliquando retentibus: & præcipue ſi addamus αἷμα. quod etiam additur à nonnullis. Omnibus corporis partibus vis eſt expultrix eorum quæ nocent. Ob id ſi in capite multa eſt pituita, vel ſanguis, vel inflammatio natura molitur excretionem materiæ, vnde fiebat dolor. Hinc eſt vt poſt ſummos & diuturnos dolores capitis natura excernat ſanguinem per nares, aut liquidæ pituitæ per os, aut etiam per nares, & ita ſoluatur dolor capitis. Illa tamen pituita nonnumquam repurgatur cerebrum per venas, per ſpinam, per oculos. Sed per oculos raro, nec naturale eſt. Nam oculi ſunt nobiles partes. at pus à capite repurgatur per aures ſæpius, per nares & os ſed rarius. In hac itaque ſententia meminit meatuum & viarum per quas naturaliter repurgatur cerebrum: non tamen quod aliæ non ſint, vt diximus. πονέοντι poteſt intelligi de vehementi dolore diſperſo per totum caput dicit Philoth. quod Hippo. vocat particulam quandam capitis. Sed videtur notare affectionem quandam generalem. Itaque dicitur de toto capite dolente. περιωδυνέοντι. poteſt intelligi de ve-

hementi dolore ( περὶ namque in compoſitione ſæpe ſignificat augmentum) ſed recte dicitur de ſymptomate, quod ſequitur capitis affectionem & dolorem. Pus effluens per aures abſceſſu ſcilicet cocto, vel aqua per nares & os repleto cerebro pituita, morbum tollit, poteſt addi αἷμα & vſu ipſo experimur dolores, & grauitates capitis ſolui fluxione ſanguinis per nares.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon eſt de ſolutione dolorum capitis integra & abſque recidiu. Soluuntur dolores capitis, effuſione puris, aut aquæ, aut ſanguinis per nares, vel palatum, vel os, vel aures. Vbi proponitur medico ratio conſulendi doloribus capitis petita à motu naturæ, quo ſolet dolores capitis ſoluere. Cum enim dolor omnis capitis fiat ab humore, aut flatu, aut intemperie, aut vapore: ſi eum, qui ab humore fit effatu digno, natura per euacuationem puris, aut aquæ, vel ſanguinis, per nares palatum, os, aures quæ ſunt emiſſaria cerebri: eum verò qui ab intemperie, aut flatibus, aut vapore per alterationem aut inſenſilem tranſpirationem ſolet integrè ſoluere: medicus, qui naturæ eſt imitator, tot modis dolores capitis ſanabit. natura autem quoſuis dolores capitis, tum mites, tum vehementes, tum externos, tum internos ſanat: aut effuſione puris per ea loca, ſi inflammatio à ſanguine extra vaſa ſuborta, abierit in ſuppuratum: aut effuſione aquæ, id eſt, humoris concocti qui bilis, vel pituita, vel melancholia fuerit. Sic enim Hippoc. libro de natura pueri nomine aquæ tres illos humores complexus eſt: vel ſanguinis effluxu per nares, ſi intra vaſa contentus ſanguis quantitate aut qualitate peccauerit.*

## APHOR. XI.

TOῖσι μελαγχολικοῖσι, καὶ τοῖσι νεφριτικοῖσι, αἱμοῤῥοΐδες ἐπιγινόμεναι, ἀγαθόν.

*MElancholicis & nephriticis hæmorrhoides ſuperuenientes, bono ſunt.*

HIppo. multo plenius notauit vtilitatem hæmorrhoidum lib. 6. Epidem. comment. 3. & ad finem lib. de humoribus vbi dicit hæmorrhoides non ſolum ſoluere melancolicos affectus, & renum paſſiones, ſed etiam & pleuritidem, & peripneumoniam, & maniam, & phagædenica, & tubercula, terminthos, furunculos, vitiligines, denique omnia quæ habent melancholicum humorem permixtum aliis humoribus. Ob id lib. 6. Epidem. vbi legitur, ἄλλοις, videtur legendum ἀλφοῖς & ſane ratio ipſa ſuadet. Nam cum vitiligo ſit à pituita ſalſa & melancholiæ permiſta, veriſſimile eſt hæmorrhoidas hanc materiam repurgare. Itaque hæmorrhoides non ſolum melancholicos affectus & renum paſſiones liberant, ſed etiam vindicant à pleuritide, vitiligine &c. Præterea cum hæmorrhoidibus certum eſt, quòd etiam repurgatur pars quædam pituitæ ſalſæ, & alia ſanguinis vitia. Id dico quia Galen. aſſerit impoſſibile eſſe hæmorrhoidas fieri, niſi à ſanguine melancholico, quod etiam falſum eſſe experimur. Siquidem aliquando liquidus & purus ſanguis repurgatur: denique qualis materia per menſes excernitur, talis poteſt euacuari per hæmorrhoidas. Si ergo ea materia quæ per hæmorrhoidas expurgari ſolet, ſurſum feratur ad cerebrum, fient maniæ: ſi ad alias partes corporis, alij dolores & morbi. Quòd ſi ea

materia ad ſedem diuertat, ſoluetur mania, & alij morbi inde contracti, quia hæmorrhoides ſunt generalis euacuatio, & per eas repurgatur corpus vniuerſum, licet partes eæ magis, quæ cum hæmorrhoidibus conſentiunt, quales ſunt, renes, pudendum, quæ cum hæmorrhoidibus exterioribus communicant. Sunt enim hæmorrhoides exteriores & interiores. De interioribus dubitatio eſt: & aiunt eſſe ramos quoſdam à vena porta, qui communicantur inteſtinis, & purgant fæcem hepatis. alij volunt venulas eſſe à liene ad inteſtinum rectum. Sed de exterioribus non eſt dubium quin ſint ſoboles venæ cauæ ab explantatione poſt venas emulgentes, & diſtribuuntur in renes, veſicam, ſedem, pudendum vterum. propter quem conſenſum ſuppreſſis menſibus (vt in mulieribus viduis) videmus ſæpe menſium loco fluere hæmorrhoides. vidimus quendam qui intollerabili cruciatu renum affligebatur: is nulla phlebotomia, nulla purgatione, nullis remediis topicis potuit leuari, niſi hæmorrhoide aperta. quod enim materiæ reſtitabat in renibus, id vrgebat. Simulatque aperta eſt via, quieuit morbus. Nec tamen ſequitur quod hæmorrhoides ſtatim mouere oporteat, ſi quis ita affligetur. Verum ſi intumuerint, audatius aperiemus. Melancholicos ergo affectus & renum mala curant hæmorrhoides ſuccedentes, hoc eſt ſponte naturæ prodeuntes. Neque enim ſunt excitandæ, niſi ſit conſuetudo. Earum namque conſuetudo mala eſt, ſiue multum, ſiue parum fluant.

SCHOLIA.

HÆmorrhoides venæ, duplices ſunt. Externæ & internæ. Externæ, prodeunt à ramo venæ cauæ crurali nominato. Internæ, à ramo venæ portæ ſplenico. Qui fluit ſanguis per externas, craſſus ac fæculentus eſt, quod is à vena caua prodeat in qua ſanguis magis coctus ac elaboratus continetur. Qui vero per internas non ſemper craſſus ac fæculentus, ſed vt plurimum tenuis & ſplendidus, licet à liene prodeat, per ramum ſplenicum: redditur enim tenuis ac ſplendidus, quòd is à ramo ſplenico, per meſaraicum ramum deſcendens, permiſceatur ſanguini in venis meſaræis contento, qui ſeroſus eſt tenuis, ac ſplendidus, vtpote nondum perfectè elaboratus. Per externas igitur ſi anatomæ credendum ſit expurgatur hepar, renes totum venoſum genus, vterus, veſica, & pudendum. Qui enim ſanguis per eas effluit manat à vena caua & deſcendit ad cutim per tres venas, duas nimirum ilias, & ramulum venæ ſacræ. Proinde illarum fluor confert plurimum affectibus hepatis, lienis, renum, vteri, pudendi, veſicæ. Per internas, expurgatur lien, totumque meſaræum. Qui enim ſanguis per eas effluit, prodit à liene, à quo per ramum ſplenicum deſcendit ad ramum meſenterium, qui ramus inter duas ſui meſenterij membranas intertextus, circa collum & inteſtinum rectum extenditur, indeque in plures exiles ramos diffuſus finem recti inteſtini amplectitur. Proinde illarum fluor confert plurimum affectibus lienis potiſſimum, & meſenterij: renum quoque affectibus ſaltem ratione vicinitatis. Lien enim vicinus per illorum fluorem fæce melancholica exoneratus, exonerat renem vicinum ſaltem ſiniſtrum. Quare retinenda dictio nephriticis, non phreniticis reponenda vt viſum eſt nonnullis.

APHOR.

## APHOR. XII.

Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.

*DIuturnas curanti hæmorrhoidas, niſi vna quæpiam ſeruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet.*

DIfficultas eſt in iis qui ſunt aſſueti hæmorrhoïdibus (quemadmodum quibuſdam accidit, & aliquando toti familiæ) an earum curationem tentare debeamus necne. At in non aſſuetis & inſolentibus minus id dubium eſt, quin curandæ ſint: Quandoquidem in omnibus conſuetudo & immoderatio hæmorrhoidum mala eſt & grauis, adeo vt ex iis plærumque oboriatur marcor & tabes. Iam ſi curare velimus, controuerſia eſt an omnes tollendæ ſint, an vna relinquenda. Hippo. librum de hæmorrhoidibus ſcripſit, vbi non meminit vnius relinquendæ, ſed omnes vel ſecat vel vrit, vel putrefacit, vel filo (quod hodie eſt vſitatiſſimum & tutiſſimum) conſuit & conſtringit. Tamen in hoc Aphoriſ. & in fine lib. 4. de victu acutè vult vnam relinqui: idque ſiue ſequamur curationem per filum, ſiue vtamur putrefacientibus medicamentis, ſiue vramus, ſiue ſecemus. Aëtius nullam vult relinqui, quia vbi vel ſecueris, vel vſſeris, vel conſueris, oportet inquit inſtituere victus rationem conuenientem, exercitia, phlebotomiam, & medicamenta per interualla, ne colligatur materia quæ poſſit fluere ad hæmorrhoidas. Nam ſi vacuatur materia hæmorahoidum, cur relinquentur venæ hæmorrhoides. Videtur Gal. probare eandem viam. Hipp. tamen dicit quòd ſi cui importunè & intempeſtiuè curentur, fient ſupra-

dicti morbi: hoc eſt, ſi cui tollantur hæmorrhoides omnes importunè, fient hydropes, tabes, pleuritides, peripneumoniæ, maniæ, lepræ, phagædena, terminthi, furunculi, alphi &c. Gal. dicit ἀκαίρως curare dupliciter intelligi, & in eo duos eſſe errores. primus eſt quia ἀθρόας, id eſt, ſubitò curantur. Si quis enim vno die ſimul ſecet & vrat, error eſt. Nam vbi conſilium eſt curandi omnes hæmorrhoides, oportet paulatim id facere & interquieſcere, vt ſi qua materia reliqua ſit, vacuetur per hæmorrhoides. Itaque tempeſtiuè curabuntur, ſi intermittamus aliquot dies. Sint (verbi gratia) 4. hæmorrhoides primo die, vna tantum excipietur filo, & aliæ relinquentur. Die ſequenti aut altero, colligabitur altera, relictis aliis, vt ſemper aliqua materia effluat: & ita ſenſim curabimus donec tota materia defluxerit: alioqui magnus erit error: quia materia ſurſum recurret, & maniam alioſque ſupradictos morbos efficiet. Alter erit error, ſi importunè curentur, hoc eſt, niſi per interualla, & maximè per eas periodos quibus melancholicus ſanguis repurgatur per hæmorrhoidas, ſanguinem detrahamus, medicamenta purgantia inſtituamus, exercitia conuenientia imperemus, præſcribamus probam victus rationem, quæ prohibeat nouam generationem materiæ. Itaque eo modo Galen. videtur liberum facere, vt omnes tollantur; ſed non ſimul. Quarto Epidem. eſt hiſtoria de quodam, cui conſuluerat Hippocr. ne omnes hæmorrhoides tolleret, is noluit credere Hippocr. ſed aliis ſe commiſit, quorum conſilio ablatæ ſunt omnes, & conualuit. poſtea tamen mania correptus eſt. Quare melius eſt

vnam relinqui, & minor erit moleſtia, ægrum per vnam expurgari, quàm ablatis omnibus, obſtringi phlebotomiis, purgationibus, exercitiis, viuendi rationibus certis & ſtatis. vel certè, ſi hoc non faciat, in periculo eſſe ne morbos prædictos incurrat. *Diuturnas.* nam ſi recentes ſint, poterunt ſupprimi, exhibito medicamento, quod purget melancholiam, pituitam: aut inſtituta phlebotomia, aut adhibita victus ratione idonea. At ſi æger obnoxius ſit morbo comitiali, melancholiæ, tabi &c. non ſunt ſupprimendæ recentes. *Aquam inter cutem.* recurrente ſanguine ad hepar & ob multitudinem & craſſitiem intercipiente vias, ita vt extinguatur calor natiuus ipſius hepatis, fiunt hydropes. Et quia aliquando robuſtius eſt hepar, quod ſibi nocet, reiicit in pulmones, vnde tabes: aut in latus, vnde pleuritides: aut in caput, vnde maniæ: aut, ſi aliæ quoque partes interiores ſint robuſtiores, ad cutim: vnde fiunt phagedenæ, lepræ, terminthi, &c.

## SCHOLIA.

*HÆmorrhoides à multis morbis liberant, inquit Hipp. 6. Epidem. pleuritide, peripneumonia, phagedena, furunculis, terminthis, lepra, phrenitide, inſania, melancholia, nephritide & multis aliis. Ob id ſi quibus conſuetæ ſunt fluere, moderato & tempeſtiuo curſu, importunè ſupprimantur remediis aſtringentibus ac cicatricem ducentibus, eadem mala inuehunt, niſi reſeruetur vena aperta: frequentius verò & facilius hydropen & tabem, quia cùm venæ illæ in ſede, ob plenitudinem aperiantur, ad quas*

*fæculentus ſanguis & melancholicus reiicitur à iecore, ſi via illi præcludatur, iecur ſcyrrhum contrahit, & multitudine ac craßitie opprimitur, vnde calore ipſius paulatim debilitato & quaſi extincto, generari bonus ſanguis non poteſt., cuius fruſtrata generatio aquam inter cutem facit. Eadem ratione, cum iecur plenitudinem in venas pulmonis protrudit, ex qua vas aliquod rumpitur, tabes generari ſolet. Proinde ne hi morbi eueniant, vna aperta ſeruanda erit, ſi plures extiterint, ſuppreßis aliis. Aëtius tamen non putat vnam apertam ſeruandam, ſed hæmorrhoidibus laborantem, iis omnibus ſanatis & occluſis, vnà ſeruandum eſſe, hoc eſt, antequam periodica fluxio hæmorrhoidum redeat, purgatione, mißione ſanguinis, & debita victus ratione, occurrendum: ne ſanguis ille fæculentus generetur, viamque conſuetam ad ſedem affectet,*

## *APHOR. XIII.*

Υπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

*SIngultu fatigante, ſternutatio ſuperueniens liberat.*

IN conuiuio Platonis aderat conuiua Ariſtophanes, qui corripitur ſingultu, vt ferè fit, cum nimis feſtinanter edimus: aderat & Eryximachus medicus. hic iubet Ariſtophani vt ſpiritum contineat: quia inde, inquit, calor intro coactus augebitur, cuius beneficio vacuabitur materia ſingultus. hac tamen via nō liberato Ariſtophane, ſuadet vt aquam frigidam ore contineat. deſcendit enim ad os ventriculi. Cum non quieſceret ſingultus, inſtituit poſtremo ſternutationem, qua irritata ſingultu leuatus eſt Ariſtophanes. Eſt ergo re-

medium veterum contra ſingultum. Nam in ſternutatione cerebrum, nerui, ventriculus vehementer cócutiuntur, concuſſo cerebro & ore ventriculi, vbi eſt ſingultus, vacuatur plenitudo cauſa ſingultus. Aliquando tamen naſcitur frigefacto ore ventriculi; & tum non difflatur materia. Itaque ſternutamentum concuſſione ſua calefacit & rarefacit materiam vnde ſedatur ſingultus. At ſingultus ab inanitione non ſedatur iis viis.

## *SCHOLIA.*

*Singultus eſt conuulſiuus motus, vel potius conuulſio, non ſolius ventriculi, ſed interdum ſtomachi, interdum œſophagi: qua vis expultrix, quod tunicis aut ventriculi, aut ſtomachi aut œſophagi ineſt, expellere tentat. Huius quemadmodum & omnis conuulſionis tres ſunt cauſæ, inanitio, aut repletio, aut morſus oris ventriculi ab acri aliquo humore, aut ſeroſo & medicato, quo vomitu reiecto, ſtatim ſingultus ſoluitur. fitque ſingultus aliàs per ventriculi propriam affectionem, aliàs vero per conſenſum: vt in meningibus inflammatione laborantibus, aut inteſtinis, aut vtero, aut aliis quæ vſpiam ſunt, neruoſis partibus, aut hepate inflammato. ſternutatio vero cum ſit motus cerebri quo per nares confertim acto ſpiritu nititur ſibi moleſta expellere, non niſi ex euentu ſingultui remedio eſſe poteſt, nimirum propter violẽtiorem motum muſculorum epigaſtrij, cauſam ſingultus ſimul expellentium. Cum enim ad ſternutamentum ciendum, vis expultrix ad vehementiores motus ſe comparet, atque in eo conatu abdominis muſculi intenti appreſſique ventrem vnà comprimant, fit vt vnà quoque expellat ea quæ in ventriculo, aut ſtomacho, aut œſophago, ſingultus cauſæ ſunt. Hoc tamen modo non omnem cauſam ſingultus expellere poteſt ſternutatio: non enim eam, quæ per conſenſum aliarum*

*partium ſingultum ventriculo inuehit, qualis eſt inflammatio hepatis, inteſtinorum, ilei, inteſtinum nimium prolapſum: febris ſingultu[illegible] neque eam quæ eſt ab inanitione nimia, vt è purgatione, excretione ſanguinis, vigiliis immodicis. Sed eam tantum quæ ſedem habet in ventriculo, illique moleſta eſt, vel repletione nimia, qualis eſt cibus aut potus nimius, vt in ebriis, gulonibus, pueris: vel acri qualitate, vt cibus corruptus, acris, aut acerbus, qualia ſunt pira aut poma acerba: Deuoratum pharmacum acre, vt piper, aut venenatum, aut vehemens, vt elleborus. Intemperiem quoque ſolam frigidam ventriculi (à qua ſcribit Gal. in comm. 3. progn. ſingultum ſine febre oriri interdum) ſanat ſternutatio, vt cuius commotione ac agitatione ventriculus incaleſcere poſſit.*

## APHOR. XIIII.

Ὑπὸ ὑδρωπος ἐχομένῳ, τῦ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

*HYdrope detento, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſoluitur morbus.*

HIppo. lib. de iudicationibus ait quod in leucophlegmatia vehemens alui profluuium ſoluit morbum, in aſcite vero addit, quod non ſolum aqua diuertens ad ventrem, ſed & ad veſicam, ſoluit etiam morbum. hoc facit ad curationem. Nam in leucophlegmatia per aluum purgatio & vſus clyſterũ probatur, quia multa eſt materia ſparſa per totum corpus. In aſcite vtendum iis quæ vacuent per deiectiones & vrinas, quia materia eſt in ventre. Quæritur an ſit neceſſe, ſi quis corripitur aqua inter cutem, ſiue ſit leucophlegmatia, ſiue aſcites vt percuretur moto alui profluuio, & euacuata illa aqua vel ſponte naturæ, vel medicamẽtis?

non eſt neceſſe: licet poſt deiectionem æger melius habeat, & liberatus videatur. Poteſt enim aliqua cauſa ſubeſſe, quæ nouam aquam generet. Nam ſi ſubſit vitium in viſceribus & confirmatus fuerit hydrops (vt poſt duos menſes) deſperatio eſt, neque vnquam poterit perſanari æger. Si viſcera non ſint corrupta ſed integra, poterit percurari. Sed videndum eſt vt integræ ſint vires, dum medicamenta adhibes. Nam ſi collapſis viribus id tentes, interim dum purgabitur aqua, morietur æger. Vidimus duos laborantes hydrope thoracis & pulmonis: in altero aperta eſt via, obortaque tuſſi & vehemente ſiti, arefactis ſcilicet pulmonibus, mortuus eſt. Alter non fuit ſectus, ſed tandem periit, & illi inuentus eſt pulmo omnino corruptus. Signa quibus cognoſcas, an qui hoc morbo laborant, affecta habeant viſcera, & percurari poſſint vide lib. de locis affectis & lib. de prædictione. *Aqua quæ in venis.* Philoth. venas interpretatur hepar. Certum eſt generationem aquæ fieri in hepate, neque tamen ſemper in venis manet: ſed aliquando ad pulmones diuertit: aliquando ad ſpatium illud inter peritonæum & inteſtina, aut etiam inter omentum & inteſtinum: aliquando exugitur per venas meſaraicas: aliquando rectà ad inteſtina fertur, vnde fiunt alui profluuia. Profluuium itaque alui morbo liberat, ſiquidem vires integræ ſunt & viſcera non corrupta.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt de ſolutione hydropis. Soluitur hydrops, ſi ſponte naturæ, cum impetu & magna copia, aqua à venis in ventrem confluat, & eodem impetu per aluum aut veſicam vacuetur. Si enim ſenſim ac ſtillatim defluat, poterit retineri*

*in ventre, ac inde hydrops non ſoluetur. Oportet autem, vitium hepatis vnà cum copioſo aquæ confluxu, corrigi: alioquin morbus non ſoluetur. Duæ enim cauſæ ſunt hydropis cuiuſlibet, hepatis vitium, & tumor vel ventris vel molis corporeæ. multis enim ſponte vel arte commoto ventre, & aquoſis multis inde expurgatis, non ſuperfuit ſalus, ſed rediit malum. Seroſus autem ille humor, qui in ventrem confluit, manat è venis, quæ, vel in habitu ſunt corporis, in quibus redundans ſeroſus ille humor loco ſanguinis anaſarcam hydropen parit: vel in hepate ſitæ, quæ ſunt venæ illæ pene immunerabiles, quæ per totum hepar, potiſsimùm partem hepatis cauam inſertæ ac diſſeminatæ ſunt, in quibus ob hepatis vitium, ſanguinis loco ſeroſus hic humor generatur, colligitur ac retinetur, vnde hydrops aſcites. Qui ergo in Anaſarca ab habitu corporis in ventrem, confluit ſeroſus humor, oportet hunc ad hepar primum retrocedere, & ab hepate in ventrem: vt & eum qui in aſcite ab hepate in ventrem, hoc eſt, capacitatem abdominis, parteſque inferiori ventre concluſas, vtpote in omentum, inteſtina & veſicam maximè vero in medium peritonæi & inteſtinorum, confluere. Quibus vero viis ac meatibus ad eas partes confluat, ſic habeto. Ad inteſtina quidem fertur is, qui in caua hepatis parte continetur. Ad veſicam, is qui in gibba eiuſdem parte collectus eſt. Ad omentum excidit per ramos venæ portæ cuius caudicem intra ſe excipit, & ab omento per venas meſenterij in inteſtina transfertur. Ad medium vero peritonæi & inteſtinorum fertur per cæcos anguſtoſque poros (licet aliter Fernellio doctiſsimo viſum ſit) quod non debet magis mirum videri, quam eius humoris portionem nonnumquam in fœmora ad pedes maximè poſt deambulationem, interdum in ſcrotum, veluti cuniculis ſibi inuiſitatam viam parare, & interdum in thoracis ſpatium atque in vterum irrepere. Adde quod ipſemet*

*Fernellius lib.3.methodi medendi cap.7.agnoſcit vias iſtas inaſpectabiles loquens de viribus medicamentorum purgantium. Humores (inquit) in purgatione per cæcos occultoſque ductus vel ab extremo corpore magna perturbatione confluunt in ventrem. Sic hydropicorum aqua ex ingenti capacitate abdominis aut in inteſtina rapitur, aut in veſicam remeat: Sic multa plerunque & è pulmonibus, & è cerebri ventriculis & ex articulorum tumoribus, neque per venas, neque per manifeſtos ductus in aluum illabuntur, &c. Vide Aphor.55. lib.7. & Aphor.35. & 37. lib.6. ſect.2. Coac.*

## *APHOR. XV.*

Ὑπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταὐτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος λύει τὴν διάῤῥοιαν.

*Longo alui profluuio laboranti ſponte vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit.*

Solet Hippocrates notare naturales reuulſiones & vacuationes: vt quo modo in morbis naturam ſalubriter mouere videmus: ita & nos naturam imitemur. Contingit aliquando prouidentia naturæ vomitiones excitari, aliò verſa materia: Ita vt tum reprimátur alui profluuia, quæ alioqui ſiſti non poterant. Sed in recenti alui profluuio non licet vomitiones excitare: at in diuturno licet, modo æger vomere conſueuerit & vires ferre poſſint.

## *SCHOLIA.*

*Dies aliquot aluum fluere, bonum, inquit Celſus, imo vero non ad dies aliquot ſed ad longum tempus aluum fluere*

*ſalubre admodum, vt in hydrope anaſarca, aut aſcite. Quod ſi alui profluuium adferat iacturam virium, corpuſque extenuet, vomitus illi naturæ ſponte ſuperueniens, morbum ſoluit: non tam quòd reuellat aut retineat quod influit, quàm quòd naturæ robuſtæ ſignificatio fiat, vt quæ incipiat materiam retinere, eamque pro materiæ inſolentia ad ſuperiora per vomitum efferre. Sic in longis lienteriis acidus ructus probatur.*

## *APHOR. XVI.*

ΥΠὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγενομένη, κακόν.

*Pleuritide aut peripneumonia detento, diarrhœa interueniens, malum.*

IN peripneumonia, pleuritide propter magnitudinem febris & vigilias, aliáque grauia ſymptomata vires labefactantur. Quod ſi præter hæc accidit etiam alui profluuium, eſt deſperatio: & ob id ἐχομένῳ, id eſt vehementer afflicto, quia febris vehementia, & omnis affectus vehemens vires proſternit. At in recenti pleuritide & pulmonia aliquando diuertit materia ad inteſtina, nec tamen lædit huiuſmodi alui profluuium. Alui ergo profluuium in illis morbis vehementius, malum & vt cauſa & vt ſignum: vt cauſa, quia cum ſit ſymptomaticum & fiat vi morbi, vires frangit. Signum malum, quia indicat hepar & reliquas nutritorias partes cõſentire partibus affectis pulmoni vel lateri. Quoniam enim vis hepatis attractrix cæſa eſt, & ventriculi item retentrix; ideo commouetur alui profluuium. At ſi talis excretio fieret prouidentia naturæ, & co cto iam

morbo, ac pleuritide facta leuiori, non eſſet malum. Ex hac ſententia colligunt plerique in pleuritide & peripneumonia nullo modo mouendam eſſe aluum. Imo mouere poſſumus & tutò, non quidem medicamentis illis veterum fœtibus & agitatoriis: Sed caſſia, catholico, addita aliqua portione rhabarb.

## *SCHOLIA.*

*ÆGri res malè eunt cũ ad animalis atque vitalis facultatis infirmitatem aut laborem, naturalis facultatis infirmitas aut labor accedit. In pleuritide atque peripneumonia laborat reſpiratio, quæ actio eſt compoſita ex vitali & animali: Profluuium alui in hoc vtroque affectu præterquam quod non iuuat morbum, & ſymptomata auget: quod cùm in omni morbo peſſimum eſt, tum in affectibus thoracis, interniſque inflammationibus maximè lethale, vt ſignum & cauſſa. Signum quidem, quia teſtatur affectum communicari hepati & ventriculo, quorum facultas attractrix vel alteratrix collabitur. Cauſſa verò, quia fluxus omnis ſymptomaticus vires exoluit deſurgendi frequentia, exhauſtis ſpiritibus, dolore, vigiliis, nec ex parte affecta quicquam educit. Si tamen in pleuritide aluus bilioſa multa & aquoſa deiiciat, duobus modis vtile id & ſalubre eſſe poteſt. Vno in morbi principio ad materiæ antecedentis auerſionem & expurgationem: Ob idque Hippocrates ſcripſit raro obnoxios eſſe pleuritidi, quibus aluus natura humidior eſt. Altero, in progreſſu & circa ſtatum, modò hæ conditiones in omni critica excretione neceſſariæ conueniant, vt ſigna coctionis tum propriæ in ſputis, tum communis in vrinis apparuerint, magiſque ſi noxius humor expurgetur, atque adhuc magis ſi æger inde leuius ferat malum. Certiora ſunt omnia*

*cum in die critico ſe profert, quod die prænuntio ſignificatum fuit. Cum hac limitatione profluuium alui non ſolum in pleuritide & peripneumonia, ſed in omni alio morbo ſecurum, & ab omni metu reddit præſagium.*

## APHOR. XVII.

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

*OPthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum.*

OPthalmia eſt inflammatio oculi membranæ albæ externæ. Quod autem hic ſcribit Hippocrates verum eſt ex obſeruatione & ratione. Obſeruatio eſt, quia & in lippitudine & in doloribus capitis, alui profluuium ſponte naturæ aliquando commotum ſanat. Ratio eſt, quia maxime probantur reuulſiones naturales, cum materia quæ morbum facit deorſum depellitur. Alui itaque profluuium propter reuulſionem ſoluit ophthalmiam (& maxime vbi ab acri materia & ſanguine cui permiſta ſit pituita ſalſa) ſiue id alui profluuium moueatur ſponte naturæ, ſiue arte (imitatione ipſius naturæ) vt dato rhubarbaro, diaphænico, &c.

## SCHOLIA.

*PRæſtantiſſimum remedium eſt in omni affectu à fluxione orto, à termino fluxionis ad originem, & inde per partem: communem ac remotiſſimam reuellere, ſimul & vacuare: quod ea reuulſio exactiſſima ſit, quæ ſimul vacuat, vt extra corpus humor trahatur: Id efficit diarrhœa ophthalmiæ, tum*

*ſponte naturæ ſuperuenientis, tum artificio medici procurata. Nam tumor ille externus non ſola conſtat meatuum plenitudine, ſed vaſorum etiam internorum diſtentione, quæ cum ſibi continua ſint, partim deſcendentem ſanguinem mutuò excipiũt, partim per meatus & poros internos latiores humorem excludunt. Conquieſcunt ergo ophthalmiæ purgatione, maxime vbi humor acrior eſt: quia in plethoricis, venæ ſectio præcedere debet, præter quas reuulſiones aliæ medico ſunt procurandæ per Clyſmata Cucurbitulas, frictiones, & alia remedia: nec tamen in his remediis reuulſionis acquieſcendum toto fluxionis tempore, ſed & per interualla purgandum, modò verò dolori ſedando incumbendum.*

## APHOR. XVIII.

Κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

*Pertuſa perſecta ve veſica, cerebro, corde, ſepto tranſuerſo, tenui quodam inteſtino, ventriculo, iecore lethale eſt.*

Διακόψαντι, duobus modis intelligitur. Primo dicitur de magnis & profundis vlceribus. Deinde etiam vbi aliquid ſubſtantiæ partis vulneratæ abſciſſum eſt. Iam veſica, conſtat alueo ſeu cauitate conflata ex duabus membranis neruaceis, & item collo, quod eſt carnoſum magis quàm membranæ illæ. Si itaque veſica vulneretur magno & profundo vulnere, quodque perueniat ad eius cauitatem, lethale eſt: quia cum ſit neruoſa & exanguis, vulnus coaleſcere nequit. Lethale quoque eſt, ſi veſicæ pars excindatur, vt in iis quibus extrahitur calculus. Nam calculus aliquando adhæreſcit membranis veſicæ, vt non poſſit auelli niſi magna

## SCHOLIA.

HÆmorrhoides venæ, duplices ſunt. Externæ & internæ. Externæ, prodeunt à ramo venæ cauæ crurali nominato. Internæ, à ramo venæ portæ ſplenico. Qui fluit ſanguis per externas, craſſus ac fæculentus eſt, quod is à vena caua prodeat in qua ſanguis magis coctus ac elaboratus continetur. Qui vero per internas non ſemper craſſus ac fæculentus, ſed vt plurimum tenuis & ſplendidus, licet à liene prodeat, per ramum ſplenicum: redditur enim tenuis ac ſplendidus, quòd is à ramo ſplenico, per meſaraicum ramum deſcendens, permiſceatur ſanguini in venis meſaræis contento, qui ſeroſus eſt tenuis, ac ſplendidus, vtpote nondum perfecte elaboratus. Per externas igitur ſi anatomæ credendum ſit expurgatur hepar, renes totum venoſum genus, vterus, veſica, & pudendum. Qui enim ſanguis per eas effluit manat à vena caua & deſcendit ad cutim per tres venas, duas nimirum ilias, & ramulum venæ ſacræ. Proinde illarum fluor confert plurimum affectibus hepatis, lienis, renum, vteri, pudendi, veſicæ. Per internas, expurgatur lien, totumque meſaræum. Qui enim ſanguis per eas effluit, prodit à liene, à quo per ramum ſplenicum deſcendit ad ramum meſenterium, qui ramus inter duas ſui meſenterij membranas intertextus, circa collum & inteſtinum rectum extenditur, indeque in plures exiles ramos diffuſus finem recti inteſtini amplectitur. Proinde illarum fluor confert plurimum affectibus lienis potiſsimum, & meſenterij: renum quoque affectibus ſaltem ratione vicinitatis. Lien enim vicinus per illorum fluorem fæce melancholica exoneratus, exonerat renem vicinum ſaltem ſiniſtrum. Quare retinenda dictio nephriticis, non phreniticis reponenda vt viſum eſt nonnullis.

APHOR.

## APHOR. XII.

*Αἱμοῤῥοΐδας ἰηθέντι χρονίας, ἢν μὴ μία φυλαχθῇ, κίνδυνος ὕδρωπα ἐπιγενέσθαι, ἢ φθίσιν.*

*Diuturnas curanti hæmorrhoidas, niſi vna quæpiam ſeruetur, periculum aquæ inter cutem vel tabis impendet.*

Difficultas eſt in iis qui ſunt aſſueti hæmorrhoidibus (quemadmodum quibuſdam accidit, & aliquando toti familiæ) an earum curationem tentare debeamus necne. At in non aſſuetis & inſolentibus minus id dubium eſt, quin curandæ ſint: Quandoquidem in omnibus conſuetudo & immoderatio hæmorrhoidum mala eſt & grauis, adeo vt ex iis plærumque oboriatur marcor & tabes. Iam ſi curare velimus, controuerſia eſt an omnes tollendæ ſint, an vna relinquenda. Hippo. librum de hæmorrhoidibus ſcripſit, vbi non meminit vnius relinquendæ, ſed omnes vel ſecat vel vrit, vel putrefacit, vel filo (quod hodie eſt vſitatiſſimum & tutiſſimum) conſuit & conſtringit. Tamen in hoc Aphoriſ. & in fine lib. 4. de victu acutè vult vnam relinqui: idque ſiue ſequamur curationem per filum, ſiue vtamur putrefacientibus medicamentis, ſiue vramus, ſiue ſecemus. Aetius nullam vult relinqui, quia vbi vel ſecueris, vel vſſeris, vel conſueris, oportet inquit inſtituere victus rationem conuenientem, exercitia, phlebotomiam, & medicamenta per interualla, ne colligatur materia quæ poſſit fluere ad hæmorrhoidas. Nam ſi vacuatur materia hæmorrhoidum, cur relinquentur venæ hæmorrhoides. Videtur Gal. probare eandem viam. Hipp. tamen dicit quòd ſi cui importunè & intempeſtiuè curentur, fient ſupra-

dicti morbi : hoc eſt, ſi cui tollantur hæmorrhoides omnes importunè, fient hydropes, tabes, pleuritides, peripneumoniæ, maniæ, lepræ, phagædena, terminthi, furunculi, alphi &c. Gal. dicit ἀκαίρως curare dupliciter intelligi, & in eo duos eſſe errores. primus eſt quia ἀθρόως, id eſt, ſubitò curantur. Si quis enim vno die ſimul ſecet & vrat, error eſt. Nam vbi conſilium eſt curandi omnes hæmorrhoides, oportet paulatim id facere & interquieſcere, vt ſi qua materia reliqua ſit, vacuetur per hæmorrhoides. Itaque tempeſtiuè curabuntur, ſi intermittamus aliquot dies. Sint (verbi gratia) 4. hæmorrhoides primo die, vna tantum excipietur filo, & aliæ relinquentur. Die ſequenti aut altero, colligabitur altera, relictis aliis, vt ſemper aliqua materia effluat: & ita ſenſim curabimus donec tota materia defluxerit: alioqui magnus erit error: quia materia ſurſum recurret, & maniam alioſque ſupradictos morbos efficiet. Alter erit error, ſi importunè curentur, hoc eſt, niſi per interualla; & maximè per eas periodos quibus melancholicus ſanguis repurgatur per hæmorrhoidas, ſanguinem detrahamus, medicamenta purgantia inſtituamus, exercitia conuenientia imperemus, præſcribamus probam victus rationem, quæ prohibeat nouam generationem materiæ. Itaque eo modo Galen. videtur liberum facere, vt omnes tollantur, ſed non ſimul. Quarto Epidem. eſt hiſtoria de quodam, cui conſuluerat Hippocr. ne omnes hæmorrhoides tolleret, is noluit credere Hippocr. ſed aliis ſe commiſit, quorum conſilio ablatæ ſunt omnes, & conualuit. poſtea tamen mania correptus eſt. Quare melius eſt

vnam relinqui, & minor erit moleſtia, ægrum per vnam expurgari, quàm ablatis omnibus, obſtringi phlebotomiis, purgationibus, exercitiis, viuendi rationibus certis & ſtatis. vel certè, ſi hoc non faciat, in periculo eſſe ne morbos prædictos incurrat. *Diuturnas.* nam ſi recentes ſint, poterunt ſupprimi, exhibito medicamento, quod purget melancholiam, pituitam: aut inſtituta phlebotomia, aut adhibita victus ratione idonea. At ſi æger obnoxius ſit morbo comitiali, melancholiæ, tabi &c. non ſunt ſupprimendæ recentes. *Aquam inter cutem.* recurrente ſanguine ad hepar & ob multitudinem & craſſitiem intercipiente vias, ita vt extinguatur calor natiuus ipſius hepatis, fiunt hydropes. Et quia aliquando robuſtius eſt hepar, quod ſibi nocet, reiicit in pulmones, vnde tabes: aut in latus, vnde pleuritides: aut in caput, vnde maniæ: aut, ſi aliæ quoque partes interiores ſint robuſtiores, ad cutim: vnde fiunt phagedenæ, lepræ, terminthi, &c.

## SCHOLIA.

*HÆmorrhoides à multis morbis liberant, inquit Hipp.* 6. *Epidem. pleuritide, peripneumonia, phagedena, furunculis, terminthis, lepra, phrenitide, inſania, melancholia, nephritide & multis aliis. Ob id ſi quibus conſuetæ ſunt fluere, moderato & tempeſtiuo curſu, importune ſupprimantur remediis aſtringentibus ac cicatricem ducentibus, eadem mala incubunt, niſi reſeruetur vena aperta: frequentius verò & facilius hydropen & tabem, quia cùm venæ illæ in ſede, ob plenitudinem aperiantur, ad quas*

*fæculentus ſanguis & melancholicus reiicitur à iecore, ſi via illi præcludatur, iecur ſcyrrhum contrahit, & multitudine ac craßitie opprimitur, vnde calore ipſius paulatim debilitato & quaſi extincto, generari bonus ſanguis non poteſt., cuius fruſtrata generatio aquam inter cutem facit. Eadem ratione, cum iecur plenitudinem in venas pulmonis protrudit, ex qua vas aliquod rumpitur, tabes generari ſolet. Proinde ne hi morbi eueniant, vna aperta ſeruanda erit, ſi plures extiterint, ſuppreßis aliis. Aëtius tamen non putat vnam apertam ſeruandam, ſed hæmorrhoidibus laborantem, iis omnibus ſanatis & occluſis, vnà ſeruandum eſſe, hoc eſt, antequam periodica fluxio hæmorrhoidum redeat, purgatione, mißione ſanguinis, & debita victus ratione, occurrendum: ne ſanguis ille fæculentus generetur, viamque conſuetam ad ſedem affectet,*

## *APHOR. XIII.*

Ὑπὸ λυγμοῦ ἐχομένῳ πταρμοὶ ἐπιγενόμενοι λύουσι τὸν λυγμόν.

*Singultu fatigante, ſternutatio ſuperueniens liberat.*

IN conuiuio Platonis aderat conuiua Ariſtophanes, qui corripitur ſingultu, vt ferè fit, cum nimis feſtinanter edimus: aderat & Eryximachus medicus. hic iubet Ariſtophani vt ſpiritum contineat: quia inde, inquit, calor intro coactus augebitur, cuius beneficio vacuabitur materia ſingultus. hac tamen via nõ liberato Ariſtophane, ſuadet vt aquam frigidam ore contineat. deſcendit enim ad os ventriculi. Cum non quieſceret ſingultus, inſtituit poſtremo ſternutationem, qua irritata ſingultu leuatus eſt Ariſtophanes. Eſt ergo re-

medium veterum contra ſingultum. Nam in ſternutatione cerebrum, nerui, ventriculus vehementer cõcutiuntur, concuſſo cerebro & ore ventriculi, vbi eſt ſingultus, vacuatur plenitudo cauſa ſingultus. Aliquando tamen naſcitur frigefacto ore ventriculi, & tum non difflatur materia. Itaque ſternutamentum concuſſione ſua calefacit & rarefacit materiam vnde ſedatur ſingultus. At ſingultus ab inanitione non ſedatur iis viis.

## *SCHOLIA.*

*Singultus eſt conuulſiuus motus, vel potius conuulſio, non ſolius ventriculi, ſed interdum ſtomachi, interdum œſophagi: qua vis expultrix, quod tunicis aut ventriculi, aut ſtomachi aut œſophagi ineſt, expellere tentat. Huius quemadmodum & omnis conuulſionis tres ſunt cauſæ, inanitio, aut repletio, aut morſus oris ventriculi ab acri aliquo humore, aut feroſo & medicato, quo vomitu reiecto, ſtatim ſingultus ſoluitur. fitque ſingultus aliàs per ventriculi propriam affectionem, aliàs vero per conſenſum: vt in meningibus inflammatione laborantibus, aut inteſtinis, aut vtero, aut aliis quæ vſpiam ſunt, neruoſis partibus, aut hepate inflammato. ſternutatio vero cum ſit motus cerebri quo per nares confertim acto ſpiritu nititur ſibi moleſta expellere, non niſi ex euentu ſingultui remedio eſſe poteſt, nimirum propter violẽtiorem motum muſculorum epigaſtrij, cauſam ſingultus ſimul expellentium. Cum enim ad ſternutamentum ciendum, vis expultrix ad vehementiores motus ſe comparet, atque in eo conatu abdominis muſculi intenti appreßique ventrem vnà comprimant, fit vt vnà quoque expellat ea quæ in ventriculo, aut ſtomacho, aut œſophago, ſingultus cauſa ſunt. Hoc tamen modo non omnem cauſam ſingultus expellere poteſt ſternutatio: non enim eam, quæ per conſenſum aliarum*

*partium ſingultum ventriculo inuehit, qualis eſt inflammatio hepatis, inteſtinorum, ilei, inteſtinum nimium prolapſum: febris ſingultuoſa: neque eam quæ eſt ab inanitione nimia, vt è purgatione, excretione ſanguinis, vigiliis immodicis. Sed eam tantum quæ ſedem habet in ventriculo, illique moleſta eſt, vel repletione nimia, qualis eſt cibus aut potus nimius, vt in ebriis, gulonibus, pueris: vel acri qualitate, vt cibus corruptus, acris, aut acerbus, qualia ſunt pira aut poma acerba: Deuoratum pharmacum acre, vt piper, aut venenatum, aut vehemens, vt elleborus. Intemperiem quoque ſolam frigidam ventriculi (à qua ſcribit Gal. in comm. 3. progn. ſingultum ſine febre oriri interdum) ſanat ſternutatio, vt cuius commotione ac agitatione ventriculus incaleſcere poſſit.*

## *APHOR. XIIII.*

Ὑπὸ ὕδρωπος ἐχομένῳ, τοῦ κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κοιλίην ὕδατος ῥυέντος, λύσις.

*HYdrope detento, ſi aqua è venis in ventrem confluxerit, ſoluitur morbus.*

HIppo. lib. de iudicationibus ait quod in leucophlegmatia vehemens alui profluuium ſoluit morbum, in aſcite vero addit, quod non ſolum aqua diuertens ad ventrem, ſed & ad veſicam, ſoluit etiam morbum. hoc facit ad curationem. Nam in leucophlegmatia per aluum purgatio & vſus clyſterũ probatur, quia multa eſt materia ſparſa per totum corpus. In aſcite vtendum iis quæ vacuent per deiectiones & vrinas, quia materia eſt in ventre. Quæritur an ſit neceſſe, ſi quis corripitur aqua inter cutem, ſiue ſit leucophlegmatia, ſiue aſcites vt percuretur moto alui profluuio, & euacuata illa aqua vel ſponte naturæ, vel medicamẽtis?

non eſt neceſſe: licet poſt deiectionem æger melius habeat, & liberatus videatur. Poteſt enim aliqua cauſa ſubeſſe, quæ nouam aquam generet. Nam ſi ſubſit vitium in viſceribus & confirmatus fuerit hydrops (vt poſt duos menſes) deſperatio eſt, neque vnquam poterit perſanari æger. Si viſcera non ſint corrupta ſed integra, poterit percurari. Sed videndum eſt vt integræ ſint vires, dum medicamenta adhibes. Nam ſi collapſis viribus id tentes, interim dum purgabitur aqua, morietur æger. Vidimus duos laborantes hydrope thoracis & pulmonis: in altero aperta eſt via, obortaque tuſſi & vehemente ſiti, arefactis ſcilicet pulmonibus, mortuus eſt. Alter non fuit ſectus, ſed tandem periit, & illi inuentus eſt pulmo omnino corruptus. Signa quibus cognoſcas, an qui hoc morbo laborant, affecta habeant viſcera, & percurari poſſint vide lib. de locis affectis & lib. de prædictione. *Aqua quæ in venis.* Philoth. venas interpretatur hepar. Certum eſt generationem aquæ fieri in hepate, neque tamen ſemper in venis manet: ſed aliquando ad pulmones diuertit: aliquando ad ſpatium illud inter peritonæum & inteſtina, aut etiam inter omentum & inteſtinum: aliquando exugitur per venas meſaraicas: aliquando rectà ad inteſtina fertur, vnde fiunt alui profluuia. Profluuium itaque alui morbo liberat, ſiquidem vires integræ ſunt & viſcera non corrupta.

## *SCHOLIA.*

*Prognoſticon eſt de ſolutione hydropis. Soluitur hydrops, ſi ſponte naturæ, cum impetu & magna copia, aqua à venis in ventrem confluat, & eodem impetu per aluum aut veſicam vacuetur. Si enim ſenſim ac ſtillatim defluat, poterit retineri*

*in ventre, ac inde hydrops non ſoluetur. Oportet autem, vitium hepatis vnà cum copioſo aquæ confluxu, corrigi: alioquin morbus non ſoluetur. Duæ enim cauſæ ſunt hydropis cuiuſlibet, hepatis vitium, & tumor vel ventris vel molis corporeæ. multis enim ſponte vel arte commoto ventre, & aquoſis multis inde expurgatis, non ſuperfuit ſalus, ſed rediit malum. Seroſus autem ille humor, qui in ventrem confluit, manat è venis, quæ, vel in habitu ſunt corporis, in quibus redundans ſeroſus ille humor loco ſanguinis anaſarcam hydropen parit: vel in hepate ſitæ, quæ ſunt venæ illæ pene immunerabiles, quæ per totum hepar, potiſsimùm partem hepatis cauam inſertæ ac diſſeminatæ ſunt, in quibus ob hepatis vitium, ſanguinis loco ſeroſus hic humor generatur, colligitur ac retinetur, unde hydrops aſcites. Qui ergo in Anaſarca ab habitu corporis in ventrem, confluit ſeroſus humor, oportet hunc ad hepar primum retrocedere, & ab hepate in ventrem: vt & eum qui in aſcite ab hepate in ventrem, hoc eſt, capacitatem abdominis, parteſque inferiori ventre concluſas, vtpote in omentum, inteſtina & veſicam maximè vero in medium peritonæi & inteſtinorum, confluere. Quibus vero viis ac meatibus ad eas partes confluat, ſic habeto. Ad inteſtina quidem fertur is, qui in caua hepatis parte continetur. Ad veſicam, is qui in gibba eiuſdem parte collectus eſt. Ad omentum excidit per ramos venæ portæ cuius caudicem intra ſe excipit, & ab omento per venas meſenterij in inteſtina tranſfertur. Ad medium vero peritonæi & inteſtinorum fertur per cæcos anguſtoſque poros (licet aliter Fernellio doctiſsimo viſum ſit) quod non debet magis mirum videri, quam eius humoris portionem nonnumquam in fæmora ad pedes maximè poſt deambulationem, interdum in ſcrotum, veluti cuniculis ſibi inuiſitatam viam parare, & interdum in thoracis ſpatium atque in vterum irrepere. Adde quod ipſemet*

*Fernellius lib.3.methodi medendi cap.7.agnoſcit vias iſtas inaſpectabiles loquens de viribus medicamentorum purgantium. Humores (inquit) in purgatione per cæcos occultoſque ductus vel ab extremo corpore magna perturbatione confluunt in ventrem. Sic hydropicorum aqua ex ingenti capacitate abdominis aut in inteſtina rapitur, aut in veſicam remeat: Sic multa plerunque & è pulmonibus, & è cerebri ventriculis & ex articulorum tumoribus, neque per venas, neque per manifeſtos ductus in aluum illabuntur, &c. Vide Aphor.55. lib.7. & Aphor.35. & 37. lib.6. ſect.2. Coac.*

## *APHOR. XV.*

Υπὸ διαῤῥοίης ἐχομένῳ μακρῆς, ἀπὸ ταυτομάτου ἔμετος ἐπιγενόμενος λύει τὴν διάῤῥοιαν.

*Longo alui profluuio laboranti ſponte vomitus ſuperueniens, morbum ſoluit.*

Solet Hippocrates notare naturales reuulſiones & vacuationes: vt quo modo in morbis naturam ſalubriter mouere videmus: ita & nos naturam imitemur. Contingit aliquando prouidentia naturæ vomitiones excitari, aliò verſa materia: Ita vt tum reprimátur alui profluuia, quæ alioqui ſiſti non poterant. Sed in recenti alui profluuio non licet vomitiones excitare: at in diuturno licet, modo æger vomere conſueuerit & vires ferre poſſint.

## *SCHOLIA.*

*Dies aliquot aluum fluere, bonum, inquit Celſus, imo vero non ad dies aliquot ſed ad longum tempus aluum fluere*

*ſalubre admodum, vt in hydrope anaſarca, aut aſcite. Quod ſi alui profluuium adferat iacturam virium, corpuſque extenuet, vomitus illi naturæ ſponte ſuperueniens, morbum ſoluit: non tam quòd reuellat aut retineat quod influit, quàm quòd naturæ robuſtæ ſignificatio fiat, vt quæ incipiat materiam retinere, eamque pro materiæ inſolentia ad ſuperiora per vomitum efferre. Sic in longis lienteriis acidus ructus probatur.*

## *APHOR. XVI.*

Ὑπὸ πλευρίτιδος ἢ ὑπὸ περιπνευμονίης ἐχομένῳ, διάῤῥοια ἐπιγινομένη, κακόν.

*Pleuritide aut peripneumonia detento, diarrhœa interueniens, malum.*

IN peripneumonia, pleuritide propter magnitudinem febris & vigilias, aliáque grauia ſymptomata vires labefactantur. Quod ſi præter hæc accidat etiam alui profluuium, eſt deſperatio: & ob id ἐχομένῳ, id eſt vehementer afflicto, quia febris vehementia, & omnis affectus vehemens vires proſternit. At in recenti pleuritide & pulmonia aliquando diuertit materia ad inteſtina, nec tamen lædit huiuſmodi alui profluuium. Alui ergo profluuium in illis morbis vehementius, malum & vt cauſa & vt ſignum: vt cauſa, quia cum ſit ſymptomaticum & fiat vi morbi, vires frangit. Signum malum, quia indicat hepar & reliquas nutritorias partes cõſentire partibus affectis pulmoni vel lateri. Quoniam enim vis hepatis attractrix cæſa eſt, & ventriculi item retentrix; ideo commouetur alui profluuium. At ſi talis excretio fieret prouidentia naturæ, & cocto iam

morbo, ac pleuritide facta leuiori, non eſſet malum. Ex hac ſententia colligunt plerique in pleuritide & peripneumonia nullo modo mouendam eſſe aluum. Imò mouere poſſumus & tutò, non quidem medicamentis illis veterum fœtibus & agitatoriis: Sed caſſia, catholico, addita aliqua portione rhabarb.

## *SCHOLIA.*

*Ægri res malè eunt cũ ad animalis atque vitalis facultatis infirmitatem aut laborem, naturalis facultatis infirmitas aut labor accedit. In pleuritide atque peripneumonia laborat reſpiratio, quæ actio eſt compoſita ex vitali & animali: Profluuium alui in hoc vtroque affectu præterquam quod non iuuat morbum, & ſymptomata auget: quod cùm in omni morbo peßimum eſt, tum in affectibus thoracis, interniſque inflammationibus maximè lethale, vt ſignum & cauſſa. Signum quidem, quia teſtatur affectum communicari hepati & ventriculo, quorum facultas attractrix vel alteratrix collabitur. Cauſſa verò, quia fluxus omnis ſymptomaticus vires exoluit deſurgendi frequentia, exhauſtis ſpiritibus, dolore, vigiliis, nec ex parte affecta quicquam educit. Si tamen in pleuritide aluus bilioſa multa & aquoſa deiiciat, duobus modis vtile id & ſalubre eſſe poteſt. Vno in morbi principio ad materiæ antecedentis auerſionem & expurgationem: Ob idque Hippocrates ſcripſit raro obnoxios eſſe pleuritidi, quibus aluus natura humidior eſt. Altero, in progreſſu & circa ſtatum, modò hæ conditiones in omni critica excretione neceſſariæ conueniant, vt ſigna coctionis tum propriæ in ſputis, tum communis in vrinis apparuerint, magiſque ſi noxius humor expurgetur, atque adhuc magis ſi æger inde leuiùs ferat malum. Certiora ſunt omnia*

*cum in die critico ſe profert, quod die prænuntio ſignificatum fuit. Cum hac limitatione profluuium alui non ſolum in pleuritide & peripneumonia, ſed in omni alio morbo ſecurum, & ab omni metu reddit præſagium.*

## *APHOR. XVII.*

Ὀφθαλμιῶντα ὑπὸ διαῤῥοίης ληφθῆναι, ἀγαθόν.

*OPthalmia laborantem alui profluuio corripi, bonum.*

OPthalmia eſt inflammatio oculi membranæ albæ externæ. Quod autem hic ſcribit Hippocrates verum eſt ex obſeruatione & ratione. Obſeruatio eſt, quia & in lippitudine & in doloribus capitis, alui profluuium ſponte naturæ aliquando commotum ſanat. Ratio eſt, quia maxime probantur reuulſiones naturales, cum materia quæ morbum facit deorſum depellitur. Alui itaque profluuium propter reuulſionem ſoluit ophthalmiam (& maxime vbi ab acri materia & ſanguine cui permiſta ſit pituita ſalſa) ſiue id alui profluuium moueatur ſponte naturæ, ſiue arte (imitatione ipſius naturæ) vt dato rhubarbaro, diaphænico, &c.

## *SCHOLIA.*

*PRæſtantiſſimum remedium eſt in omni affectu à fluxione orto, à termino fluxionis ad originem, & inde per partem: communem ac remotiſſimam reuellere, ſimul & vacuare: quod ea reuulſio exactiſſima ſit, quæ ſimul vacuat, vt extra corpus humor trahatur: Id efficit diarrhœa ophthalmiæ, tum*

*ſponte naturæ ſuperuenientis, tum artificio medici procurata. Nam tumor ille externus non ſola conſtat meatuum plenitudine, ſed vaſorum etiam internorum diſtentione, quæ cum ſibi continua ſint, partim deſcendentem ſanguinem mutuò excipiũt, partim per meatus & poros internos latiores humorem excludunt. Conquieſcunt ergo ophthalmiæ purgatione, maxime vbi humor acrior eſt: quia in plethoricis, venæ ſectio præcedere debet, præter quas reuulſiones aliæ medico ſunt procurandæ per Clyſmata Cucurbitalas, frictiones, & alia remedia: nec tamen in his remediis reuulſionis acquieſcendum toto fluxionis tempore, ſed & per interualla purgandum, modò verò dolori ſedando incumbendum.*

## *APHOR. XVIII.*

Κύστιν διακοπέντι ἢ ἐγκέφαλον, ἢ καρδίην, ἢ φρένας, ἢ τῶν ἐντέρων τι τῶν λεπτῶν, ἢ κοιλίην, ἢ ἧπαρ, θανατῶδες.

*PErtuſa perſectave veſica, cerebro, corde, ſepto tranſuerſo, tenui quodam inteſtino, ventriculo, iecore lethale eſt.*

Διακόπεντι, duobus modis intelligitur. Primo dicitur de magnis & profundis vlceribus. Deinde etiam vbi aliquid ſubſtantiæ partis vulneratæ abſciſſum eſt. Iam veſica, conſtat alueo ſeu cauitate conflata ex duabus membranis neruaceis, & item collo, quod eſt carnoſum magis quàm membranæ illæ. Si itaque veſica vulneretur magno & profundo vulnere, quodque perueniat ad eius cauitatem, lethale eſt: quia cum ſit neruoſa & exanguis, vulnus coaleſcere nequit. Lethale quoque eſt, ſi veſicæ pars excindatur, vt in iis quibus extrahitur calculus. Nam calculus aliquando adhæreſcit membranis veſicæ, vt non poſſit auelli niſi magna

*Aliquo ex tenui inteſtino.* Tenuia inteſtina ſi in ſuperficiem tantum læduntur, poſſunt percurari: at ſi in profundum lethale eſt vulnus. Non enim poſſunt adhiberi remedia. Alia vero inteſtina craſſiora, etiam perforata vt excernatur ſtercus, poſſunt perſanari, quanquam hoc rarum eſt. Quidam fuit confoſſus in inteſtinis ablatis grumis & reliquis quæ poterant impedire glutinationẽ vulneri, adhibita ſunt remedia euæma, hoc eſt, medicamenta aſtringentia quæ vulneribus cruentis induntur: idque parte exteriora: interiore, neglecta. Itaque conglutinato vlcere exteriore, quæ erant confoſſa in profundo prouidentia naturæ glutinata ſunt & percurata. Vide 6. Epidem. hodie etiam id tentatur à multis nec temerè. lib de loc. affect. fit mentio cuiuſdam cui vulneratus erat thorax in profundum: ita vt ex ſtrepitu quodam ſuſpicio eſſet confoſſi pulmonis: Is eſt percuratus appoſitis ſimiliter parte exteriore euæmis, nullo remedio adhibito interiorib'. *Ventriculo* Philothæus, & quidam Grammatici volunt κοιλίαν ſine articulo dici de omni cauitate, Cum articulo vero, de ventriculo propriè appellato, quod eſt receptaculum cibi & potus. Sed iſtud ridiculum eſt, cum hoc loco ſine articulo intelligatur ventriculus. 6. Epidem. cuidam, iaculo ventriculus vulneratus eſt in profundum. ſed mortuus eſt die 7. Verum eſt inquit Gal. quod ſi poſſent adhiberi remedia conuenientia affectui, poſſent percurari eiuſmodi vulnera. Sed quia adhiberi non poſſunt diſſident labra vulneris: neque etiam facilè coire poſſunt, quia ſunt partes neruoſæ & membranaceæ. Quod ſi dederis potiones non contingent locum vulneratum; niſi fortaſſe in fundo ventriculi.

Galenus in commen. meminit lib. cuiuſdam Hippocratis de periculoſis vulneribus (qui non extat) vbi Hippocrates curari vult ventriculi vulnera potionibus. *Iecore* in ſumma iecoris parte conſiſtentia vulnera, etiamſi fibræ auferantur, poſſunt ſanari. Sed ſi vulnus in profundum & cauas partes hepatis penetret, vt attingatur pareuchyma hepatis, aut aliæ venæ, lethale eſt: quod ſcilicet plurimus inde manet ſanguis. Septimo Epidem. fit mentio cuiuſdam, qui iaculo transfixus qua parte multas venas habet hepar, ſtatim euaſit cadaueri ſimilis, & mortuus eſt. Lethalia etiam ſunt vulnera in renibus, vt emingatur ſanguis in magna vena & femoris & tibiæ in magna arteria & in carotidibus etiam. Hæc enim vulnera magna ex parte aut ſtatim, aut paulo poſt mortem adferunt.

## *SCHOLIA.*

*PRogneſticon de vulneribus partium nobilium, aut earum quarum officio vita carere nequit. Quæ omnia magis vel minus lethalia ſunt, hoc eſt, ita periculoſa, vt vel neceſſariò, vel magna ex parte mortem adferant. Magis quidem lethalia, ſi ampla ac magna fuerint. Minùs verò, ſi nec ampla, nec profunda extiterint. Vulnus autem lethale in vniuerſum quatuor modis eſſe poteſt. Vno modo, ratione ſymptomatum ſuperuenientium per cauſæ morbificæ productionem, aut materiæ tranſlationem: qualia ſunt uulnera articulorum & neruoſarum partium quibus accedunt inflammatio ingens, delirium, conuulſio, apoplexia & ſimilia. Hæc enim vt non eſt neceſſe ſuperuenire, ita vbi ſuperuenerint, certa ferè deſperatio eſt. Altero, ob partium vulneratarum nobilitatem inſignem, aut officij ad uitam neceſſarij interceptionem. Sauciatis enim partibus principibus*

*inſigni*

*inſigni vulnere, prius exhauriuntur ſpiritus vitæ inſtrumenta, quàm ſoluta continuitas uniri poßit: Interdum mors obrepit, impedita aut intercepta planè actione aliqua ad vitam neceſſaria, vt ſpirandi actione pulmone vulnerato: Concoquendi, diſtribuendi & excernendi, ventriculo aut inteſtinis vulneratis. Tertio, ex adiunctis, cum ſcilicet vel hæmorrhagia ingens coniungitur, vel curandi ἀδυναμία. Sic enim ſauciato iecore, vel craßis venis perſectis, tanta adeſt hæmorrhagia, vt ab ea mors citius oboriatur, quàm ſoluta continuitas reſtituatur. Vulneratis internis partibus mors conſequitur, quia his adhiberi remedia non poſſunt. Poſtremò, id quod ex ſe ſanabile eſt, ex euentu fit inſanabile,, vt cum telum venenatum eſt, aut cum ſubeſt magna viſcerum impuritas, aut cum in diæta plurimùm peccatur. His ita conſtitutis expendenda ſigillatim vulnera partium de quibus hic fit mentio.*

*Veſicæ quæ pars eſt ratione officij ad vitã neceſſaria, vulnera non omnia ſunt lethalia, niſi ad vulneratam veſicam doloris acerbitas, inflammatio, & febris continua accedant. Plurima vero manent inſanabilia quia non poſſunt coaleſcere, non tamen lethalia. Quæ enim ad interiorem vſque capacitatem, ipſius tunica tota diuiſa perſectaque vulnere inſigni, penetrant, vix ad ſanitatem perducuntur. Quæ circa eius collum, ſanabilia, quia collum carnoſum eſt: vt videre licet in ſectione calculi, modo ne vi hærens forcipibus euellatur, indeque diſcindatur veſica & phlegmonem contrahat. Rarius quoque ſanantur, inflicta qua parte oßi ſacro alligãtur: ſanari tamen poſſunt, quia vinculi interuentu ferruminantur partes diuiſæ: quod Fallopius ſcribit ſe obſeruaſſe in milite cui per vulnus in femore vrina reddebatur. Viſum quoque eſt in multis ex diſcißione veſicæ exempto calculo, aut alio modo vlcere contracto, læſo quoque inteſtino recto, fæces & vrinas*

*per vlcus defluere, eoſque diutiſsimè vitam protraxiſſe. Signa vulneratæ veſicæ locus in pube, aut circa ſedem vulneratus & vrinæ per vulnus, vel ſanguinis per meatum veſicæ excretio. Capitis vulnera, alia, ad oſſa pertinent: alia ad membranas, vaſa, neruos: alia, ad cerebri ſubſtantiam: alia, ad cerebri ventriculos. Omnia huiuſmodi vulnera lethalia. Minus verò lethalia exiſtunt, quibus ſola oſſa franguntur. Quæ ad membranas penetrant potiſsimùm piam matrem, mortiferæ: quia tenuis hæc membrana quæ cerebrum obuoluit, ſola nunquam lædi poteſt, quin vnà quoque cerebrum afficiatur, vt nec cerebrum ipſum citra illius membranæ conſenſum. Siue enim intemperies ſimplex, ſiue cum affluxu humoris alterutrum horum inuaſerit, ſtatim affectum alteri communicari neceſſe eſt. At dura membrana, quia longiſsimè diſtat à cerebro, ſola poteſt affici. Quæ ad cerebri ſubſtantiam penetrant, omnium maximè lethalia: cum ob ſymptomatum ſuperuenientium grauitatem, qualia ſunt inflammatio, febris, conuulſio, Paralyſis, delyrium, ſopor, difficilis ſpiratio, vel etiam abolitio: Tum vero ob partis principis nobilitatem: Etenim, quia pars princeps, celerrimè exhauriuntur ſpiritus, noxáque toti corpori communicatur per priuationem aut abolitionem facultatis animalis: multos tamen ex his vulneribus conualuiſſe multa teſtantur hiſtoriæ. Addit vero* Hip. *plures mori ex iis, qui antica capitis parte quàm qui poſtica vulnerantur.*

*Cordis omnia vulnera abſolutè & neceſſariò lethalia, idque vel repentè, vel non ita multò pòſt. Repentè quidem, ſi magna ſint & profunda. Non ita multò pòſt, ſi exigua. Lethalia verò ſunt, non ſolum ob aſsiduum cordis motum, ſed & carnis duritiem, ſanguinis profluuium, ſpirituum ſubitam reſolutionem, meatuum & ventriculorum à ſanguinis collectione obſtructionem, & neceſſariò ſuperuenientem inflammationem. Etenim, ſi ad ventrem cordis vulnus penetrauerit, ſtatim exhalat anima ſanguinis profuſione neceſſa-*

*rio conſequente, idque præcipue ſauciato ſiniſtro ventriculo, qui vitalem multoque puriorem ſanguinem continet. Quod ſi ictus in corde conſtiterit, nec ad ventriculos vſque peruenerit, tum ad vnum aut alterum diem ſuperſtes eſſe poterit, mox vero inflammatione ſuborta, extinguetur. Quidam obſeruarunt, callum in corde inſtar calculi durum: alij cor pilis refertum: alij, teſtantur ceruam inuentam, quæ ſagittæ aculeum ex longo tempore cordi infixum geſſiſſet. Galenus affirmat ſe vidiſſe victimas: quæ euulſo corde, clamabant & fugiebant. Sed hæc inter portenta habenda ſunt. Signa cordis percuſſi ſunt, præceps virium lapſus, ſanguinis nigri exitus, præſertim ſi telum dextrum ventriculum attigerit, vel ſanguis multus, pulſus languidi, color palladiſſ. ſudores frigidi & fœtidi, extrema frigida, mors fere repentina.*

*Diaphragmatis vulnera, quò viciniora ſunt eius centro, eò magis lethalia. Quæ verò remotiora, minus. Quæ in parte eius carnoſa inflicta ſunt, ſanabilia. Quæ in parte neruoſa, non poſſunt coaleſcere: quoniam ad eius motum perpetuum accedit neruoſa ſubſtantia, quæ nullomodo coaleſcere poteſt, vt patebit ex Aphoriſm ſequenti. Quanquam, ſi ea, nec magna ſint, nec profunda vulnera, ſanari poſſunt. ſed rarò: non ſolum ob perpetuum ſepti motum nerueamque eius ſubſtantiam ſed et ob ſymptomatum ſuperuenientium vehementiam: qualia ſunt delirium, ſpiratio difficilis. Item ob curandi difficultatẽ. Quinetiã vulnera partis carnoſæ ſi foras non perueniant, ſed ex rupto aliquo vaſe in diaphragmate ex caſu, aut lapſu, aut contuſione, oborta ſint: aut ſi phlegmone ſuborta ſit. grauiſſima, curatuque difficillima ſunt. Nimirũ ob retẽtũ ſanguinẽ, qui extra vaſa propria facilè ſuppuratum concipit: vnde naſcitur pus, quod cum liberum non ſemper inde habeat exitum, nec per pulmones, nec per partes inferiores expurgetur: intra peritonæũ defluẽs grauiſſimos dolores noxamque periculoſam inuehit, nõ ſolum diaphragmati*

rum venarum implexu, propria hepatis ſubſtantia concreta nuper ſanguini ſimilis, circunfunditur, profuſione ſanguinis exhalat prius anima, quàm vulnus conglutinari poſsit. Quæ ſubſtantiam hepatis vulnerant, lethalia, cùm inde viſcus inflammari & abſceſſu facto exulcerari neceſſe ſit: vnde cenſet Hip. per abſceſſus & vlcera hepatis omnes ſeruari, quibus iecur aduritur, ſi illæſa ipſius ſubſtantia, pus intra tunicam tantum contineatur: interire verò quibus in carnem vſque iecoris corruptio peruadit. Exiguum autem vulnus in fibris ceu locis hepatis ſine corruptione eius ſubſtantiæ, ſanari poteſt: Accedente corruptione & vlcere perpetuò deſtillante ob nutritionis defectum & fœtidam exhalationem, corpus paulatim marceſcit, & tandem emoritur. Vbi enim iecur affectum eſt, inquit Gal. 5. loc, aff. ob inediam moriuntur animalia: verum per longa temporum ſpatia in huiuſmodi affectibus vitam poſſunt protrahere.

Proinde Galenus, non putat vera dixiſſe eos, qui profunda in lobis vulnera ſe curaſſe, aut ſe fibras ceu lobos hepatis abſtuliſſe dixerunt. Signa vulnerati hepatis ſunt, multus ſub dextro hypochondrio profuſus ſanguis, ad ſpinam reducta præcordia, in ventrem cubandi dulcedo, punctiones doloreſque vſque ad iugulum iunctumque ei latus ſcapularum, os intentum: aliquando, vomitus bilioſus, caui oculi, facies cadaueroſa, anxium mortuum eodem die.

Vulnera ſpinalis medullæ haud ſecus atque cerebri, lethalia ſunt: quòd illa in partibus ſub capite locatis, cerebri vices gerit, habetque cum cerebro ferè omnia communia, ſubſtantiam, neruorum principium, vim ſentiendi prope parem, menynges duas à cerebri meningibus productas, & tertiam fortem atque neruoſam. Lethalia itaque cenſenda, propter partis nobilitatem, nerueam naturam, ſymptoma-

*tum ſuperuenientium magnitudinem, cerebri partiumque vicinarum ſympathiam, & curandi difficultatem. Magis tamen lethalia, quæ in vertebras ſuperiores, quàm quæ in inferiores: quòd ſupremæ vertebræ ſint omnium præſtantiſſimæ. Magis quoque lethalia, ſi magna profunda, tranſuerſa, etſi plures vertebras offenderint, quàm quæ altè non penetrant, aut punctim illata ſunt.*

*Vulnera venarum craſſarum & arteriarum, quales ſunt vena caua, magna arteria, grandes venæ atque arteriæ, quæ ſunt circa fauces, vt pote iugulares, vel in crure: venæ maiores in alis, poplitibus, & iis quæ ad anum teſticuloſque perueniunt (: Quæ omnes venæ & arteriæ παχεῖς, id eſt, craſſæ appellantur ab Hippocrate quòd plurimum ſanguinem fundant) neceſſariò ſunt lethalia: ob immoderatum ſanguinis profluuium, nerueam naturam, arteriarum motum, & ſitum profundiorem: quo fit vt nec medicamenta integris viribus eò perferri, nec ligatura venæ conſtringi ſiſtendo ſanguini neceſſaria, aut manibus tractari queant: Venarum vero minorum vulnera non vſque adeo lethalia, quòd inde tanta ſanguinis profuſio fieri non poßit, ut illa hominem vitali ſpiritu exhauriat. Adde quòd & paucus ſanguis ex illis effluit & celerrimè ac citra noxam in ſuperficie, & oſculo vulneris concreſcit, qui cohibet profuſionem ſanguinis: niſi forſan grumus ſanguinis intus ſuppreſſus ſeruata ſymptomata excitet, ſæpe etiam propter venenatam qualitatem quam concreſcendo contraxit mortem adferat. Grauiora tamen multò ac periculoſiora arteriarum, quàm venarum vulnera: non ſolum quod ſanguinis vitalis ac ſpirituoſi effuſio citius mortem adferat, quàm ſanguinis naturalis. Sed etiam, quod arteriæ vulneratæ multo difficiliores ſunt curatu, ob poſitum ipſarum à natura magis reconditum, agitationem aſ-*

*ſiduam, ſolidiorem ſubſtantiam, duriorem, atque ex tunicis pluribus conformatam. Adde quod inciſa arteria, licet ſanguis ſupprimatur, aneuryſma tamen aliis maius, aliis minus ſuperuenire ſolet.*

*Vulnera aſperæ arteriæ, niſi admodum magna ac profunda fuerint, non ſunt lethalia: ut ſi tota arteria ſimul cum œſophagi contigui parte aliqua præciſa ſit: aut ſi bronchia maiora inter pharingem & pulmonem percuſſa ſint: vel, præſtantiori loco totius aſperę arterię inflicta: vt circa gulæ gutturiſque partes ſummas, vbi nerui, venæ & arteriæ iugulares periculum augent. Non lethalia vero neceſſariò ſunt vulnera, quæ ſunt inflicta ſub vinculis membranoſis, aſperæ arteriæ, vt videre licet in iis, in quibus metu ſtrangulationis ea vincula feliciter ſoluuntur, neque lethalia etiam ſunt, uulnera ligamentorum, quæ bronchia connectunt. vel infra guttur, vel in pulmonibus.*

*Vulnera Pulmonum, ſiue per apertionem venæ alicuius in illis, ſiue per dilacerationem ſubſtantiæ ipſorum accidant: Alia, integro pectore incidunt, vt cum vas aliquod rumpitur aut exeditur ab acri diſtillatione, caſu, lapſu, clamore, ira, acuta voce, &c. Alia foras perueniunt diuiſo thorace & pulmonis carne. Vtraque, ſi exigua fuerint & ſtatim ab initio, cruenta adhuc ruptura, conuenientibus auxiliis, priuſquam phlegmonẽ inuadat, curentur, ſanabilia euadunt: eòque magis ſi pus extrorſum per vulnus exitum habeat. Magna vero vulnera, aut etiam exigua, ſed vel ſerius, vel minus artificioſe tractata, neceſſariò lethalia euadunt: idque tribus modis. Primo, cũ non ſolũ caro pulmonis, ſed et magna vaſa, vt venæ arterioſæ, & arteriæ venoſæ inſignes rami vulnerãtur: tũ enim nõ ſolũ ſanguis ſpirituſque vitalis profũditur, ſed & copia vel grumo pulmones opprimũtur, & ſpiritus cõceptacula intercipiũtur. Secũdo, cũ nõ*

*magna illa vaſa ſanguinea vulnerata ſunt, ſed aſperæ arteriæ membranæ, vel bronchia, tanto vulnere, vt per illud è corde copioſior fFurigo erumpat quàm per os, quo natura legè expurgari debuit. Tertio, cum vulnere exiguo vaſa quidem ſanguinea, ſed minora rupta ſunt: vel caro ipſa pulmonis diuiſa. Peiora tamen multò ſunt, ex ſubſtantia quàm ex vaſis vulnera. Nam, licet ex ſubſtantia parcior ferè ſanguis expectoretur, inſanabile tamen vulnus eſt, quod ad firmam cicatricem attinet. Ex vaſis autem copia quidem magis ferret. ſed ſi ante inflammationem ſubuenitur, non raro coaleſcunt: multoſque à ſe percuratos Gal. teſtatur, ad quos initio vulneris acceſſerat. Eiuſmodi enim vulnera non tam ſuapte natura, neque propter perpetuum pulmonum motum vnioni repugnant, quàm ob phlegmonem ſuperuenientem, quæ ſanguinem, ipſoſque pulmones putrefacit, vnde empyema ſuboritur: quod cum adeſt, exigua ſpes glutinandi pulmonis relinquitur: niſi foras pus è vulnere exitum habeat, idque patente ſatis foramine in thorace: aut per tuſſis contentionem. Signa vulneratorum vaſorum, pulmonum, diuiſo pectore hæc ſunt. Sanguis ſpumoſus, interdum rubicundus, interdum niger effluens: quid vaſa pulmonis, vtrumque ſanguinem continent: Perpetua ferè tuſſis ſiue ſicca, ſiue humida: niſi adſit virium imbecillitas, aut pulmonum oppreſſio à ſanguine, aut niſi ſuperficiarium ac leue ſit vulnus. Cum caro pulmonum ſauciata eſt: nec cruenta expuitio, nec tuſſis vlla vrget: quia ſanguis in Cauum thoracis deſtillat: Sed reſpiratio difficilis: viciſſitudo caloris & frigoris propter halitus è corde qui ſtatim diſcutiuntur: characteris faciei mutatio. In thoracis Cauo ſæpe ſanguis cohibetur, periculumque empyematis inuehit, ſiue ex pulmone eò illapſus ſit, ſiue è thorace.*

*Vulnera renum & lienis vt plurimum lethalia ſunt. Renum quidem, quòd illi multa vaſa contineant, perpetuum excrementorum illapſum excipiant, vſumque habeant vitæ conſeruandæ neceſſarium: lienis vero, quod is habeat munus toti corpori apprimè vtile ac prope neceſſarium, ſitque (vt nonnullis viſum eſt) velut alterum hepar. Ideò autem hîc prætermiſſa ſunt, quod non adeo periculoſa ſint, vt cæterarum partium quæ modò dictæ ſunt. Vide Apho. 16. & 17. ſect. 3. lib. 3. coac.*

## APHOR. XIX.

ΕΠὴν διακοπῇ ὀστέον ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον, ἢ γνάθου τὸ λεπτὸν, ἢ ἀκροποσθίη, οὔτε αὔξεται, οὔτε ξυμφύεται.

*PErfectum os, aut cartilago, aut neruus, aut genæ tenuis particula, aut præputium neque augetur, neque coaleſcit.*

HÆc omnia non ſunt lethalia. Partes ſeminales non poſſunt regenerari (vt eſt in arte parua) neque coaleſcere, niſi innato aliquo corpore inter labra vulneris. Vbi itaque os præciſſum eſt, hoc eſt, vbi eſt magna & profunda oſſis fractura: vel, vbi pars oſſis eſt exciſa, non poteſt percurari. Os enim natura ſua durius, non poteſt molliori ſubſtantiæ coaleſcere & vniri. Cartilago (vt narium & articulorum) non poteſt augeri, neque coaleſcere, cum accedat ad naturam oſſis. Sic neruus, quæ eſt pars ſeminalis. venæ tamen & arteriæ poſſunt regenerari aliquando, Per genæ autem particulam tenuem, intelligit abneruationes illas lati muſculi ad oculos & palpebras & labra. Porro præputium Philot. exponit extremum glandis

ſed ἀκρoπoσθίην hîc vocat Hippocra. extremum veſtis illius & cutis quæ glandem tegit. hoc non poteſt regenerari. Galenus tamen in arte parua pueros excipit, in quibus poteſt renaſci. Ariſtot. lib. de hiſtor. animal. his addit palpebras quæ regigni & coaleſcere non poſſunt. Cæterùm, pars quæ ex carne eſt, augetur regenerata eadem ſubſtantia quæ fuit: iis vero conglutinatis quæ ſunt diuulſa coaleſcit.

## SCHOLIA.

*PRognoſticum eſt de partium ſimilarium ac ſolidarum abſciſſarum, aut diciſſarum reſtauratione vel vnione penitus impoßibili. Cuius ratio generalis petenda eſt à natura ac prima conformatione partiũ ſimilariũ, quæ oẽs ſunt ſpermaticæ, etenim partes ſpermaticæ quales ſunt, venæ, arteriæ, nerui, ligamenta, tendines, cartilagines, ſemel deperditæ aut diuiſæ, nunquã regenerantur, vt vult Galenus: vel nunquam augentur aut vniuntur vt hîc ſcribit Hipp. Quod enim Hippocr. hîc accretionem appellat, Gallenus generationem nominat. Quæ licet duo nomina ſint, res tamen vna atque eadem. Augeri enim partes hîc dicuntur Hippocrati, quæ acceßione ceu appoſitione nouæ quantitatis ſecundum trinam dimenſionem extenduntur, nouamque magnitudinem in toto acquirunt. Quo augeſcendi modo, partes ſpermaticæ abſciſſæ augeri non poſſunt, quoniam earum magnitudine diminuta per abſciſſionem, nunquam poſſunt per additionem nouæ ſubſtantiæ reſtitui, quæ in trinam dimenſionem extendatur, quæque natura & forma eadem ſit cum priore deperdita. Diuiſæ quidem partes ſpermaticæ, quæ non ſunt penitus ſeparatæ, per nutritionem, quæ reponitur*

*ex alimento ſupplementum in defectæ partis loco, poſſunt augeſcere: poſſunt quoque augeſcere per acceßionem materiæ, cum poro ferrumminantur ac agglutinantur: ſed illa nutritio, licet vera ſit, non auget ſemper omnes dimenſiones, ſed internum tantum ſpatium, quod eſt in laxitate, replet: acceßio vero materiæ nec extendit corpus in trinam dimenſionem: ſed apponitur tantum ad vnam partem, nempe ad labra partium diuiſarum, nec eſt materia, quæ natura & forma eadem ſit cum priore diuiſa. Galenus autem appellat regenerationem, reſtaurationem partis deperditæ, quæ fit per additionem nouæ partis, quæ additio, fieri non poteſt ſine generatione partis quæ additur. Quæ generatio partis nouæ additæ ad partem praexiſtentem ac ſuperſtitem, eſt accretio partis eiuſdem præexiſtentis. Generatur ergo Galeno, pars quæ additur. Accreſcit vero Hippocrati pars quæ præexiſtit, acceßione nouæ partis quæ generatur atque additur. Quod vtrunque verum eſt & propriè atque accuratè dictum. Cur vero partes ſpermaticæ abſciſſæ aut diuiſæ non regenerentur Galeno: aut non accreſcant Hippocrati, nonnulli, cauſam ad materiæ ſeminalis defectum: alij, ad facultatis conformatricis corruptionem aut ceſſationem: alij, ad ſiccitatem partium: alij, ad defectum caloris vteri, qui cum author ſit primæ conformationis præcipuus, non poteſt adeſſe in iſta regeneratione: alij, ad debilitatem partis mutilatæ referunt. Quæ omnia non videntur probabilia. Nam & ſperma quotidie, ſanguiſque ſeminalis gignitur in venis, totoque corpore, qui ſi ad regenerationem venarum atque arteriarum ſaltem paruarum, vt voluit Galenus, ſuppetere poßit, ſuppetet quoque ad regenerationem aliarum partium ſpermaticarum. Item, ſi ſuppetat ad incrementum corporis, ſuppetere quoque poterit*

*ad regenerationem partium, videmus enim augeri partes ſpermaticas, & caua vulnera etiam in decrepitis repleri, cum tamen partium incrementum iam dudum ceſſauerit, tantum quidem de regeneratione natura eſt ſollicita. Adde quòd, ſi dentibus regignendis materia ſpermatica ſuppetit etiam poſt vigeſimum annum, ſuppetit etiam pro gignendis aliis partibus: niſi quis cum Realdo Columbo, exiſtimet dentes non regigni, ſed eorum tantum appendices, radices vero omnium eorum efformari in matris vtero: ita vt radices perpetuò remaneãt, appẽdices ſolæ euellantur & euulſæ regignantur. Neque corrupta eſt aut ceſſat facultas formatrix, cùm ea partes ſanguineas cauaque vulnera reparet. Neque ſiccitas, impedit regenerationem: inditio ſunt pueri, in quibus partes omnes ſpermaticæ licet ſiccæ ſua natura ſint, regignuntur. Nec deeſt calor ille qui aderat in prima conformatione in vtero, vt cuius vi augeatur totum corpus ſaltem ad conſtantem vſque ætatem, & reparetur quod in cauitate vulnerum deperiit, licet extra vterum. Debilitas vero partis mutilatæ non eſſe poteſt impedimento iſtius regenerationis, cum videamus callum gigni in oſſibus, partibus frigidiſſimis ac ſicciſſimis. Ratio igitur iſtius impoſſibilis generationis petenda eſt ex multis. Partim ex defectu facultatis conformatricis, nam partes ſingulæ, vt generentur, poſtulant certam figuram & formam, quam ſolum ſemen in vtero, inditum à parentibus in prima conformatione vt opifex præbere poteſt, idque non niſi exuſcitatum ab ingenita vi vteri, qui ſopitam ſeminis vim & deliteſcentem in eo poteſtatem ad agendum extimulat. Non mirum ergo, ſi illæ non regignantur, cum deſit à quo, & locus in quo formari ac figurari poſſint. Quòd enim carnoſæ partes tam facilè regenerentur, id fit, quia circumſcriptionem tam exactè definitam non habeant, quam vel oſſa, aut aliæ partes, ſolidiores, ſed eam magna ex parte mutuãtur à partibus quibus fouendis, muniendis*

*& alendis à natura adaptatæ ſunt: Quod etiam ſuam generationem ſimplicem obtineant à carnoſis partibus ſubiectis aut circunſtantibus, quæ natæ ſunt ſibi ſimile reddere. Præterea, valida ſatis non eſt facultas formatrix ad regenerationem partis abſciſſæ, cum pars vulnerata præ imbecillitate malaque diatheſi non poſſit alimento affluenti figuram ac formam naturalem imponere tam cito, quàm ſit neceſſarium ad partis præexiſtentis regenerationem. Interdum etiam partes vicinæ impedimento ſunt, quo minus fiat partium ſpermaticarum regeneratio. Si enim partes ſpermaticæ quia duræ, ſiccæ ac frigidæ ſunt, non admittunt vnionem naturalem: multominus regenerationem nouæ ſubſtantiæ: quòd ea vnio ac regeneratio, non niſi per multos dies ne dicam menſes fieri poſſit, ideo partes carnoſæ circumuicinæ & ambientes prius replent vacua ſpatia, quàm poſſint exangues illæ partes frigidæ & ſiccæ ex ſanguine, eam portionem quæ ſibi deeſt, regignere. Aliquando etiam deficit materia laudabilis ac neceſſaria ad generationem, & quæ ad ſuſceptiones formæ partis apta non ſit, qualis erat ex ſemine & menſtruo ſanguine, accedente etiam frigiditate & imbecillitate partis quæ nequit alterare materiam & commutare in partis ſubſtantiam. Accedit huc, quod naturam non appetit infinitum: appeteret autem ſi quid ſemel conformatum eſt, ſemper conformaret, etiamſi abſciſſum aut diuiſum eſſet, ceſſat enim natura vbi ea finem ſibi propoſitum eſt aſſecuta. Expleuit enim conformationem in vtero, expleuit quoque menſuram ac augmentum corporis poſt annum triceſimum. His ergo abſolutis operibus, feriatur ac ceſſat: non ceſſat autem in regignendis partibus carnoſis quod illis opus ſit ad muniendas, fouendas & alendas cæteras partes, quæ corpori tanquam ſtabilitatis firmamenta conſtitutæ ſunt. Proinde ſpermaticæ partes nec augentur nec regeneratur, ſed earum vulnera è quibus portio aliqua ſimilaris ablata eſt, caua ſemper manent,*

*quòd nihil in eius locum quod ablatum eſt reponi ac regignì poſsit : quòd idem ſit natura ac forma cum eo quod deperiit. Quod etiam carnis generatio quæ prompta ac facilis eſt, (quod ea nihil aliud ſit quàm ſanguis mediocriter ſiccatus & denſatus) partis ſpermaticæ generationem quæ longo indiget tempore, anticipet. Carnoſarum vero partium vulnera, caua ſi fuerint, non remaneant caua, niſi Chirurgi erratum ſit cum ſanguis illis perpetuo affluat, cuius appoſitione ſenſim producitur caro mollior ad partes reparandas. Item vulnera partium, ſpermaticarum quæ ſunt abſque amiſsione portionis alicuius partis ſimilaris, & in quibus diuiſæ ſunt partes nec penitus ſeparatæ : ita vt in illis ſubſit ſubſtantia poros ceu meatus continens, per quos veluti per canales quoſdam, alimentum, ſenſus & vita in partes diuiſas diffunditur : non poſſunt vniri nec conſolidari ſubſtantia quadam verè ſpermatica : ſed tantum agglutinari & velut ferruminari interuentu pori ceu glutinis cuiuſdam qui poru materiam habet à crudo quodam ac craſſo humore qui pro alimento affunditur parti diuiſæ.*

## *APHOR. XX.*

ΗΝ ἐς τὴν κοιλίην αἷμα χυθῇ παρὰ φύσιν, ἀνάγκη ἐκπυηθῆναι.

*SI in ventrem ſanguis præter naturam effuſus fuerit, is ſuppuretur eſt neceſſe.*

HOc in confeſſo eſt : ſanguinem omnem extra vaſa, hoc eſt, venas & arterias cauitateſque ventriculorum cordis naturalis promptè corrumpi. Per κοιλίην autem hîc intelligit κοῖλον & quod vocant

ἰνδίλω, hoc eſt maiores cauitates, vt thoracis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, vteri, cerebri: in quas ſi effuſus fuerit ſanguis corrumpitur. Sed κοιλίας nomine intelligit præterea ſpatia illa inania totius muſculoſi generis, quæ aliquando ſpiritu & rore, aliquando ſanguine (vt in ecchymoſi & quando in muſculis commota eſt inflammatio) replentur: qui ſanguis ita effuſus in partes illas deprauescit.

## SCHOLIA.

*Sanguis conſeruatur in venis non tam ex caloris temperie ſpirituumque libero motu in ipſis venis, vt putauit Ariſtot. quum & reliquum corpus omne tepeſcat: quàm, ex earundem ingenita quadam vi & familiaritate: quæ efficit, vt hæ naturalis & legitimus locus ſint ſanguinis, nec ſanguinem intra ſe conceptum vnquam coire ſinant. huius apertum id eſto inditium, quod in cadauerum venis refrigeratus etiam ſanguis non concreſcat, quem tamen in viuentium inteſtina, aut in ventriculum ac veſicam irruentem, tepor à concretione non præſeruat. Conſeruatur etiam in arteris, ventriculis cordis & cerebri lacuna. Sanguis autem ſolus inter humores concreſcit, vel propter fibras, vt vult Ariſtot. vel ob pinguedinem, quæ refrigerata gelaſcit. reliqui vero humores fuſi & liquidi permanent, etiam extra corpus. Si ergo ex his locis in quibus continetur ſecundum naturam, effundatur præter naturam, vel in inſignes quaſdam cauitates, vt ventriculum, inteſtina, thoracem, vterum, veſicam: vel in ſpatia inania muſculorum: vel in poros ſenſim effugientes: neceſſe vt ſuppuretur, hoc eſt, corrumpatur ac putredinem*

*contrahat, ſi modo diutius in illis moram trahat. Sic enim ſanguis in utere contentus, licet ſecundum naturam illic contineatur, ſi diutius, vt ad quinque aut ſex menſes retineatur, putreſcet neceſſariò.*

## *APHOR. XXI.*

Τοῖσι μαινομένοισι κιρσῶν ἢ αἱμοῤῥοΐδων ἐπιγινομένων τῆς μανίης λύσις.

*INſanis ſi varices, vel hæmorrhoides ſuperueniant, inſaniæ ſolutio.*

GAlen. initio prorrhet. ſcribit ex conſuetudine hominum μανικὸς dici de iis qui ſine febre inſaniunt: & ita, μανία, eſt inſania ſine febre. Tamen ſæpe apud Galen. mania, eſt inſania excitata à flaua bile. Mania, itaque dicetur bifariam: generaliter vt extendatur ad maniam ex flaua bile, & ad melancholiam. minus generaliter de ea, quæ eſt à flaua bile. hoc loco dicitur de melancholica & inſania à ſucco melancholico, vt poſitum ſit genus pro ſpecie. Hæc autem ſententia, eſt exemplum tranſpoſitionis materiæ in alium locum, ſeu μεταστάσεως, idque ſalubriter. Nam ea materia quæ in cerebro faciebat melancholiam, eſt conuerſa ad hæmorrhoidas, & extra vnde varices. Varix naſcitur aliquando in teſticulis, genis, mammis, in uentre infra vmbilicum, mulieribus præſertim vbi multos liberos pepererunt, tamen quia magna ex parte naſcitur in crure hoc modo intelligimus cum Galen. Tranſpoſita ergo materia illa craſſa, ceſſat mania, id eſt, melancholia interprete Galeno.

Ratio

Ratio autem cur ita exponat eſt, quia hæmorrhoides & varicoſæ venæ fieri ſolent ab humore craſſo & melancholico, miſta aliquando pituita craſſa. Porro conſtat hoc ipſo, quòd in melancholia prodeſt detrahere ſanguinem è cruribus & malleolis imitatione naturæ. Conſtat & exemplo melancholici illius, qui dum noctu vagaretur per vias, forte vulneratus eſt in crure, & multo effuſo ſanguine, melancholia eſt liberatus.

## *SCHOLIA.*

*Varix in vniuerſum, dilatatio venarum eſt: propriè vero teſte Hippo. libro de vlceribus, venarum in cruribus tumor, cùm cutis nigrore: idque modò plenis venis in ſuperficie, modò in profundo. Cauſa eſt ſanguis multus & craſſus, qui non facile cedit, ſed cui contrà cedere vena cogitur, præſertim vero flatulentus, qualis melancholicus eſt: aliquando & pituitoſus, vt in his qui bibunt aquas lacuſtres apud Hippo. lib. de aëre, locis & aquis: naſcuntur varices potiſsimùm in cruribus ob ſanguinis eiuſmodi grauitatem: aliquando, in ima parte ventris ſub vmbilico, & circa teſticulos & ſcrotum, atque in ipſis etiam inguinibus. Varices ergo, ſi ſponte naſcantur, breuem vitam ſignificant, vt ait Hippo. in lib. de aëre, locis & aquis. Si vero aliis morbis ſuccedant, bono ſunt. Soluunt enim Gibboſitatem, libro de articulis apud Hippo. Soluunt & inſaniam ſiue à ſucco melancholico, ſiue ab atra bile obortam: quia materiam auocant & abducunt à partibus principibus ad ignobiles. Hæmorrhoides vero eandem materiam euacuant, vt ſupra dictum eſt Aphoriſ. 17.*

## APHOR. XXII.

OKόσα ῥήγματα ἐκ τοῦ νώτου ἐς τοὺς ἀγκῶνας καταβαίνει, φλεβοτομία λύει.

*Rvptiones quæ ex dorſo ad cubitum deſcendunt, venæ ſectio ſoluit.*

Siue legamus ῥήγματα, id eſt, rupta: ſiue ῥεύματα, id eſt, fluxiones: ſiue ἀλγήματα, id eſt, dolores, omnia vera ſunt. ῥῆγμα, eſt vbi fibræ muſculis intertextæ diuelluntur & ſoluuntur. ῥεύματα, erunt fluxiones à cerebro in ſpinam & dorſum: ἀλγήματα, dolores à plenitudine ſanguinei humoris, biliosi, pituitoſi, ac flatulenti, quæ decumbit in dorſum. Quæritur, ſi quid diuulſum ſit, aut ruptum in fibroſo genere muſculorum, an confert venæ ſectio in cubito? Confert, quia eo modo vacuatur materia quæ ἐν τῷ ῥήγματι, erat abitura in ſuppurationem & abſceſſum. Nam vbi conſilium eſt prohibendæ ſuppurationis in parte aliqua nobili, ſæpe ſingulare remedium eſt phlebotomia. Si ῥεύματα, legas confert ſimiliter venæ ſectio in fluxionibus capitis præſertim ſanguineis. Si ἀλγήματα, videmus in dolore graui, præſtantiſſimum eſſe remedium, venæ ſectionem. Sed difficultas eſt cuius venæ ſectio ſoluat morbum: an venam ſecabimus, ex eadem parte in quam vergit ruptum, fluxio, aut dolor? Gale. vult ita fieri, quia inquit, eò natura vergit. tamen (ne fallare) in his periculum eſt, ne ſi ſanguis initio detrahatur ex eodem brachio, fiat brachij paralyſis. Quare initio & dum nondum conſtitit fluxio præſtat ſanguinem mittere ex malleolis, & crure reſpondente ex eodem latere, aut etiam ex altero brachio oppoſito. At vbi

conſtiterit fluxio minore cum periculo poterit ſecari vena eiuſdem brachij.

## SCHOLIA.

*FLuxio omnis à quacunque cauſa ortùm habeat, euacuanda, deriuanda atque reuellenda ab ea parte, in quam ſit fluxio: ergo vel dolori, vel ruptioni, vel fluxioni ex dorſo, ceruice & quandoque ex omoplatarum muſculis per brachium ad cubitum deſcendenti, remedium præſtantiſſimum exhibet venæ ſectio, non in brachio affecto, ſed à crure, aut oppoſito brachio.*

## APHOR. XXIII.

ΗΝ φόβος καὶ δυσθυμίη πολὺν χρόνον διατελέῃ, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον.

*SI metus atque mæſtitia longo tempore perſeuerent, melancholicum ſignum eſt.*

GAlenus tertio de locis affectis ex Diocle multa colligit melancholiæ ſigna. Hippocra. tamen (vt eſt breuis) duobus his ſignis omnia collegit. Ex eodem Galen. meminiſſe debemus, quòd redundans in corpore ſanguis craſſus & melancholicus, niſi vacuetur, putreſcet, & contrahet malignam quandam qualitatem, vnde febres, melancholiæ, morbi, & ſi ſerpat ad partes exteriores cancri, phagædenæ, terminthi, furunculi &c. Quare repurgetur is ſanguis vel medicamentis vel phlebotomia. Ponamus aliquem qui metuat & mœſtus ſit, non ex pro-

pria natura. ( Quibus enim calor natiuus in corde & vitalis quoque eſt languidior, ij ſolent eſſe meticuloſi & ſæpe mœſtiores) ſed præter conſuetudinem & ſine cauſa manifeſta, ita vt nequeat reddere rationem eius metus & mæſtitiæ, quæ etiam longo tempore perſeuerent: atra bilis ſignificatur. hæc ergo ſententia facit ad præcognitionem & præterea curationem, quia indicatur remedium: purgatio ſcilicet, phlebotomia, vitæ ratio ſanguinem attenuans. Poſſunt tamen excitari illa duo, à cauſa externa adeò vt ſi diu perſeuerent, certum ſit ſubeſſe cauſam internam. Quum itaque cauſa externa iungi poſſit cum interna, ponamus quatuor aut quinque, quibus adferatur triſte aliquod nuntium. hi omnes metu ſtatim & mœrore percellentur. Sed aliis quidem ſtatim euaneſcet is metus & mæſtitia: in aliis vero ( procliuioribus videlicet ad timorem & mœrorem, vtpote habentibus cauſam internam ) diutius perſeuerabunt. Aliquando ſola eſt cauſa interna, propter naturam ſucci melancholici, qui cum putruit, edit mille miracula, vt enthouſiaſmum &c. Quæritur an huiuſmodi metus & mœſtitia, ſint à calore an à qualitate humoris melancholici? Veriſſimile eſt eſſe à qualitate indicibili, & malignitate quadam contracta, propter non repurgatum humorem melancholicum, vnde ſpectra illa viſa miranda & phantaſmata. Alia ratio eſt quia anima noſtra, cum re vera conſtet ex puro æthere & ſplendido, læditur ab obſcuro ſpiritu & caliginoſo, habetque odio tenebras. Dum ergò vapores à ſucco melancholico ſurſum attolluntur & animæ obuerſantur, hæc eos grauatè fert,

induc untúrque pauores & triſtitiæ. Quare hæc videntur induci, & à colore ſucci melancholici & ab ineffabili eius qualitate.

## SCHOLIA.

*TImor & mœror, qui opiniones ſunt mali, hic præſentis ille futuri, ad deſipientiam melancholicam ſe habent: partim vt ſignum: partim vt cauſſa & ſignum pathognomicum. Vt ſignum quidem cum vtriuſque affectus cauſſa interna eſt & nullomodo manifeſta: qualis eſt humor melancholicus qui cerebrum obſidet, vel quod fit ſæpius, cor primum, quod eſt origo perturbationum animi, inde verò cerebrum qui mentem trahit in conſenſum. Is enim humor, veluti externæ tenebræ omnibus pauorem inducunt, niſi vel audaces admodum, vel philoſophiæ præceptis inſtructi confirmatique fuerint: ita, colore ſuo atro & tenebris ſimili timorem parit & mœrorem, multaque eiuſmodi falſa animo repræſentat, quæ tamen vera ob facultatis ratiocinatricis deprauationem reputantur. Nam & humores & partium temperamenta animi actiones mutant. Color autem niger humoris melancholici id præſtat, non quòd qualitas ſit actiua, aut quòd priuatio (vt tenebræ) imprimat in viſum: aut color, non temperamentum, mores variet, vt Galeno obiicit Auerroes: ſed quia ex temperamento tum humorum, tum partium ſolidarum cõſequitur: temperamentum verò humoris non ſolum prima qualitate, ſed ſecunda, vt ſplendore, vel obſcuritate, functionibus animi confert. Sic ſanguis lætitiam inducit, melancholicus humor metum. Dum enim animalis ſpiritus ſimul cum cerebri ſubſtantia nigrore inficitur, fit, vt ſpeciem quamlibet externam horridè recipiat, & tum mœrore, non ſecus quàm ſi triſte eſſet, quod recipitur: quaſi animus è puro æthere, ſplendidoque ſpiritu gaudeat, im-*

*puro ac tenebricoſo lædatur. Quod ſi permiſcetur ſanguis, per interualla lætitiæ ſigna eduntur: interdumque dum ſanguis vritur, quia magis quàm antè ſplendet, ſpes animo vigor & alacritas oboriuntur: eademque ratione, incaleſcente humore melancholico, profuſi interdum riſus eduntur: rarò tamen & mox refugit (ait ille) ſanguis metu, reditque ſollicita ſuſpicio. Metus ergo & mœror ſigna ſunt certiſsima, eaque pathognomonica melancholiæ. Eædem cauſſæ & ſigna ſimul eſſe poſſunt melancholiæ, quando manifeſta adeſt cauſſa & occaſio euidens, quæ timorem & mœrorem vere poßit inducere: quæ ſi diutius quàm pro cauſæ ratione perſeuerent, cerebri temperamentum immutant, indeque melancholicum inferunt & ſignificant: Generant enim & in circuitu ſeſe iuuant & augent, timor, mœror, & melancholiæ. Nam, melancholia infert timorem & mœrorẽ, & hæc duo generãt melancholiam, quamuis à cauſa euidenti ortũ habeant. vnaquæque tamen earum effectum ſibi debitum producit, citius aut tardius pro ratione cauſæ generantis, quæ vel valida eſt aut imbecilla, & pro corporis præparatione. alij enim in timorem ac mœrorem promptius incidunt, alij difficilius. Parat autem ad hæc non parum puſillanimitas & cordis langor, qualis eſt in pueris aut mulieribus.*

## *APHOR.* XXIIII.

ΕΝτέρων ἢν διακοπῇ τῶν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφύεται.

*SI quod gracile inteſtinum perſectum ſit, non coaleſcit.*

HIc Aphoriſmus eſt pars Apho. 18. huius lib. quare ex Galeni ſententia poteſt hinc expungi.

## APHOR. XXV.

Ερυσιπέλας, ἔξωθεν μὲν εἴσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσωθεν δὲ ἔξω, ἀγαθόν.

*Eryſipelas foris intrò conuerti, malum: intus verò foras exiſtere, bonum.*

Particulare eſt exemplum, quod tamen generalius licet intelligere. Partes externæ ſunt ignobiliores internis, infimæ ſuperioribus. Optima itaque tranſmutatio eſt materiæ aut morbi à partibus internis ad externas, & à ſummis ad infimas. Ob id docet experientia in eryſipelate non eſſe repellendum valdè refriger. ſed (initio præſertim) vtendum eſſe potius temperantibus, vt aqueis & frigidis.

## SCHOLIA.

*Quemadmodum à nobili parte ad ignobiliorem decubitus materiæ laudatur: ita ab ignobili ad nobiliorem recurſus vel a..oris, vel alterius mali, in malis habendus. At partes ſuperiores ſunt nobiliores inferioribus, & interiores exterioribus. Ergo humorum tranſlatio quæ fit ad exteriora relictis interioribus ſalutaris eſt, vt ſignum, & cauſa ſiquidem & naturæ robur, victoriam, atque rectam rationem ſignificat, & partes principes à morbo liberat. Contrà fit in conuulſione humorum ab exterioribus ad interiora. Cuius ſalubris & inſalubris tranſlationis exemplum hic proponitur in eryſipelate: nam materiæ decubitus ad cutem nullo in viſceribus ſuperſtite foco mediocris naturæ dominatus ſupra materiam ſignum eſt, vt excretio perfecta: ita vt præſtaret interiorem materiam per aluũ & vrinas ferri, dummodo ſine moleſtia naturæ fieret, quàm ad cutim transferri.*

*At inquies, cur igitur in Eryſipelate faciei & pectoris, non ſolum purgamus, ſanguinem mittimus, ſed etiam frigida atque humida admouemus? Quod enim ad purgationem attinet, ſtante fluxione, ea non videtur commoda, quod naturæ motum aliò conuertat, quod materia adhuc cruda ſit, nec viæ ſatis expeditæ ac patentes. Sanguinis quoque miſsio à ſuperficie ad intima, corporis materiam trahit, admota quoque frigida intrò repellunt ab externis. Præſtat ergo, inquies, ſumptis intus refrigerentibus atque humectantibus vt fero lactis, iulepis, apozematibus hanc vim habentibus temperare ſanguinis ac bilis feruorem, foriſque admotis cucurbitulis cum profundo ſcarificatu educere quod ſub cute negotium faceſsit, quàm ſupradictis remediis vti. Reuera, reuocatio materiæ ab exterioribus ad interiora difficilis ac moleſta eſt per medicamenta, ſed hæc quæ inſtituitur in eryſipelate non tam ad coniunctæ, quàm ad antecedentis materiæ euacuationem ſuſcipitur. Accedit huc, quòd ea retractio humoris non minus bonis ægri rebus fieri hic poteſt, quàm ea quæ naturæ ductu fit: exempli gratia in parotidibus intrò recurrentibus, in quo recurſu perſæpe omnia ſymptomata mitiora redduntur, quod nimirum inſignis conſequatur vacuatio per aluum & vrinas: miſsio quoque ſanguinis, non tam reuocat ſanguinem ad intima quàm refrigerat. neque tam frigidis & humidis in eryſipelate vtimur, vt repellamus quàm vt temperemus: adde quod repellentium vſus reformidandus in morbis malignis, natura debili, & materia tum acri tum copioſa, cum viſcerum incendio coniuncta: item in inflammatione pulmonum pleuræ, & thoracis, quod repulſus ſanguis pulmonis plenitudinem augeat.*

## APHOR. XXVI.

ΟΚόσοισι ἐν τοῖσι καύσοισι τρόμοι γίνονται, παρακοπὴ λύει.

*QVibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſoluuntur.*

QVibus in ardentibus febribus. Hæc ſententia dubia eſt,ob id exiſtimauit Gal. eſſe interiectam. Quidam ſic intelligendam dicunt: Quod ſi ſit febris ardens & ſuccedat tremor, ceſſabit febris. Si ſuperueniat delirium, ſoluet tremorem & febrem: quod tamen falſum eſt. Nam 3. Epid. Pythioni igne, id eſt, febre ardente correpto, primis ſtatim diebus obortus eſt tremor & delirium, neque tamen tremore quieuit febris, neque delirio tremor, neque ſimul his duobus febris ardens. Præterea non eſt veriſimile, quòd in febre ardente tota materia incluſa ſit venis & arteriis, & ad neruos transferatur, atque ita à tremore & delirio ſedetur febris. Verum eſt, quòd in febre ardente excitentur tremores. Sed pernicioſum eſt. Tum autem ſpectare debemus an excitentur initio (vt pithioni accidit) an progreſſo morbo, & poſt initia: vt in ſtatibus aliquando, & aliquando ſub mortem, quod eſt indicium conuulſionis quam ſequatur mors. Difficultas eſt, an tremor ille ſit lethalis. Poteſt eſſe. Nam, ſi circa initia contremiſcat æger propter exolutas vires (quod tamen raro fit) lethale eſt. Si tremat ob multitudinem materię aggrauantis neruos, non eſt lethale. Ac, quia circa initia morborum multis de cauſis poteſt eſſe proſtrata virtus, vbi ad ægrum acceſſerimus, rationem inibimus vnde poteſt eſſe illa virium imbecillitas: interrogabimuſque, an præceſſerit longa vigilia, longus labor, fames longa, immoderata venus. Si neque venus, nec vlla alia cauſa præceſſerit, oportet ægrum imbecillum eſſe ob multitudinem materiæ, quæ neruos occupat

*aliquis tremulus intelligendus? qui in febribus ardentibus excitatur à vaporibus acribus ſurſum continuò aſcendentibus neruorum principia vellicantibus, ipſiſque neruis à ſe vapores iſtos expellere conantibus: in quo conatu nerui tremulo motu concutiuntur, dum excutiant vapores illos ſibi noxios: quos ſi in meninges ſubſtãtiamque cerebri excuſſerint, delirium ſuboritur, ceſſatque tremor, qui in delirium degenerat per tranſlationem vaporis acris.*

## *APHOR. XXVII.*

Ὁκόσοι ἔμπυοι ἢ ὑδρωπικοὶ καίονται ἢ τέμνονται, ἐκρυέντος τοῦ πύου καὶ τοῦ ὕδατος ἀθρόου, πάντως ἀπόλλυνται.

*QVicunque empyi, aut hydropici vruntur aut ſecantur, ſi pus aut aqua vniuerſim affluxerint, omninò moriuntur.*

MAgna vis eſt huius ſententiæ: neque ſolum debet intelligi in ſuppuratis & hydropicis, ſed etiam in omni magno abſceſſu, ſiue interior ſit, ſiue exterior, & maximè vbi ſuſpicamur magnas eſſe in ea parte & multas arterias ac venas. Vt in liene (qui multas habet arterias ac venas) ſi quis abſceſſus rumpatur, periculum eſt ne ſtatim moriatur æger. Nam pus in abſceſſu diutius retentum erodit venas & arterias, quibus diſruptis effluit & euaneſcit vnà cum pure multus ſpiritus vitalis: vnde animi deliquiũ ac ſyncope & hinc mors ſæpe intra duas horas. Item fit in partibus omnibus quæ multis ac magnis præditæ ſunt arteriis ac venis. Cæterũ (vt veniamus ad ſentẽtiã Hip.) ipſe ἐμπύυς vocare ſolet quibus effuſum eſt pus in ſpatium thoracis. Accidit aliquando, vt pus illud non repurgetur in 40. diebus ab eo die, à quo facta eſt ruptio. Poſt illud itaque tempus mora longiore pulmones erodit & tabem

facit. Sic(vt & pus) aqua hydropicorum contrahit malignitatem quandam & putreſcit, & putrefacta corrumpit partes vicinas. Hinc fit, vt iis mortuis reperias aquá lixiuio ſimilem, omentum putre, viſcera veluti ſyderata & κεκυκγώδη. Ob id rectè præcipit Hipp. vbi agitur de vſtione & ſectione hydropicorum aut ſuppuratorum, animaduertendum eſſe, vt non confeſtim ſed paulatim aqnam vel pus vacuemus: hoc eſt, oportet primùm facere viam aperta cute ſcalpello, inciſorio, vel cauterio præſertim potentiali quod tutius eſt, & minorem infert dolorem: deinde habendum ſcalpellum acuteatum, vt fiat via anguſtior materiæ, hoc eſt, puri aut aquæ: quo peracto inducatur linamentum è lino crudo, quo ita paulatim educatur pus aut aqua. Sed hodiè rectius fit, & tutius. Habemus enim cannulas quaſdam quas immittimus. Hiſque apertis (vt in cantharis illis ſtanneis fit) tantum educitur aquæ, quantum volumus. Oportet autem ſemel in die aquam detrahere, quantum vires ſuſtinere poterunt. & ita ſingulis diebus faciemus vſque ad 12. diem. Exactis 12. diebus, die 13. ſi quid videbitur reliquum, totum ſimul poterit extrahi, aut certe, ſi viribus metuis, magna pars. Poſt 13. diem, ſi quid regenerabitur eo modo oportebit extrahere paulatim. Sed interim vti ratione vitæ quæ ſiccet reliquum, & remediis quæ ſiccent, ſimulque erunt fouendæ vires ægri. Sed ſequitúrne, peractis his omnibus quæ ex arte ſunt, ſeruari debere ægrum? minime vero, quia oportet ſecare aut vrere nondum confectis viribus ægri. Item ſine febre: aut, ſi ex febre laboret, id faciendum eſt in intermiſſione vel remiſſione. Deinde id fiat priuſquam aqua aut pus putreſcant & viſcera corrumpát. Præterea non eſt expectanda cachexia. Si quis igitur

accerſatur ad ſuppuratos & hydropicos, oportet primùm ſcire an ſic urendum, an ſecandum, nec ne. Si hydropicus iam inciderit in cachexiam aut tabem, ſi vires ſint languidiores, ſi febris adeſt, coniuncta præſertim cachexia, vel infimis viribus: ſi præterea humor iam eſt putrefactus vt affecta ſint viſcera, nihil eſt tentandum: ſed totum deo committendum. Fingamus iſta non adeſſe, tum ſecabimus vti diximus. Sed ante ſectionem & vſturam Hippocrates inſtituit multum lac aut alimentum aliquod boni ſucci. Quæritur an in aqua inter cutem ſeu leucophlegmatia propriè dicta ſit ſecandum aut vſtulandum aliis locis quam in aſcite? In aqua inter cutem ſecare oportet, aut vrere in parte interiore tibiæ 4. digitis ſupra malleolos, ſecare oportet crura: aliquando in brachio ſupra manum, &c. In aſcite vero in ventre fere ſub vmbilico recta linea ducta aut etiam ilibus (quo præſertim parte minus eſt carnis fere inter vmbilicum & à coxam loco decliui. Iam in ſuppuratis, aiunt nonnulli non eſſe perforandam tunicam ſuccingentem coſtas, quòd ij poſtea vel moriantur, vel viuant cum fiſtula. Poteſt tamen confodi (alioqui cum ſit craſſior non poſſet effluere pus) ita vt neque moriatur, neque (ſi recte & diligenter cures) remaneat fiſtula. Vidimus duos, quorum alter aperto thorace interiit: alter vixit cum fiſtula. Poterimus ergo in his vti primum veſicationibus: deinde cauteriis potentialibus: tum ſi ea non ſufficiant, veniemus ad actualia. In quibus primo (Exempli gratia) poterit eſſe vſus ſpongiæ, quæ igni candeſcat, aut etiam ſub eis vel (vt alicubi facit Hipp.) fungorum. Poſtremo vſurpabimus cauteria metallorum. Poſt veniemus (ſi opus eſt) ad ἀναχαυτήριοις. Adhibentur autem cauteria in ſuppu-

ratis duplici ratione, tum, vt diuertatur fluxio à capite in thoracem & pulmones: tum, vt vacuetur materia in in thorace concluſa, Quare hîc vremus aut ſecabimus ſub mento, ſub mammis, ſub ſcapulis, vt materia per viàs apertas defluat. In ſumma ſecandum & vrendum ex conſilio Hippocratis, loco maximè, infimo & decliui vbi ſentitur ſtrepitus aquæ aut puris. Verum quia fieri poteſt vt pus vel aqua (eſt enim aliquando hydrops thoracis) ſit in alio, & alio loco, quæritur an inter coſtas, an in coſtis ipſis perfodere oporteat. Eſt locus apud Hippocratem in libro de internis affect. vbi Terebra aperit os coſtæ, quod mirum eſt & alienum ab hac ætate. Quocirca nonnulli volunt thoracem aperiri inter 3. & 4. coſtas: alij inter 4. & 5. alij inter 5. & 6. melius ſane multo eſt inter 4. & 5. coſtam qui locus eſt magis carne vacuus, minuſque habet periculi. Ibidem videas cauitatem quandam in præpinguibus, & medium quoddam interſtitium inter extremitates obliquorum muſculorum, epigaſtrij & rectorum.

## *SCHOLIA.*

*Non ſunt ſecandi aut vrendi omnes empyi aut hydropici, ſed qui aliis remediis quantumuis generoſis curari non potuerunt: Extremis enim morbis extrema remedia. Sectio autem & vſtio, extrema hic ſunt remedia. In quibus vt & in omnibus aliis inſignibus euacuationibus ea ſeruanda cautio, ne confertim pus aut aqua effluat ſed ſenſim & per interualla: Periculoſa enim omnis quæ fit confertim vacuatio, quod ex ea animi deliquium & virium iactura ſequantur, quæ poſtea facile reſtitui non poſſint, multo ſpiritu ab oſculis arteriarum quæ adaperta ſunt, ob magnã diſtenſionẽ, cum pure aut aqua excretę: quòd etiã ſi qui malo vtuntur ſucco per purgationes exoluuntur,*

*multo magis qui pure aut aqua putri abundant: facilius enim natura vitium quàm inopiam patitur, nam inopia nullomodo recreari poteſt. Sic enim videas tempore multa caritatis & inopiæ rerum, homines facilius vitioſum ferre victum quàm inopiã. adde quod aëris paulò frigidioris ingreſſus in locum calidum factum vacuum, per puris aut aquæ excretionem immodicam, vapores putres in cor & arterias repellit: unde deliquium animi viriumque infirmitas ſuboritur. Sic enim qui ex locis tepentibus frigidiſſimas ſpecus ſubeunt facillimè exoluuntur. Qua autem parte ſectio aut vſtio facienda ſit tum in ſuppuratis tum in hydropicis vide apud Paulum Æginetam cap. 50. lib. 6. & apud Paræum noſtrum lib. 2. de tumoribus præter naturam.*

## *APHOR. XXVIII.*

ΕΝνοῦχοι οὐ ποδαγριῶσιν, οὐδὲ φαλακροὶ γίνονται.

*EVnuchi podagra non laborant nec calui fiunt.*

EVnuchi caſtrati dicuntur proprie quibus olim collidebantur digitis teſticuli, ne gignerent: & ii potiſſimum reginis & prædiuitibus mulieribus in deliciis erant. Dicũtur etiam eunuchi qui nati ſunt ſine teſticulis, vel quibus ante pubertatem teſticuli ſunt exſecti, & aliquãdo totus coles. De quo genere eunuchorũ hîc loquitur, non de colliſis. Hæc ſentẽtia falſa eſt. ob id Gal. excuſat Hip. Nã, inquit, tẽpore Hip. eunuchi podagra nõ laborabãt propterea quod nõ vtebãtur ocio, venere & intẽperato vini vſu acrioris & fortioris. Nũc cũ cõtra omnia fiãt, nihil mirũ eos podagrã quoq; incurrere. Ociũ enim multa recremẽta colligit in corpore. Vinũ robuſtius (tenuius maximè) neruos calefacit, mollit,

debilioreſque reddit. Venus magnam partem ſeminalis materiæ, qua nerui nutriuntur, ſubſtrahit. Alimento ergo deſtituti nerui reſiccantur, debilitantur, vt facilè recipiant fluxiones humorum, quos adhuc crudos cum non concoquant, replentur excrementis vnde podagra. Et eam ob cauſam veteres finxerunt Bacchum & Venerem eſſe podagrę parentes, quòd naſci ſoleat ex intemperante victu ac luxu & immodico coitu. Quinetiam eunuchi non caluеſcunt. Caluities fit propter inopiam alimenti, ſeu propter reſiccationem materiæ pilorum, & nimiam raritatem cutis. Gignuntur enim pili à mediocri humiditate, & mediocri raritate cutis. Atqui eunuchi (cum ob teſtium exſectionem redditi ſint mulieribus ſimiles) multam habent humiditatem: denſiore quoque ſunt cute. Quare non mirum eſt ſi non caluеſcunt. Eadem autem ratione efficiuntur calui anteriore parte capitis: citius quàm poſteriore, quia in ſyncipite (quod rarum eſt) minus cuti firmiter hærent. in occipite denſiore pili altius & firmius radices agunt.

## SCHOLIA.

*Hoc pronunciatum, potius Hippocratis ſuaque ætatis & memoria experientia, quàm vlla ratione conſtat. Nam eunuchos, mulieres & pueros videre licet, qui podagra laborent & calui fiant.*

## APHOR. XXIX.

Γυνὴ οὐ ποδαγριᾷ, ἢν μὴ τὰ καταμήνια αὐτέῃ ἐκλίπῃ.

*Mulier*

*MVlier podagra non laborat, niſi ipſam menſtrua defecerint.*

HÆc quoque ſententia vera fuit ſeculo Hippo. Poſtea vero conuerſa mulierum vita ad luxum & libidinem, eæ cœperunt podagra laborare, antequam menſes deficerent. Ob id Seneca in quadam epiſtola inuehitur in mulieres Romanas, quòd ſua vitæ ratione immoderata & intemperant e fecerint Hipp. mendacē. *Niſi menſtrua deficiant.* aut pauciora fluant. Nunc mulieres experiuntur eiuſmodi dolores, & antequam deficiāt menſes, & cum parcè fluunt & cum mediocriter.

### *SCHOLIA.*

*MAgnum mulieri aduerſus morbos omnes præſidium, menſtruorum excretio legitima: quæ efficit vt mulier minus laboret podagra, quàm vir.*

### *APHOR. XXX.*

Παῖς οὐ ποδαγριᾷ πρὸ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ.

*PVer podagra non laborat ante veneris vſum.*

NIſi hæreditarius ſit morbus. Vidimus enim etiam natos tantū decē annos laboraſſe. Tempore Hip. pueri non conflictabantur podagra ante vſum veneris. Nunc vero conflictantur, fortaſſe quia contraxerūt morbū à parentibus, vel quia cælum hoc gallicū diuerſum eſt à Coo. In vſu veneris, & in pubertate fit commotio totius naturæ, & pars ſeminalis incipit commo-

ueri, ita vt fiant multæ paſſiones naturæ. Hinc aliquando fit defluxio ad articulos (præſertim ſi ſint imbeciliores) vnde arthritici morbi & podagra.

## SCHOLIA.

*Qvum in pueris & eunuchis omnes podagræ cauſæ conuenire poßint præter coitum, videtur Hipp maximam generationis podagræ partem veneri referre acceptam.*

## APHOR. XXXI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη, ἢ λουτρὸν, ἢ πυρίη, ἢ φλεβοτομία ἢ φαρμακείη λύει.

*Oculorum dolores meri potio, aut balneum, aut fomentum aut phlebotomia, aut purgatio ſoluit.*

HÆc ſententia pertinet ad curationem. Hippo. hoc non ſolum loco eius meminit, ſed & multis in locis. Sic Gal. vt lib. 6. ſimpl. cap. de abrotono. lib. 3. meth. med. & 2. de different. feb. vbi etiam Hip. excuſat, quòd reprehendatur à multis, quia ſine diſtinctione ſcripſerit. Ex horum numero eſt Celſus, quia, inquit, Hippocr. non annotauit cauſas, neque remedia diſtinxit. Supereſt ſcire quomodo remedia diſtinguamus. Celſus tria tantum enumerat, venæ ſectionem, balneũ, & medicamentum. Oribaſius quatuor, non enim apud eum legitur πυρίη fomentum. Galen. tamen agnoſcit & rectè. Nunc ſciendum quomodo & quando vti liceat vino meraciore in doloribus oculorum. Priuſquam vtamur uino, diligenter animaduertere oportet, an corpus egeat

purgatione, an phlebotomia. Perpetuo enim purgandum eſt corpus, ſi ſit cachochymum. Si plethoricum, adhibenda venæ ſectio. Pòſt, habebimus rationem capitis, quia fortaſſe calidius eſt: & attrahit excrementa à reliquo corpore. Si intelligamus plenum eſſe caput, detrahetur ſanguis è cephalica. Ponamus non eſſe plethoricum, aut cacochymum corpus, caput non abundare excrementis, ſi venulę oculorum fuerint repletæ craſſo & pituitoſo humore, ita vt turgeant, vinum inſtituemus. Nam ſi vino vtaris incommodè & in corporis aut capitis plenitudine ſanguinea vel phlegmatica, quum illud humores commoueat, periculum eſt, ne inducatur vel apoplexia, vel febris ardens, vel tabes, &c. Sed quod vinum præſcribemus? quod ſit ſubſtantia tenue, colore gilnum ſeu clarum (quale narbonenſe) odorum; & ætate antiquum; & in ſumma ſua vi, & quod veſtutate non fugerit. Hoc vinum calefacit, extenuat & diſcutit craſſam illã materiã. Veteres enim exiſtimabant omnia ſeneſcere præter vinũ, & idẽ ætate reddi calidius ac validius, quod tamẽ noſtratibus nõ accidit. Iã oportet vinũ illud bibere amplo vaſe vt patera, quia vbi ſic bibitur oculi in vas inhiãt, ſimulq; quodãmodo abſorbẽt & concipiũt vaporẽ vini, vt diſcutiatur craſſus ille humor. Ob id, iis qui laborãt cruditate oculorum, imperamus vt bibant ex vaſis amplis. Non ſatis eſt. Debet propinari vinum magna quantitate, ita vt oculis excutiantur lachrymæ. Alia dubitatio eſt (quod hîc ſcripſit Hippocrates. *Meri potio.*) an debeat dilui vinum nec ne? Aëtius putat diluendum eſſe ei, qui conſueuit: ſed minus quã pro conſuetudine, & præterea affundit aquam calidam vt citius penetret. At non aſſuetis vino diluto non putat diluendum

eſſe. His cognitis ſciendum quando dandum ſit vinum an in ieiunio? an permiſtum aliis cibis: omnes fere exhibent in ieiunio. Sed in Ep. Interdicitur vinũ ieiunis, qui præſertim fuerint capite imbecillo. Itaq; dabitur in ieiunio ei qui capite firmo fuerit: cũ aliis cibis ei qui infirmo. Gal. & alij veteres medici dabant à balneo: ſed id propter conſuetudinem balneorum. *Balneum.* Hoc conuenit ſimiliter habita prius ratione corporis & capitis. Sed vbi ita craſſa pituita inhæſerit oculis præparata prius fomentis materia conueniet balneum. Alias hoc maximè conuenit vbi acris & tenuis eſt humor. itẽ in ædematoſis tumoribus cum Aëtio. Vt in acribus & bilioſis cum Gal. πυρίης porro nomine intelligit Hippo. omnem externam calefactionem, ſiue fiat igne, ſiue balneis, ſiue linteolis, ſiue ſuffimentis, ſiue ſpongiis. Hic agit præſertim de fotu qui fit molli ſpongia (vt explicat Gal. 6. Epid. imbuta aqua calida. Hodie tamen vti poſſumus fomentis è decocto chamęmeli, meliloti, maluę, biſmaluæ. aliquando (vbi calor eſt) ex decocto pſyllij. Gal. magis probat ſpongias quàm ſacculos & cataplaſmata. Poſſumus tamen fingere molles ſacculos è pſyllio, vbi calor eſt, ex violis, roſis &c. Debemus autem fouere oculos longe à cibo bis aut ter in die, aut etiam ſępius, vbi magis vrget dolor. Potiſſimum æſtate, & ſæpius pro magnitudine doloris. Iam vero venæ ſectio conuenit in redundantia ſanguinis: medicamẽtũ in cacochymia. Præterea dicebat ante, *Lippientem* alui profluuio capi bonum. Quare imitatione naturæ ſi ſit oculorum dolor à bile acri, aut pituita vel craſſa, vel ſalſa, non incommodum erit purgare per deiectiones: & aſſerit Gal. ſe multos ophthalmicos curaſſe ſola purgatione.

## *SCHOLIA.*

*QVod pro ratione cauſſæ inſtituenda ſit curatio in omni morborum atque ſymptomatum genere, oculorum dolentium exemplo oſtenditur. Variæ enim ſunt oculorum dolentium cauſæ: quibus ſingulis ſua ac propria remedia adhibenda ſunt. Cauſſa antecedens primum amolienda, quæ ſi ſanguis fuerit, miſſione ſanguinis: ſi vitioſus aliquis humor, purgante medicamento ducenda erit. Cauſſa vero coniuncta deturbanda admotis, meri quidem potione, ſi craſſus humor oculos obſederit: vinum enim fuluum, tenue, antiquum, odoratum attenuabit & diſcutiet. Balneo, ſi vapor aut fumus aliquis moleſtiam fecerit. fomento, ſi tenuis, acris ac mordax humor oculos fatigarit, quale eſſe poterit fomentum ex fœnugraco. Eſt aliquando vbi omnia iſta remedia, aliquando duo, aliquando plura his, oculis dolentibus neceſſaria ſunt. Sed hæc ab Hippocrate tanquam potiſſima poſita ſunt.*

## *APHOR.* XXXII.

Τραυλοὶ ὑπὸ διαῤῥοίης μάλιστα ἁλίσκονται μακρῆς.

*BAlbi longo alui profluuio maximè corripiuntur.*

GAl. meminit in commento eorum quos vocant τραυλοὺς ἢ ψελλούς. Supereſt ſcire cauſam balbutici Conſtituemus itaque duplicem motum linguæ ad ſermonem neceſſarium. Primum oportet liberum eſſe motum linguæ vſque ad dentes primores quo illic firmetur lingua, & recte efferantur voces, quæ habent T. & R, Deinde in motione oportet reflecti linguam ad palatum. Cum quis ergo balbutit, ſpectemus an motus vterque liber ſit. Quidam habent linguam breuiorem,

ita vt non poſſit extendi ad dentes vſque. Aliis lingua ſatis longa eſt, ſed dentes anteriores exciderunt. Alij habent dentes eiuſmodi minus promotos in partem anteriorem vt non poſſit illis inniti lingua. Nonnullis (vt τοῖς φοξοῖς) minus eſt conuexum palatū, ob id etiā ſi reflectitur lingua, nequit tamē ipſum palatū cōtingere. Fingamus linguam iuſta eſſe magnitudine, & dentes & palatum recte ſe habere. aduertamus ad membranam quam frenum linguæ vocant Gal. *le filet*. Nam hoc filum ita conſtrictum eſt, vt prohibeatur motus linguæ, & quia ſæpe in vinculo illo lingua recuruatur, & ob id dicuntur ἀγκυλόγλωσσοι. His examinatis fit aliquando, vt muſculi linguæ laborent, nerui ſimiliter & tum facultas, quæ linguam mouet, abolita eſt, vt in paralyſi. Accedit his quod imbecillitas linguæ proficiſcitur, aliquando ab intemperie ſicca. vt in Epidem. in febribus ardentibus. In naturali tamen habitu (ait Gal.) non poteſt eſſe tanta ſiccitas, vt inde ſequatur balbuties. Ad hæc nimia humiditas & mollities linguæ balbos facit, vt in pueris videre eſt: Sic balbutiunt ebrij, quia iis & cerebrum & lingua ſunt imbibita multa humiditate Quam etiam ob cauſam minus articulatè loquimur cælo pluuioſo, humido, nebuloſo, quàm ſicco & ſereno. Balbi itaque capiuntur aliquando alui profluuio, eoque diuturno. Ratio eſt quia ſunt cerebro, lingua & natura humidioribus & mollioribus: & ob id etiam ventriculo humidiore: vnde mouetur diarrhœa, quæ diutius perſeuerat. Non tamen neceſſe eſt omnem balbutiem eſſe ab humidiore cerebro, & lingua & aliis ſupra memoratis, quippe cum alicubi afferat Gal. eſſe aliquádo balbos ab immodica bile & ira.

## SCHOLIA.

TRia ſunt linguæ in edendo ſermone impedimenta præcipua τραυλότης, Blæſitas, in qua certa quædam litera pronuntiatur difficulter, L. R. K. ψελλότης, Balbuties in qua litera aut ſyllaba pronuntiando præteritur, ἰσχνοφωνία ceu μογιλαλία, hæſitantia, in qua lingua titubat & inter loquendum hæret, nec ſyllabam ſyllabæ præpropere connectere poteſt. Quæ tria linguæ impedimenta videtur intelligere Hipp. nomine τραυλότης. Naſcuntur hæc, aut à nimia breuitate linguæ, aut à vinculorum, vel membranæ linguæ ſubiacentis adſtrictione nimia: quod fit ſæpius, vel intemperie ſicca, frigore, ira cõcitatiore, clamore, calore:, maxime vero ab imbecillitate linguæ ob intemperiem humidam quæ eam molliorem reddit, vt in quadam paralyſi. Talis autem humida intemperies, vel eſt linguæ naturalis, vel ab humido cerebro manat: ferè autem quibus cerebrum & lingua humeſcũt iiſdem aluus humeſcit. Nam eadem eſt membrana quæ & linguam & œſophum & ventriculum inueſtit.

## APHOR. XXXIII.

OI ὀξυρεγμιώδεες οὐ πάνυ τι πλευριτικοὶ γίνονται.

QVi acidum ructant, non admodum pleuritici fiunt.

ACidus ructus, fit propter frigiditatem ventriculi: propter alimenta frigidiora: propter pituitoſum humoré in vẽtriculo redũdanté: in ſumma fit ab imbecilliore calore & à vehementiore κνισσώδης, i. nidorulẽtus. Ergo ſententia eſt, quod natura humidi ac pituitoſi

rarò corripiuntur pleuritide. Nam, illa pituita vel ſalſa eſt, vel craſſa & viſcida. Si ſalſa, irritabit aluum ad excretionem. Si craſſa, non potterit penetrare denſitatem membranæ ſuccingentis. Attamen hodiè aliter experimur. Quotquot enim à pleuritide hîc corripiútur, à pituita corripiuntur. Cuius rei argumentum eſt, quòd ſputa ſæpius ſunt alba & ſpumoſa, etiam ſi dicat Gal. rarò apparere huiuſmodi ſputa. Sed ita erat expertus. Hîc autem ſolent naſci pituitoſæ pleuritides ob vini calidioris & fortioris vſum maximè, & præterea denſata cute à frigore. Calor enim tum internus, tum à vino materiam illam craſſam attenuat & commouet: ea iam attenuata decumbit in partes imbecilles, & in tunicam ſuccingentem, quam ſua tenuitate facilè ſubit.

## *SCHOLIA.*

*QVi non tantum ventriculo, ſed & vniuerſo propemodum corpore frigidi ſunt, iÿ quoque pituitoſi. At pituitoſi raro pleuritide diuexantur. Licet enim pleuritis ex omni humorum genere excitari poßit, quod oſtendit ſputum ſpumoſum, flauum, rubrum, ſubnigrum: tamen pituita raro pleuritidem committit, quòd ea craßior ſit, quàm vt pleuram denſam alioquin membranam ſubire poßit.*

## *APHOR.* XXXIIII.

Ὁκόσοι φαλακροὶ, τουτέοισι κιρσοὶ μεγάλοι οὐ γίνονται· ὁκόσοισι δ' ἂν φαλακροῖσιν ἐοῦσι κιρσοὶ ἐπιγένωνται, πάλιν οὗτοι γίνονται δασέες.

*QVi calui fiunt, iis varices magni non fiunt: quibus verò caluis exiſtentibus varices ſuperueniunt, iis rurſus capillati fiunt.*

NOnnulli volunt Hippo. abuſum fuiſſe vocabulo φαλακροὶ (quia φαλάκρωσις eſt incurabilis) & nomine φαλακρώσεως volunt intelligi μαδάρωσιν, id eſt, profluuium capillorũ: quodquidem curatur, vt videre licet in conualeſcentibus. Veriſſimile tamen eſt Hippo. hoc aliquando obſeruaſſe & Ariſto. lib. de hiſto. anim. ſcribit quibuſdam caluis, quum ortæ eſſent varices pilum repullulaſſe. Verum hic caſus eſt eorum quæ raro fiunt, quia certum eſt caluitium eſſe inſanabile, niſi factum ſit à vitio humorum. Si enim factum ſit humorum vitio, & ij conuerſi fuerint ad crura & tibias, vt fiant magnæ varices, poterit pilus renaſci. Sed id fit cum incipiunt caluere, inquit Ariſtó. Ergo veritas hæc eſt, quòd ſi propter aliquod vitium alimenti defluant pili & fiant interim varices, hæmorrhoides & ſimiles reuulſiones, regenerabitur pilus. In φαλακρώσει verò & caluitio proprie appellato ab inopia alimenti, nihil efficiet vt renaſcantur pili.

## SCHOLIA.

*CAluities, vel potius pilorum defluuium, quod non per finem, ſed per initia, aut progreſſum morborum primaria ratione contingit: non ob inopiam alimenti aut eiuſdem malitiam, ſed ob humorem, potiſſimum melancholicorum ſub cute radices pilorum corrumpentium, impuritate genitum, ſi quando in capite ſuboriatur, à magnis varicum crura infeſtantium tumoribus liberat: tranſlatis nimirum humoribus melancholicis è cruribus in caput. Contrà, ſi pilorum defluuio ſuperueniant varices, cute à ſuccis prauis aliò tranſlatis expurgata, liberant à pilorum defluuio; piliq; vt antea renaſcentur.*

## APHOR. XXXV.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βὴξ ἐπιγενομένη, κακόν.

*Hydropicis tuſsis ſi ſuperueniat, malum.*

INter indicia mortis imminentis hydropicis, eſt illud, vt qui antea non tuſſiebant iam tuſſiant. Poſſunt tuſſire initiò leui tuſſi, vt in hydrope nato vitio hepatis durioris: quia opprimitur diaphragma; aut deorſum trahitur. Quum tamen ſub finem morbi tuſſiunt, indicium eſt bronchia pulmonis impleri aquis, quæ quidem ipſos hydropicos tandem ſuffocant. Sed antè laborant magna ſpirandi difficultate. Dicuntur autem ἐπιγεννήματα quæ adauctæ affectionis ratione ſuperueniunt, vt ſub finem hydropis tuſſis, quæ mala eſt & lethalis.

### SCHOLIA.

*TVſsis hydropi ſuperueniens ſignum eſt* ἐπιγέννημα *pernicioſiſsimum. Tuſsis autem in hydrope triplex obſeruatur. vna, eſt per accidens à deſtillatione è cerebro cum hydrope complicata, è qua multa repurgantur; hæc, cum ſymptoma ſit alterius morbi, nec hydropem, nec hydropis malignitatem indicet, hydropi pernicioſa non eſt. Altera, eſt vitioſi hepatis nota & hydropis ab hepate propria, ſicca quidem ea non humida vt prior; & tuſsicula, aut verius propenſio, vel irritamentum ad tuſsiendum quàm vera tuſsis. nulla enim eſt anguſtia vera & propria pulmonis; ſed oppreſsio à tumente iecore, vel* καταῤῥώπτω. *Tumor enim ſepto incumbens, pulmoni parit anguſtiæ veræ ſimilem affectionem: grauitas verò deorſum inclinans languente*

*viſcere, aut tuberculo oppreſſo per fibras quaſdam, ſeptum cui iecur alligatur, deorſum reuellit, & hoc membranas quæ thoracem interiorem comprehendunt: ex quo ſpiritalibus contractis ſiccæ tuſſes, quæ diu non detinent, licet ſemper moleſtæ ſint: quòd ægri vix dum tuſsire aggreſsi, conquieſcant, quia nihil effatu dignum expuunt, niſi quantum ſeroſi tenuiſque humoris ex vaſis ſeroſum ſanguinem continentibus in aſperam arteriam, ſudoris inſtar, exprimitur. Tertia tuſſis, hydropis deſperati ἐπιγέννημα eſt, vndecunque ortus ſit: nec tam tuſsicula aut ad tuſsiendum propenſio, ſed vera, vehemens ad difficilis tuſsis à materia contenta in pulmone, quæ vi morbi & præ copia è capacitate ventris cæcis ductibus eò regurgitat, & præſidia vitæ ac ſpiritales partes expugnat. Hæc tuſsis poſtrema, eſt de qua hîc fit ſermo, & Apho. 47. lib. 7. vide in eundem ſcholia.*

## APHOR. XXXVI.

Δυσουρίην φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς ἔσω.

*Difficultatem vrinæ Phlebotomia ſoluit: ſecare verò interiores.*

Δυσουρία, eſt difficultas meiendi cum dolore & magno conatu, fitque interceptis viis vrinæ. Accidit aliquando, ob imbecillitatem veſicæ: aliquando, ob inflammationem & acrimoniam vrinæ. Gal. in comm. ait, conuenire phlebotomiam in dyſuria, quæ fit ob plenitudinem aut inflammationem, quæ reddit veſicam imbecilliorem, vrinam acriorem, & vias intercipit. Scimus ex anatomia quod ad pedem duæ venæ perueniunt. Ad crura vna, quæ duos ramos habet, quorum vnus, ad poplitem & partem interiorem cruris deſcendit, alter ad partem exteriorem. Quæritur, an vtrique eadem ſit vis: Gal. exiſtimat eandem eſſe.

omnes Arabes negant, tum propter experientiam, tum propter rectitudinem filamentorum: aiuntque ſaphenam (quæ eſt in partibus interioribus femoris) ſecandam eſſe vbi dolor eſt & inflammatio parte interiore. Iſchiaticam vero (quæ eſt in partibus exterioribus) vbi parte cruris anteriore. Galenus liberum facit quamlibet ſecare. Tutius tamen eſt & vtilius delectum aliquem habere, quod etiam hodie vſu experimur. Si ergo ſit inflammatio in veſica, & in eandem fluxio circa initia, primum ſecabimus venam brachij, deinde ſaphenam in malleolo, aut poplite. vbi reſtiterit fluxio, ſtatim aperire poterimus ſaphenam eandem. At in coxariis primùm ſecamus ex brachio, deinde iſchiaticam. Cæterum φλεβοτομία ſignificat omnem inciſionem venæ, quomodocunque fiat ſiue pungendo, ſiue ſcarificando, & ita extēditur ad præciſiones venarum & arteriarum, vt fit in hæmorrhagiis. hoc tamen loco intelligitur, cum detrahitur ſanguis compuncta vena, vt fit vulgò nec recte intelligitur cum Philoth. de ſcarificatione.

### *SCHOLIA.*

*VRinæ difficultas non omnis ſed ea quam veſicæ inflammatio parit, duplici miſsione ſanguinis è venis interioribus leuatur: vna ad reuulſionem è vena interna cubiti: altera ad deriuationem è vena interna maleoli potius quam externa, natura enim ob connexionem partium reſtitudinem quamlibet amat: adde quod ex conſilio Hippo. dolorum proximum ventrem ſoluere expedit. vide ſcholia in Apho. 48. ſect. 7.*

### *APHOR.* XXXVII.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα γενέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

*Angina correpto ſi tumor appareat in collo, bonum: foras enim morbus exiſtit.*

HÆc ſententia concluſa eſt in generali ſermone. melius eſt fieri tranſmutationem à partibus interioribus ad exteriores, à ſupremis ad infimas, à nobilioribus ad ignobiliores. Cum itaque in angina inflammantur muſculi laryngis linguæ, melius eſt morbum foras ad ceruicem verti, relictis interioribus.

## SCHOLIA.

*Angina eſt morbus acutus in gutture conſiſtens cum anguſtia ſenſu & ſpirandi difficultate, nullo vel thoracem vel pulmonem occupante uitio, ſed anguſtia ſenſu percepto in ſummis gulæ & faucium partibus, per quas ſpiritus introitus eſt. Latinis angina dicta eſt, forſan ab* ἀγχόνης, *id eſt, ſuſpendio, quòd inſtar ſuſpendij ſuffocet. Græcis vero* συνάγχη ἀπὸ τοῦ συνέχειν *continendo ſpiritu, quòd reſpirationem prohibeat: vel* κυνάγχη, *à canibus potius, qui id genus ſymptomatis perpeti ſolent frequentiſsimè, aut quòd eo malo correpti ſimiliter canibus linguam exerunt. Huius quatuor ſunt ſpecies, Cynanche grauiſsima, vbi neque in faucibus, neque in ceruice quicquam apparet, ſed interni muſculi gutturis inflammantur. Secunda, Parachynanche, cum ſolæ fauces id eſt externi gutturi muſculi manifeſta inflammatione tentantur. Tertia, Synanche, in qua vna cum faucibus ceruix attollitur ac foris tumor ac rubor eſt conſpicuus. Quarta, omnium leuiſsima atque tutiſsima, Paraſynanche dicta, quæ non interiores fauces ſed ceruicis ſolius ac pectoris muſculos præhendit, quorum tamen tumore interiores etiam laryngis muſculi comprimuntur, introituſque coarctatur. Quinta his addi poterit, quæ nullo quidem fit proprio faucium affectu, ſed quum ceruicis vertebræ intro luxatæ ſunt,*

*aut gutturis fractura arctius meatum ſpiritus coanguſtat. Tumor ergo in ceruice ac collo apparens in angina, de ſignis eſt quæ anginam ſalutarem prænunciant, alioquin ſua ſpecie lethalem. Idem Hipp. lib. 3. progn. ſect. 16. & Aph. 1. lib. 5. ſect. 2. Coac. & ſcholia in Aph. 49. ſect. 7. Aphoriſmorum.*

## *APHOR. XXXVIII.*

Ὁκόσοισι κρυπτοὶ καρκίνοι γίνονται, μὴ θεραπεύειν βέλτιον. θεραπευόμενοι γὰρ, ἀπόλλυνται ταχέως· μὴ θεραπευόμενοι, δὲ πολὺν χρόνον διατελοῦσι.

*QVibus occulti cancri adſunt, non curare, melius. Curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt.*

VT intelligamus hanc ſententiam, ſcire oportet quid ſit cancer. Multi enim omne malignum vlcus appellant cancrum & ſi ea vlcera curent, putant ſe curaſſe cancros. Sed falluntur. Qua in parte cancri excitantur, ſolent naſci tubercula, alia minora, alia maiora (vt in ſtrumis) & ea nunquam ſuppurant, ſed creſcunt & duriora fiunt ſemper (vnde vocantur durillons gallis) dolentque vehementiſſimè, ita vt ſibi videantur dilaniari à canibus: Diſpergunt præterea venas nigras & denſas, vt ſuas chelas & pedes diſpergit cancer piſcis. Poſtquam materia illa melancholica contraxit putredinem, exulceratur & dicitur cancer vlceratus. Ita duplex erit cancer, vlceratus, & non vlceratus. Vlceratus à maligniore & acriore materia, quæ initio depaſcitur. Non vlceratus, à mitiore, quæ tamen tempore putreſcit & tandem exulcerat. Hippo. lib. 2. de morb. mul. oſtendit cancros occultos non ſuppurari, nec vlcerari. Aëtius

etiam aſſerit omnium veterum more cancros occultos dici non vlceratos. Et ſic etiam intelligit Gal. Ergo cancri occulti dicuntur non vlcerati. Aliter dicuntur profundi. Verum, poteſt eſſe cancer ſuperficialis. & tamen profundus dicetur, quia egit radices in profundum. Poteſt eſſe profundior, quia in hepate, liene, vtero, ventriculo, inteſtinis. Rurſus dicitur aliquando profundus, quia non eſt poſitus in ſuperficie corporis, vt qui eſt in palato, faucibus, ſede, ſinuè pudoris mulieb. Aliter Philoth. alij enim ſunt cancri φαλακροὶ, id eſt, nudi & ſuperficiales : alij κρυπτοὶ, id eſt, profundi & occulti. Quæritur nunc an curari poſſunt? In ſumma omnis cancer inſanabilis eſt, licet Gal. in lib. quos quibus & quando purgare oportet: & in ſimpl. meminerit quarundam mulierum, quas frequenti purgatione liberauit. Sed id fecit initiò, cum tubercula illa propagant fibras ſuas: ergo initiò poteſt curari cancer phlebotomiis, & purgationibus frequentibus: poteſt ſectione & vſtura: ſed non omnis. Nam ſi ſit in vtero & aliis partibus interioribus eſt incurabilis: quia non poteſt adhiberi remedium. Si ſit in parte aperta & ſuperficiali, priuſquam ſeces vel vras, videndum eſt, an id fieri poterit, vt fibra nulla relinquatur. Nam ſi ſit in papilla, ſi in faucibus, & radices nondum egerit, proderit ſectio aut vſtura, ablatis omnibus fibris & radicibus. Ponamus omnes fibras & radices eſſe exciſas, aut vſtas, ſequiturne curatum eſſe? non eſt neceſſe. Si enim cancer iam radices egerit, aut in neruum, aut in magnam venam, aut arteriam: & velis eas exurere omninò (quod tamen faciendum eſt in cancro, alioqui ſerpet) nihil proficies.

Si enim vulneretur neruus, fiet conuulſio lethalis ſi magna vena aut arteria, fiet magna hæmorrhagia, eaque incurabilis. Breuiter, non eſt locus ſectioni aut vſtioni, vbi eſt magna arteria aut vena, neque in parte neruoſa. eamque ob cauſam veteres exiſtimabant cancros incurabiles eſſe, qui in inguine, thorace, collo, capite naſcerentur. Cancros ergo, occultos non curare melius eſt: quia celerius moriuntur ægri. Poſſumus tamen ſedare dolorem & detergere ſaniem, mouere hæmorrhoides (ſi quidem fluere ſoleant) ſecare venam & purgare. At ferrum & ignis minime tuta ſunt.

## SCHOLIA.

*Cancer eſt tumor inæqualis, durus, oris prætumidis, aſpectu teter, liuidus, indolens primum tamen dolorificus, cancro animanti ſimilis, ab atra bile genitus malignus, ferus, proteruus. Duplex quidem genere, vlceratus & non vlceratus. vlceratus fit ab atra bile ex flaua bilis aduſtione genita, per nouam ebullitionem magis aduſta. non vlceratus, fit etiam ab atra bile, ſed ex ſucci melancholici aduſtione genita. Quò fit, vt vlceratus non vlcerato ſit multò malignior. Veteres non vlceratum cancrum occultum nominabant, recentiores non modo non vlceratos ſed occultos quoque cancros eos appellant, qui in internis deliteſcunt partibus: neque in ſuperficie corporis apparent, vt in palato, vtero, inteſtinis & intra anum.*

## APHOR. XXXIX.

Σπασμὸς γίνεται, ἢ ὑπὸ πληρώσιος, ἢ κενώσιος. οὕτω δὲ καὶ λυγμός.

*Conuulſio*

*Conuulſio à repletione fit vel vacuatione, itâ vero & ſingultus.*

GAlen. citat multis in locis hunc Aphor. vt 2. 3. 6. de loc. affect. & 2. de ſymproma. Sæpe autem diximus de conuulſione quæ eſt motus inuoluntarius in parte quæ voluntariè mouetur. Fit deinde tenſis præter naturam neruis, & aliquando contractis. Motus autem hic præter naturam, eſt circa principium muſculi: & aliquando circa originem nerui, rarus circa finem muſculi. Fit itaque conuulſio omnis, ex repletione vel inanitione. hæ ſunt cauſæ generales, non quòd non ſint quædam particulares. Sed ad eas duas referri debent. Plenitudo, fit cum nerui offarciuntur humore craſſo & viſcido, ſiue hic colligatur ob imbecillitatem neruorum ipſorum: ſiue aliunde influat. Ab inanitione, vt in febribus ardentibus. Sic in Elleboro, cum vis medicamenti trahit ad ventriculum quicquid eſt humiditatis in neruis. Aliquando in puncto aut vulnerato neruo retinetur ſanies, quæ conuulſionem infert qualitate & quantitate. Sed hoc ad plenitudinem debet referri. Interdum in vehementi refrigeratione condenſatur ſubſtantia neruorum, vnde minus exhalat & ita colligitur plenitudo. Iam ſingultus proprie non eſt conuulſio, ſed motus conuulſioni ſimilis excitatus in orificio ventriculi à plenitudine & inanitione. A caliditate fieri poteſt, vt piperis vſu. Ac cum Galen. lib. κατὰ γένη dixit excitari à pipere & aliis acribus aut acidis, videtur referre id ad qualitatem. Sed dicere poſſumus piper & alia eiuſmodi conuehere aliquid materiæ ad os ventriculi, quod

repletum ſingultum patitur. Quare poterimus dicere eum ſingultum eſſe ob quantitatem & plenitudinem. Poteſt etiam oriri à frigiditate quæ condenſat & conſtipat orificium ventriculi, vt nihil exhalare poſſit: vnde plenitudo, à qua ſingultus.

## *SCHOLIA.*

*Conuulſio & ſingultus in eo conueniunt, quòd vtrunque ab iiſdem cauſis genere, repletione nempe aut inanitione excitetur, eodemque modo fiat: repentina nimirum contractione partis quæ mouetur ad ſuum principium, ſuique motus originem: ita vt in conuulſione, venter atque cauda muſculi, qui motus voluntarij primarium eſt inſtrumentum, ad ſuum ipſius caput retrahatur, & vnà cum eo pars illa corporis in quam muſculus ipſe inſeritur, adducatur. In ſingultu verò, nerui ſatis inſignes ſed breues, à ſexta coniugatione in æſophagum, ſtomachum ac ventriculum perreptantes ad ſuum principium recurrant, & partem in quam inſerti ſunt, ſimul adducant. Diſsident verò, motus ſpecie, motus formula, partis affectæ natura & ſymptomatis ſpecie. nam conuulſio, motus eſt facultatis animalis coactus, in parte quæ voluntariè mouetur. Singultus, eſt motus ventriculi deprauatus, non ab animali facultate ſed à natura, hoc eſt, facultate corpus regente editus; vi nimirum expultrice ventriculi, aut ſtomachi, aut æſophagi, vitium quod tunicis ſuis impactum eſt expellere conantis. Cum enim ventriculus maximè verò ſtomachus, magnorum neruorum ſit particeps, non quibus ille quidem moueatur, ſed exquiſitiſsimè ſentiat: quicquid no-*

*noxium occurrit, id promptiſsimè ſolet excutere, pro ea vi, quæ ſingulis corporis partibus à natura inſita eſt, qua quod offendit, quoad fieri poteſt à ſe propellunt. Conuulſio, motus eſt ſimplex, iſque obſcurus ac velut tonicus qui ſola contractione obitur. Singultus, motus eſt manifeſtus, ex duobus contrariis motibus compoſitus, dilatatione ſcilicet & contractione: in ſingultu enim ventriculus primùm ſeipſum dilatat, quò valentius excutiat quod nocet, deinde velut collectis viribus ſe adſtringit, magnaque totius ſui corporis compreſsione ſingultum edit, poſtea in ſuum ſitum naturalem redit. Conuulſio, tantum cadit in partes quæ* προαιρετικῶς *mouentur, eſtque muſculi propria affectio ceu* πάθος ψυχικὸν *inquit Philoteus. Singultus, cadit in œſophagum, ſtomachum, ventriculum quæ ſolius naturæ ductu, non autem voluptatis imperio reguntur, eſtque ſingultus* σωματικὸν πάθος *inquit Philotheus. Conuulſio, ſymptoma eſt cauſæ morbificæ: Singultus Galeno nullius cauſæ morbificæ ſymptoma, ſed ſolius naturæ ceu facultatis expultricis opus, vt horror, ſternutamentum, tuſsis, vomitus & ructus: quanquam cauſæ morbificæ ſymptoma quoque videri poteſt, cum ſemper cauſa aliqua adſit præter naturam, quæ naturam ad ſingultum excitat atque compellit: quòd etiam in ſingultu, tres ventriculi facultates deprauari cernantur: retentrix, quæ cibos deſerit nec naturaliter complectitur, dum ſe dilatat ventriculus in ſingultiendo: motrix & expultrix, quæ motum edunt ſurſum naturæ ventriculi penitus contrarium.*

## APHOR. XL.

Ὁκόσοισι περὶ τὸ ὑποχόνδριον πόνοι γίνονται ἄτερ φλεγμονῆς, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸν πόνον.

*Qvibus dolor circa hypochondrium eſt ſine inflammatione, iis febris ſuperueniens dolorem ſoluit.*

HOc perpetuum eſt apud Hippo. quòd quicunque morbi fiunt à craſſa & frigida pituita, & flatibus, hi poſſunt ſolui febre: quia hæc tenuat, incidit, coquit, præparat materiam ad excretionem ac reſoluit. Itaque, ſi cui hypochondria doleant, vel à pituita craſſa & viſcida, vel à flatibus, nullaque ſubſit febris aut inflammatio, imitatione naturæ vtemur fotibus, qui, quod febris effectura erat, efficiant, hoc eſt, materiam illam craſſam & frigidam tenuent & coquant, flatuſque diſcutiant. Neque enim expectabimus febrem, neque excitabimus. Sic, ſi in viſceribus, aut circa viſcera venæ offarciantur & obſtruantur frigidis & craſſis humoribus, ſuperueniens febris eas obſtructiones liberabit. Si natura febrim non immittat, aut ſi id faciat ea ſit lenta (vt ſolet ferè eſſe in eiuſmodi viſcerum obſtructionibus abſque inflammatione) adeò vt non poſſit obſtructionem euincere, ſacculos inſtituemus, ſpongias & fotus ex oleis atque aliis concoquentibus & tenuantibus: ſicque materiæ coctione, inciſione & reſolutione & liberabitur obſtructio, & ſedabitur febris ac dolor. Veteres vtebantur lana ſordida imbuta oleis & aliis medicamentis coquentibus, incidentibus, tenuantibus & reſoluentibus.

## SCHOLIA.

*Dolor qui ſine inflammatione excitatur, ſiue in interno, ſiue in externo corpore, frigidam cauſam agnoſcit neceſſariò, eamque vel intemperiem, vel humorem frigidum, vel flatum. Huic nullum præſentius eſt remedium calore febrili: vt qui multò potentius temperet, coquat, & diſcutiat, quàm quiuis alius calor foris admotus. nec tamen huiuſcemodi dolor in quacunque corporis parte excitatus calori febrili tutò cedit: ſed is potiſsimum, qui circa hypochondrium, aut aliam partem minus nobilem reſidet. Qui enim in capite, aut pectore fit dolor tutò ſuperueniente febre ſolui non poteſt. In capite ſiquidem, metus eſt delyrij, aut inflammationis deſituræ in abſceſſum, cui expurgando expeditus non pateat ductus. In pectore vero, verendum ne febris ſuborta maiorem accendat febrem in corde calidiſsimo, aut inflammationem ſuſcitet in pulmone. At in hypochondriis, aut alia parte quapiam nobili, dolori à cauſa frigida, à febre ſuperueniente, nihil quicquam periculi tale impendere poteſt. Quæ enim materia frigida in ventre concluſa eſt, promptiſsimè per vrinas, aut per inteſtina foras à calore febrili excluditur.*

## APHOR. XLI.

Ὁπόσοισι διαπύοντι ἐὸν ἐν τῷ σώματι μὴ διασημαίνει, τουτέοισι διὰ παχύτητα τοῦ πύου, ἢ τοῦ τόπου, οὐκ ἀποσημαίνει.

*Quibus in corpore pus nullam ſui dat ſignificationem: ob craſſitudinem ſui aut loci non ſe prodit,*

SÆpe dubitamus de pure collecto. Verum eſt dum pus conficitur &c. Sunt & alia ſigna ſcripta in progn. Verum aliquando propter craſſitudinem puris

& loci, vt in calcaneo, & planta pedis, dubitamus an ſit pus. Præter ea ſigna Ariſtot. dat rationem puris explorandi. Fouet enim aqua calida locum illum ſuſpectum & partes vicinas. vbi commutabitur pars, ſignum erit puris. vel ſic authore Hipp. lib. 1. de morb. Oportet partem illinire argilla: vbi hæc celerius reſiccabitur, ibi dicemus latere pus. his cognitis, ſi pus lateat propter craſſitudinem ſui, vtemur tenuantibus incidentibus craſſitiem illam, mollientibus, laxantibus: deinde ferro aperiemus. Si pus lateat ob craſſitudinem cutis, vtemur etiam medicamentis laxantibus & mollientibus cutem. Aliquando tamen propter loci profunditatẽ latet pus, vt ſi ſit in interioribus muſculis epigaſtrij.

## SCHOLIA.

*ABſceſſus partium internarum, vt pulmonis, aut hepatis, aut alterius, quo loco pus collectum contineant, non eſt facile coniicere; niſi acre iudicium adhibeas. At in externis abſceſſibus, qua parte pus deliteſcat, tum tactu, tum viſu dignoſcere licet. Tactu quidem, ſi locus aliquis tumoris qui antea durus extitit, mollis euaſerit, & cum inundatione quadam fluctuet. Si locus elatus, mucronatus ac faſtigiatus prementibus digitis deprehendatur. Si ibi dolor grauis ac pulſatorius ſentiatur. viſu verò, ſi cutis rarior facta cum ſplendore quodam albicet. Certiſsimum autem horum quatuor ſignorum eſt, loci mollites. Quæ ſi in nullo tumoris loco admotis digitis percipiatur, indicium eſt pus intus ſubſiſtere duas ob cauſas: aut quia pus craſſum eſt, vt fit in tumoribus frigidis, in quibus pus parum acre cutem rarefacere, eamque cum ſubiecta carne exulcerare non poteſt: aut quia cutis admodum ſolida ac denſa, ita vt pus per eam penetrare viamque foràs ſibi molliri non poſsit.*

*Proinde, hîc partem aut profundo ſcapello incidere, aut in ea admoto pyrotico emiſſarium puri facere, aut ſaltem ipſum pus aut cutem attenuare oportet. Hic Apho. repetitur ſect. 2. lib. 3. Aphor. 11. Coac.*

## APHOR. XLII.

ΕΝ τοῖσιν ἰκτερικοῖσι τὸ ἧπαρ σκληρὸν γενέσθαι, πονηρόν.

R*Egio morbo laborantibus iecur durum fieri, malum.*

IN morbo regio ſolemus admouere manum vtrique hypochondrio, dextro magis, ſi pallidus eſt flauus: ſiniſtro: ſi niger. Is fit aliquando à ſola intemperie viſceris, aliquando ab obſtructione, aliquando à tumore præter naturam, vt inflammatione & ſcyrrho. Si eſt ab inflammatione & ſcyrrho, periculoſiſſimus. Tum itaque vel febris eſt, vel non. Si eſt febris, eſt inflammatio: ſi abeſt, ſcyrrhus. Scyrrhi omnes cum morbo regio adferunt hydropiſin. Ab inflammatione ſequitur ſcyrrhus. Ergo vt ſcyrrhum prohibeamus, vtemur crebrò tenuantibus, incidentibus, molliẽtibus, adhibitis etiam corroborantibus propter naturam partis. Potiones quoque præſcribemus quæ tenuent & incidant materiam. Si igitur ictérico fiat hepar durum, vt ab inflammatione cui iuncta eſt febris, malum. inde enim expectanda eſt hydrops & tandem mors.

## SCHOLIA.

T*Riplex icterus. Vnus fellens, ab immodica plenitudine veſiculæ fellis, aut imbecillitate facultatis attractricis eiuſdem, aut meatuum obſtructione, ſiue allicientium, ſiue pellen-*

*tium bilem. Alter hepaticus, ab obſtructione, inflammatione, vel ſcirrho hepatis. Tertius criticus, qui die critico & antegreſſis coctionis ſignis in febribus incidit, cum excrementis & vrinis ſecundum naturam ſe habentibus, à tranſlatione bilis craſsioris in cutem, quæ ad diſcutiendum contumacior eſt. nam tenuior abit in ſudorem, & per inſenſilem tranſpirationem expurgatur. In ſolo hepatico durum fit hepar, nimirum ab obſtructione, ſcyrrho aut inflammatione eiuſdem. Obſtructionem indicat grauitas & tenſio in dextro hypochondrio, cum dolore obtuſo, ſine tumore ac febre: reſpiratio vtcunque impedita, in motu corporis. Scyrrhum detegit extenuatio muſculorum hepati incumbentium, tumor durus in dextro hypochondrio, nullus aut obtuſus dolor, decubitus in dextrum quàm ſiniſtrum latus facilior, vrinæ craſſæ & nigræ. Inflammati hepatis ſigna ſunt, Dextri hypochōdrij & lateris grauitas, ac dolor inſignis: tum, ob oppreſsionem & diſtenſionem diaphragmatis à tumore, cum quo ſuperiores membranæ infra conuelluntur: tum, ob ligamenta quibus iecur alligatur nothis coſtis, vnde & ſicca tuſsis, & dolor præcipuè inter reſpirandum, lumborum item dolor, ſingultus, febris ardens. Durities ergo hepatis à ſcyrrho aut inflammatione, lethalis omnino in morbo regio: tum, ob partis nobilitatem ac neceſsitatem: tum, ob curandi difficultatem: nam iecori inflammato frigida conuenirent, quorum vſus frequens iecori omnino noxius exiſtit, ſcyrrhus verò iecoris, emollientia poſtulat, quæ robur iecoris planè exoluerent: tum ob euentum: nam ſcyrrhus hepatis tandem adfert hydropem, & mortem. Durities verò quæ manat ab obſtructione hepatis non planè lethalis: ſæpius enim curatur & cibis & potibus, & medicamentis extenuantibus, deinde bilem vehementius purgantibus & frequentius iteratis.*

*APHOR.*

## APHOR. XLIII.

OΚόσοι σπληνώδεες ὑπὸ δυσεντερίης ἁλίσκονται, τουτέοισιν ἐπιγενομένης μακρῆς τῆς δυσεντερίης, ὕδρωψ ἐπιγίνεται, ἢ λειεντερίη, καὶ ἀπόλλυνται.

*QVi lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur, iis ſuperuenientem longam dyſenteriam, aqua inter cutem, aut inteſtinorum læuitas excipit, & moriuntur.*

APhor. 48. Huius libri ſcribit Hippocrates lienoſis ſuperuenire dyſenteriam, bonum. Hîc autem dicit, moriuntur. Lien repurgat excrementa ſua per inteſtina, raro per vrinas, licet aliquando id fiat. Sed iſtud non magis mirum, quàm quòd thorax ſua aliquando repurgat per renes & veſicam. Si igitur lien non repurgetur, ſed in eo colligatur copia melancholici ſucci, euadet durior. Vnde, quum ſuo munere non fungatur, fiet icterus niger, vel hydropiſis, quam ſequetur mors. Curari itaque & repurgari debet, vel ſponte naturæ, vel arte. Sponte naturæ, per inteſtina & (lib. 6. Epidem.) per hæmorrhoidas. Arte, adhibitis medicamentis quæ melancholicum ſuccum vacuent, adhibitis clyſteribus acribus, & topicis remediis emollientibus, & incidentibus materiam. Fit interdum, vt natura ad repurgationem excitata modum non ſeruet & fiat dyſenteria: vbi præcipue materia in inteſtinis immorata, contraxit malignam quandam qualitatem & computruit. Hæc difficultas inteſtinorum, quia duritiem ſoluit lienis, bonú: niſi ea dyſenteria ſit longior. Nam ſi diutius perſeueret, exoluit vires inteſtinorum, vnde lienteria: aut re-

frigeratur & debilitatur hepar, vnde hydrops. Ab vtroque autem morbo, mors. Cæterum lienem ita induratum vocare ſolet Hipp. χατάῤῥοπον. Dicuntur autem viſcera χατάῤῥοπα: vel, quæ propter humorem præter naturam velut ſuſpenſa deorſum vergunt, & deprimuntur: vel, quia repurgant excrementa ſua deorſum: & hoc vtroque modo erit χατάῤῥοπος lien. Iam lienoſi hîc intelliguntur propriè quibus ſcilicet splē induruit à materia melācholica. Aliquando enim intumeſcit à bile, & à pituita teſte Hipp. *Longa*. id eſt, modum excedente. Difficultas inteſtinorum naſcitur ex repurgata illa materia melancholica. Ea itaque aliquando & propriè dicitur ab exulceratione bilis vel melancholiæ: aliquando, largius extenditur ad cruentam. Hîc propriè ab exulceratione. ἀλισκονται dicitur de longitudine morbi *Aut aqua intercutem*. quia languido iam facto calore natiuo hepar afficitur. *Læuitas inteſtinorum* ) per inteſtinorum imbecillitatem, quia extincta eſt eorum vis longo profluuio; à dyſenteria autem, lienteria eſt lethalis.

## SCHOLIA.

*Lienoſi, non tantum hi quibus lien obduruit à phlegmone, ſcyrrho, aut contumaci ac inueterata obſtructione: ſed etiam, quibus lien malè iamdiu affectus eſt, nimirum imbecillus, laxus, tumens ſine ſcirrho: infarctus plurima crudi humoris aut excrementi melancholici colluuie: durus, ſiue à fluxione externa, ſiue à proprio excremento: plenus quoque multis flatibus: Is igitur, tum ſymptomaticè, tum robore naturæ, aut medici artificio, collecta excrementa per aluum, hæmorrhoidas, ventriculum: nonnumquam per vrinas, facta via per cœliacam arteriam ad renes, aut refluente humore à liene ad hepar: vtiliter*

*poteſt excernere. Sed in quem locum ea humorum inclinatio fieri debeat, ſitus tumoris, aut duritiei, aut tenſionis tactu deprehenſa in liene, indicabit. Ad inferiores quidem, partes, ſi parte ſui inferiore, aut tumeat, aut durus, aut tenſus ſit lien. Ad ſuperiores verò, ſi parte ſui ſuperiore tumorem, aut duritiem, aut tenſionem aliquam habeat: Hunc ita affectum* ἀνάῤῥοπον *illum* κατάῤῥοπον *lienem vocat, Hippocrates. Et in liene* ἀναῤῥόπῳ, *nares & aures calere, genua vero & pedes frigere. In liene verò* καταῤῥόπῳ, *nares, in quam, & aures frigere, genua & pedes calere, inguen, & crus ſiniſtrum dolere ſcribit. Lien ergò malè affectus per hæmorrhoidas aut per inteſtina ſalutariter expurgari poteſt, potiſſimum ſub finem & criſim morborum melancholicorum. Proinde lienoſis, ſuborta dyſenteria non poteſt non ſalutaris exiſtere: ſiue ſymptomatica, ſiue critica, ſiue artificio medici commota fuerit: dummodo ea ab atra bile ortum non habeat (hæc enim planè funeſta eſt) ſed à ſanguine melancholico tranſmiſſo ab inteſtina, ea non exulcerante: qualis dyſenteria cruenta dicitur & non exquiſita cum vlcere. Nam melancholici humoris tranſitus inteſtina non exulcerat, niſi poſt quadraginta dies & adhuc ſerius, vt veteribus placuit. Eſt enim hic humor planè ignauus, & qui per concoctionem, veterem potius acrimoniam deponit, quàm nouam acquirat. Poteſt tamen ex longa ſuppreſſione, aut mixtione cum aliis humoribus acribus, aut nimio æſtu contracta putredine acrimoniam quandam adipiſci, indeque ſuo tranſitu promptè exulcerare inteſtina, ac in illis dyſenteriam cum vlcere excitare: Qualis dyſenteria, vt nec ea quæ cruenta dicitur, funeſta non eſt, ſi modo diutius non perſeueret. nam, cum in longius tempus producitur, liquatur humor ex toto corpore, continuatoque cacochymiæ tranſitu inteſtinorum vires*

*laborant peritque caloris natiui ſymmetria. Ergo propter iecoris, lienis & totius venoſi generis conſenſum, in longa dyſenteria hydrops ſuperuenit: propter vitium inteſtinorum, lienteria, quæ magnitudine cauſæ, alimenti defectu, vigiliis & aßiduo ſurgendi labore, poſt dyſenteriam planè lethalis eſt.*

## *APHOR. XLIIII.*

ὉΚόσοισιν ἐκ στραγγουρίης εἰλεὸς ἐπιγένηται, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται, ἢν μὴ πυρετοῦ ἐπιγενομένου ἅλις τὸ οὖρον ῥυῇ.

*QVibus à ſtranguria ileus ſuperuenit, intra ſeptem dies moriuntur, niſi febre ſuperueniente copioſa vrina fluxerit.*

SCriptores non conueniunt de loco ilei, neque Gal. videtur in hac re ſibi conſtare. Nam in comment. huius Aphor. dicit ileum eſſe in tenuibus inteſtinis, & 3. Ep. in hiſtoria mulieris voluuloſæ (vbi tamen loquitur ex aliorũ ſententia, & ita ſibi nõ repugnat) dicit voluulum fieri in tenuibus, & in craſſis, ſæpius tamen in tenuibus. Celſus ponit in tenuibus & craſſis. Præterea in lib. de glandulis, & in lib. de locis in homine, Hippoc. facit in inferioribus inteſtinis. Ergo, fit in tenuibus & craſſis inteſtinis. Et tamen Gal. in comment. (vbi ſuam ſententiam explicat, alibi vero aliorum) ait non fieri in craſſis: propterea quod, non poteſt adduci vt propter materiam craſſam retétam in craſſis inteſtinis fiat ileus. Iam quæritur an pituita craſſa & viſcida poſſit retineri in inteſtinis craſſioribus? poteſt (vt in commen. Philo.) adeò vt, iis ita obſtructis neque ſtercus, neque flatus

etiam poſſit excerni. Hippocrates lib. de glandulis.& de loc. in homine,ait,quòd vbi cerebrú ſua excrementa in ventrem & inteſtina exonerat, fit aliquando alui profluuium,vt in balbis antea. Aliquando tamen pituita illa à cerebro delapſa retinetur in inferioribus inteſtinis,& fit volulus. In his autem morbis non poteſt induci clyſter: & ſi immitti poſſit ſanabitur æger. Quare vtendum eſt fiſtula alligata veſicæ, vt vbi ampliata fuerint inteſtina, tum immittamus clyſterem qui flatus generet. Certum eſt veteres medicos dixiſſe fieri in vtriſque inteſtinis. Diſtinxerunt tamen. Nam vbi eſt in tenuibus, euomitur [illegible]lus: in craſſis vero, ſtercus. Si ponimus illum eſſe à tuberculo, vel inflammatione quæ intercipiat tenue inteſtinum (vt ileum) quomodo poterit reuocari inde ſtercus & reuomi? At ſi ſit in craſſis inteſtinis inflammatio, aut pituita craſſa & viſcida,aut ſtercus durius quod viam intercipit, poterit ſtercus euomi quod efformatur in cæco & colo inteſtino. His cognitis. Quibus ex ſtillicidio &c. moriuntur. Ægri dolent parte ſuperiore ventris & inferiore: perpetuo iactant corpus,& vomunt ſtercus, vbi imminet mors. Signa ilei vide 3. Epidem. in hiſtoria mulieris ileoſæ & lib Hippocrates de morbis internis. Galenus exiſtimat hunc Aphoriſmum eſſe adiectitium. Nam ſtráguria quidem fieri poteſt via intercepta ab inflammatione veſicæ: ſed non ſequitur inde fieri ileum. Immò Gal. non exiſtimat fieri, & dicit ſe nunquam vidiſſe. Verum eſt, quòd aliquando euomitur vrina, non ſtercus. At oportet magnam eſſe inflammationem in veſica vt intercipiatur inteſtinum quod admodum difficile eſt. *Niſi febris*) ſi ſit inflammatio in veſica, non poterit prodeſſe febris: quippe quæ non curet morbos,

niſi eos qui ſunt à materia craſſa & flatuoſa. Ergò ſtillicidium vrinę (vt tuetur Auicenna) habebit cauſam, materiam multam, frigidam & craſſam, propter quam non ſolum vrina guttatim effluit, ſed etiam comprimitur & obſtruitur inteſtinum, vnde ileos. Huiuſmodi autem ſtranguria & ileos ſolui poterit febre. Sed Gal. non exiſtimat inde poſſe fieri ileon.

## SCHOLIA.

*VRinæ ſubſtillum, præter alias cauſas quas habet plurimas, fieri poteſt ab obſtructione colli veſicæ, liberum vrinæ exitum intercipiente, ex grumo, aut crudo craſſoque humore genita: ob quam ſi præter modum veſica vrina repleatur, fæcum retentio; indeque coli dolor, & interdum ileos, quanquam rarius, ſuboritur. Tanta enim eſt vicinitas inter veſicam & inteſtina, vt ſuos ſibi inuicem affectus communicent. Sic, in colicis quibuſdam vidimus ad tempus (tanta erat per totum ventrem anguſtia) vel ipſam vrinam retineri. Quanto facilius magnus veſicæ tumor ipſum rectum inteſtinum aut ileum pænitus comprimere poteſt? ferè autem id mali genus interficit, vbi ad dies aliquot perſeuerarit: Proinde, vbi ſentimus vrinæ ſubſtillum cum quadam alui duritie, grauitate, & frigiditate ventris, ſtatim medicamentis attenuantibus & vrinam cientibus vrinæ ſubſtillo medendum. Vtrique ſymptomati, ſubſtillo nimirum & ileo ſimul iuncto, duo remedia expertus eſt Hippocrates, febrem & retentæ vrinæ copioſum fluxum. Febrem quidem, quia hæc intemperiem frigidam emendat, craſſos humores concoquit & attenuat, obſtructiones liberat: vnde vrina craſſa & multa & confertim vacuatur. Fortunatum tamen id eſt, nam rarò ex huiuſmodi ſti-*

*caſione febris oriri ſolet. Quod ſi febris quidem accedat, ſed ſymptomatica internæ inflammationis, ſine hac vrinarum profuſione, intra primum ſeptenarium doloris vehementia & excrementorum æſtu ac ſuppreſſione æger morietur. Eſt enim ileus morbus acutiſſimus.*

## APHOR. XLV.

Ἕλκεα ἑκόσα ἐνιαύσια γίνεται ἢ μακρότερον χρόνον ἴσχουσι, ἀνάγκη ὀστέον ἀφίστασθαι, καὶ τὰς οὐλὰς κοίλας γίνεσθαι.

*SI vlcera annua aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cauas fieri.*

SOlet natura in iis partibus quæ natura differunt, interponere mediam quandam ſubſtantiam: vt in elementis interponit ea quæ ſymbolum habent cum vtriſque, vt inter aquam & ignem interponit aërem: inter hunc & terram, aquam. Sic, quia os durum eſt, caro mollis, ob id natura iis (vt conſueſcant) interponit articulos, membranas, & fibras. In diuturnis vlceribus, membrana illa περιόστεος dicta, corrumpitur. Præterea intelligere oportet, quòd caro illa quæ proxima eſt oſſibus fibroſior eſt reliqua. Qui ergo fieri poteſt in aſſis carnibus, vt caro oſſi propinguior ſit melior & tenerior reliqua? id fit per accidens, quia dum calor ignis agit in carnes, eò cogitur tota humiditas & ſubſtãtia carnis, ibidẽque conſeruatur & coquitur magis calore proprio quã externo. Accidit porrò, vt malignitas & ſanies vlcerũ fibras illas & mẽbranas & ſimul os corrũpit, vnde abſceſſus in oſſe. Vbi

iam os corruptum eſt & abſcedit,fruſtra adhibes remedia vlceri. Nam lib. de vlceribus, quæ oſſa abſcedũt, vel ſecantur,vel vruntur, cicatrices cauas faciunt. Primùm,quia pars oſſis exempta eſt,& ita relinquitur ſpatium inane:deinde, quia fibræ & membranæ(quæ partes ſunt ſeminales)nunquam poſſunt regenerari. *Os abſcedere.* id eſt corrumpi,cariem ducere: quidam dicunt, ſquamas relinquere nullo diſcrimine. Videmus tamen experientia,non relinqui, ſed tantum liuorem naſci in parte ob corruptionẽ. Sed in eiuſmodi vlcere(quando caro etiam exeſa eſt)ne deformes & tam cauę maneant cicatrices,debetchyrurgus paulò plus carnis regenerare vt conpenſetur quod de oſſe ablatum eſt.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticon eſt chirurgicum ad difficilem vlcerum curationem pertinens. Vlcera iamdiu inueterata, & quæ poſt integrum annum exactum ad cicatricem perduci non potuerunt, medicis,aut ægris, nil quicquam in curatione delinquentibus, non aliam ſuæ curationis difficilis cauſam agnoſcunt,quàm oſſis abſceſſum. Id quod certius conijcitur, ſi ſæpius obducta cicatrice huiuſcemodi vlcera recrudeſcant. Proinde, detergendum erit os,quod ſubeſt vlceri: illudque eximendum,ſi totum corruptum: aut obradendum, ſi qua ſui parte vitium contraxerit, ſi quidem ab eo manat ſanies ſiue ichor, qui integram vlceris ſanationem impedit. Non ſemper verò integer annus expectandus vt os detegas: fit enim ſæpius, vt ante id tempus os in huiuſcemodi vlceribus abſcedat.Corrupti autem oßis hæc ſunt indicia: niger aut liuidus oßis color: pus copioſius ac tenuius ex vlcere fluens,quàm vlceris magnitudo poſtulet: labra vlceris fungoſa ac nigricantia, coeuntia ſæpius, ſed non coaleſcentia:*

*perceptio*

*perceptio noui cuiuſdam motus in vlcerato membro: puris fœtor, ac liuiditas recens, ſuborta intemperies calida, uel etiam inflammatio. Si nullum horum adſit, ſcito non à corrupto oſſe difficilem vlceris curationem prodire, ſed vel à praua neſcio qua diatheſi, aut intemperies parti ſubiectæ impreſſa, à præcedente defluxione, aut cachymia totius corporis, qualia ſunt vlcera ſenum aut hydropicorum: Aut etiam à perenni prauorum ſuccorum fluxione in partem vlceratam, Quales ſunt fiſtulæ. In illis emendanda diatheſis: in his, cohibenda perennis fluxio, vt cicatrix obducatur.*

### *APHOR. XLVI.*

Ὁκόσοι ὑβοὶ ἐξ ἄσθματος ἢ βηχὸς γίνονται πρὸ τῆς ἥβης, ἀπόλλυνται.

*Qvi gibbi ex aſthmate aut tuſſi ante pubertatem fiunt, ſtatim moriuntur.*

VT intelligamus hunc Aphor. ſciendum eſt, quos Hipp. vocet ὑβοὺς, qui aliquando etiam dicuntur κυρτοὶ καὶ κυφοὶ καὶ γαυσοί. Dicuntur ὑβοὶ, quibus dorſum foras eminet: vt ſi initio vertebræ luxatæ ſunt, ea luxatio appellatur, λορδῶσις, illa enim prior dicitur ὕβωσις καὶ κύρτωσις καὶ κύφωσις. Aliquando vertebræ, neque ante neque retro recuruantur, ſed in obliquum, & eſt σκολίωσις. Interdum vincula quibus connectuntur, vertebræ laxantur, ita vt vertebræ ipſæ loco non ſunt commotæ & dicitur σεῖσις, vt ſæpe fit in pueris. His poſitis intelligere oportet, quòd alij gibbi ſint in ceruice: alij in thorace: alij ſub ſepto tranſuerſo & in lumbis. Si gibbus eſt in ceruice,

aut in dorſo, prohibetur nutritio thoracis, ita vt coſtæ tendant in acutum: ſed non ampliatur nec augetur thorax, aut certè parum admodum. Si eſt ſub ſepto tranſuerſo, & in lumbis, ij habent crura valde gracilia, quia horum prohibetur nutritio. Hippocrates hîc agit de gibberoſis in ceruice, vel in dorſo. Nam, ſi gibboſitas ſit in lumbis, aut oſſe ſacro, non impeditur nutritio thoracis, & ſpina ac thorax ampliari poſſunt. Si vero in ceruice, aut dorſo, ſpina ſit breuior, thorax anguſtior, iidem ferè coguntur eſſe capite demiſſo, collum non eſt ita flexile ac ſequax niſi ad dentem comprimas vertebras. Quòd ſi caput aut collum conentur attollere, gutturoſi euadunt, ſit arctior aſpera arteria, redditur vox aſpera & rauca. Quæritur an gibbi neceſſariò celeriter moriantur? minimè. Siquidem quibus iam adultis ſit gibbus, quum thorax in iis iam habeat iuſtam magnitudinem & amplitudinem, non tam citò moriuntur. Ferè autem moriuntur anno 60. At ſi adhuc pueris accidit gibbus, celeriter intereunt. Partes enim thoracis interiores iis augentur & ampliantur: thorax autem ampliari non poteſt. Quum ergo prohibita thoracis ampliatione cor & pulmones conſtringantur, nec liberè moueantur, fiunt tubercula, tabes, peripneumoniæ, & ita moriuntur. Tubercula autem illa, vel cruda ſunt & dura: vel non ita dura & cruda. Si dura ſunt & incoctilia, minus periculoſa ſunt, diutiuſque viuere permittunt, quia non ſuppurant. Alia, non ita cruda ſunt & dura quæ tempore ſuppurant, & hæc periculoſa ſunt. Nam tum pus in ſpatium thoracis vacuum effunditur, & commota tuſſi ſuffocantur ægri. Sic in ceruice tuberculum eſt pe-

riculoſum, quia ſuppuratio conuertitur in aſperam arteriam & ſuffocat. Ergo, in gibbis, ceruicis præſertim & thoracis, periculoſum cenſetur, prouocare ſuppurationem, immò oportebit quantum fieri poterit prohibere, & tubercula dura reddere. At in lumbis, minus periculoſa ſunt tubercula, quia poſſunt aliquando beneficio naturæ ſuppurare. Aliquando fiunt dyſenteriæ, aliquando varices in inguine aut cruribus, vnde ſoluitur morbus. Præterea, gibbi in lumbis ſoluuntur aut per metaſtaſim, aut per ſympathēmam. Per etaſtaſim, ſi materia quę gibbum faciebat, transferatur in partes ignobiles, vera erit ſolutio. Per *ſυμπάθημα*, vt ſi pus è lumbis demittitur in ilia, inguina, crus, & illîc efficiat nouam ſuppurationem. Et hoc non eſt ſanare neque ſoluere, ſed augere morbum. *Qui itaque gibbi*, &c. Neceſſario oportet intelligere gibbum illum qui eſt in ceruice, vel quia propter anguſtiorem locum fit aſthma, quemadmodum accidit iis qui diutius cucurrerunt. Tuſſis vero fit, quia ex tuberculo illo non ita duro reſudat aliquid materiæ in partes ſpiritales. Vbi tuſſis commouetur, periculum eſt ne derepente ſequatur ſuffocatio. *Ante pubertatem*. Priuſquam videlicet adepti ſint amplitudinem thoracis, intereunt: & multò celerius, ſi intemperanter viuant & ſint imbecilli. Non vult autem dicere, quòd aſthma & tuſſis ſint cauſa gibbi, ſed quod eiuſmodi gibbus eſt cum aſthmate & tuſſi. Quod ſi cui caſu vel ictu commotus eſt gibbus poſt annos pubertatis, vt anno vigeſimo, poterit ſuperuiuere etiam vſque ad annum ſexageſimum, ſiquidē robuſtus ſit & tēperanter viuat. Alioqui, ſi ſit imbecillior, & ſi viuat intemperanter, ex hac vita, caput replebitur multis excrementis, quæ

in thoracem decumbentia, augebunt tuberculum: vnde celerius orietur aſthma, tuſſis & inde mors.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt vitæ breuioris Gibborum. Cuius fuſior explicatio petenda ex lib.3. de articulis. Sunt autem Gibbi in vniuerſum, quibus luxatæ, ſuoque loco dimotæ ſunt ſpinæ vertebræ. Quorum quatuor potiſsimum annotantur differentiæ. Vna, κύφωσις ceu κύρτωσις Græcis dicta, gibboſitas latinis,* Vouteure ou boſſe Gallis, *quum foras ceu in poſteriorem ſpinæ partem vertebræ conuertuntur. Altera, λόρδωσις Græcis, repanditas latinis,* enfonceure Gallis, *quum in partem interiorem vertebræ luxantur ita vt in dorſo ſit cauitas, in pectore tumor. Tertia, σκολίωσις Græcis, diuaricatio latinis,* entorceure Gallis, *quum vertebræ inclinant ad latus. Quarta σεῖσις Græcis, latinis commotio ſiue concuſsio,* Gallis ebranlement, *quum vertebræ in loco quidem ſuo manent, ſed earum compago dimouetur. Quinta his addi poteſt, quæ tamen potius curuitas quàm Gibboſitas nominanda, vt quæ nullo pectoris aut ſpinæ vitio accidat; qualis cernitur in ſenibus iam decrepitis, potiſsimum procerum corpus habentibus, quibus corpus præ ſiccitate aut imbecillitate nimia in anteriora incuruescit ac inflectitur: Vt annotauit Gal. Comment. in Aphoriſ. vltimum lib. 2. hanc Galli appellant,* Pancheure ou courbeure en deuant. *Quemadmodum autem vertebræ diſtinctæ inter ſe ſunt, pro vario ſitu quem in ſpina obtinent (aliæ enim ſunt ceruicis, aliæ dorſi ſiue thoracis, aliæ lumborum) ita Gibboſitas, quæ vertebrarum ſpinæ vitium eſt, diuerſa eſt, non ſolum pro vario ſitu vertebrarum in ſpina, ſed maximè pro varietate ſymptomatum quæ ſingulæ ſecum inuehunt. Nam ea Gibboſitas, quam peruerſio primæ vertebræ ceruicis parit, mentum deprimit ad pectus, deglutiendi ac lo-*

*quendi omnimodam difficultatem, indeque citiſsimam mortem adfert: In Gibboſitate reliquarum vertebrarum ceruicis, tota ceruix contorquetur, reſpirandi ac loquendi non leuis difficultas inuehitur, ſpiritus cum ſono redditur, & ſtertor in dormiendo auditur. In* κύφωσι *dorſi ceu vertebrarum thoracis, ſpiritus difficulter & cum ſono mouetur, coſtæ in latitudinem non augentur, ſed in partem priorem, pectus anguſtius redditur, ſternum fit ſtrictius in acutum deſinens. In* λόρδωσι, *ſumma adeſt reſpirandi difficultas, tuſsis vehemens, mouendi ſentiendique in coxis partibuſque inferioribus impotentia ac ſtupor ſuboritur, vrinæ ac fæcum inuoluntaria excretio. In* σκολίωσι, *vt plurimum excitatur paralyſis in parte luxata, & conuulſio in parte oppoſita. Quibus ſpina ad lumbos gibba eſt, renum & veſicæ, vitia ſuperueniunt, abſceſſus item ad ilia & inguina, coxæ extenuantur, pubes & barba ſerius increſcit, minor fœcunditas adeſt, quàm quibus gibba eſt pars ſuperior. Cuiuſlibet gibboſitatis cauſæ ſunt duplices. Externæ aliæ, quales ſunt ictus, aut caſus violentus in ſcapulas aut coxas. Interna varia, tumores frigidi, duri, crudi ac magni circa vincula ac membranas vertebrarum adnati flatus, qui vincula earundem diſtendunt: Excrementitia humiditas ibi congeſta, aut aliunde huc illabens, quæ eadem emollit, lubricat & relaxat: vehemens tuſsis, quæ vertebras è ſuo loco pellit: Immoderata ſiccitas quæ earum vincula cõtrahit vt ſæpe fit in hecticis: Inflãmatio earundẽ: Conſuetudo paulò frequentior inflectẽdi ac recuruandi corpus in partem aut poſteriorem, aut anteriorẽ aut lateralem. Hippocrates hîc videtur ex omnibus iſtis cauſis tantum attigiſſe tumores frigidos, tanquam cauſas potiſsimas gibboſitatis cuiuſlibet, maximè vero dorſi. Ab illis autem tumoribus frigidis hoc modo gibboſitas excitari conſueuit.* κύφωσις *quidem, cum duo tumores obſident ligamenta interna duarum aut plurium vertebrarum, inter quas vna, duæ aut plures interiectæ.*

*ſint vertebræ inuiolatæ nulloque obſeſſæ tumore: tum vertebræ à ſuis ligamentis tumentibus, trahuntur ad ſe inuicem, compelluntque vertebras, quæ ſunt intermediæ à ſuo loco dimoueri, ac proinde gibbum foris efficere: non aliter quàm videas virides ramos ſui medio curuari, ſi duo eorum extrema ad ſe contrahas.* λόρδωσις *verò fit, vbi vnus aut plures tumores vnam aut plures vertebras, inter quas nulla ſit interiecta vertebra, occuparit: cum intumeſcunt ac augentur illi tumores, ligamenta quæ obſident ad ſe attrahunt, in partem interiorem: vnde neceſſariò accidit, vt vertebræ ſua ſequantur ligamenta, indeque ſpinam intrò contorqueant: ac gibbum intus efficiant.* σκολίωσις *fit, tum vnus aut plures tumores obſident laterales ceu obliquas partes ſpinæ, pari prope modo quo in* κύφωσι *ac* λόρδωσι. *Qui ergo gibbi fiunt à tumoribus frigidis, ligamenta ceu mēbranas vertebrarum obſidentibus, euadunt aſthmatici aut tuſsiculoſi, aut vtrique: Aſthmatici quidem, quòd ob tumorem ſiue paruum ſiue magnum, internum pectoris ſpatium reddatur anguſtius: nam, quò vertebræ intrò magis flectuntur, eò ipſum ſpatium magis contrahitur: vnde ipſi pulmones non tam liberum ac expeditum habent motum, quo aërem inſpiratione attrahant excipiantque & fuliginem expiratione expellant. Tuſsiculoſi verò, non tam à ſeroſo ac tenui humore à tumoribus in pulmones reſudante: aut à pure ab illis tumoribus in pulmones effuſo, quàm à mole tumorum pulmonibus incumbentium: quo modo magnus tumor hepatis aliquando tuſsi vexat. Vtrique verò euadunt & aſthmatici & tuſsiculoſi, ſi duri ac magni ipſi tumores extiterint: nam ſi parui ac molles illi fuerint, aſthmatici quidem fient, non tuſsiculoſi. Tales autem gibbi à frigidis tumoribus vertebras obſidentibus facti, ſi fiant aſthmatici aut tuſsiculoſi in pueritia & antequam pubertatis annos exceſſerint, longæui eſſe nequeunt, ſed incunte adoleſcentia ſtatim morientur: quòd augeſcentibus corde ac pulmone, illis conti-*

*pendis eorumque dilatationi ſpina præ anguſtia ſufficere non poßit, vnde ſtrangulatio neceſſariò adferetur. Qui vero fiunt aſthmatici aut tußiculoſi, ea ætate qua interna viſcera ſuam magnitudinem ac perfectam conformationem ſunt adepta, vitam longiorem poſſunt protrahere: quòd cauitati pectoris continendis pulmonibus ac corde, eorumque dilatationi ſufficiat. Qui vero gibbi fiunt ex aliis cauſis, quàm ex tumoribus frigidis adnatis vinculis vertebrarum, vt pote caſu, ictu, flatibus, humorum defluxu, non neceſſariò fiunt aſthmatici, aut tußiculoſi, nec tam breuis ſunt vitæ. Videmus enim plures gibbos ſexagenarios imò etiam & ſeptagenarios.*

## APHOR. XLVII.

Ὁκόσοισι φλεβοτομίη, ἢ φαρμακείη ξυμφέρει, τουτέους [illegible] τοῦ ἦρος φλεβοτομεῖν, ἢ φαρμακεύειν.

*Qvibus ſanguinis mißio aut medicamentum purgans confert. His verno tempore ſanguinem detrahere, aut medicamenta purgantia adhibere oportet.*

Loquitur hîc Hippocrates de cautione morborum, προφυλακτικὴν vocamus. Tempus autem accommodatum cautioni, eſt ver. Nam æſtate vires diſſoluuntur, Autumno item. Præterea accidit inæqualitas, quæ conturbat humores. Hyeme concreſcit humor. At, ver, temperatum eſt, nec habet diſſolutionem virium. Immò, per id temporis ſumus robuſtiſſimi. quia tum plurimus eſt ſanguis, in quo eſt calor natiuus. Ad hæc etiam ſi non reſoluantur vires, & nihil ſit quod conturbet humores, tenuiores ſponte ſua liqueſcunt, & natura, ſi quid eſt excrementi

in noſtris corporibus, vere repurgat, & coquit, & ſeparat vtile ab inutili, non ſecus atque facere ſolet in plantis. Itaque, naturæ imitatione oportet repurgare quod copia redundat, & ſeparare quod vitioſum eſt. Si ſit plenitudo & copia, detrahemus ſanguinem. Si humorum qualitas vitioſa, purgabimus. Sed antequam horum alterutrum præſcribas, animaduertenda ſunt tria. Primum, notabimus tempus quo ſolet redire morbus. Non eſt enim quod dicas purgandum eſſe aut ſecandam venam menſe maio potius quàm alio. Nam, ſi quis menſe Maio ſit febribus obnoxius, aut alicui alio morbo, anteuertēdū, Martio aut Aprili. Si menſe Aprili, occurremus morbo, Februario menſe aut Martio. Deinde, ſpectabitur anni conſtitutio, vt num hiems præcedens ſerius aut citius mitior euaſerit. Tertiò, interrogabimus ægrum quo modo vixerit. Si enim (exempli cauſa) hyeme vſus ſit cibis multum nutrientibus & boni ſucci, intelligemus abundare ſanguinem. His igitur notatis, tum celerius aut tardius venam ſecabimus aut purgabimus. Secabitur autem vena eadem quæ in morbo ipſo. Si morbus peccet vtroque & quantitate & qualitate humorum, primùm ſanguinem mittemus: Deinde, inſtituemus purgationem. Si qualitas humorum vitioſa ſit, purgandum. Vt ſi quis æſtate ſit obnoxius morbis billioſis, eum purgabimus vere inclinante, vt ſub finem Aprilis. Sin morbus à melancholia aut pituita craſſa, purgabimus, non ſub finem veris, ſed initio: vt menſe Martio. Iſtud præterea eſt obſeruandum in morbis qui redeunt certis interuallis, & anni partibus & maximè à craſſa materia (vt melancholia & pituita)

quòd non ſolum vere purgare conuenit, ſed etiam autumno ad maiorem cautionem, aliquid enim vitij contrahitur æſtate.

## SCHOLIA.

*Conſilium eſt prophylacticum. neutra corpora plethoræ aut cacochymiæ vitiis obnoxia, ab impendentibus morbis liberanda, purgatione aut miſsione ſanguinis, vere aut autumno. Hæc enim tempora duo, opportuniſsima ſunt ad arcendos morborum intus deliteſcentium imminentes impetus, vel hanc potiſsimum ob cauſam: quòd humores iis temporibus maximè moueantur. Educuntur autem promptius moti ac fluctuantes, quàm fixi ac quieti. Mouentur autem humores vere ad exteriora, eius temporis tepore fuſi, qui hyeme intus impacti iacebant. Autumno ad interiora magis: ob temporis illius inæqualitatem, qui æſtatis ardore congeſti intrò coguntur ac exitu prohibentur. Hinc fit, vt iis ferè duabus tempeſtatibus morbi recurrant.*

## APHOR. XLVIII.

Τοῖσι σπληνώδεσι δυσεντερίη ἐπιγενομένη, ἀγαθόν.

*Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperueniens, bonum.*

Niſi difficultas illa inteſtinorum diuturna ſit idque propter Apho. 43. huius ſect.

## SCHOLIA.

*Lieni, humore melancholico pleno, deplendo, ſalutaris eſt dyſenteria, non ea quidem quæ eſt ab atra bile: ea enim,*

*lethalis eſſe conſueuit: non ea, quæ eſt cum vlcere inteſtinorum, niſi forſan ab humore melancholico fuerit, qui diuturna mora putredinem & à putredine acrimoniam quandam acquiſiuerit: aut, qui acri humori permixtus, acris euaſerit: cuius acrimoniæ vi atque impetu vlcus in inteſtinis ſuo tranſitu excitare poteſt, qualis dyſenteria ſalutaris quoque lienoſis futura eſt: ſi modò diu non perſeueret: non ea, inquam, quæ longa eſt: hæc enim quemadmodum. Apho. 41. huius ſectionis dictum eſt, hydropem aut lienteriam inuehit. ſed ea, quæ cruenta eſt, & quæ diu non perſeuerat.*

## *APHOR. XLIX.*

Ὁκόσα ποδαγρικὰ νοσήματα γίνεται, ταῦτα ἀποφλεγμήναντα ἐν τεσσαράκοντα ἡμέρῃσιν, ἀποκαθίσταται.

*QVi podagrici morbi fiunt, ſedata inflammatione intra dies quadraginta conquieſcunt.*

SCribitur hæc ſententia in lib. de criſib. Hippo. vbi additur eiuſmodi morbos habere conuerſionem in melius tardam. ratio eſt, quia materia quæ morbos podagricos commouet, tardè imbibitur in articulorũ cauitatibus & ligamentis. quæ ſunt craſſa & denſa ſubſtantia: & ob id, tardius etiam poteſt diſcuti neque ita facilè. Galen. non putat materiam imbibi neruis & tendonibus? quia, ſi imbiberentur, fierent conuulſiones, quod rariſſimè videas in podagricis. Certe ſi non ſequatur conuulſio, veriſſimile tamen eſt imbibi materiam neruis & tendoni-

bus. Commouentur præterea dolores propter tenſionem neruorum. Iam verò, notandum quòd hi morbi terminantur aliquando celerius, aliquando tardius quam 40. diebus, vt ſæpe extendantur ad 120. dies. Quòd celerius, in cauſa eſt materia tenuiór, ſubtilior, & calidior, quæ ob id facilius reſoluitur: Item, corpus rarum: præterea caloris natiui robur. Quòd tardius, in cauſa eſt materia craſſior, aliquando & frigidior, quæ non ita celeriter reſoluitur: Alias natura loci, vt quia articulus profundior eſt, veluti in iſchio: interdum corpus denſius: nonnumquam caloris natiui imbecillitas. Quare, quod aiunt, non oportere expectare curationem podagricorum omnino: Diſtinguendum eſt iſtud (omnino) vt diſtinguit Hippocra. 2. de criſib. ſi ſenex eſt, qui podagra laborat, & iam habet tophos & poros: ſi intemperanter viuat; quia corpore eſt denſiore, & calore natiuo debiliore, is nulla ope humana curari poterit. Nam, vt ait Ouid. Tollere nodoſam neſcit medicina podagram. Iuuenis autem, quia corpore eſt rariore, & calore natiuo robuſtiore, ſi temperanter viuat, ſi medicis obſequatur, nec callos, & poros habeat: & à preſenti acceſſione & à futuro morbo preſeruari poterit. Ergo, morbi podagrici terminantur diebus 40. niſi tophi ſint iam concreti: niſi peccetur à medicis aut ægris: niſi materia ſit valde craſſa & viſcida: denſum & durum corpus: calor natiuus imbecillus. φλεγμονὴ, tumor eſt calidus, ſiue cum materia ſiue abſque materia.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon eſt, de termino intra quem deſitura ſit podagra, omniſque arthritidis ſpecies. Si quadrageſimus dies ſit terminus morborum acutorum ex decidentia, ille idem erit podagræ omniſque arthritidis, vt quæ proxime accedit ad naturam morborum acutorum ex decidentia. Eſt enim podagra, non quidem phlegmone, alioquin ſemper comitem haberet conuulſionem: ſed tumor phlegmonodes, ob ruboris ac caloris aliorumque ſymptomatum concurſum, quæ ſunt veris phlegmonis peculiaria. Saltem ea podagra ac arthritis, quæ fit ex defluxu ſanguinis in articulos: hæc enim ſi materiam ſpectes vera phlegmone eſt: ſi locum in quo excitatur, tumor phlegmonode, potius quàm vera phlegmone: quòd articuli cum ſint exangues, frigidi, membranoſi, & à fonte caloris remoti, nec ſanguinis effluxum in phlegmonem conuertere, nec ex eo pus conficere poſſunt: vt enim phlegmone fiat, eaque ſuppuret, præter materiæ qualitatem, adeſſe debet & loci calor, qualis eſt muſculus aut caro, in quo vera phlegmone excitari conſueuit. At vero, cum talis tumor phlegmonodes finiri debeat, aut reſoluto, aut concocto ac in pus conuerſo humore ipſum tumorem faciente: humor autem is ſit in alto ac denſo, frigido, exangui, membranoſo, & à fonte caloris remoto loco fixus: tempore longo, tum ad reſolutionem, tum ad ſuppurationem indiget, ſaltem quadraginta dierum ſpatio, longius vero tempus ad ſui ſolutionem poſtulat podagra aut arthritis, quæ ab humore fit frigido eſtque tumor œdematoſus. Non enim intra diem quadrageſimum aut plures etiam dies finiri poteſt, ob frigiditatem ac craßitiem humoris, locique denſitatem, frigiditatem ac imbecillitatem: indicio eſt, quòd ſemel ſolutus hic tumor promptè redeat.*

## APHOR. L.

Ὁκόσοισιν ἂν ὁ ἐγκέφαλος διακοπῇ, τουτέοισιν ἀνάγκη πυρετὸν καὶ χολῆς ἔμετον ἐπιγενέσθαι.

*Quibus cerebum vulneratur, iis febrem & bilis vomitum ſuperuenire neceſſe eſt.*

ADdit Hippo. lib. primo de morbis oportere aliquid corporis reſolui. vocat enim ibi τὸ ἀπόπληκτον παραπληκτικόν. Citatur etiam hæc ſenrentia 2. prorrhet. vbi appellat τρῶμα quod hic vocat διακοπὴν, id eſt, profundum vulnus in cerebro. Poteſt vulnerari cerebrum, vt vulnus tantum attingat ſubſtantiam cerebri: aliquando penetrat in ventriculos, quod lethale eſt, licet interdum conualeſcat æger beneficio naturæ, præſertim ſi vnus tantum ventriculus vulneratus ſit, vt adoleſcens ille in Smyrna. Itaque quibus præciditur cerebrum, id eſt, profundum vulnus infertur, iis febrem &c. Notandum eſt quod dicit 2. prorrh. quod maximè facit ad præſagium. Oportet diligenter animaduertere quæ ſigna appareant ſtatim à vulnere illato. Solet enim in iis vulneribus æger ſæpe concidere ſtatim initio, ſanguinem è naribus emittere, & bilem euomere. hæc profluuia ſanguinis & vomitiones ſæpe perſeuerant ad dimidium diem, & poſt conquieſcunt. Deinde obſeruandum quæ ſigna die quarto, ſeptimo, vndecimo, 14. 17. 20. adueniant, vt vomitiones, hæmorrhagiæ è naribus, delirium, febris, reſolutiones quarundam partium. Vt, ſi die quarto, non febricitauit, non delirauit, non vomuit, non emiſit ſanguinem è naribus, videndum quid accidet die ſeptimo, tum vndecimo & reliquis. Si die quarto, vomuit, ſi delirauit, ſi

febricitauit, ſi laborauit hæmorrhagia è naribus, ſi aliqua partium reſolutio aut conuulſio accidit, morietur die ſeptimo. Si ea ſigna prodeant die 7. morietur die 14. Si 11. peribit 17. aut 20. aliquando euadunt ægri diem 20. & perueniunt ad 40. Tum enim, & malum, & ea ſigna quæ ante deliteſcebant & inducias dabant, ſeſe proferunt ac interimunt. Item, cum ij ſunt morituri detrahunt ſibi faſcias quæ cingunt vulnus & caput.

## SCHOLIA.

*Diagnoſticon eſt, non modò profundo vulnere vulnerati cerebri, ſed & eiuſdem conquaſſati: ita vt offenſa ad cerebrum vſque peruenerit, atque in ipſo vel eius membranis aliquid ruperit. vtriuſque hic duo ſigna certiſsima adferuntur, febris & bilis vomitio: & plura libro de morbis, de vulneribus capitis, & ſectione tertia, Coac. animad. ſed minus certa recenſentur: qualia ſunt, linguæ balbuties, ſubitus in terram caſus, vertigo, marmariges obuerſantes oculis, ſanguis per nares, os, aures, oculos effuſus: veternus, vocis priuatio, reſolutio corporis, mentis læſio, pedum torpor, conuulſio, aliaque huiuſcemodi: quanquam, ne in vomitu quidem aut febre vlla certitudo vulnerati aut conquaſſati cerebri ſperari poteſt, niſi diſtinctione adhibita. nam hæc duo non ſemper ſequuntur ad vulneratum aut conquaſſatum cerebrum: & eadem ſæpenumero eueniunt non vulnerato cerebro: ſed, vel ſolo fracto cranio, vel cerebri membranis percuſsis, vel etiam ſola carne, aut vna cum carne pericranio vulnerato, febris quidem non ſuperuenit vulnerato cerebro, cum multus ſanguis effunditur, & ampla ſtatim via relinquitur, qua puri, vapori & ſpiritui pateat exitus: aut cum arte, vacuatione & ratione vitæ prohibetur inflammatio & inde febris. Febris enim ad vulnera-*

ſum aut conquaſſatum cerebrum ſubſequitur ob commoti, aut effuſi nec liberum habentis exitum ſanguinis, putredinem, & ex putredine conceptam inflammationem in cerebro: inditio eſt, quod non ſemper initio vulneris, ſed poſt initia vt 4. 7. 9. 11. 14. die, vel eo tardius ſuboriatur febris adde quod, Hippo. in Coacis febrem vt plurimum ſuperuenire vulnerato cerebro ſcribit. Neque vomitus ſemper accidit vulnerato aut conquaſſato cerebro, ſaltem qui ſit bilioſus, in his præſertim qui non ſunt picrocholi: aut qui paucam habent bilem in folliculo fellis collectam: denique his quibus ad vomendum nulla eſt à natura propenſio. Quanquam, vomitus bilioſus, ſi quod aliud, ſignum cerebri nedum vulnerati aut conquaſſati, ſed & cranij fracti aut membranarum cerebri percuſſarum certiſſimum exiſtit: iſque initio aut ſtatim poſt initia ſuboritur. Tantus enim eſt conſenſus cerebri per neruos inſignes cum ore ventriculi eiuſque interiore tunica vt cerebri eiuſque membranarum ac cranij affectus promptiſſime ipſi ventriculo communicentur: hoc vel inditio, quod commoto verbere, aut alia re quapiam moleſta aut dolorifica concuſſo cerebro, & vniuerſus ſtomachus perturbari ſoleat. hinc fit, vt ventriculo per ſympathiam cerebri affecto, vomitus citetur, eoque vomitu quicquid obuiam fuerit in ventriculo ſeu bilis ceu pituita, ceu ſeroſus humor, aut cibus eiiciatur: Sic enim bilis nomine quicquid inutile in ventriculo fuerit, ſiue ibi genitum ſiue aliunde tranſmiſſum intelligendum videtur: quanquam, is humor qui per vomitiones huiuſcemodi in cerebro vulnerato eiicitur, vt plurimum bilioſus eſſe conſueuit: non quidem bili ſyncera (hæc enim raro excluditur vomitione) ſed ſeroſo excremento permixta, quæ à folliculo fellis ac meſaraeo per duodenum vel ieiunum inteſtinum ad ventriculi fundum tranſmittitur. ſolent enim ad partes infirmas vicinarum partium excrementa confluere, præſertim quæ tenui ſubſtantia conſtant, quæ calida ſunt & mobilia, qualis eſt humor bilioſus.

## APHOR. LI.

ΟΚόσοισιν ὑγιαίνουσιν ὀδύναι γίνονται ἐξαίφνως ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ παραχρῆμα ἄφωνοι γίνονται καὶ ῥέγχουσιν, ἀπόλλυνται ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσιν, ἢν μὴ πυρετὸς ἐπιλάβῃ.

*QVi valentes capitis repente doloribus corripiuntur & protinus muti fiunt & ſtertunt: intra ſeptem dies intereunt, niſi febris interuenerit.*

HÆc ſententia expoſita eſt Apho. 5. lib. 5. citatur ab Hippo.lib. 2. de morbo & lib. 2. περὶ κρίσεων vbi addit, hi autem ſunt hiante & hiulco ore, ſæpe meiunt neque ſentiunt. Difficultas fuit quando hæc ſigna ſe proferebant, quiſnam eſſet morbus ille: an ἀποπληξία, an ἀπόληψις, an κατάληψις. Gal. in comm. dicit eſſe apoplexiam. Aurelianus catalepſim. Hippo. de rat. vict. acut. apolepſin, id eſt, venarum interceptionem. Non eſt de nomine laborandum: ſed ſcire oportet quid dicat Hippo. lib. ſecundo de morbis, quod ſolet accidere ſenioribus, idque à commotione atræ bilis. ac vbi inquit, hæc commouetur occupat partes corporis vbi ſunt multæ venæ, vt pectus, collum, cerebri plexum. Itaque commota atra bilis, vel etiam pituita, vel ſpiritus flatuoſus, intercipit venas pectoris, venas colli ſeu iugulares, & cerebri quæ vaſa ſunt in plexu retiformi. Vbi cognoſcimus cauſam & locum, iam modum curandi tenemus. Si materia illa quæ iis viis intercepta eſt non incaleſcit, perfrigeratur: cum perfrigerata eſt, congelatur & tandem moriuntur. hoc dico, vt in apoplexia poſſimus notare vniuerſalia tempora, vt recte ſenſit Philoth. Nam per dolorem capitis, notatur initium: per mutitatem ſiue obmuteſcentiam, incremen-

tum : per ſtertorem, vigor : & vbi conualeſcunt, declinatio. Sic vbi intercipiuntur venæ, erit initium perfrigeratio, incrementum : congelatio, vigor febris ſuperueniens, declinatio. quæ omnia contingunt ſenioribus bene potis, & aliquando quibus eſt craſſior ſanguis. Ἄφωνος dicitur, non is qui non loquitur, ſed qui vnà cum voce & motu & ſenſu, hoc eſt, altero vel vtroque priuatur. Iam ſtertor accidit in vigore mali & multo magis, vbi arteriæ finis oppreſſus eſt, & ſpirandi difficultas aucta. Poſt ſtertorem nigreſcunt toti, & intra ſeptimum moriuntur. aliquando primo die, aliquando tertio, nonnumquam quarto, vbi leuior eſt morbus perueniunt vſque ad 7. diem. *Niſi febris.*) Fuchſius citat locum ex Hippocra. 2. de morbis, vbi ait per ignem intelligi ſemper febrem vehementiſſimam. Sed neque τὸ πῦρ ſemper ſignificat febrem validam : neque hîc excitanda vehemens febris, vt quæ vires deiiciat vnde mors. Non proderit etiam neque quicquam efficiet febris leuis, propter materiæ craſſitiem & contumaciam. Quare, oportet febrem, eſſe mediocrem inter leuem & vehementem, ac proportionatam materiæ morbi. hæc febris vires non deiiciet, immò materiam illam craſſam tenuabit, incidet, concoquet & diſſoluet.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt funeſti termini intra quem deſiturus eſt ſoporoſus affectus, qui initio quidem ſanos ac benè valentes cum repentino ac vehementi dolore capitis inuadens, poſtea obmuteſcentiam & ſtertorem inuehit. hic enim funeſtum intra diem ſeptimum minatur exitum, niſi febris ſuperueniat.*

*Hoc ergo prognoſticon, non videtur referendum ad fortem apoplexiam, vt putat Galenus in commentario: quod apoplexiam fortem ſoluere ſit impoßibile: quod fortis apoplexia intra momentum, nedum paucas horas aut dies ſeptem interficiat; vix enim tertium diem excedit, inquit Aurelianus: quòd apoplexia non ſoleat bene valentes repentè inuadere, ſed vitioſis refertos humoribus: quòd materia, quæ apoplexiam committit, frigida ſit ignaua, ac craſſa, quæ ſua qualitate ſolet magis ſenſum ſtupefacere, quàm dolorem ſua quantitate excitare: quod nulla febris, ſiue leuis, ſiue valida, apoplexiæ ſuperueniens eam ſoluere poßit. Leuis enim non ſatis potentem habet calorem ad concoquendam tam breui tempore materiam, alioqui contumacem apoplexiæ. Valida vero, virium imbecillitatem magis auget, calorem natiuum ſuo acri calore abſumendo: eſt enim axioma medicum, quæ alieno calore incaleſcunt, ſuo refrigerari. Potius ergo intelligendus hic Aphor. de caro, ceu ſoporoſo quodam affectu, qui præcurſor eſt apoplexiæ, eamque mox adfuturam minatur. Cuius cauſa eſt multus flatulentus ac vaporoſus ſpiritus, ex crapula aut alia occaſione genitus: qui initio quidem caput feriens, vehementem dolorem diſtendens excitat, deinde multam pituitæ affluentis copiam promouet, vnde poſtea obmuteſcentia ſuboritur, id eſt, vocis ac ſermonis, omnis denique motus voluntarij ac ſenſus priuatio, ab obſtructione humorum prohibente exitum ſpiritui animali ad vocis ac ſermonis, ſenſus & motus organa. Sic enim ἀφώνους vocat Hippocra. Aphor. 5. lib. 5. & Apho. 58. lib. 7. qui nec vocem nec alium quidem motum vllum voluntarium retinent, nec omnino ſentiunt, ſed iacent, eodem modo quo apoplectici ſine ſenſu pariter & motu. Eſt enim vox omnium actionum, voluntariarum præcipua, ex cuius noxa Hippocr. κατ᾽ ἐξοχὴν, reliquarum quoque actionum quæ voluntariæ ſunt,*

offenſionem vult ſignificari. ſtertor item magnáque in anhelitu difficultas ſuboritur ad illam affluentis materiæ copiam, ob oppreſſos gutturis muſculos, eoſque non potentes præ imbecillitate tantam pituitæ copiam excludere: tandem apoplexia ſuſcitatur. In illo itaque temporis tractu, febris ſuperueniens, apoplexiæ fortis abſolutionem prohibet, & mortem arcet, quæ alioquin imminet intra ſeptem dies. Eam autem fuiſſe Hippocratis mentem facile eſt colligere ex ſecundo & 3. de morbis, & ſub finem libri de criſibus, vbi dolore capitis, obmuteſcentia, & ſtertore poſitis, ſcribit poſtridie hominem fieri apoplecticum ſanguine perfrigerato, quaſi antè verè apoplecticus non eſſet. Hunc igitur ſoporoſum affectum qui tandem fortem apoplexiam inuehit, febris nec maior quàm vt vires exoluat, nec minor quàm vt nihil proſit, maximè iuuat: vt quæ tum ſpiritum illum flatuoſum, tum humores pituitoſos excalfaciat, attenuet & reſoluat. quod fit nonnumquam tribus diebus, aut quatuor, interdum pluribus, non tamen vltra ſeptimum procedit diem, ob morbi magnitudinem & partis affectæ nobilitatem.

## APHOR. LII.

Σκοπεῖν δὲ χρὴ καὶ τὰς ὑποφάσιας τῶν ὀφθαλμῶν ἐν τοῖσιν ὕπνοισιν. ἢν γάρ τι ὑποφαίνηται ξυμβαλλομένων τῶν βλεφάρων τοῦ λευκοῦ, μὴ ἐκ διαῤῥοίης ἐόντι ἢ ἐκ φαρμακοποσίης, φλαῦρον τὸ σημεῖον, καὶ θανατῶδες σφόδρα.

SEd in ſomnis etiam, an de oculis aliquid ſubappareat ſpectare oportet. nam ſi quid non exactè commiſſis palpebris de albo appareat, modo non ex alui profluuio aut medicamenti potione accidat, malum ſignum eſt & valde pernicioſum.

HÆc ſententia ſcripta eſt lib. 1. prognoſt. cap. 4. hoc eſt: Ad præſagium in morbis præſertim acutis, dormire ſemiapertis oculis, ita vt ſubappareat album, lethale eſt: quemadmodum etiam exitiale eſt, per vigilias, ſemper eſſe oculis clauſis. Illinc enim ſignificatur vel magna reſiccatio palpebrarum, vel imbecillitas facultatis mobilis: vel, quod muſculi oculos claudentes patiuntur, quia aut conuulſi ſunt aut reſoluti. Per alui autem profluuium, intelligere oportet omnes immodicas vacuationes tam ſpontaneas quàm artificioſas. Idcirco, ſi æger dormiat oculis ſemi apertis, interrogandum: an id illi ſit conſuetum: vel non ſit quia diutius vigilauerit, aut defatigatus ſit de longa via, aut præceſſerit vehemens triſtitia, aut longa alimenti indigentia: vel, an non præceſſerit multa & immodica vacuatio? Si nihil tale ſit, lethale.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon eſt funeſti exitus in morbis acutis, potiſſimum his, qui caput obſident ſiue cum febre, ſiue ſine febre petitum ab oculis, quorum diſpoſitio præ cæteris partibus cerebri (cui oculi proximi ſunt & coniuncti, & quorum gratiâ in arce locatum eſt cerebrum) diſpoſitionem indicat. Conniuentibus ergo oculis dormire, ita vt non committantur palpebræ, & aliquid partis albæ oculi conſpiciatur, lethale. Inditium enim hoc, maximæ imbecillitatis, non ſolum palpebrabrum ſed & animalis facultatis. nam cum oculi ſemper ex minima facultate claudantur, ſi in ſomno claudi nequeant, quo tempore facilius quàm tempore vigiliarum clauduntur retracto nimirum intrò ſpiritu animali, qui apertionis oculorum*

*author eſt, lethale ſignum. niſi conſuetudine ægri id acciderit. Sunt enim quidam*, qui oculis conniuentibus dormire conſueuerunt: aut vitio illo, quod λαγοφθαλμίαν vocant à leporibus: aut morbi longitudine: aut vi alicuius morbi, vt in pueris vermiculoſis. Cæterum genarum corrugatio & ariditas atque inde contractio, conuulſio item muſculorum qui oculos claudunt, hoc ſymptoma inuehunt.*

## *APHOR. LIII.*

Αἱ παραφροσύναι, αἱ μὲν μετὰ γέλωτος γινόμεναι ἀσφαλέστεραι· αἱ δὲ μετὰ σπουδῆς, ἐπισφαλέστεραι.

*Deliratio quæ cum riſu fit, tutior: quæ verò ſtudio adhibito, periculoſior.*

IAm ſæpe diximus παραφροσύνην dici tanquam genus deliriorum. Nam hoc nomine, manias, etiam & melancholias intelligimus. Tamen proprie dicitur de iis deliriis, quæ accidunt ad tempus in vigoribus acceſſionum, vt interpretatur Gal. ſtatim initio prorrh. Dicitur quoque aliquando, vt ſit genus ad maniam & melancholiam. Rurſus mania dicitur aliquádo de inſania à flaua bile, aliquàndo ab atra, vel ſucco melancholico: ita vt extendatur ad phrenitidem & melancholiam & maniam propriè appellatam, quæ eſt perpetuum delirium ſine febre. Breuiter in his vocibus, nihil perpetuum eſt in Hippo. Vt porro hunc Aphor. intelligamus addendum eſt eidem. *Quæ vero cum temeritate, periculoſiſsimæ.* Gal. in com. tria comparat: delirium cum riſu, delirium cum ſtudio, & delirium cum temeritate & ferocitate: alij addunt cum ploratu: tamen non eſt

neceſſe. Deliria, de quibus hîc agit dicuntur continua, ſiue ſint cum febre, ſiue ſine febre. Iam differentiæ deliriorum ſumuntur pro ratione corporum & materiæ redundantis in corpore. Quemadmodum enim ( vt ſcribit Ariſtot. in problem. ) alij atque alij aliter afficiuntur à vino. Nam quibuſdam, vinum eſt riſui, quibuſdam dolori, aliis ferocitati : ſic, vt eſt affectum corpus, ita diuerſa ſunt deliria. Si itaque tantum ſanguis incaluit, ita vt clemens ſit nec dum contraxerit malignam quandam & putrem qualitatem : ſi item, tantum alteratum eſt & concalefactum cerebrum, fient maniæ ludicræ, cachinniones & cum riſu. Si nimium incaluerit, ita vt ſit iam bilis quæ incaleſcat & aſſari incipiat, efficiet manias cum ſtudio; id eſt, medias inter ferocem & ludicram, vt æger modò rideat, modò non. Sin, ſanguis is bilioſus ſupramodum aſſetur fit ferina & temeraria mania, Græcis θηριώδης, & ij re vera furiunt, ita vt inuadant & impetant notos & ignotos; Alij, ſunt hydrophoboi morſi à cane rabido, in quibus eſt etiam aſſata bilis. Sunt enim θηριώδης maniaci à ſucco melancholico, qui (verbi gratia) imbibitus ventriculi tunicis petit venas cerebri, in iiſque agitatur, aſſatur, & corrumpitur. Idem ſanguis melancholicus, ſi frigidior ſit & caliginoſior, facit triſtes, meticuloſos, qui perpetuò defixos habent in terram oculos, qui ſolitudines quærunt, qui lugent, & conqueruntur debita. Aliquando, is non eſt obſcurus & frigidus, ſed tenuior & calidior, facitque ἐνθουσιασμὸς, facit prophetas, ſybillas. hæc omnia accidunt, propter qualitates quaſdam occultas & indicibiles, quas contrahit melancholicus ſuccus; dum in corpore diutius moratur & putreſcit. Quare, diligenter animaduer-

remus, quis humor redundet, vt recte curemus. Aliis enim ſanguinem, aliis bilem, aliis melancholiam vacuabimus & purgabimus; quanquam melancholia vix cedit medicorum remediis.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticon eſt ſecuritatis aut periculi in morbis, petitum ex delyrij ſpecie. Securus enim is morbus eſt, qui coniunctum habet delyrium cum riſu. Periculoſus vero, quem delyrium cum ſtudio comitatur. Delyrium enim cum riſu, fit à vaporibus à ſanguine prodeuntibus in cerebrum elátis, aut ab ipſo ſanguine feruente cerebrum eiuſque membranas imbuente. Ergo morbus, à quo huiuſcemodi delyrium ortum habet, ſecurus eſt: quoniam pendet à ſanguine, qui humor mites & benignos morbos parit. Delyrium vero cum ſtudio aut ſolicitudine & pertinacia, fit à bile flaua, aut atra, aut fæce ipſa ſanguinis. Ergo morbus à quo huiuſmodi delyrium ortum habet non adeo mitis, nec ſecurus, ſed vel periculoſior, vel contumacior, vel longior, pro ratione humoris à quo pendet. Hic autem potiſsimum fit ſermo de delyrio ſymptomatico: aut eo, quod vitioſus aliquis humor, ſubſtantiam cerebri aut eius membranas inficiens, parit, cum febre aut ſine febre.*

## *APHOR. LIIII.*

*ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι πάθεσι τοῖσι μετὰ πυρετοῦ αἱ κλαυθμώδεες ἀναπνοαὶ, κακαί.*

*IN morbis acutis cum febre quaſi gementium ſuſpiria, mala.*

HIc Aphoriſmus exponitur 68. Aphor. lib. 4. vbi dicebamus ſpiritum offenſum repreſentari in multis, vt in pueris plorabundis, in amantibus, & iis qui graui aliqua iniuria læduntur. Cauſa, cur tales reſpirationes in febribus fiant (Galen. autem exponit de offendente reſpiratione) eſt, propter imbecillitatem facultatis animalis, vel duritiem muſculorum, qui inſeruiunt reſpirationi. At verò, duritiem eam ſequitur talis reſpiratio, vel, quia in partibus ſpiritualibus, aut neruis eſt diſpoſitio quædam ad conuulſionem, vel dolorifica quædam diſpoſitio. Quod autem dicebamus de reſpiratione, eſt quia in contextu eſt κλαυθμώδεες Ergo Hippocra. meminit vocis, quæ dicitur κλαυθμώδης. Duo ſunt genera vocis lethalia in morbis acutis. Vna eſt quæ dicitur κλαγγώδης, quæ fit propter reſiccatam aſperam arteriam. Altera, eſt κλαυθμώδης, id eſt plorabunda, quæ fit vbi maior eſt reſiccatio eius arteriæ.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſticon funeſtum in morbis acutis petitum ex ſuſpiriis luctuoſis. Eſt autem ſuſpirioſa ſpiratio, duplex ſpiritus intrò reuocatio, qua veluti breui quadam quiete intercipitur opus thoracis, idque nonnunquam inſpirando, nonnumquã verò expirando. Cauſa huius duplex aut virium imbecillitas quæ nequeunt vno impetu thoracem eleuare & reſpirationem ad finem perducere: Aut, inſtrumentorum durities, quæ aut à frigore, aut ſiccitate fit. Quæ ſuſpiria in morbis acutis continuas febres habentibus, aut febribus continuis, excitantur, manant à ſiccitate inſtrumentorum. Quod malum, fermè eſt immedicabile.*

## *APHOR. LV.*

TA' ποδαγρικὰ τοῦ ἦρος καὶ τοῦ φθινοπώρου κινέεται, ὡς ἐπὶ τὸ πολύ

*Dolores podagrici vere & autumno ferè mouentur.*

AVrelianus in chronicis addit deinde hyeme, poſtremo æſtate. quod ſcitè quidem dictum eſt. Nam, tametſi Vere & Autumno dolores podagrici excitentur, tamen fiunt etiam hyeme & æſtate, quanquã rarius. Vere, quia relicta excrementa ab hyeme, quæ antea propter frigus erant concreta, immotaque accedente verè mouentur & funduntur: fuſa, decumbunt in partes imbecilliores, vt ſunt eiuſmodi articuli. Æſtate, quia humores ſunt liquati, corpus rarum, fit reſolutio materiæ, calor eſt amicus neruis & articulis: Ideò, raro tum fiunt. Autumno, quia æſtate vſi ſunt fructibus & oleribus, vnde multa excrementa generantur: Præterea, quia per Autumnum vires ſunt imbecillæ: ob id multa excrementa colliguntur. Verum eſt quod humores incipiunt contrahi. Sed eſt inæqualitas perturbans quæ commouet materiã: at hyeme, humores manent fixi & immoti.

## *SCHOLIA.*

*NOn modo podagrici ſed & arthritici dolores, omnes denique morbi qui ſopitam habent in intimo corpore cacochymiam, vere & Autumno potius & multò promptius excitantur, quàm æſtate & hyeme. Nam vere & Autumno, hu-*

*mores moueri incipiunt. Vere quidem, ad exteriora: Autumno, ad interiora. Æſtate autem, multa fit humorum reſolutio per exteriora, vnde latitantes morbi tunc pauci ſe produnt: hyeme humores impacti ac coerciti intus iacent. At veris tempore, aëris tepore liquantur ac funduntur humores, qui fuſi fluunt facilè in partes potiſsimum, quæ aut natura, aut conſuetudine ſunt imbecillæ, quales ſunt articuli: Adde quòd, tunc temporis vires ſunt validæ: quia tunc plurimus eſt ſanguis in quo eſt ſitus calor natiuus virium author. Autumno, recurrunt morbi arthritici aliique quamplurimi, non tam ob liberaliorem fructuum fugacium vſum, quàm ob huiuſce temporis inæqualitatem in calore ac frigore, quæ perturbat ac corrumpit humores: item, ob plurimam ſuperiori æſtate collectam cacochymiam: maximè vero, ob virium imbecillitatem, labefactata nimirum naturæ vi ab exhauſto ſuperioris æſtatis, vbi enim natura vel ob ſuam imbecillitatem, aut materiæ quantitatem humoribus dominari non poteſt, fit ut huc, vel illuc incidant, atque morbos gignant.*

## *APHOR. LVI.*

Τοῖσι μελαγχολικοῖσι νοσήμασιν ἐς τὰ δὲ ἐπικίνδυνοι αἱ ἀποσκήψιες, ἢ ἀποπληξίην τοῦ σώματος, ἢ σπασμὸν, ἢ μανίην, ἢ τύφλωσιν σημαίνουσι.

*Morbis melancholicis per hæc tempora ſuſpecti humorum decubitus, vel apoplexiam corporis, vel conuulſionem vel maniam, vel cæcitatem denunciant.*

Appellat melancholicos morbos, natos ab humore melancholico. Difficultas eſt an τὰ poſſit referri ad partes corporis. Poteſt, Nam hîc alias legitur, τὰ τῆ

σώματος. Alibi non eſt, & videtur referri ad νοσήματα, vt ſit: mutationes morborum melancholicorum fiunt in his morbis,&c. Et clarior quidem erit hæc expoſitio. ἀπόσκηψις nomen eſt ambiguum apud Hippocratem. Nam aliquando ſignificat tranſmutationem materiæ à parte in partem: aliquando, ſcarificationem, vt ſcribit Gal. in Exegeſi vocum Hipp. Alij dicunt ἀπόσκεψιν σκῆψιν & ἀπόσκημμα differre ab apóſtaſi. Apoſtaſis enim dicitur de humorum tranſmutatione & decubitu indicatorio. ἀπόσκημμα verò, eſt abſceſſus non indicatorius, vbi ſcilicet materia in aliquam partem decumbit, nec tamen ſoluitur & morbus, ſed inde noua accidentia ſuperueniũt. Tamen ſæpe confundũtur & ἀπόσκηψις cum apoſtemate, hæc duo cum apoſtaſi. Verum huiuſmodi indicatorie, abſceſſus vocare ſole: proptie μεταστάσιν & μεταβολὴν Hipp. vt ſi morbus melancholicus degeneret in cæcitatem. &c. *Ad hæc* id eſt, ad has partes, vel ad hos morbos, vt apoplexiam, conuulſionem. Vbi ergo tranſmutatio fit materiæ quæ non excernitur, periculum eſt ne fiat apoplexia. Hæc fit propriè, vbi offarciuntur ventres anteriores cerebri, quemadmodum vbi poſteriores, Epilepſia. Aliquando tamen apud Hipp. dicitur de paralyſi & conuulſione epileptica. Hîc ergo intelligemus & apoplexiam propriè appellatam & paralyſin, & epilepſiam: conuulſionem, vbi materia illa infarcitur neruoſæ ſubſtantiæ. Iam per μανίην intelligit melancholicum morbum. Fit autem, vbi ſubſtantia cerebri imbuitur eiuſmodi humore melancholico: vel, vbi commouetur in venis cerebri. Fuſchius dicit etiam fieri, vbi menynges afficiuntur: quod eſt falſum. *Cæcitatem* vbi materia conuerſa fuerit in oculos.

## SCHOLIA.

TA' δὲ vertit Fuſchius ad has partes. Hollerius ad hos morbos. Nos cum Plautio, per hæc tempora: vt hic Aphoriſmus, adferat alios morbos, qui quemadmodum Podagrici atque articulares morbi, Vere & Autumno magis mouentur. De quò Prognoſticon ſic ſtatui poterit. In morbis melancholicis, quos peperit non atra, ſed flaua bilis, aut melancholicus humor cum ſupramodum vel combuſtus vel putrefactus malignam qualitatem contraxerit, ſiue is cerebrum obſideat, ſiue in liene obſtructo aut inflammato, ſiue in venis vniuerſi corporis contineatur: melancholici humoris ἀποσκήψιες, hoc eſt, μεταστάσιες traſlationes ſiue tranſpoſitiones, quæ fiunt, vel fuſione humoris collecti & in partem imbecilliorem propter auctam copiam reiecti: vel cacochymia irritante facultatem excreticem partium in quibus ineſt: ſunt omnes ſuſpectæ ac periculoſæ, magnitudine ſymptomatum, quæ inuehunt, & difficultate curandi. Talesque μεταστάσιες mouentur, maximè Vere propter plenitudinem, ex fuſione illius humoris auctam: vel Autumno, ſuperueniente inæqualitate caloris & frigoris, propter ſuppreſſam ex æſtate & Opora cacochymiam. Quia enim humor ſtimulat & mordet partes quas obſidet, idcirco agitatur & ex ea agitatione, inuehit vehementia ſymptomata. Si enim melancholicus is humor, qui cerebrum obſidens melancholiam parit, non vacuetur per ſudores, vomitum, hæmorrhagiam: neque è cerebro ad inferiores partes tranſmittatur, vt ad fauces, inteſtina, hæmorrhoides: ſed per cerebrum trans fluens modò ventriculos obſtruat, modò ad partes neruoſas conuertatur, modò per venas & neruos in oculos illabatur, apoplexiam, epilepſiam, maniam, conuulſiones, cæcitates excitabit. Idem propemodum Aphoriſmus habetur lib. 7. ſect. 2. Coacarum animad. Inſanientes ſuperueniens conuulſio ad nihilum reducit. Et 1. Epidem. Se-

*nioribus verò & quibus iam calor vincitur, paraplegia, aut mania, aut oculorum cæcitates.*

## APHOR. LVII.

Ἀποπληκτοὶ δὲ μάλιστα γίνονται ἡλικίῃ τῇ ἀπὸ τεσσαράκοντα ἐτέων ἄχρις ἑξήκοντα.

*APoplexiæ autem fiunt maximè à quadrageſimo anno ad ſexageſimum vſque.*

HÆc ſententia videtur repugnare ſententiæ omnium medicorum, qui appellant apoplexiam, morbum ſenilem: vt epilepſiam, morbum puerilem. Et reuera, videntur ſenes ei morbo magis opportuni qui ſunt decinantis ætatis, quia ſenes (vt quibus facultates omnes ſunt imbecilliores) coaceruant multa excrementa, eáque pituitoſa. Tamen, ſi ſatis meminimus eorum quæ dicebamus lib.3. fit apoplexia à materia craſſa quæ intercipit principes ventriculos cerebri. Eſt autem duplex materia craſſa, vt pituita, & ſuccus melancholicus. Apoplexia, fit ab vtroque humore. Quæ eſt à pituita, familiaris eſt ſenibus, qui ſolent eſſe pituitoſi, ob id dicitur ſenilis morbus. Ab eadem materia accidit aliquando iuuenibus, ſed propter errata vitæ. At apoplexia, quæ fit à ſucco melancholico magis eſt familiaris inclinanti ætati, quia hæc eo ſucco abundat. Quare rectè dixit Hippocrates apoplexiam fieri à 40. ad 60. à melancholico videlicet ſucco, & ratione ætatis magis quàm vitæ. Nam in hac ipſa inclinante ætate poteſt fieri à pituita quum in ea ætate conſtituti tam intemperanter aliquando viuant quàm iuuenes.

## *SCHOLIA.*

*Morbus hîc adfertur alius, qui Vere & Autumno magis mouetur: nimirum apoplexia, ea præſertim, quæ fit ab humore melancholico, per combuſtionem, aut putrefactionem, acri ac maligno reddito: qualis apoplexia, accidit à quadrageſimo ad ſexageſimū annum: quòd huic ætati familiaris ſit is humor melancholicus, vt pituita ſenioribus:. Sunt enim humores varij. ij quidem craſſi omnes aut viſcoſi, aut multi, aut concreti & grumoſi, qui apoplexiam committunt: nempe pituita, melancholicus humor, craſſus ſanguis, aut multus, aut concretus & grumoſus: qui omnes, vel, cerebri ventriculos affatim implēt eiuſque corpus imbuūt: vel arterias retis mirabilis, aut carotidas per quas ſpiritus ex corde in cerebri ventriculos influit, repentè obſtruunt aut coarctant. Hippocrates in libello de flatibus, addit flatus intercipientes vaſa aliquādo abſceſſum aut tumorē præter naturam: interdum, vinum commouens materiam in cerebrum vel vinum ipſum replens. Rariſsima cauſa eſt fulmen, vnde tamen attoniti & ſyderati veteribus dicti apoplectici, quod fulmē ſydus eſſe crederent. Scribit quoque Galenus ab externo & vehementiſsimo frigore apoplexiæ quidpiam ſimile concitari: quanquam ea affectio potius Catalepſis quàm apoplexia videatur. Apoplexiæ obnoxiæ ſunt ſingulæ ætates pro cauſarum diuerſitate. Senes quidem iam decrepiti, qui ſexageſimum exegerunt annum, apoplexiæ à pituita idque per hyemem. Iuuenes, apoplexiæ à ſanguine craſſo, aut multo, aut concreto & grumoſo, aut a vini liberaliore vſu, quouis tempore, Vere tamē potiſsimū. Qui conſtātem ætatem degunt, & qui ſenes ſunt virides, apoplexiæ à melancholico humore, Vere & Autumno. Huic apoplexiæ, quæ ab humore fit melancholico, Hippocrates ſcripſit lib. 7. ſect. 2. Coac. animad. hæmorrhoides ſupernatas vtiles eſſe.*

## APHOR. LVIII.

HN ἐπίπλοον ἐκπέσῃ, ἀνάγκη ἀποσαπῆναι.

*SI omentum exciderit, neceſſario computreſcit.*

VErtendum potius excidit. Hęc ſententia ſcripta eſt initio lib. de morb. Ex anatomia omentum (quod dicitur vulgo rete) *gallis la coeffe*) conſtat duplici tunica, multo pingui, venis & arteriis multis, & extenditur ad fundum ventriculi, tegens inteſtina & deſcendens aliquando ad pubem. In vulneribus ventris, contingit interdum omentum & inteſtina excidere. Itaque hac ſententia monet Hipp. ſi omentum excidat, oportere celerimè reponere, ne frigore liueſcat, & ita putreſcat, emortuo ſcilicet calore partis. Quare antequã reponatur ſi pars aliqua putruerit & liuida euaſerit, excindenda eſt, alioqui, ſi reponatur pars putris, vicinas putrefaciet, & ſic morietur æger. Modum reponẽdi docet Gal. 6. metho. medendi: habenda eſt, inquit, ratio partis quæ venoſa eſt & arterioſa. Ob id, cùm ſecabimus quod putruerit, partes ſanas filo excipiemus diligẽter, ne ſequatur hæmorrhagia, permittemuſque filum illud foras eminere & pendere: vt poſteaquam putruerit, id abſcindamus. In hac autem exciſione omenti nõ ita metuenda eſt conuulſio, quum pars ſit fibroſa magis quàm neruoſa.

## SCHOLIA.

*OMẽtũ, à cuius copia ac amplitudine maiore in hominibus quã in cæteris animãtibus, homines omẽti geſtores appellãtur, è*

*ſuo loco, aut intrò aut foras excidit: intrò quidem vt cum rupto aut relaxato peritonæo deſcendit in ſcrotum aut inguina, eumque ramicem excitat, quem Epiplocælen nominamus. Aut, cum in obeſis mulieribus deſcendit inter veſicam & collum vteri, ab eoque os vteri ita comprimitur, vt ſemen ab vtero excipi non poßit præ anguſtia, ac proinde conceptio impediatur ex Aphor. 46. lib. 5. Aut, cum excepto vulnere, dilaceratum aut ruptum, in pubem aut inguina delabitur. Foras verò excidit, cum vulnerato abdomine & diuiſo peritonæo foras egreditur, & extra peritonæum prominet: vt fit in profundis vulneribus ventris, in quibus omentum & inteſtina ſæpe foras proruunt. Cùm intrò excidit, non putreſcit nec corrumpitur, quantumuis dilaceretur, extendatur, rumpatur: quod, in ſuo natiuo ac conſueto loco permaneat, & à calore ſibi familiari ſemper foueatur. Tanta vis eſt loci natiui ac conſueti in conſeruanda rei cuiuſque natura. At, cum vulnerato abdomine extra peritonæum prominet, neceſſariò putreſcit ac corrumpitur: niſi ſtatim, antequam liuorem contrahat aut nigreſcat, reponatur. Quòd autem tam celeriter putreſcat vbi excidit extra peritonæum, in cauſa eſt, eius humiditas, quæ illi maxima eſt, ob plurimam, quam habet pinguedinem: & extinctio caloris natiui, qui cum in eo paucus ſit ob adipem & membranas ex quibus planè contexitur, facilè à frigore aëris ambientis refrigeratur, idque plus aut minus, pro aëris ambientis temperatura & pro ratione moræ. Nulla enim pars interior, quæ tegumento à natura munita eſt, ſuo operculo nudata, vim ambientis aëris citra noxam experiri poteſt, præſertim cum partes ipſæ corporis, quæ ceteris ſunt frigidiores, quouis aëre ambiente etiam æſtiuo, ſint calidiores. Sic enim caro, ſua cute: inteſtina, ſuo abdomine: membranæ cerebri, ſuo oſſe, os, ſua carne & cute: cerebrum ſuis membranis: pulmones, pleura, muſculis ac cute thoracis, conſueto operculo nudata, & externo ac inſueto aëri expoſita, facilè corrumpuntur. Tanta*

*vis eſt*

*vis eſt diſſuetudinis & alienæ mutationis in corrumpendo. Ob id Hip. in vulneribus capitis, vbi membranæ ſuo oſſe, carne ac cute nudatæ ſunt, patellam ignitam iubet exponi dum illa tractantur, ne ab externo aëre lædantur. Non ergo mirum, ſi omentum, vbi excidit foraſque prominet ab externo aëre promptiſſimè corrumpatur: cum illud humidiſſimum ſit, & admodum exigui caloris particeps. Indicium autem hoc erit contractæ in eo putredinis: ſi liueat aut nigricet. Totum enim illud, quod tale apparuerit, præcidendum antequam intra peritonæum digito vel ſpecillo recondatur, aut corruptio vicinas partes peruadat. In qua ſectione, nullum periculum præterquam hæmorrhagiæ eſſe poteſt quæ tamen cohiberi poterit, parte ſana vinculo ligata, vt filum per foramen vulneris propendeat, donec ſponte, vulnere curato, vel antè excidat. Quanquam relinquitur iniuria, quòd admodum opportunus ſit frigori externo venter, vt Galeni hiſtoria de quodam gladiatore oſtendit.*

## *APHOR. LIX.*

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης ἐξίσταται ὁ ἰσχίον, καὶ πάλιν ἐμπίπτει, τουτέοισι μύξαι ἐπιγίνονται.

*QVibus longo coxendicum dolore conflictatis femoris ſummum coxa excidit, rurſumque recidit, iis mucoſa ibidem pituita colligitur.*

EX anatomia intelligimus os femoris in capita duo deſinere, quæ inſeruntur acetabulis coxæ. Præterea oportet intelligere, quòd firmiſſimum eſt vinculum, teres, & breue, quo intercedente capita femoris nectuntur acetabulis coxæ. Accidit aliquando (vt à diſtillatione cerebri aliarumque partium corporis & à malis

vteri) vt vinculum illud imbibatur multo mucco: & ob id, relaxetur articulatio. Neque ſolum hæc relaxatur, ſed & aliquando propter lubricitatem caput femoris excidit ſuo ſinu. Super hac re conſule lib. Hippocratis de loc. in homine. Vinculum id, quò ſit firmius, oportet neque minus reſiccatum eſſe, neque minus humectatum. Si caput femoris per relaxationem & humorem immodicum excidat, excidit ſæpe in partem domeſticam & verſus inguina: & tum crus totum multò longius altero. Aliquando, ſed rarius, luxatur in partem exteriorem: & tum crus fit breuius. Rariſſimè, poteſt exarticulari in partem anteriorem & poſteriorem. Eſtne neceſſe, luxatio eſt in capite femoris & acetabulo coxæ, ergo eſt propter mucores, non. Quia aliquando poteſt abrumpi vinculum, & hoc inſanabile eſt. Sed rariſſimè hoc accidit, quia abditum eſt profundius hoc vinculum. Verum ſæpius fit illud, propter cauſam ab Hippocrate allatam, propter muccores videlicet. μύξα Hippocrati aliquando, eſt phlegmaticus & pituitoſus humor. Interdum (vt lib. de artic.) eſt mucor id eſt humor lentus, viſcidus & albus, qui naſci ſolet & imbecillitate cartilaginum & oſſium in ipſis articulis. Cartilagines enim & oſſa nutriuntur mucco craſſo & viſcido. Ob id, ſi in iis ſit imbecillitas, multum colligunt illius excrementi, à quo ca redditum læue & lubricum caput femoris, facilè ſua cauitate excidit. Hanc rationem affert Gal. 3. de artic. tribuitque huius morbi cauſam imbecillitati articulorum & oſſium. Aliquando multitudini pituitæ confluentis ad articulos. & ita, is muccor poteſt gigni ratione ipſarum partium, aliquando ratione materiæ defluentis à cerebro & reliquo corpore, vt ab vtero in mulieribus:

vnde ſunt multæ coxariæ. Iſchias propriè, eſt morbus iſchij cum grauiſſimo cruciatu: At Iſchium, eſt articulatio illa femoris cum coxa. Hîc legendum eſt Iſchium, non coxa. ἄρθρον autem aliquando ſignificat totam articulationem quæ complectitur & caput femoris rotundum ac læue & acetabulum & vinculum. Hæc omnia vocamus aliquando Iſchium, vt hoc loco. Rurſus, ἄρθρον alias ſumitur pro acetabulo: aliàs vt lib. de artic. pro capite femoris. *Illabitur*) in proprium locum redit. *Muccore* id eſt humores quidam phlegmatici lenti & albi *in ea parte*) in ea articulatione ἐγγίνονται ſi leges ἐγγίνονται intelligitur μύξα gigni propter partium imbecillitatem. Si ἐπιγίγνονται aliunde defluit & ibi coaceruatur.

## *SCHOLIA.*

*Iſchias, dolor eſt articularis, iſchion, id eſt, coxēdicem occupans. Coxendix enim, eſt os quod femoris caput excipit. Dolor autē is ſedē habet, non in eo articulo, quo femoris caput in coxendicē inſeritur. Hoc argumēto, quòd tā vehemēs in iſchiade nō ſentiretur dolor, cum vinculum ſit obtuſi ſenſus: ſed altius ad ſummam natem, qua nerui à lumbis & ab oſſe ſacro emergentes feruntur in crura, necnon in eo ligamento, quod à perioſtio naſcitur. Si ergo in iſchiade diuturna, femoris caput excidat extra ιςxam, id eſt, extra cauitatem coxendicis quam ingreditur, ſiue in anteriorem aut poſteriorem, exteriorem aut interiorem partem (in omnem enim partem femoris caput excidere extra coxam poteſt quanquam rarius in anteriorem ac poſteriorē) & rurſus recidat ſuoque loco reſtituatur facilè: non alio huiuſce excidentiæ ac recidentiæ cauſa referenda venit, quàm ad viſcidum ac mucoſum quendā humorē in ea cauitate coxēdicis collectū, qui ibi aut genitus ab excremētis illius partis imbecillæ aut aliunde illapſus,*

*eius partis ligamenta relaxat, vnde is articulus incontinens, lubricus, ac inſtabilis redditur. Iſtam quoque excidentiam ac recidentiam capitis femoris extra cauitatem coxæ, facit eiuſdem femoris extenuatio, ob quam cutis quoque laxior redditur. Argumento ſunt boues apud Hippocratem lib. de articulis ſectione 25. & 26. boues enim declinante hyeme ob paſtus inopiam extenuantur, quorum os femoris facilè excidit ac recidit.*

## APHOR. LX.

Ὁκόσοισιν ὑπὸ ἰσχιάδος ἐνοχλουμένοισι χρονίης, τὸ ἰσχίον ἐξίσταται, τουτέοισι τήκεται τὸ σκέλος, καὶ χωλοῦνται, ἢν μὴ καυθῶσιν.

*Quibus diuturno dolore iſchiadico vexatis femoris caput coxa excidit, iis femur contabeſcit & claudicant, niſi vrantur.*

HOc loco proponit curationem luxationis iſchij, & ſimul luxationis articuli ac vinculi. Attendo quid dicat. Si fuerit diuturna. Intelligere oportet, quòd Gnidij Aſclep. medici (vt Cteſias) qui aliter ſentiebant quàm Coi, ſolebant reprehendere Hippocratem tum in aliis ſententiis, tum in hac maximè: quòd dicerent fieri non poſſe, vt luxatio iſchij reformaretur. Tamen experientia contrarium docuit: quippe quum Hippoc. & Galen. ipſe curarint. Si ergo accidat, vt dolor coxarius fuerit diuturnus, & inde caput femoris excidat ſuo acetabulo, non eſt dubitandum quin curari poſſit: Idque duobus modis. Vel medicamentis articulo circumpoſitis, quæ vim habent ſiccandi, quo modo multos (pueros præſertim) curauit Galen. vt in genu cum propter relaxationem neruorum & ligamentorum

ingreſſus non eſt ſatis firmus. Vel etiam ferro & igni. Primum itaque vbi fuerit repoſitus articulus, imperabimus quietem: deinde, admouebimus medicamenta admodum ſiccantia quæ circumponentur articulo. Tertiò, rationem vitæ valde ſiccantem inſtituemus & corpus purgabimus. At ſi contingat his medicamentis nihil effici, veniemus ad cauterium, vtemurque (maxime ſi ſit pus) ignitis ferramentis. Neque vero tantum conſiderare debemus quod hîc ſcribit Hippocrates: Sed præterea, priuſquam de remediis aliquid ſtatuamus, videre an humor ille ſeu mucor gignatur propter imbecillitatem partis, an aliunde confluat. Si aliunde influat, nihil hac ratione proficiemus niſi prius conſulamus parti, vnde influit. Tum ergo purgabimus corpus, inſtituemus clyſteres acres, vomitiones, victus rationem reſiccantem, parti laboranti topica remedia valde ſiccantia. Si muccus ille gignatur ob imbecillitatem partis, vremus in ea maxime parte, in qua eſt luxatio. Primum, in femoribus ſupra genu, in plexu natiuum, ſupra malleolos quatuor digitis in parte carnoſa. Sed tum declinabimus quantum poterimus venam ſaphenam. Præſcribemus etiam interim clyſteres acres & alia remedia. Si morbus ſit contumacior, & fluat humor è cerebro, inſtituemus ea quæ purgant cerebrum: id inuremus & adhibebimus paracenteſim parte capitis poſteriore. Similiter, ſi ab vtero, eum prius vremus: deinde veniemus ad partem affectam. *Quibuſcunque excidit*) proprie dicitur excidere caput femoris. Iis crus tabeſcit: primùm quia pars imbecillior eſt, & ita non nutritur. Deinde, non mouetur & ita extinguitur calor natiuus partis. Tertio, interci-

pitur quodammodo & diſtorquetur vena ſaphena, vt non poſſit eò deferri alimentum. *Claudicat* quia erit pes longior vel breuior niſi vratur. Priuſquam fiat tabes & claudicatio, vrendum eſt non neglectis tamen iis medicamentis, quæ diximus. Alioqui vix aſſequaris curationem etiam ſi vratur.

## SCHOLIA.

*Duo hic adferuntur incommoda, quæ ſequuntur: vbi in diuturna iſchiade caput femoris ſuo loco excidit, niſi per pyroticum abſumatur ac foras educatur humor mucoſus ac viſcidus, qui illius excidentiæ cauſa exiſtit: nempe tabes cruris & claudicatio. Tabeſcit quidem crus, quòd eo luxato, luxantur ſuoq; loco natiuo ac conſueto dimoueãtur venæ, arteriæ, & nerui, quorũ officio alimentũ ſpirituſque omnes in crus deferebãtur, ac proinde nec alimentũ, nec vitalis calor, nec ſenſus parti ſufficiens ſuggeritur: quòd etiam otioſæ parti nõ poteſt liberaliter alimẽtũ accedere. Nõ enĩ vltro alimẽtũ illabitur, ſed beneficio natiui caloris attrahitur. Perit autem is ac flacceſcit tẽporis ſpatio, multo partis ocio. Nam exercitium vnum eſt ex his quæ calorem natiuum fouent ac tuentur, potiſsimum in articulis, ex illo Hippocratis axiomate. Labor articulis, ſomnus viſceribus. Proinde luxatum brachium per ἀγκυλῶσιν non tabeſcit, quod nimirum poßit moueri ac exerceri non minus expeditè quam brachium ſanum. Claudicatio vero ſuboritur, quia, vel crus fit breuius, cum in exteriorem partem excidit: vel longius, cum in interiorem: adeſtque ſumma ipſius cruris imbecillitas, vt quod è ſuo locò natiuo ac conſueto exciderit. Vt autem cruri prope tabeſcenti ac claudicanti obuiam eatur, omni genere remediorum foras euocandus humor is mucoſus ac viſcidus, qui cauſa eſt coniuncta Iſchiadis, in qua crus ſuo loco admoueri incipit aut iam di-*

*motum eſt. Primum verò, admotis cucurbitulis cum magna flamma pugnandum eſt: deinde veſicatoriis, ac emplaſtris ex alto trahentibus: Tandem pyroticis, in quibus vis maxima eſt, non ſolum exſiccandi ac abſumendi humoris illius in profundo coxæ ſtabulantis, ſed & confirmandæ partis luxatæ, roborandorumque ligamentorum inducta cicatrice. Admouenda autem ſunt illa pyrotica, tribus aut quatuor locis circa iſchion affectum, eaque in profundum cogenda, vt intrò facilius ſubeant, cauendo ne neruum aut tendonem aliquem attingant: vlcus ab illis excitatum diu apertum continendum, quò retenta iam diu materiæ liberior inde pateat exitus.*

Sextæ ſectionis Aphoriſmorum finis.

# IACOBI HOLLERII IN HIPPOCRATIS APHORISMOS COMMENTARIVS SEPTIMVS.

## APHOR. I.

ΕΝ τοῖσιν ὀξέσι νουσήμασι ψύξις ἀκρωτηρίων, κακόν.

*IN morbis partium extremarum frigus, malum.*

HÆc ſententia expoſita eſt 48. Aphor. li. 4. Sunt qui inſcribant hunc librum περὶ τῶν ἐπιγινομένων id eſt de iis quæ ſuperueniũt morbis, vt ſequentes Aphoriſmi indicant. Tamen aliter atque aliter apud Hipp. ἐπιγινόμενα ſumũtur. Aliquando generalius, pro omnibus accidentibus quæ morbis ſuperueniunt, ſiue bona ſunt, ſiue mala. Aliquando ſpecialius, pro iis quæ magnis & malignis morbis, magna & maligna ſuperueniunt. Et maximè, dicuntur eſſe in iis quæ non neceſſariò ſuperueniunt, ſiue rarius, ſiue ſæpius accidant. Antea lib. Aphor. 6. Galen. definiebat ἐπιγινόμενα quæcunque adauctæ paſſionis ratione ſuperueniunt. Sunt qui adſtringunt ad

accidentia quæ vlceribus ſuperueniunt vt Suidas. Ergo per ἐπιγινόμενα, intelligemus & ea quę generaliter ſuperueniunt morbis, & quæ particulariter. *In acutis morbis*, &c. Frigiditas partium externarum malum. Primum, quia ſignificat grauem inflammationem internam, quæ cucurbitulæ inſtar ſanguinem & calorem partium externarum ad ſe trahit, & is attractus conſumitur. Secunda cauſa, quia dolor eſt vehemens vt in ventriculo præſertim. Tertia, quia eſt extinctio calóris natiui. Quarta, cum in febribus calor ille partium extremarum tam vehemens ſit ab exhalatione materiæ febrilis, materia quædam craſſa & viſcida incluſa in medio corpore vras intercipit, ita vt calor febrilis non poſſit exhalare & peruenire ad cutim. Hippoc. lib. de morb. dat aliam rationem, quia videlicet partes extremæ vt manus, naſus, pedes, aures, cutis aliquando & externæ ſiccæ ſunt, vt interiores, humidæ. Quum igitur tales ſint partes exteriores humor paucus harum partium peruritur & conſumitur à calore illo febrili conſumpto humore, neceſſe eſt calorem, qui illic eſt extingui quo extincto neceſſario refrigeſcunt.

## *SCHOLIA.*

*HAc ſeptima ſectione inquiruntur varia ſanitatis ac mortis præſagia: quæ deſumuntur potiſſimum ex ſignis ἐπιγινομένοις, id eſt, quæ morbis ſuperueniunt.*

*Primus Aphoriſmus funeſtum ſtatuit præſagium, ſi in morbis acutis febrem continuam comitem habentibus, frigeant extrema, aures nimirum, naſus, pedes, manus, cutis denique vniuerſi corporis. Frigēt quidem extrema in inuaſionibus febriū intermittentium: in morbis quoque longis frigent extrema ob*

*materiæ frigiditatem, ſed id citra perniciem. At in acutis præter modum calor vrit. æſtuatque totum corpus. Si ergo interna viſcera vrantur, externa vero frigeant, inditium erit inflammationis alicuius conceptæ in aliquo viſcere, quæ ad ſe totum ſpiritum & ſanguinem reuocat: Aut imbecilli admodum caloris natiui, qui non valet extremas partes attingere, & ſi febris adſit, quod fere accidit in longis febribus langueſcente ipſo ægro: Aut caloris oppreſſi nimia craſſorum humorum copia: Aut doloris alicuius vehementis, ob quem videmus ægrotos rigere & in toto corporis ambitu refrigerari. Extrema ſi frigeant cum ſiti, aut cum ſudore aut liuore eorundem, lethale. ſin minus, malum.*

## *APHOR. II.*

ΕΠὶ ὀστέῳ νοσέοντι σὰρξ πελιδνὴ, κακόν.

*PRopter os ægrotans caro liuida, malum.*

COntingit aliquando os cariem & putredinem inducere, ita vt nigreſcat. Magna itaque eſt cachexia oſſis quod cariem ducit, & hæc communicatur carni vicinæ quæ tandem liueſcit. Si quando ergo ſuſpitio eſt vitiati oſſis, vbi caro, in ea parte liueſcit, indicium fuerit os cariem induxiſſe. Quare oportebit tum cutem diſſecare, & cauterio carnem vrere vſque ad os: deinde, deradere quicquid eſt carioſum in oſſe. Sæpe tamen in tophis luis venereæ & podagricorum, caro liueſcit, quum interim os eſt integrum. Sed aliquando etiam cariem duxit.

## *SCHOLIA.*

*LIueſcit caro in vulneribus aut vlceribus: vel, ob extremam caloris natiui imbecillitatem & necroſin: vel, ob gangrenam ceu ſyderationem ex inflammationis magnitudine: vel, ob contuſionem. Si ergo in oſſe corrupto aut violato liueſcat caro, nullaque adſit contuſio, aut ſyderatio, certiſsimum ſignum erit, prauam ſubeſſe putredinem quæ calorem natiuum extinguit. proinde illud os abſcindendum aut eximendum erit.*

## *APHOR. III.*

ΕΠὶ ἐμέτῳ λύγξ καὶ ὀφθαλμοὶ ἐρυθροὶ, κακόν.

*A Vomitu ſingultus & oculorum rubor, malum.*

POteſt vtrumque ſequi ſingultus, quia materia illa quæ euomitur, dum tranſit per orificium ventriculi ipſum ſua qualitate irritat, vel etiam aliqua parte ſui imbibitur ipſius ſubſtantiæ. *Oculi rubri.*) quia vomitus replet caput. hæc aliquando fiunt tantum ratione vomitus & tum non eſt periculoſum. Aliquando, ab immodica vacuatione fit ſingultus, quod malum eſt. malum quoque ab inflammatione. Fit enim nonnumquam vt portio materiæ quæ vacuatur, imbibatur orificio ventriculi. inde irritatur inflammatio, vel in ipſo ventriculo, vel in membranis cerebri & cerebro ipſo, communicata materiæ qualitate aut quantitate per conſenſum neruorum à ſexta coniugatione. Si ergo vomitus, qui deberet eſſe remedio vomitu, ipſum excitat, malum quia indicat, vel immodicam vacuationem, vel plenitudinem, aut inflammationem

in cerebro, aut membranis cerebri, & cerebro ipſo. Porro, cum oculi rubent à vomitu, malum etiam: quia in cerebri membranis plenitudo indicatur, & in cerebro ipſo, cuius pars plenitudinis exprimitur in oculis, aut ſignificatur inflammatio in cerebro. hîc intelligitur rubor coniunctiuæ ſeu tunicæ oculorum albæ, qui fit propter effuſum ſanguinem ex venis pericranij in venas illius tunicæ. Proprie tamen rubere dicuntur oculi ab ophthalmia.

## SCHOLIA.

*SI vomitui in morbis acutis citato, ſingultus & oculorum rubor ſuperueniat, malum. modò ne is ſingultus & oculorum rubor ob vehementiam motus & conatum ad vomendum ſit inductus. Is enim ſingultus. inanitionem ventriculi à copioſo vomitu factam: Rubor autẽ oculorum, ſanguinis vaporoſi à vomitu commoti concurſum ad oculos ſignificat. Horum neuter eſt periculoſus à vomitu. At duo hæc ſimul non ſeorſim ſi vomitui ſuperueniant, in morbis acutis & ad aliquod tempus perſeuerent, ideo lethalia habenda ſunt: quia inflammationem cerebri vel ventriculi denunciant. Quæ inflammatio non modo ipſius ſingultus ac ruboris oculorum cauſa ſit, ſed & vomitus. Si enim vomitus citaretur ab acribus humoribus os ventriculi eiuſque tunicas mordentibus, expulſis per vomitum illis humoribus, ceſſaſſet vomitus, ceſſaſſet & ſingultus: nec à vomitu vllus vapor acris ad oculos delatus fuiſſet, qui oculos rubros efficeret. Sublata enim cauſa, tollitur effectus. Cum ergo vomitus tantum abeſt vt profuerit, vt poſt ſe ſingultum & oculorum ruborem inuexerit: certiſsimum eſt, illa tria, vomitum nimirum, ſingultum & ruborem oculorum, pendere ab inflammatione cerebri vel ventriculi. Cerebrum enim inflammatum*

*ſanguinem ad oculorum venulas exprimit præ copia, & effundit in extimam tunicam oculi quam adnatam vocant. vnde oculorum rubor: cui ventriculus conſentiens per neruos qui à ſexta cerebri coniugatione in eius os feruntur, ab ea cerebri inflammatione facilè in vomitum ac ſingultum citatur. ventriculus quoque inflammatus, vomitum & à vomitu ſingultum, & vnà cum ſingultu ruborem oculorum inuehit, facto concurſu ſanguinis feruidioris ad oculos.*

## APHOR. IIII.

Ἐπὶ ἱδρῶτι φρίκη, οὐ χρηστόν.

*A ſudore horror, non bonum.*

DEcretoria quæ non decernunt mala. hoc eſt, quæ in morbis iuuare debent ſi non iuuant ſignum eſt mortis vel iuditij mali atque difficilis: vt ſi profluxerit ſanguis die critico, & tamen non ſit leuatus æger, malum. Sic ſudor in febre continua commotus die critico, ſi non iuuerit ægrum, ſed inde horror ſequutus ſit, malum. Natura enim materiam quæ morbum faciebat forâs expellere aggreſſa, vacuata tantum parte, intrò redit, & ex reliqua materia horrorem facit. Duplex eſt motus, naturæ & morbi. motus naturæ foras materiam expellentis, bonum. In ſudore qui naturalis eſt, mouetur natura, vt quæ extenuat humorem illum qui morbum faciebat, & magis tenuatum excernit per inſenſibilem tranſpirationem: qui vero minus tenuatus eſt, per ſudorem. Itaque, ſudor eſt naturæ motus. At horror, motus eſt morbi, vel morbificæ cauſæ, aut etiam naturæ à partibus externis ad interiores poſt ſu-

dorem, & ob id malum. In horrore (vbi bilis & pituita maximè permiſcentur ſanguini) ſanguis refrigeſcit quò fit, vt ſeſe colligat, & ita vnà cum ſanguine contrahuntur venæ, ac tum excitatur horror.

## *SCHOLIA.*

*SI à ſudore critico quidem, ſed imperfecta & inſida criſi decernente, ſubſequatur horror ſiue ſtatim à ſudore finito, ſiue poſt dies aliquot, vtpote duos aut tres, aut plures, velut in Epicrati vxore.1.Epid. & in cherione tertio eiuſdē: potiſſimum tamen ſtatim à ſudore finito, non bonum, hoc eſt, nihil quicquam in ſe boni continet, nec in ſe aliquid habet quod vtile aut ſpei aliquid adferat. nam contrarium contrario ſuccedere, maximè verò frigus ſudori, cum iam aperti ſunt meatus cutis, magnam naturæ perturbationem atque iacturam adfert. Si enim ſolùm febrem manere poſt ſudorem, mortem aut morbi longitudinem ſignificat, vt conſtat Apho. 56. ſect. 4. Quantò magis, ſi horror ſuccedat? Sudor autem is in febribus, quem horror ſequitur, vel paucus eſt & exiguus, vt qui tantum circa caput aut thoracem manat, vel quo leuiter totum corpus madet: hinc horror ſuperueniens indicat materiæ copiam & virium hanc materiam copioſam euincere non potentium, imbecillitatem: vel immodicus, per quem & bonum & malum effluit affatim: vnde hîc fere natura ſoluitur, ratione cuius ſpiritus & ſanguis ad interiora retrahitur, & leuior horror ſequitur. Vtrique ergo ſudori horror ſuperueniens, non bonum.*

## *APHOR. V.*

Ἐπὶ μανίῃ δυσεντερίη, ἢ ὕδρωψ, ἢ ἔκστασις, ἀγαθόν.

*A Mania, difficultas inteſtinorum, aut hydrops aut Ecſtaſis, bonum.*

Hic Aphoriſmus alienus eſt. Dixinus ſæpe quòd multi morbi indicantur per metaſtaſim, id eſt, tranſpoſitionem materiæ. hîc dicit, quòd vbi mania commutatur in dyſenteriam, hydropem, ex Ecſtaſin, bonum eſt. Difficultas inteſtinorum ad dyſenteriam & alui profluuium extenditur. propriè tamen ad exulcerationem inteſtinorum cum alui profluuio. Si ergo materia quæ maniam faciebat, relicto cerebro, diuertit ad inteſtina; ſalus expectanda. Iam per aquam inter cutem, veriſſimile eſt quòd hoc loco intelligitur non ea quæ fit magno vitio hepatis, ſed à materia illa tranſlata à cerebro ad ventrem & hepar: quæ cum robuſta ſunt, eam tranſmittunt ad ſpatium interceptum inter peritonæum & inteſtina, vbi fit hydrops. non quod ea materia afficiat hepar, vt volunt nonnulli. Porrò Ecſtaſis eſt, vt ait Gal. Epide. 3. & primo prorrhet. vehemens & ferina inſania, quæ fit vbi aſſata admodum bilis imbibitur ſubſtantiæ cerebri. Itaque Ecſtaſis nomen eſt anceps. Aliquando enim eſt nomen generis, vt commune ſit maniæ & melancholiæ. ſæpius dicitur de ferina inſania. Tertio, eſt temporaria & ὀλιγοχρόνιος mania. Quarto, dicitur eſſe maxima inſania quæ ſolet commoueri in perturbatione critica. Tum enim putant ſe videre diuos, dæmones & mira loquuntur. Eſt & alia qualis erat in prophetis & ſybillis vt in enthonſiaſmo, apud Vergil. Ecce furor hoc loco ἔκστασις dicitur mania illa temporaria quæ ſolet moueri in perturbatione critica, ea vocatur etiam ἐκμάνια hæc ergo mẽtis alienatio, bona eſt, quia natura materiam illam maniæ in cerebro contentam vehementius cõmouet criticè, vt excernat.

## SCHOLIA.

Permutatio morborum in vniuerſum duplex eſt: μετάστασις ſiue μετάπτωσις, in qua priore morbo ceſſante tranſlata aliò materia nouum morbum excitat, tollitque priorem. Et ἐπιγέννημα, cum ad morbum morbus accedit. Sic quartana, per metaſtaſin epilepſiam ſanat: & febris conuulſionem, vel etiam catarrhum & aſthma: Sic Ophthalmiam, diarrhoëa: lienteriam, ructus acidus: pleuritis, peripneumoniam. Per ἐπιγέννημα vero morbi, qui ex contagione & mali communicatione exiſtunt, priora mala non modò non imminuant, ſed & augent, & aucta eſſe demonſtrant: quo genere capitis dolor anginæ, aut pleuritidi peripneumonia, aut anginæ peripneumonia ſuperueniens, continetur. Hîc agitur de metaſtaſi. Quæ cum duplex ſit: vna, ſymptomatica, quæ fit vi morbi: altera, critica, quæ fit naturæ robore per viam criſis imperfectæ die critico. (Perfecta enim criſi ſoluitur morbus integrè, non autem in alium morbum permutatur.) De vtraque metaſtaſi hic Aphoriſmus poteſt intelligi. Salutaris ergo, eſt maniæ permutatio in difficultatem inteſtinorum: quia indicium eſt malignam materiam atræ bilis, vnde mania ortum habuit, edomitam, & à feroci mitiorem factam, eamque ad inteſtina viam affectaſſe, in quibus dyſenteriam: non eam quidem, quæ cum vlcere eſt ac torminibus, qualis à bile acri ac mordaci fieri conſueuit: ſed ab humore melancholico putri quidem ac corrupto, ſed non mordicante: Qualis dyſenteria maniam ſanat, reuulſionis ac vacuationis ratione. Secura quoque eſt permutatio maniæ in hydropem, non in eum quidem qui ex fruſtrata ſanguificatione ſuboritur: ſed, qui ex bilis atræ, quæ ſuam acrimoniam naturæ cultura depoſuerit tranſlatione ad hepar & lienem, & ab hepate & liene intra abdomen, tranſmiſſione. Licet enim huiuſcemodi bilis, ſuo tranſitu intemperiem quandam lieni ac hepati impreſſerit,

*preſſerit, quæ occaſionem hydropi generando attulerit: quia tamen diuturnam moram illic non traxerit, ſed à iecore ac liene confeſtim in ventrem deturbata fuerit, ea expulſa iecur & lien priſtinæ integritati reſtitui, & ab illa intemperie liberari facile potuerunt. Salutaris item maniæ permutatio, in ἔκστασιν, id eſt, vehementem perturbationem & aberrationem mentis, quæ licet multò grauior ſit mentis affectus, quàm mania, facta videlicet, per ſuppreſſionem & æſtum, exquiſita bile atra ex aduſtione bilis flauæ, quæ excerni non potuit à cerebro, ſed per cerebrum diffuſa eſt: quia tamen hæc ſignificat maniam in melius mutari, quòd hæc per viam criſis commota ſit, ob id temporaria ac ſolutionis maniæ mox affuturæ prænuncia: ideo huiuſmodi permutatio maniæ in furorem ſalutaris iudicanda. Solent enim in perturbatione critica reformidanda ſuboriri ſymptomata.*

## *APHOR. VI.*

Ἐπὶ νόσῳ πολυχρονίῃ ἀποσιτίη καὶ ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, κακόν.

*IN morbo diuturno cibi faſtidium & ſynceræ deiectiones, malum.*

IN morbo diuturno, cuius principium eſt die 40. (vt in longo alui profluuio, in febre quartana) ſi æger qui prius appetebat, iam non appetit, malum: quia cibi faſtidium indicat extinctionem facultatis appetitricis quæ ſedem habet in orificio ventriculi. Præterea, cũ longus morbus afficiat vires ægri, hæ non poſſunt, alia re magis quàm alimẽtis reparari. Si æger cibos faſtidiat, neque comedat, magis deiicientur vires. Itaque non poterit morbum ſuſtinere, vnde neceſſariò morietur. Ἄκρητοι ὑποχωρήσιες, ſinceræ deiectiones. Si æger qui prius mixta excernebat, iam non ex-

cernat, ſed ſimplicia, malo eſt. Galen. in prorrh. & lib. 3. Epidim. & hîc in comm. explicat quæ ſit deiectio ſyncera. Aliquando, inquit, dicitur, ἀκρατόχολος. hoc eſt, cum ſyncera bilis excernitur, ſiue ea ſit vitellina, ſiue porracea, ſiue æruginoſa. Aliquando dicitur, vbi quilibet humor ſolus excernitur, vt ſanguis, pituita, melancholia: hæc deiectio ſiue ſit exquiſitè bilioſa, ſiue alius quiuis humor, indicat naturam ceſſare à coctione & ſecretione.

## SCHOLIA.

*PRognoſticon funeſti exitus in morbis longis, deſumptum ex naturali facultate pene proſtrata: cuius hîc duo ſigna pathognomonica adferuntur: ciborum faſtidium, & ſyncera deiectiones. Etenim non modò non appetere, ſed & cibos auerſari quoſcunque ac qualeſcunque in acutis morbis, vtcunque excuſari poteſt: quòd in illis præter cætera incommoda, adſit intemperies calida ventriculi, quæ omnem appetentiam deiicit. In longis verò morbis, ſaltem his, in quibus ſpes aliqua ſalutis affulget, id citra ſalutis diſcrimen non poteſt accidere: cum à frigida materia excitentur, à qua os ventriculi refrigeratum vehementi ciborum deſyderio percelli poteſt. Si ergo, non ſolum deiiciatur appetentia: ſed & ciborum faſtidium, in diuturnis morbis vrgeat, inditium eſt imbecillæ ne dicam emortuæ facultatis appetendi in ventriculo & ſugendi in iecore: vel ob maximum frigiditatis exceſſum, aut frigidam materiam inſigniter putrefactam, vnde corpus nutriri non poteſt, nec virtus ad morbi vſque exitum perſiſtere. Meracæ vero ceu ſyncera deiectiones hoc eſt, illæ deiectiones quæ nullius aquoſæ humiditatis ſunt participes, ſiue eius humiditatis quæ illis natiua eſt, (ſinguli enim humores ſuum habent ſerum) ſiue eius humiditatis quàm ab inteſtinis*

*per quæ egeruntur, habent (nam multæ ſunt in inteſtinis glanduloſæ particulæ quæ velut ſaliuam quandam vomunt; a qua inteſtina lubricantur & deiectiones aquoſæ humiditati permiſcetur) Tales ſynceras deiectiones in morbis acutis excerni non eſt mirum: lethale tamen, quòd à calore febrili ſiue natiuum humorum ſerum, ſiue inteſtinorum ſerum excrementitium abſumi poßit. At in morbis longis, ſi tales deiectiones excernantur, ſignum eſt imbecillæ admodum facultatis naturalis: quæ humores ipſos exactè concoquere ac permiſcere non poteſt ob penè euictam iecoris natiuam temperiem à frigore vehementi ipſius materiæ, aut ab extincto, diuturnitate morbi calore natiuo. Duo ergo hæc aut ſimul iuncta aut ſeorſim, ciborum faſtidium & meracæ deiectiones pernicioſa ſunt in morbis longis.*

## *APHOR. VII.*

EK πολυποσίης ῥῖγος καὶ παραφροσύνη, κακόν.

A *Multa potatione, rigor & delirium, malum.*

VInum qualitate ſua calefacit, & præter id, facilè replet caput vaporibus, concalefactis eius humoribus, ſpiritibus, & propria ſubſtantia, quia commouet humores quibus commotis, maior fit humorum prouentus, & ita multitudine repletur caput. Calefacit corpus & animam, vt ait Plato in Thimæo. hoc eſt, humores & ſpiritus, ob id dicitur igneus liquor. Verùtamen, etiam ſi calfaciat, refrigerat tamen aliquando, & frigidos morbos inducit per accidens, vt rigorem, quia multitudine materiæ viæ intercipiuntur, ita vt, non ſit liber motus ſpiritibus, & calor natiuus ſuffocetur. Fit etiam rigor, quia vinum caliditate ſua commouet acres & biliosos humores, vt cenſet Philoth. Deſipiētia verò,

fit ob calidam cerebri intemperiem à vino. Aliquando temporaria, aliàs affectio fit hectica : & ſtupidi fiunt propter refrigerationem : aut furioſi, vbi nimium calefiunt.

## SCHOLIA.

*LArgior vini potio, duo hæc potiſsimum parit incommoda. Vnum, quod calore ſuo ſuiſque vaporibus cerebrum inflammat, vnde delyrium. Alterum, quod cum omnium celerrimè nutriat, ſua copia vſque adeo venas replet, vt cogat naturam eius immodicam abundantiam expellere, vnde rigor. Vtrunque incommodum, ſi à multa vini potatione ſimul oboriatur, lethale. nam præterquam quod, deprauatur ratiocinatrix facultas, quæ omnium animalium facultatum regina eſt : infertur quoque vis maxima calori natiuo: cui à vino periculum extinctionis imminet. Calor enim vini immodicè ſumpti calorem natiuũ abſumit, ſicut ſol flammam. Eiuſdem vini humiditas nimia natiuum humidum ſuffocat. vnde ſumma totius corporis refrigeratio conſequitur. vide tertiam ſectionem problematum Ariſt. & tertium de temperamentis Galeni.*

## APHOR. VIII.

Ἐπὶ φύματος ἔσω ῥήξιος, ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λειποψυχίη γίνεται.

*A Tuberculi introrſum eruptione, exolutio, vomitio, & animi defectio fit.*

PHyma diximus eſſe omne tuberculum, præſertim quod enaſcitur foràs. Aliquando & de interioribus tumoribus dicitur, & peculiariter tumor omnis præter naturam à bilioſo humore, qui celeriter augetur & ſuppurat. Aliquando, & apoſtaſis ſeu abſceſſus. Hoc loco

dicitur ſuppuratio, vel vomica, vbi materia incluſa in tumore ſuppurat, & acrimonia ſua tunicá erodit, ſibique facit viam vnde ῥῆξις. Gal. vult intelligi de tuberculo ventriculi propter vomitum poteſt tamen intelligi de omni. Oportet notare quod diximus anteà in eo Aphoriſmo. *Quicunque hydropici* &c. Habenda namque eſt ratio partis. Nam ſi ſuppuratio illa ſit in ea parte in qua ſunt multæ venæ & arteriæ, & erumpat pus vel ſponte, vel arte, periculum eſt: quia fit magna exolutio ſpirituum, & exitus, vnà cum pure. Cæterum ἔκλυσιν ſunt qui dici putant pro leui animi deliquio, vt diſtinguatur à λειποθυμίᾳ, λειποψυχίᾳ, καὶ συγκοπῇ. Dicitur quidem ἔκλυσις, lenius animi deliquium. hoc tamen loco inauditur de omni animi defectu, ſiue ſit grauis, ſiue leuis. Lipothymia & lipopſychia ſæpe confunduntur, licet lipothimia propriè dicatur defectus animi, qui fit ab exolutione ſpiritus vitalis à corde. Lipopſychia verò, fit exolutis ſpiritibus naturalibus. Syncope eſt præceps virium lapſus & conſternatio. *Animi defectio* ) propter exolutionem ſpiritus. Nam in ea puris eruptione, effluit multum ſpiritus & vitalis & naturalis; & aliquando animalis.

## *SCHOLIA.*

*TVmores internos non tam facilè eſt dignoſcere, quàm externos. Externi enim viſu & tactu deprehenduntur. Interni verò, ratione magis quàm ſenſu dignoſcuntur. Si magni ſint & in corporis ſuperficie promineant, poſſunt tactu deprehendi. Sic enim hepatis ac lienis tumores tactu facilè dignoſcuntur. Si verò parui aut in profundo corpore deliteſcant, artificioſis tantum coniecturis. At verò cum tumores*

*qui internas partes obſident ad ſuppurationem tendunt, dolores ac febres quæ præceſſerunt, augentur propter ebullitionem humoris & innati caloris conatum, commiſſa inter naturam & humorem pugna. Accedit rigor interdum ſiue ordine, dum ſuppurans vapor morſum concitat parteſque ſenſiles vellicat. Confecto iam pure omnia hæc remittuntur. verum puris abſceſſione facta in profundo, vires relinquuntur multo imbecilliores, pulſus frequens, paruus ac languidus, crebraque animi defectio, potiſsimum cum partem aliquem nobilem abſceſſus obſidet. Rupto abſceſſu ceu vomica, puris illuuies, in quamcunque partem prorumpat, terrifica excitat ſymptomata, rigorem, vomitionem, nauſeam, animi defectionem, exolutionem, ſyncopen, ſudorem frigidum, atque hæc omnia ſimul, aut quædam alia pro dignitate ac conditione partis in quam puris fit eruptis, & pro puris, quod erupit, copia ac malignitate. Si enim in ventriculum fiat puris eruptio, vomitus excitabitur, vellicato ac irritato eiuſdem orificio à putredine, fœtore ac tetro vapore puris: trahetur in conſenſum cerebrum & qui in eo ſpiritus animalis reſidet, vnde animi deliquium ſequetur: cor quoque exolutionem patietur, ob ventriculi ſibi vicini affectum. Quanquam omnium puris eruptionum ſiue externorum, ſiue internorum abſceſſuum commune ſymptoma eſſe ſolet animi deliquium. Hinc ergo collige vix ac ne vix quidem fieri poſſe, vt à purulentis pulmonibus pus in aluum aut ad renes deriuetur, facta ſibi via per ſiniſtrum cordis ventriculum vt putauit Galenus 4. cap. lib. 6. de loc. aff. citra ſyncopem vehementem præſenſque vitæ diſcrimen: cum ne vaporem quidem fœtidum, aut acrem putrem vel horulæ momento multominus pus citra ſui perniciem cor viſcus omnium nobiliſsimum pati poßit.*

## APHOR. IX.

ΕΠὶ αἵματος ῥύσει παραφροσύνη ἢ καὶ σπασμὸς, κακόν.

A Sanguinis profluuio deſipientia, aut etiam conuulſio, malum.

VBi multus ſanguis effunditur ſi inde delirium ſequitur, aut conuulſio, malum. παραφροσύνη, id eſt, mediocre deliramentum & mediocris animi alienatio, naſcitur ab intemperie calida, aliquando & frigida. Oportet vt hic naſcatur vel ab intemperie frigida, vt cerebro refrigerato: vel quia (4. de morb.) tota vis aut certe magna pars intelligentiæ & prudentiæ hominis poſita eſt in ſanguine. Neceſſe eſt ergo eo euacuato ſequatur delirium. Præterea cum & calor & ſpiritus propria ſint inſtrumenta animæ, quæ intelligit & ratiocinatur, ſi in ea profuſione exoluantur, ſequi delirium eſt neceſſum. Conuulſio non tam frequenter ſuccedit profuſioni ſanguinis & ſi quando ſequatur, non ita periculoſa eſt, niſi fiat propter inanitionem.

## SCHOLIA.

*SI quantum ſanguinis nobis ineſt, tantum & vitæ, non poteſt ſanguis citra maximum vitæ diſpendium immodicè profluere: Proinde, à ſanguinis immodico profluuio multa ſubſequi ſolent incommoda: qualia deſcribuntur ab Hipp. Apho. 26. lib. 5. omnia quidem mala, ſed duo potiſſimum lethalia, delirium & conuulſio, cum ſi ſeorſim, maximè vero ſi ſimul ac coniunctim accidant. Vtrunque enim ab inanitione ſpirituum fit: inanito ſi quidem ac profuſo ſanguine, inaniuntur ſpiritus. At vbi deficiunt ſpiritus, non poteſt ſenſus communis fungi*

*probè ſuo munere, hoc eſt, imaginari, ratiocinari, recordari cum integritas ac bonitas omnium functionum ſentiētis animæ ſiue interioris, ſiue exterioris à copia ac bonitate ſpirituum dependeat: ita vt ſpiritus Galeno, vel anima ſit vel præcipuum animæ inſtrumentum, quo omnes functiones muneráque ſua omnia exequitur. Ergo, ſi pauci ac debiles ſint ſpiritus animales: ſentiens anima, nec imaginari, nec ratiocinari, nec recordari aptè poterit, ſed delirare cogitur. neque etiam mouens facultas, ſi deficiant ſpiritus, ſuum rectè munus obibit, cum hæc maiori robore ac copia ſpirituum opus habeat, quàm ſentiens anima: vt quæ illa agendo, hæc vero patiendo ſuos motus perficiat. Ergo, ſi adſit inopia ſanguinis & ſpirituum, ſtatim inducetur conuulſio: inanitio enim, altera eſt cauſa conuulſionis. Neutrius autem ſymptomatis, hoc eſt delirij & conuulſionis, ſiccitas, cauſa coniuncta eſſe poteſt, nedum frigiditas. Vt viſum eſt nõnullis: ſi enim ſiccitas eſſet, iſti affectus manerent curatu difficillimi, cum ex ſententia Galleni 7. meth. ſiccitas omnis multo ac longo indigeat tempore vt reparetur. At delirium illud, quod à profluuio ſanguinis ſuboritur, ſi ſolum ſit nec conuulſionem adiunctam habeat, facilè ac citò curari poteſt. Epoto enim vino generoſo, aut ſumpto ouo ſorbili ſtatim ſedatur. Conuulſio vero non quidem tam facile nec tam cito quàm delirium huiuſcemodi, ſed tamen ad tempus. non enim hic conuulſio inaudienda eſt, quæ ad profluuium ſanguinis iàm factum ſequitur, ſed ad profluuium quod adhuc fit (idem de delyrio iudicandum) alioqui eſſet incurabilis conuulſio. Cauſæ igitur delirij ac conuulſionis iſtius eſt, non abſoluta ſed incoata ac multum progreſſa ſanguinis ac ſpirituum inanitio, quæ ſymmetriam ſanguinis & ſpirituum labefactarit. Ergo ſi ad infirmitatem virium quæ ad ſanguinis profluuium neceſſariò ſequitur, accedat delirium aut conuulſio aut vtrumque ſimul: non mediocre ſalutis diſcrimen imminet. Eſt enim axioma medicum, omnem magnam & vehementem*

*affectionem cum infirmitate virium eſſe lethalem.*

## APHOR. X.

EΠὶ εἰλεῷ ἔμετος, ἢ λύγξ, ἢ σπασμὸς, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

*AB ileo vomitus vel ſingultus, vel deſipientia, vel conuulſio, malum.*

IAm ante diximus de ileo. Sed verus ileus fit ab inflãmatione tenuioris inteſtini (quã veteres χόρδαψον) & maximè vbi inflammatur ad pylorũ. quod accidit, quando humores maligni ibi corrumpuntur & putreſcunt. Et eſt imago quædam huius ilei, quando ſtercus induratur in inteſtinis craſſis, vt nonnunquam fit in hernioſis, quibus inteſtinum deſcendit in ſcrotum. Hi itaque nihil poſſunt digerere & tãdem febricitant, ac ſingultiunt ad mortem. Morbus enim deſperatus eſt, vbi orta eſt febris & ſingultus, vireſque ſunt imbecillæ. Siquis namque contendat reponere inteſtinum in ſuam ſedem, ſtatim moriuntur intra 6. aut 7. horas. Quod ſi reponatur inteſtinum ſtatim, initio, viribus integris ante febrẽ & ſingultũ poſſunt euadere. Quæritur an in ileo ſequatur vomitus? ſequitur & in ileo etiam hernioſo, quia facilis eſt communicatio inteſtinorum affectionis cum ventriculo. Galen. dicit quod vomitus ſequitur in exitialibus ileis, ita vt videatur nolle perpetuum eſſe vomitum. Hippocrates lib. de morbis, ait quod vomunt primo pituitoſa: deinde linioſa, ſed putrida & grauiter olentia ſimiliter ſtercori, aut etiam grauius. Poſtremò vomunt ſtercus quod fit in craſſioribus inteſtinis. Si materia quæ debebat conuerti in ſtercus, retenta miſceatur illi materiæ pituitoſæ, bilioſæ,

putridæ,& deinde euomatur, dicetur ſtercus. Quare poterunt dici vomere ſtercus initio. Immò propter materiam illam quæ retenta putreſcit, ægris ſunt ſudores fætidi, anhelitus graueolentes & ructus. Quinetiam fit ſingultus, quia tenuia inteſtina affecta ſunt neruacea, & ità conſentiunt cerebro, & cerebrum ventriculo. Præterea, ab inteſtinis regurgitat aliquid in ventriculum: vel vapor aliquis à putrida materia irritat orificium ventriculi: ob id fit ſingultus. Nam omnia quæ olent grauiter inimica ſunt ventriculo: quæ contra, grata. Fit conuulſio per conſenſum affectis tenuibus inteſtinis neruaceis & ventriculo: vel quia vapores illi putres feruntur ad cerebrum & conuulſionem inferunt. Delirium, propter eoſdem vapores malignos & putres qui cerebrum afficiunt.

## SCHOLIA.

*Ileus, eſt tenuis inteſtini obſtructio peracuta & dolorifica, nihil ſinens deorſum deſcendere, niſi forte liquida quædam pauca & ſeroſa: ſed nihil vetat etiam in craſsiore inteſtino obſtructionem eiuſmodi fieri vt ſcribit Galen. comment. 2. in lib. 3. Epid. de Ileoſa muliere, illamque obſtructionem ob hepatis & lienis ſympathiam multò deteriorem eſſe, quàm hanc. Obſtructionis illius cauſæ ſunt, cruditates, continua ciborum corruptio, medicamenta venenata, enterocele, inflammatio, colicus affectus, ſtercoris nimia reſiccatio, omnia denique quæ fæcibus exeundis viam intercludunt. Varia quoque ſunt huiuſce morbi ſymptomata, ſignaque: Tormina, ventriſque cruciatus ingens, ſtomachus multa humiditate madens, exolutiones animæ, ructus inanes, vomitus pituitoſus & bilioſus, qui tamen non ſemper adeſt, ſed morbo tantum exitiali omnia quidem hæc mala, quòd ſæuiſsimi affectus ſint ſymptomata. Lethalia verò ſunt hæc, quæ*

*ſequuntur. Vomitus non ſolus bilioſus aut pituitoſus ſed & ſtercoroſus, inditium enim eſt affectionem intendi & obſtructionem eſſe in tenuibus inteſtinis, ileo potiſsimum: ſingultus, qui fit à nimia ventriculi repletione, aſcendentibus nempe ad os ventriculi mordacibus excrementis, ipſo etiam ſtercore: Aut ſanè ſingultus hîc fit à nimia inanitione ventriculi, quæ ſequitur ad magnam eiuſdem vacuationem factam per vomitum (ſingultum enim ex plenitudine vomitus ipſe ſanare conſueuit) conuulſio, quæ fit à vaporibus tetris at fœtidis elatis in cerebrum neruoſumque ac muſculoſum genus replentibus: Delirium, ab eadem cauſa: aut ſane conuulſio & Delirium excitantur per conſenſum ventriuli cum cerebro ob neruos à ſexta coniugatione, qui in os ventriculi inſeruntur. Funeſtum argumentum malum cerebro iam communicari. Morituris autem præter hæc omnia ſudor frigidus ſuperuenit, vrinæ difficultas, podex ita aſtrictus, vt ne ſpecilli quidem extremum ingredi queat. Mortis iam iam imminentis propriũ cum voluulus grau colet, hoc eſt vt interpretatur Galen. non ſolum ſtercus vomitione redditur, ſed etiam reſpiratio, ructus, flatus ventris & vniuerſum corpus grauiter olent.*

## *APHOR. XI.*

Ἐπὶ πλευρίτιδι περιπνευμονίη, κακόν.

*A Pleuritide Peripneumonia, malum.*

ALiud eſt γένημα καὶ ἐπιγέννημα: Aliud μετάστασις μεταβολὴ, μετάπτωσις καὶ ἀπόθεσις. ἐπιγέννημά eſt quãdo priore morbo manente ſuperuenit alius morbus. At μετάπτωσις eſt, cum priore morbo ceſſante ſuccedit nouus morbus, vt ſi inſania eſt, qua manẽte erratur cõuulſio, eſt ἐπιγέννημα. Si laborãs epilepſia incidat in quartanã & ceſſet epilepſia dicitur metaſtaſis. Multi hunc Aphoriſm. interpretãtur

de metaſtaſi, alij de epiginemate. Si ergo à morbo laterali, hoc eſt ſi pleuriticus, manente pleuritide, fit peripneumonicus, malum: & eſt epiginema. Si ceſſante pleuritide etiam fit peripneumonicus, malum: & eſt μετάπτωσις: prius tamen grauius eſt & peius, quia viribus iã fatigatis febre & infirmis factis vbi ſuperuenit coacta reſpiratio, grauior erit morb⁹ & ſpes nulla. At metaſtaſis peripneumoniæ in pleuritidem melior eſt, quàm contrà: quia, fit tranſmutatio à parte ſuperiore ad inferiorem, à nobiliore ad ignobiliorem.

## SCHOLIA.

*Funeſtum eſt, magnum morbum ſuccedere minori: Hoc enim inditium eſt, naturam penitus ſuccumbere. Funeſtum ergo, cum pleuritis in peripneumoniam tranſmutatur: eſt enim pleuritide peripneumonia multo deterior: quòd maiorem reſpirandi difficultatem adferat, partêmque ſuperiorem ac magis nobilem obſideat. Tranſmutatur autem pleuritis in peripneumoniam, effuſa materia à latere per ſuccingentem membranam vel pertuſam, vel exeſã, vel quouis modo rariorẽ factam, in thoracis capacitatem, & ab ea capacitate in aſperas pulmonum, arterias recepta: In quibus ſi putreſcat nec frequente tuſsi in eam quæ gutturis eſt arteriam, foras exigatur, inflammat pulmones, alioquin facilè inflammabiles: quòd redundent building ſanguine, carne ſint laxa, ſuoque non ſolùm temperamento, ſed ob cordis vicinitatem & adhæſionem ſint calidi & ſicci.*

## APHOR. XII.

Ἐπὶ περιπνευμονίῃ φρενῖτις, κακόν.

A *Peripneumonia Phrenitis, malum.*

PHrenitis peripneumoniam ſequitur, quia per aſperam arteriam aſcenſus eſt vaporum putridorum, calidorum & mordacium in cerebrum, quod concalefactum trahit à reliquo corpore: & hoc malum eſt. Malum præterea, quia tranſmutatio fit à parte ignobiliore ad nobiliorem, ab inferiore ad ſuperiorem.

## SCHOLIA.

*PEripneumonia, eſt inflammatio, non adiacentium & vicinarum pulmonis partium, vt quidam ratione nominis adducti exiſtimarunt: ſed ipſius ſubſtantiæ pulmonum cum acuta febre, reſpirandi difficultate, cui anguſtia & grauitas coniuncta eſt, à bile aut pituita: frequentius tamen à pituita: quòd vt membranæ propter denſitatem ſanguini bilioſo magis patent, ſic pulmonis laxa ſubſtantia, pituitoſo: Interdum tamen bilis, licet ad elabendum facilior eam cõmittit, & ex ea bile eryſipelas toto viſcere effuſum naſcitur, cum dolore intolerabili, incendio, ſed anguſtiæ grauitatiſque ſenſu minore, quàm in phlegmone œdematode. Peripneumoniæ præſertim bilioſæ non rarò ſuperuenit delirium, ob febris magnitudinem & vaporum è pulmonibus ad cerebrum elatorũ copiam. At peripneumonia in phrenitidem tranſmutari non poteſt, niſi materia quæ peripneumoniam committit à pulmonibus per venas carotidas in cerebrum transferatur: non enim vapor calidus phrenitim, ſed ſolum delirium excitat in cerebro. Et, ſi vapor phrenitim excitaret in cerebrum elatus, non ob id ceſſaret peripneumonia, ac in phrenitidem deſineret, cum adhuc in pulmonibus ſuperſtes eſſe poßit materia. Ea autem peripneumonia potiſsimum in phrenitidem*

*tranſmutatur, quæ eſt à bilioſo humore, ob febris magnitudinem, & bilioſi humoris naturam tenuiſsimam ac feruidiſsimam Talis autem tranſmutatio in quacunque peripneumoniæ ſpecie fiat, non poteſt non eſſe lethalis: quòd naturæ ſummam imbecillitatem, morbique magnitudinem arguat. Natura enim robuſta non ſolet materiam niſi coctam mouere, nec à partibus inferioribus ac ignobilibus ad ſuperas ac nobiles, nec ab internis ad internas, ſed ab internis foras expellere. Tam procax quoque eſt ſæpenumero materia morbifica, ſiue quantitatem ſiue qualitatem ſpectes, vt natura eam nullomodo ferre queat, ſed illi turgenti obtemperet.*

## *APHOR. XIII.*

ΕΠὶ καύμασιν ἰσχυρῇσι σπασμὸς, ἢ τέτανος, κακόν.

*PRopter ardores vehementes, conuulſio, aut Tetanus, malum.*

SIue legas hîc τραύματι ſiue καύματι nihil refert. Si τραύματι Aphor. 2. lib. 5. expoſuimus. Gal. & Philoth. καύματι interpretantur febres ardentes, quaſi dicat Hippocrates ab ardentibus febribus magnis, ſi ſequatur conuulſio, aut τέτανος, malum: quia peſſima eſt conuulſio, quæ febrem ſequitur. Nam æſtu illo reſiccatur neruoſum genus & præterea cerebrum ipſum, ob id, ſi ſequatur conuulſio, indicium eſt auctæ caliditatis. Reſiccantur autem nerui primum à calice febrili: deinde à venis, quæ cùm excalfactæ ſunt & exhauſtæ, attrahunt ἰχῶρες & humiditates à reliquo corpore.

## SCHOLIA.

IN hoc Aphoriſmo quemadmodum & Aphoriſmo 57. lib. 4. & Aphor. 6. 17. 22. & 65. lib. 5. multiſque alijs in locis potiſsimum vero in Coacis diſtinguere videtur Hipp. diſtenſionē quam Græci τέτανον vocant à conuulſione: cū tamen diſtenſio ſit tertia ſpecies conuulſionis paſsim apud Gal. qua æquali robore in vtranque partē corpus totū intenditur: vt Opiſthotonos, qua in poſteriorē. Emproſthotonos, qua in priorē partē inflectitur. Re tamen ipſa paulo accuratius expenſa ex doctrina Hip. Diſtenſio & conuulſio ſymptomata quidē ſunt deprauati motus neruorum ac muſculorū ſed ita inter ſe diſtincta, vt neutrum ſit, aut eſſe poſſit alterius genus aut ſpecies: vt nec angina & pleuritis: aut putrida febris & hectica, licet vnum alteri ſuperuenire aut ſuccedere queat. Diſsident enim inter ſe conuulſio & diſtenſio, motus formula, partis affectæ natura, cauſarum varietate affectus magnitudine, & raritate ac frequentia. Motus formula, quia conuulſio motus eſt contractionis, quo muſculus ſui medio, quod vētrē vocant, contrahuntur à qua contractione tēdo inquē deſinit muſculus ſimulque cum tendine membrum in quod muſculi tendo inſeritur, contrahitur: vnde muſculus breuior redditur: nō ſecus ac lyræ funes cum ambiente aëre madeſcunt, breuiores fiunt & corpora contrahunt quibus alligantur. Ob id Græci σπάσμον conuulſionem vocant ἀπὸ τοῦ σπᾶν à trahendo, quod conuulſio motus cōtractionis fiat. Latini vero cōuulſionē nominăt à ſoluendo vnitatē, quod ad illă vehemētē contractionē tanta breuitas neruorū & tendinū ſæpenumero ſequatur, vt ſoluatur eorū vnitas & rūpi periclitetur: proinde cōuulſio duobus ſymptomatis definitur cōtractione & diuulſione. Diſtēſio, motus eſt extēſionis, quo nullomodo, qui patitur muſculus contrahitur, aut breuior redditur, ſed magis promittitur. Videas enī partes diſtēſione laborātes ſēper extenſas & rigidas non contractas. quanquam in diſtenſione contractio quædam admitti poteſt, quæ tamen ſecundum latitudinem ſit muſculi, non ſecundum longitudinem: At, quæ

*contractio in conuulſione cernitur ſecundum longitudinem & latitudinem muſculi fit. Deinde conuulſio fit cum motu manifeſto, diſtentio ſiue motu, niſi occulto eoque tonico: quòd nimirum in conuulſione muſculi trahentes ab extendentibus ſibi contrariis muſculis impediantur, ita vt viciſsitudine quadam ſuos motus tractionis ac extenſionis obeant. In diſtenſione vero, vtrumque muſculorum genus patitur, antè & retro æqualiter tēſum, vnde tonicus motus editur: aut extendentes tantum, quorum tam vehemens ac violentus exiſtit motus, vt à trahentibus muſculis præpediri nequeat in diſtentione quæ totum rigidum membrum efficere conſueuit. Præterea eædem partes non afficiuntur in conuulſione & diſtenſione: quia in conuulſione vti dictum eſt, muſculi trahentes ſolum patiuntur: In diſtentione, vtrique muſculi & trahentes & extendentes: aut extendentes tantùm. Quòd item in conuulſione vniuerſali aut anteriores aut poſteriores corporis partes laborent: in diſtentione vtraque. Quòd in conuulſione cerebrum magis afficitur, in deſtenſione magis ſpinalis medulla, cerebrum verò minus & non niſi per ſpinæ conſenſum: cum enim per tetanum totum penè corpus rigeat, ſitque tetanus vniuerſi corporis rigor perpetuus: tantus tamque vehemens rigor non niſi ab affecta ſpinali medulla prodire poteſt, à qua nerui duri iique motorij per vniuerſum corpus diſſeminati manant. Hinc videas in Tetano totam ſpinam & manus pedeſque adeo contendi vt nullam in partem flecti poſsint, ſed rigida ac velut congelata maneant: ex quo morbum hunc tum Græci ἰξαιρέτως τετανον, tum Corn. Celſus lib. 2. cap. 1. rigorem latinè appellauit. Paulus quoque ſcripſit diſtentionem pertinere ad omnes corporis muſculos: à quo tamen deſſentit Aretæus qui ad muſculos qui habentur in maxillis eam referendam putauit: forſan quia per tetanum maxillæ diſtendi manifeſtò videntur. Differunt quoque conuulſio & diſtentio cauſarum varietate: conuulſionis enim duæ ſunt cauſæ*

*coniunctæ*

*coniuncta ex Hip. repletio & inanitio: Diſtenſionis vero vnica, nimirum repletio: nulla enim diſtentio ab inanitione fieri poteſt, cum nullum corpus poßit contrahi aut rigere ab his quæ inaniunt aut immodicè euacuant, ſed flacceſcere. Hoc enim non niſi à plenitudine, aut à multa ſiccitate, aut vehementi calore aut frigore non quidem ſenſim aut paulatim ſed affatim irruentibus, accidere poteſt. Vnde Hip. in recēſendis cauſis conuulſionis quas omnes ad repletionem ac inanitionem retulit Aphor. 39. ſect. 6. non meminit tetani ſed ſolius conuulſionis & ſingultus, cum tamen aliis in Aphoriſmis ſigillatim de conuulſione & tetano verba fecerit. Plenitudo autem illa quæ diſtenſionem parit, eſt à craſſo aut omnino viſcido humore eoque frigido & ſiccò, qualis eſt melancholicus humor, nihil enim eſt quod corpus immobile magis, minuſque ad motum accommodũ reddat, quàm frigiditas & ſiccitas. Siccitas quoque multa ac affatim oborta diſtenſionem inuehit, non ea quidem quæ à cauſis inanitionem excitantibus, inducitur: quales ſunt immodicæ vacuationes, vigiliæ diuturnæ, febres ardentes, inedia, vehemẽs exercitium: ſed quæ frigori iuncta vt in Aquilonio ſtatu poros cutis cohibendo ac aſtringendo humores in neruis contentos velut congelat, ipſoſque neruos ac muſculos alioquin ſolidos contendit: aut iuncta calori, vt in æſtu vehementi humorem excrementitium in ſpatiis & poris corporis contentum ebibendo, externam cutim, ipſaque ſolidas partes indurat. Frigus inter cauſas cæteras vim habet potentißimam excitandæ diſtenſionis: illud enim inſtar cadaueris corpus rigidum facit, exemplo ſunt qui ſub aëre gelido riguerunt: citius enim ea frangas quam contrahas: Ita & de Alexandro referunt hiſtoriæ, quòd poſtquam nimis diu in fluuio Cydno lauiſſet ſe toto corpore obriguerit, vnde vox illi intercepta nec ſine magno periculo, quarto die ſeruatus ſit. Aphoriſmus eſt ea de re. 17. lib. 5. & Aphor. 57. lib. 4. Calor quoque vehemens diſtenſionem inducit, qualis eſt æſtus febrium ardentium qui*

*ſolida corpora exſiccando ac velut torrefaciendo indurat. Vt conſtat ex hoc Aphoriſmo: differunt etiam conuulſio & diſtentio, magnitudine affectus: Diſtentio enim acutiſsimus morbus eſt, ſi non ob aliam cauſam, ſaltem ob anhelitus difficultatem: muſculis enim in eo affectu ſuum munus obire non potentibus ob totius corporis rigorem, thoracem mouere non poſſunt, vnde difficilis ac minus expedita reſpiratio redditur. Habet quoque dolorem magna ex parte comitem, eumque multo maiorē quàm conuulſio: quòd diſtentio, non ſenſim vt plærunque conuulſio, ſed celeriter ac affatim excitetur. Vnde Hip. Aph. 6. lib. 5. quicunque à tetano corripiuntur, in quatuor diebus pereunt: ſi vero hos effugerint ſani fiunt. Poſtremò diſtentio rariſsimus eſt affectus, catalepſi ceu congelationi morbo, cauſa ſymptomatibus & raritate ferme ſimilis: Conuulſio verò frequentiſsimè accidit. Quò fit, vt propter morbi raritatem, autorumque de diſtenſione varietatem, non ſit facilè diſtenſionem definire, eamque à conuulſione diſtinguere.*

## APHOR. XIIII.

ἘΠὶ πληγῇ ἐς τὴν κεφαλὴν ἔκπληξις, ἢ παραφροσύνη, κακόν.

*PRopter plagam in capite acceptam, ſtupor aut deſipientia, malum.*

ICto capite etiamſi nullum vulnus inde accidat, aliquando ſolet obſtupeſcere æger: Sed id non perſeuerat, & paulo pòſt reſurgit. De hac obſtupeſcentia hîc non agit Hip. Sed de ea quæ contingit vbi ſubſtantia cerebri eſt vulnerata. Si ergo æger manet veluti mutus apertis oculis & immotus id dicitur ἔκληξις quę repreſentatur in vehementer attonitis. Solet autem ἔκπληξις incidere, vbi ſpiritus animalis refrigeſcit (eſt enim

affectus frig.) quæ ſi perſeuerat & fit vi morbi, lethalis. Poteſt (quoque etiamſi nullum vulnus penetrarit in ſubſtantiam cerebri) contingere in morbis frigidis & acutis, vt καταλήψει, κατόχῳ παραφροσύνη intelligitur duobus modis, ſermone & motu geſtuque corporis. Non enim ſolum loquuntur abſurda: ſed etiam plerunque admouent manus naribus & alia multa faciunt. In morbis cerebri frig. maximè ex geſtu corporis ægri, deprehenditur delirium.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon funeſtum in vulnerato, aut conquaſſato capite abſque vulnere: Si deſipientia aut ſtupor ſuperueniat.* Hæc *enim duo inter cætera vulnerati, aut conquaſſati capitis ſymptomata; indicant offenſam ad cerebri ſubſtantiam perueniſſe, animalemque facultatem non mediocriter oblæſam. Stupor enim, hoc eſt, ſenſus motuſque neruoſarum partium diminutus, ac velut hebes & obſcurus, ideò ſuboritur, quia animalis facultas violenta commotione offenſa, ſeſe in cerebrum colligit: aut propter validum dolorem ex toto ſpiritus animales in cerebrum reuocat, ſine oßis fractura, aut vlla neruorum, venarum, vel membranarum ipſius cerebri ruptura; indeque paucos admodum eoſque debiles ſpiritus animales in partes neruoſas tranſmittit: Aut quia neruus aliquis diuulſus, tenſus aut ruptus in cerebro: aut depreſſa in cerebrum calua: aut attriti vel coarctati ventriculi cerebri medius & poſtremus: aut valida cerebri refrigeratio copioſum ac liberum ſpiritui animali in partes neruoſas cõmeatũ non permittunt. Deſipientia verò excitatur, vel, ob inflãmationẽ cerebri obortam: vel, ob validã cerebri refrigerationẽ, vnde mẽtis infirmitas: de hac deſipiẽtia Aph. 24. li. huius. Iſta autem duo ſymptomata ſtupor & deliriũ, omninò lethalia*

*exiſtunt, ſi cerebro aut eius membranis vulneratis accidat: aut, ſi aliquid diſruptum, diuulſumve in cerebro fuerit. Minus vero lethalia, ſi ſola animalis facultas grauius laboret, ſintque tantum exinaniti ac reſoluti ſpiritus: Poterit enim facultas animalis ſeſe recipere & ad priſtina munia redire, ſpirituſque animales rurſus colligi ac reſtitui: Vnde non lethale, ſed malum dixit Hip. & in Coacis præſagiis fere lethale.*

## APHOR. XV.

Ἐπὶ αἵματος πτύσει, πύου πτύσις, κακόν.

*A Sanguinis ſputo puris expuitio, malum.*

POteſt expui ſanguis, multis de cauſis: aliquando ex ore, vt vulneratis gingiuis: aliquando ex faucibus aperta in iis venula aliqua, aut etiam cum à cerebro in eas fit fluxio, & tum præcedit grauitas capitis. Hinc nihil eſt abſurdum: Interdum expuitur ex aſpera arteria eroſa quod eſt periculoſius: nonnumquam ex thorace & pręſertim à pulmonibus exulceratis, quod eſt periculoſiſſimum Hip. hîc agit de ſputo ſanguinis ab exeſa & eroſa vena in pulmonibus, quod ſequitur puris ſputum vbi vlcus factum eſt ſanioſum. Cur autem hoc ſit malum Hipp. cauſam aſſignat ſequenti ſententia.

## SCHOLIA.

*SAnguis qui per os reiicitur variis è locis, varioque modo reiicitur. E gingiuis, lingua, palato, ſimplici expuitione. E faucibus & gurgulione, ſcreatu. Ex gutture, tuſſicula. Ex pul-*

mone & thorace, vehementiore tuſsi: E gula aut è ventriculo, vomitione. Et ſi vero ex tot locis reiicitur, non tamen ab illis locis ſemper prodit, nec ſemper in illis locus ſuæ fluxionis fomitem habet. Qui enim ſcreatu reiicitur non ſemper à faucibus & gurgilione manat, ſed aliquando à cerebro, aut è venis membranarum cerebri, frigoris vi compreſsis, aut nimio humore laxatis, aut calore & ſanguinis tenuitate reſeratis. Qui ex gutture, tuſſicula reiicitur, non ſemper ab eroſo gutture manat, ſed ſæpius à cerebro, à quo multus ſanguis & confertim in partes gutturis interiores irruit, qui ob tuſsim quam concitat ſuſpitionem etiam præclaris medicis adfert pulmonis vehementer affecti, ſed falsò, vt conſtat ex male affecti capitis, & pulmonis benè habentis ſignis pathognomonicis. Qui ex pulmone & thorace vehementiore tuſsi reiicitur, non ſemper à pulmone aut thorace manat. ſed frequentiſsimè à cerebro, à quo in pulmones affatim illabitur: vel à iecore paulò pleniore, ac ſanguine plus æquò redundante ob ſuppreſsionem menſium, aut hæmorrhoidum, aut ob mutilationem partis alicuius in corpore, aut ob plethoram, aut phlegmone obſeſſo parte potiſsimū connexa, aut imbecillo, à quo ex vena caua in venā ἀζυγō ac deinde in tenues venas, coſtarum, hinc in thoracem effunditur, atque inde cum tuſsi ſurſum aſcendit: quoniam venæ iecori affecto, vt potè ſuæ origini condoleſcunt & conſentiunt, vt & nerui cerebro: Interdum is ſanguis prodit à liene: aliquando ab vtero. Qui è gula aut ventriculo vomitione reiicitur, non ſemper à gula aut ventriculo manat: ſed ſæpius ab hepate, aut liene, aut ab vtero: quòd ex his locis ſanguis ἀναῤῥοπος in venas, quæ ventriculi membranis inſeruntur, plærunque redundat, vt in plethoricis, mutilatis, otioſis, & in quibus vel ſuppreſſæ ſunt hæmorrhoides, vel menſes, vel affectus aliquis grauior iecur, aut lienem obſidet. Hic mentio fit non de quolibet ſputo cruento, ſed de eo potiſsimum, quod in pulmone malè affecto, non in vllo alio viſcere fomitem habet: nec tamen de quo-

*libet ſputo cruento prodeunte à pulmone: ſed de eo maximè quod per διάβρωσιν id eſt eroſionem vaſorum aut ſubſtantiæ ipſius pulmonis, acris humoris ſobolem exit: Hoc enim vlcus in pulmone, denunciat. Nam fieri poteſt vt ſanguis à pulmone reiiciatur per ἀναστόμωσιν id eſt, oris vaſorum apertionem: Itemque per ῥῆξιν id eſt ruptionem eorundem vaſorum. Neuter hîc modus cruentæ eiectionis, purulentum ſputum nullamque tabem minatur: niſi forſan ad diuturnam venæ anaſtomoſin & ruptionem accedant eroſio, putredo, inflammatio, febris. Imò vero vterque iuuat ſæpenumero, ſuppreſſa vacuatione aliqua aut opprimente in venis pulmonis ſanguinis feruidiſsimi copia. Suppreſſus enim tum ſanguis facilè concreſcit in grumos ac celerrimè putredinem contrahit. Solus ergo ſanguis à pulmonis vlcere exiens ſi diutius perſeueret, nec deterſo & ad cicatricem perducto vlcere ſiſtatur, purulentum ſputum minatur.*

## APHOR. XVI.

Ἐπὶ πύου πτύσει φθίσις καὶ ῥύσις· ἐπὴν δὲ τὸ πτύελον ἴσχηται, ἀποθνήσκουσι.

*A Puris ſputo Phthiſis & fluxio: quum vero ſputum retentum fuerit, moriuntur.*

HIc eſt ordo. à ſputo ſanguinis, pus: à pure, tabes: à tabe, fluor: à fluore, ſuppreſſio ſpuri & inde mors. A ſputo quidem ſanguinis, pus: à quo tabes niſi intra 40. dies occurratur. Quare occurrat morbo medicus vbi videt ſanguinem expui. Porrò ῥύσις in tabidis, poteſt intelligi multis modis. Vel enim colliquatio magna totius corporis: vel fluor in dentes & gingiuas, ſi gingiuæ circa dentes exulcerentur (quod notat Hip. in Coa-

cis præſagiis:) vel alui profluuium: vel capillorum defluuium. Quomodocunque intelligamus pernicioſum eſt: periculoſum etiam eſt vbi pus vel ſputum grauiter olet. Sed peſſimum eſt omnium, vbi pus vel ſputum quod antea excernebatur per os, reſtitat & retinetur. A puris enim copia in pulmone coaceruata, reſpiratio & viæ ſpiritales intercipiuntur, vnde mors ſequitur.

## *SCHOLIA.*

*Sanguinis ſynceri excretio citra pus recens vlcus indicat, ac ſubita remedia poſtulat, quæ ſanguinem retineant, venam aſtringant, febrem atque inflammationem prohibeant. Ergo in excretione, apertis vaſis aſtringentia: ruptis, glutinantia: exeſis, ſarcotica & boni ſucci alimenta ſtatim adhibenda ſunt. Quòd ſi his remediis nihil proficiatur, ſed ad ſanguinis ſputum puris ſputum ſequatur, ad puris quoque expuitionem neceſſariò tabes ſequetur: ſi modo nulla arte pus illud detergeri poßit. Vt autem detergeatur, non eſt facilè, ob contrarias atque inuicem pugnantes curandi intentiones. Nam pus excretionem quæ motu pectoris eget: vlcus vero quietem ad ſui conglutinationem deſiderat. At motus excretionis puris conglutinationem prohibet. Manente ergò vlcere ſordido, In pulmone, cor inflammatur atque exſiccatur: tùm quia, putredo vlceris cordi facile communicatur: tum quia, pulmo vlceratus ægrè mouetur ad cordis ventilationem. Ad cordis autem inflammationem atque exſiccationem immoderatam promptè tabes inuehitur, nimirum totius corporis extenuatio & conſumptio, non modò humorum atque carnium, ſed etiam partium ſolidarum: Qualis extenuatio, conſequi poteſt*

non modò ad exulcerationem pulmonum, ſed & ad vlceratos renes, ad inflammationes & abſceſſus internos viſcerum, ad καχεξίαν totius corporis, ad graues curas animi: idque non niſi arefacto, aut refrigerato corde. Hinc fit, vt Celſus, tria Tabis genera conſtituerit: Atrophiam, Cachexiam & Pythiſin. Quanquam cachexia, ab atrophia & Pythiſi maximè differt, quòd in his extenuatum corpus ſenſim contabeſcat: in illa, ampliorem molem ſortiatur ob vitioſam nutritionem. Tabes ergo, de qua hic agitur, φθίσις propriè aut φθὶν Græcis dicta, eſt exulceratio pulmonis, quam ſequitur febris lenta in corde accenſa, totiuſque corporis emaciatio & extenuatio. Huius tres facit differentias Hip. Vnam, à deſtillatione è cerebro eaque vel multa, nec expulſa, quæ pulmones molles ac tenellos putrefacit, vel quod frequentius eſt, acri & exedente, vt ſalſa aut billioſa. Alteram, ex ſucceßione pleuritidis, anginæ, aut peripneumoniæ, in quibus vomica rupta intra quadraginta dies repurgari non potuit. Tertiam frequentißimam, ex ruptione aut apertione vaſis alicuius, ex qua relinquitur vlcus, quo tunicæ vaſorum & ipſius pulmonis caro eroduntur. In hac ſpecie maximè, verũ eſt quod dixit Hip. à ſanguinis ſputo, puris ſputum. Nam in ſecunda, contrà fit, à puris ſputo, ſanguinis ſputum. Nonnulli addunt hæreditariam Tabem ex vitioſa pulmonum conſtitutione & corruptione paratã, qua tempore ſenſimque flacceſcunt, ac ſponte corrumpuntur, interdum cum cruenta expuitione, interdum citra hanc. Verùm potius præparatio eſt ad pythiſin quàm pythiſis. Quanquam Galen. 4. loc. affect. raros quoſdam caſus recenſet, in quibus ptythiſici euaſerunt, nulla antecedẽte ſanguinis aut puris excretione, aut acri deſtillatione, nimirum propter humiditatem cum aliquanto calore, quæ ſatis eſſe queat pulmoni putrefaciẽdo, viſceri mollißimo, in quo pituita aſſatur, exulcerat aut putrefacit per morã. Adiuuat hoc quòd effluxu et meatibus

*excrementorum pulmo deſtituitur, habetque facultates naturales poſt glandulas maximè imbecilles, & cor vicinum quo exuritur & acuitur pituita. Poteſt autem tabes in aliquot dies protrahi, nec cito interficere, alioquin immedicabile malum ob immecillitatem pulmonis, continuum motum & eiuſdem mollitiem: maxime verò ſi ab acri humore originem ducat, à quo perennis & inexhauſta fit fluxio, tuſsis excitatur quæ pulmonem dilaniat & vlcus amplificat, progreſſuque temporis intemperies pulmoni imprimitur. vnde excrementorum colluuies, quaſi herba irrigua ſuccreſcit vberrimè. quanquam, ab initio quidem curari poterit tabes, ſuperuenientibus hæmorrhoidibus aut ſimilibus auxiliis vt pyrotico admoto brachio ad finem deltoidis muſculi quæ acrem fluxionem aliò regerant aut transferant. Imo verò nouimus multos tabidos obducta vlceri cruſta diu vixiſſe. Et Auincenna refert duraſſe tabidam mulierem annos 23. Rhaſius quoque ex Hippo. affirmat ſæpe phthiſin, epilepſiam, maniam reliquoſque morbos grauiſsimos, ab eo tempore quo pueri ablactantur, ad pubertatem ſanari, quòd eo tempore vires naturales ad coctionem diſſolutionemque praui excrementi maximè valeant, ſimul & conſtitutio mollis ac fluida ad expurgationem ſit paratiſsima. Periculum verò proximum in tabe, indicat fluxus capillorum, maximè vero alui fluor quòd is ita vires proſternat, vt pus amplius expurgari nequeat ſed retentum, ægrum ſtrangulet.*

## *APHOR. XVII.*

Ἐπὶ φλεγμονῇ τοῦ ἥπατος λύγξ, κακόν.

*PRopter iecoris inflammationem, ſingultus, malum.*

HÆc ſententia explicata eſt Apho. 58. lib. 5.

## SCHOLIA.

*Singultus inflammationi hepatis ſuperueniens, non tam mala aut funeſta eſt, ob bilis ab inflammato hepate auctioris genitæ in ventriculum tranſmiſſionem: quàm ob eiuſdem inflammationis magnitudinem: quæ in hepate eò vſque accreuit vt vehementer ſuperiori ventriculo incumbat: aut ſtomachum adeo exſiccet, vt ſingultum inducat imo vero affluente materia, nonnumquam inflammatio aut eryſipelas in ventriculo gignitur: Sin minus ventriculi tunicis imbibita, morſus excitatur.*

## APHOR. XVIII.

Ἐπὶ ἀγρυπνίῃ σπασμὸς ἢ παραφροσύνη, κακόν.

*Propter vigiliam conuulſio aut deſipientia, malum.*

Vigilia ſiccat, & præterea reſoluit ſpiritus animales, qui alioqui per ſomnum quieſcunt & colligunt vires. Si quis ergo non quieſcit, & perſeuerat vigilia (exempli gratia) ad 20. dies, vnde ſequatur languor & tremor omnium partium, ac conuulſio, malum: quia inde intelligimus ſiccatum eſſe cerebrum & reſolutos ſpiritus animales. Tum itaque oportet humectare corpus alimentis & potionibus: oportet ſomnum conciliare aliquando humectantibus & refrigerantibus (vt ſæpe in febribus) aliquando media materia & iis quæ moderatè calefaciunt: ſomnus enim naturalis eſt à benigna & blanda materia. In ſumma ſpectanda eſt morbi natura. Deſipientia autem ab intemperie calida & ſicca oritur: aliquando frigida ſicca. Ad hæc, vigilia reddit humores acriores, & præſertim bilem quæ ſi irruat in cerebrum, facit delirium.

## SCHOLIA.

*IN morbis ſi poſt diuturnas vigilias conuulſio aut deſipientia ſubſequatur, malum ſi modo conſtiterit nullam externam cauſam adfuiſſe, quæ hæc duo ſymptomata inuexerit: Inditium enim erit, ſubeſſe aliquam cauſam interiorem, potentem, fixam, & validam nimirum ſiccitatem cerebri & bilioſam acremque exhalationem, à quibus duabus cauſis conuulſio ac deſipientia facilè poſſunt excitari.*

## APHOR. XIX.

Ἐπὶ ὀστέου ψιλώσει ἐρυσίπελας, κακόν.

*AB oßis nudatione, eryſipelas malum.*

Ψίλωσις eſt oſſis tegumenti naturalis priuatio. oſſa autem omnia tecta ſunt præter dentes, alia carne, alia membranis & cute. Si ergo contingat os nudari & ſequatur eryſipelas, malum: quia indicatur affluxio acris materię & calidioris biliofiorifque ſanguinis, quę prohibet ne regeneretur caro qua tegatur os.

## SCHOLIA.

*SI ad oßis denudationem, hoc eſt, ad membranæ carnis & cutis, quæ oßiuum ſunt tegumenta diſceßionem (quocunque modo ea oßis denudatio contigerit vel à contuſione & putrefactione carnis: vel, à necroſi eiuſdem, vt in gangrena accidit: vel, ab eroſione eiuſdem & membranæ, vt in vlceribus erodentibus vel à carie oßis ſubiecti) ſuperueniat eryſipelas,*

*quod eſt noua fluxionis biliosæ ſoboles: in malis iudicandum. Id enim argumentum eſt impuritatis, non modo totius corporis, ſed & partis denudatæ biliosa collunie ſcatentis. Quæ tota eluenda eſt, curandumque inde ſubortum eryſipelas, priuſquam vlla oßi denudato medela adferri, eoque noua caro accedere poßit. Quod admodum difficile eſt naturæ & artis opus, præſertim ſi adſit vlcus erodens ac virulentum ſubſitque os carioſum: Etenim non niſi ægrè curantur quæ ab acri & erodente humore ſymptomata excitantur.*

## APHOR. XX.

Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν, ἢ ἐκπύησις, κακόν.

*AB eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malum.*

Σηπεδὼν vlcus eſt malignum depaſcens, & grauiter olens. νομὴ verò, depaſcitur tantum. Iam pus, vel reſoluitur, vel ſuppuratur, vel putreſcit. Si robuſtus ſit calor natiuus, fiet reſolutio. At ſupputatio, opus eſt partim naturæ vincentis, partim præter naturam & vincentis caloris externi: mediumque eſt quoddam inter coctionem & putredinem: quare videtur & bona & mala. Mala, ſi conferatur reſolutioni & coctioni: bona, ſi comparetur putredini. Præterea in coctione multum eſt alimenti, excrementi parum. Contrà in ſuppuratione, parum eſt alimenti. multum vero excrementi. ἐκπύησις intelligitur ab Hippoc. duobus modis. Eſt enim aliquando ſuppuratio naturalis magis, quum videlicet materia conuerſa eſt in pus album læue & æquale. Interdum, largius ſumitur, vbicunque mutatio facta eſt in ſaniem, ſiue ea ſit bona, ſiue mala. De hac

hîc agit, in qua mutatio eſt mala. Sunt qui hoc loco interiiciunt Aphor. (à lethargo tremor malum) & Philoth. addendum dicit, Malum ergo, quia indicium poſterius cerebrum & ſpinalem medullam ac neruos imbibi multa humiditate frigida: & præterea, indicium eſt imbecillitatis, facultatis animalis & refrigerati ac reſoluti animalis ſpiritus. Alij, dicunt eſſe indicium ſiccitatis, quod non eſt veriſſimile. quia lethargus morbus eſt frigidus & humidus.

## SCHOLIA.

*ERyſipelas eſt tumor præter naturam in cute à ſanguine & flaua bile calidioribus, vel à ſanguine feruente tenuique proueniens. cum ergo tumor ſit ad ſolam cutim pertinens, nec ſubiectas cuti partes inuadens, ab humore tenui eoque feruido genitus: reſolutione non ſuppuratione, aut putredine ſolui debet. Si itaque in putredinem, aut ſuppuratum deſinat, prauitas ac malignitas quædam illi ſubeſt, ob id in malis iudicandum: Argumentum enim eſt, eryſipelas in profundum ſubire carnemque ac membranam ſubiectam erodere ac corrumpere: vnde periculum imminet gangrenæ aut ſphacelli. Quò fit, vt illius imminentis periculi metu, conſulat Celſus, partem hoc eryſipelatis genere infectam, exurendam eſſe: quòd ignis omnem putredinem deleat, & prauam diatheſin parti affectæ impreſſam emendet atque corrigat, partemque ex imbecilla robuſtam efficiat.*

## APHOR. XXI.

Ἐπὶ ἰσχυρῷ σφυγμῷ ἐν τοῖσιν ἕλκεσιν αἱμοῤῥαγίη, κακόν.

*A Forti in vlceribus pulſu hæmorrhagia, malum.*

VLcera non perpetuò pulſant, ſed ſolum vbi magna adeſt inflammatio: Nam arteriæ (quarum libet debet eſſe motus) quæ ſunt in parte vlcerata, dum opprimuntur magnitudine inflammationis, magis contendunt moueri, & fit magna illa pulſatio. Itaque, magna pulſatio indicium eſt magnæ inflammationis tendentis aliquando ad ſuppurationem, vt in inflammationibus: aliquando ad hæmorrhagiam, vt in vlceribus præſertim, & interdum in inflammatione ſine vlcere. *Malum.* quia Hippoc. hîc agit de epigenematis malis. Idem lib. de vlceribus capitis. In omni, inquit, vlcere multum ſanguinem fluere, bonum: quia inde celerius ſanatur. Iſtud verum eſt, modò non ſit immoderata vacuatio; quare videndum eſt ne in vlceribus ſanguis immodicè effluat.

## SCHOLIA.

*VT citiſſimè ſaneſcat vlcus, quouis humore tum ſuo excrementitio tum aliunde affluente vacuum fieri oportet: vlcus enim ſiccum ſano proximum, inquit Hippo. Si ergo ad vlcus iam ſatis ſua ſanie aut pure humidum, affluat humor qui phlegmonem pariat, malum. quia vlcus ab humoris noui affluxu, humidius intemperantiuſque factum, magis contumax ac rebelle ſanationi redditur. Maius verò malum ac prope funeſtum accedet, ſi is humor, qui affluxit phlegmonemque, peperit, arterioſus fuerit ſanguis, maioribus potiſſimum arteriis concluſus: hic enim validam ac vehementem pulſationem in vlcere concitabit, tum ſuo feruore, tum motu diaſtoles arteriarum cum dolore pulſantium, ob loci anguſtiam à vicina carne preſſarum & partem phlegmone obſeſſam percutiendo prementium: à cuius valida ac vehementis pulſationis impetu*

*ſi contingat venas aut arterias rumpi, vel earum ora aperiri vt ferè ſit, lethale omnino ſuborietur ſanguinis profluuium: quod nulla arte ſiſti poterit: maximè verò ſi rupta aut aperta ſit arteria: huius enim vulnera ob agitationem perpetuam, ſubſtantiam ſolidiorem, duriorem atque ex multis tunicis conformatam, ſanguiniſque ſpirituoſi impetum, vix ac ne vix quidem coaleſcere poſſunt.*

## APHOR. XXII.

Ἐπὶ ὀδύνῃ πολυχρονίῃ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἐκπύησις.

*A Diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, ſuppuratio.*

HOc loco totum ventrem inferiorem intelligit, vt ventriculum, omentum, inteſtina, ilia, & hypochondria. Poteſt eſſe diuturnus ventris dolor à flatibus, & ab inæquali intemperie ſine materia, vt à frigore: Sed non fiet inde pus. Poteſt etiam eſſe ab inflammatione, ſed non omni. Nam inflammatio grauis & calida poterit protinus ægrum ſuffocare, vt non ſit diuturnus dolor. Itaque hìc intelligemus inflammationem à materia craſſa frigida & pituiroſa, quia inde erit diuturnus dolor & ſequetur ſuppuratio.

## SCHOLIA.

*TRes ſunt ventris inferioris regiones ex Hip. 1. Prog. 31. Hypochondria ſupra vmbilicum in latera diducta à nothis coſtis ad diaphragma: Imus venter ceu ſumen aut pubes ſub vmbilico, cui ſunt à latere ilia: circa vmbilicum in medio ventre, cui ſunt à latere lumbi ab extremo thorace ad ilia. Harum regionum aliæ ſunt continentes, aliæ contentæ partes. Continentes muſculis epigaſtrij & peritonæo potiſſimum*

definiuntur. Contenta varia ſunt pro vario ſitu quas ſingulæ partes in variis ventris regionibus obtinent. Subiacet enim hypochondrio dextro, hepar: Siniſtro, lien & maior pars ventriculi: Lumbis, ren vterque: ilibus dextris, inteſtinum cæcum: ilibus, ſiniſtris, inteſtinum colon & ieiunum: circa vmbilicum portio inteſtini coli & ieiuni: imo ventri, rectum inteſtinum, veſica, & vterus. In his omnibus ventris inferioris continentibus ac contentis partibus, dolor excitari poteſt, iſque vel à flatibus vel humore: ab vtra cauſa oriatur dolor, variis coniecturis inquirendum. Quas vero partes fatiget dolor, ſitus ipſius dolentis partis indicat. Quæ omnia ex libro de locis affectis repetenda. In quacunque igitur ventris inferioris parte interna dolor excitetur, qui non flatuum, non frigidi ſed humoris calidi, non intemperiei ſimplicis ſed inflammationis ſit ſoboles: qui non per circuitus quoſdam exercet ſed continuus eſt: qui non recens ſed iam à longo tempore fatigat: qui non mobilis ſed fixus: qui febrem habet præſentem aut non ita dudum ſolutam, quique nec diſcutientibus remediis multoties adhibitis ceſſit: nec in ſcirrhum degenerauit: nec aliò tranſlata materia, aliquantulum deſæuit: hic inquam, dolor vt in ſuppuratum abeat circa ſexageſimum diem, niſi mors præueniat, neceſſe eſt. Tales autem ſuppuratus tumorum, qui digeſti non ſunt, non modo citius ſed etiam magis in hypochondriis contingunt, quàm circa vmbilicum: & hi, qui circa vmbilicum frequentius ac celerius, quàm qui in vno ventre conſiſtunt. Cauſa eſt loci calor maior, à quo quicunque tumores longius ad inferas partes recedunt, etiam ſerius minuſque ſuppurant: quò fit, vt qui ſub vmbilico ſunt, rarò in pus conuertantur. In hypochondriis vero calor inſiti vis maior eſt, ſiue partes continentes ſpectentur, ſiue contenta viſcera. Sub vmbilico inanitas quædam & frigidior locus, vbi non niſi hypochondriorum beneficio concoctio peragitur. Ob eamque cauſam ſcribit Hippo. 6. Epid. ſect. 2. ſuppurationum vmbilicum terminum

*terminum eſſe hoc eſt, minimùm vel rarò admodum ſuppurationes fiunt ſub vmbilico, ſi loca inferiora cum ſuperioribus conferas. Signa ſuppurationum eruptioni proximarum ſunt: aluus turbatur, ob ſaniem quæ primum exudat, & ad excretionem irritat, vnde etiam ſæpe dolor colico ſimilis excitatur: horror, ſudor frigidus, deliquium frequens animi, extimarum partium frigus.*

## APHOR. XXIII.

EΠὶ ἀκρήτῳ ὑποχωρήσει δυσεντερίη, κακόν.

A Syncera deiectione, dyſenteria malum.

SYncera deiectio, eſt aliquando biliosa merè: aliquando in qua humor non permixtus aliis vacuatur. Sæpius tamen intelligimus deiectiones ſynceras biliosas. hîc intelligere oportet, vt humor ſit acris ſiue ſit atra bilis, ſiue flaua. Acris quia non diluitur aquoſa humiditate, quæ bilem temperat, & ita exulcerantur inteſtina.

### SCHOLIA.

*SYncera deiectio tribus modis dicitur. Vno, quo bilis omnis quidem ſed flaua excernitur. Porracea enim & æruginoſa excrementa, non ſolet Hippo. ἄκρητα dicere, ſed bilem flauam, quæ ſeroſa materia non ſit permiſta, natura enim conſtante flaua bilis aquea humiditate temperatur, qua diſſoluta bilis coloratior, craſſior, acriorque relinquitur. idque fieri conſueuit, vbi ardore febris aqueum illud reſoluitur. Altero, quo humor quilibet omni ſocietate humiditatis ſeroſa deſtituitur, ſiue ea humiditas ſit ſerum illud quod ſingulis humoribus ſuum eſt: ſiue ſerum illud, quod ex potu aut ex liquore quo cibus ſolidior*

*diluitur, ortum habens, ſanguini ita permiſcetur vt eius vehiculum ſit: ſiue ſerum illud quod carnes glanduloſæ in inteſtinis continuæ, quaſi ſaliuam quandam gignunt deiectionibuſque permiſcent. Tertio, quô humores alterius permiſtione carent: quomodo in maſſa ſanguinis humores permiſceri dicuntur nec in illa ſynceri reperiri, in ſuis autem conceptaculis puri ac ſynceri contineri, vt bilis flaua in folliculo fellis, humor melancholicus in liene, pituita in ventriculo. Syncera ergo deiectionis cuiuſlibet ſpecies, dyſenteriam parit: prima quidem, propter intemperiem calidam ac ſiccam, quâ bilis flaua aduritur, aduſta acrior ac craßior redditur, ſuaque acrimonia tunicas inteſtinorum exulcerat. Secunda, ob ſiccam & calidam intemperiem inteſtinorum, quæ ſua lubricitate glanduloſa ac adipoſa deſtituta præterlabentes deiectiones non humectant, vnde illæ ſicciores factæ promptè inteſtina erodunt. Tertius vero deiectionis modus præ cæteris difficultatem inteſtinorum parit: id quod de ſyncerè bilioſis & atrabiliariis facilè poteſt intelligi: nam harum mordacitas aliarum ſocietate ac permiſtione caſtigatur ac retunditur: idem quoque de melancholicis ex ſucco melancholico, & de pituitoſis ac ſanguineis: non quidem primis diebus, ſed vbi longiori tempore perſeuerarint: hi enim tres humores ſuis conceptaculis aut venis excluſi diuturnitate temporis putredinem & à putredine acrimoniam tandem contrahunt, vnde inteſtina erodunt. Si ergo ex Hippo. omnis ſyncera meraque excretio mala ſit, mala quoque ac pernicioſa eſt omnis ſyncera deiectio, potißimum ea quæ dyſenteriam parit: niſi forſan illa ſuperueniat dyſenteria & longis & acutis morbis abſque vllo viſceris alicuius abſceſſu, dolore magno, cibique faſtidio: vel, niſi initio morbi ſuboriatur, vbi ſcilicet nondum naturæ actio in morboſam materiam cœpit: aut, niſi eadem in criſi aut vi medicamenti excitetur, corpore diligenter expurgato.*

## APHOR. XXIIII.

ΕΠὶ ὀστέυ διακοπῇ ἡ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ.

*AB oßis vulnere deſipientia, ſi in vacuum vſque penetrauerit.*

SVnt qui addunt huic ſententiæ ἔκπληξιν vt Aphor. 14. huius lib. Poteſt aliquando præcidi os capitis vſque ad διπλόην, id eſt, ſecundam laminam: & hæc vulnera ſine periculo ſunt, nec neceſſe eſt ſequi delirium ſi terebellis & aliis inſtrumentis Chirurgicis vtaris. At ſi vi perueniat in canum & vacuum, id eſt, ſpatium illud inter cranium, os & membranas ſequitur ἔκπληξις & delirium, violatis ſcilicet & affectis membranis.

### SCHOLIA.

*QVod in coacis τιτρώσκεται, primo de morbis πρωθῇ, hîc διακοπῇ ſcribitur. Eſt autem διακοπὴ in capite, fracturæ ſpecies, ſub qua os altè diuiditnr. Caput enim in tribus partibus vulnerari poteſt: foris quidem, accepto ictu aut caſu in cute panniculo carnoſo & pericranio. Caluaria; fracta, rupta aut conquaſſata ad priorem, aut diploen aut poſteriorem tabellam Caluariæ. Membrana vtraque cerebri, pia ſcilicet & dura, eiuſque ſubſtantia, aut etiam ventriculis eiuſdem vulneratis. Hîc agitur de Caluariæ ſeu cranij fractura: cuius apud Hippocratem libro de vulneribus capitis quinque ſunt ſpecies. Inciſio, fiſſura, colliſio, ſedes, alterius partis, quàm vbi vulnus exceptum eſt, fiſſura. In quibus omnibus fracti cranij ſpeciebus, delirium ſuboritur, non quidem ſimulatque vulnus inflictum eſt, ſed vbi vulnus moram aliquam traxit. Id vero accidit duabus de cauſis, vel quia ab externo aëre alioquin frigido, imò verò ipſo cerebro frigidiore etiamſi*

*æſtiuus fuerit, intemperiem quandam frigidam cerebrum eiuſque membranæ contraxerint & ab ea intemperie infirmitatem vnde deſipientia: nihil enim æque cerebri naturæ aduerſatur, quàm frigidum: quò ſit vt in vulneribus capitis tanta diligentia ſpiritum animalem ab externa aëris iniuria protegant Chirurgi, vt etiam in aëre æſtiuo patellas candentes ac ignitas vulneribus huiuſcemodi admoueant: imò verò ipſa natura de tuendo ipſo animali ſpiritu vſque adeo ſollicita fuit, vt ipſum, non in ſubſtantia cerebri, aut eius membranis, ſed in eius ventriculis foueri, erudiri, elaborari ac confici prouiderit. Aut ſane in cranij fractura tanta effuſio animalis ſpiritus facta eſt, vt ad ratiocinandum nulla aut non niſi pauca ſpirituum ſuppetat copia: Eſt enim animalis ſpiritus animo inſtrumentum ad ſenſus omnes ac motus, omnes denique functiones animi obeundas accommodatum. Sic enim Galenus ſeptimo de Plac. Hippo. & Platonis, cauſam amißionis ſenſus, motus & rationis ad copioſam ſpiritus animalis effuſionem refert. Vnde efficit ſpiritum animalem neque ſubſtantiam eſſe animi, neque eius domicilium, ſed primum tantum ipſius inſtrumentum ad omnes motus & ſenſus: quod videlicet is reſolutus, exinanitus, aut diminutus, nequaquam animali vitam adimat: ſed motum, ſenſum mentemque debilitet, quoad rurſus collectus reſtituatur alioqui ipſo ex vulnere dißipato, animal neceſſario interiret, quemadmodum cerebri corpore vehementer diuulſo, quia in eo animus ipſe reſidet, animal interire neceſſe eſt. Ergo ſi vulnus capitis ad vacuum id eſt, ad ſpatium quod inter interiorem cranij tabellam & duram matrem interiacet penetrarit, factaque ſit effatu digna cranij fractura per quam externus aër intro ſubiens noxam aliquam membranis cerebri ipſique cerebro intulerit, deſipientia ſuboritur, ſtupor quoque, quemadmodum in Aphor. 14. huius ſectionis dictum eſt.*

## *APHOR. XXV.*

EK φαρμακοποσίης σπασμὸς, θανατῶδες.

A *Medicamenti potu conuulſio, mortifera.*

EXpoſitus eſt ſuprà Aphor. 1. lib. 5. & 4. eiuſdem.

### *SCHOLIA.*

*HIc ſolius conuulſionis, non diſtenſionis meminit: quòd diſtẽſio nulla ab inanitione aut malefica qualitate fiat, vt ſupra dictum eſt, ſed ſola conuulſio. nec idem eſt hic Aphoriſmus cum primo Aphor. ſectio. 5. conuulſio ex elleboro lethalis: nam ibi, præter purgandi vim, elleboro qualitas acris ineſt, qua neruos & ventriculum offendens excitat cõuulſionem, non idẽ quoque cum Aph. 4. eiuſdem ſectionis. A purgatione immodica, conuulſio aut ſingultus, malum. Conuulſio enim quæ ad immodicam purgationem ſubſequitur, cauſam habet proximam ac coniunctam, ſolam ſiccitatem ac inanitionem, quam immodica purgatio inuehit. At in hoc Aphoriſmo, non ſolum quæ à medicamẽto ſuper purgante immodica purgatio inducitur, ſpectatur: ſed & malefica cuiſlibet medicamenti ſiue purgantis ſiue non purgantis, qualitas notatur. Sunt enim medicamenta quamplurima deleteria, ſola quantitate, aut toto genere, qualia ſunt apium riſus, ſolanum, cicuta, anacardi quæ conuulſionem excitant non vi cathartica, ſed maligna qualitate quæ cerebrum offendens excitat vim animalem ad motus conuulſiuos, quibus cerebrum propulſare iniuriam nititur. Qualis conuulſio multò celerius & promptius perimit quàm quæ à vi hypercathartica excitatur: quòd maior noxa adferatur cerebro à qualitate malefica, quàm ab hypercatharſi.*

## APHOR. XXVI.

Ἐπὶ ὀδύνῃ ἰσχυρῇ τῶν περὶ τὴν κοιλίην ἀκρωτηρίων ψῦξις, κακόν.

*Propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, extremarum perfrigeratio, malum.*

HIc ſermo eſt particularis. Vniuerſalis vero eſt huius ſectionis Aphor. 1. & lib. 4. vbi dicebamus frigiditatem extremorum oriri, aut ab inflammatione interna & inſigni, quæ inſtar cucurbitulæ attrahit ſanguinem à partibus externis: aut ab extinctione caloris natiui; aut à craſſa materia intercipiente vias: aut vt in febribus ardentibus (quando exteriora frigent, interiora calent) conſumpta humiditate partium extremarum à calore febrili. Iam in vehementi ventris dolore partes extremæ frigent, aut propter inſignem inflammationem, aut eryſipelas, aut cancrum, vel ob craſſos ſpiritus & flatus, vel inæqualem intemperiem, aut vitream pituitam. Si dolor commouetur à craſſis flatibus, inæquali intemperie, & vitrea pituita, non eſt malum. Si ab inflammatione interna, aut cancro, aut eryſipelate interno, malum.

## SCHOLIA.

*Doloris nomine, inflammationem, vel eryſipelas, vel cancrum, vel abſceſſum, vel aliquam diſpoſitionem dolorificam in aliqua ventris inferioris parte, vt ventricu-*

*lo, hepate, liene, ſub vmbilico, inteſtinis, renibus, vtero, intellige. Sic in inteſtinis excitantur dolores vel ab acri humore inteſtina mordente: vel à ſpiritu flatulento intercluſo nec exitum habente: vel à cancro: vel abſceſſu dolorifico: vel ab intemperie confirmata ac pene hectica eorundem. Hinc grauiſſimi cruciatus circa vmbilicum ſentiuntur, qui neque medicamentis, neque fotibus neque clyſteribus ſoluuntur Aphor. 11. lib. 4. Proinde non minora ſymptomata in hiſce doloribus oboriuntur, quàm in acutis morbis: quòd in ventre inferiore partes ſint quædam nobiles, aliæ verò, quarum officio ad vitam partes nobiles carere nullomodo poſſunt, ea quidem omnes exquiſito ſenſu præditæ. Ergo quemadmodum in acutis morbis, manus, pedes, naſi extremum, aures molliculas, vniuerſam denique cutim frigere, malum, ex Aphor. 1. huius ſectionis: Sic quoque in doloribus ventris inferioris, his potiſſimum qui ab inflammatione, vel eryſipelate, vel cancro, vel abſceſſu dolorifico, vel ab intemperie confirmata, ac penè hectica partium ſolidarum in eo contentarum, ortum habent, extremas corporis partes frigeſcere, lethale ac pene funeſtum: inditium enim eſt, non modo partem dolentem obrui humorum multitudine, quos reliquæ partes tum proximæ, tum remotæ pro diuerſa corporis plenitudine in eam expellunt, quòd affecta particula, quaſi vniuerſi corporis ſentina, reddatur: ſed & ob doloris magnitudinem, aut partis affectæ conditionem, aut naturæ debilitatem, cor in conſenſum trahi: in cuius ſubſidium extremæ partes ſanguinem ac ſpiritum tranſmittunt. Adde quòd, cum nihil omninò ſit quod vires æquè deiiciat quàm dolor, in tam vehementibus ventris doloribus non poteſt non languere calor natiuus, nec fieri quin ad doloris magnitudinem animi deliquium accedat.*

*Funeſtum quoque in doloribus vehementiſsimis. capitis (quos vnà cum nephriticis ventriculi, & ilei doloribus, omnium dolorum vehementiſsimos exiſtimat Plinius) ſuccingentis membranæ, & anginæ tertia ſpecie, reliquiſque interni corporis doloribus extremas partes refrigerari, ob eaſdem cauſas.*

## APHOR. XXVII.

Γυναικὶ ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ τεινασμὸς ἐπιγενόμενος, ἐκτρῶσαι ποιέει.

*SI prægnanti teneſmus ſuperuenerit, abortus eſt cauſa.*

TEneſmus eſt irritatio recti inteſtini ad excretionem, vocant *les eſpraintes.* In laboribus partus ſæpe irritatur rectum inteſtinum & mulieres volunt ſæpius deiicere, ſed fruſtra. At ſi extra laborem partus mulier teneſmo corripiatur, erit vel ab vlcere, vel ab humore phlegmatico. Tum vtemur medicamentis calfacientibus, incidentibus & tenuantibus. & quia in mulieribus grauidis, periculum eſt ne ſpiritus aut flatus permeat in vterum, vtemur ſuffitu qui tenuabit & concoquet: deinde leuibus clyſteribus ex hydromelite bene cocto.

## SCHOLIA.

*TEneſmus, eſt continua & implacabilis deſidendi cupiditas, quà nihil præter cruenta, pauca & mucoſa egeritur. In cauſa eſt, vel genita in longano inflammatio œdematoſa, hæren-*

*tium illic excrementorum opinionem & ea deiiciẽdi deſyderium mouens: vel acris quidam, aut ſalſus humor in extremo inteſtino collectus aßiduè ad excretionem irritans: vel obſtructio à ſtercore in tenui inteſtino coacto, vel vlcus recti inteſtini: Cum ergo Teneſmus ſit affectus, & velut quædam dyſenteria ipſius recti inteſtini, facilè per teneſmum vterus in conſenſum trahitur, tum vicinitate loci, vterus enim recto inteſtino inſidet: tum identitate ſubſtantiæ: vtriuſque enim ſubſtantia membranea eſt: Tum ſimilitudine facultatis expellentis: vtrunque enim vim habet expultricem quæ muſculorum abdominis ope, quod ſibi qualitate vel quantitate moleſtum eſt, expellere nititur. Inanis ergo & frequens recti inteſtini conatus ad vterum peruenit, ſtimulatque ipſum vterum cupiditate penè ſimili expellendi quod continet. Qualis conatus in vtero gerentibus abortiendi periculum minatur: adde quod tam frequens deſidendi motus ac contentio non poteſt citra ſummam totius corporis, potißimùm vero vteri laßitudinem, ac defatigationem grauidæ mulieri accidere.*

## *APHOR.* XXVIII.

ΟΤί ἂν ἐκκοπῇ ὀστέον ἢ χόνδρος, ἢ νεῦρον ἀποκοπῇ ἐν τῷ σώματι, οὔτε αὔξεται, οὔτε συμφύεται.

*SIue os ſiue cartilago, ſiue neruus ſectus fuerit in corpore, neque augetur, neque coaleſcit.*

HÆc ſententia expoſita eſt Aphor. 19. ſect. 6.

## *APHOR.* XXIX.

ΗΝ ὑπὸ λευκοῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάῤῥοια ἐπιγένηται ἰσχυρὴ, λύει τὴν νοῦσον.

*SI leucophlegmatia detento fortis diarrhœa ſuperuenerit morbum ſoluit.*

VIdetur hæc ſententia repugnare experientiæ: quia & in aqua intercutem ceu leucophlegmatia (vbi totum corpus tumet pituita alba intercepta) & in aſcite, ſæpe videmus alui profluuia commoueri, & tandem mori ægrum. Quare diſtinguenda eſt hæc ſententia vt fecit Hippocrates lib. de morbis. Si iam affectis viribus ægri & præcipuè viſceribus, ſequatur alui profluuium, non tollet morbum, ſed ægrum. At ſi morbi initio & integris viribus ac viſceribus, ſponte naturæ perturbetur aluus, liberabitur æger vacuata ſcilicet materia morbi.

## *SCHOLIA.*

*HYdrops, tumor eſt præter naturam, aliâs totius corporis, aliâs ventris: ille ab humore, hic etiam à flatibus excitatur. Quò fit, vt triplex ſit omnis hydrops. Alius, ab humore pituitoſo per carnem, ſub carne & iuxta carnem ſparſo & collecto, qui ob id variis nominibus* ἀνάσαρκα, ὑποσάρκα, σαρκίτης, ἐπισαρκίδιον *&* ὑποσαρκίδιον *exprimitur. Alius, ſolo ventre aqua diſtento, qui* ἀσκίτης*: Alius, ſolo ventre flatu pleno & tumente qui* τυμπανίας *ſiue* τυμπανίτης*. Hîc agitur dè ea hydropis ſpecie quæ anaſarca dicitur, quam Hippocrates hîc* λευκὸν φλέγμα*, aliis vero in locis* λευκοφλεγματίαν *appellat: quòd hoc genus hydropis, fiat ab alba pituita ceu humore pituitoſo & in vaſis & in habitu corporis collecto: eoque vel illhùc tranſmiſſo ab hepate quouis modo refrigerato: vel ibidem genito à tota carne corporis veluti in aquam reſoluta. Hîc enim pituitoſus humor in habitu corporis ab intemperie frigida par-*

*tium ſolidarum ſine magno hepatis vitio gigni poteſt, nimirum ex vitio tertiæ concoctionis: quemadmodum indicant œdemata ceu inflationes quæ in ſingulis externis partibus, potiſſimum vero à fonte caloris remoti fiunt: Quo fit vt Anaſarca non ſolum hepatis vitio, ſed & intemperie frigida totius habitus corporis iſtius humoris pituitoſi copiam progignente interdum oriatur. Quanquam* Hippocrates *nomine* λευκοῦ φλέγματος *ceu* λευκοφλεγματίας, *aliquando cachexiam phlegmaticam notat, malum videlicet corporis habitum, in quo plurima huiuſcemodi pituita alba, vel liuida aliis quibuſdam admixtis humoribus, tum in vaſis, tum in toto corporis habitu aceruata eſt, à frigida entemperie partium ſolidarum & hepatis, ob quam ſanguis per carnoſum genus ſuffunditur, nec agglutinatur nec aſſimilatur: vnde cutis exalbeſcit, viuidi caloris flos deperditur, caro mollior eſt & quodammodo tumida.* Sic λευκὸν φλέγμα *ſumitur Aphor.74. huius ſectionis. Qualis cachexia ſemper antecedit hydropen anaſarcam, interdum etiam alias hydropis ſpecies, quādo ſenſim materia colligitur in abdomine. Alba igitur pituita, quæ hîc nil aliud eſt quàm anaſarca (quanquam Aretæus Anaſarcam appellat, ſi in humorem ſanguineum, aquoſum, tenuem, carnes liquatæ ſint: Leucophlegmatiam verò, ſi ex alba pituita craſſa & frigida ſit affectus) ſiue vitio hepatis, ſiue habitus totius corporis frigida intemperie contrahatur: alui profluuio, robore naturæ aut artis induſtria procurato, ſalutariter & abſque vllius recidiuæ metu ſoluitur.* Siquidem *experimenta docent (inquit* Hollerius *in praxi) in hydrope naturam contra morbum ſuas vires interdum exercere, atque alios alui profluuio liberari: aliis & pituitam & flatus in halitum diſcuti, vt detumeat venter. Quoſdam etiam ſudore multo per laxiores poros abdominis & per fœmora maioribus guttis effluente, conualuiſſe: Idem interdum rectè medici artificio tentari. Nonnullis ſalutaris fuit nauigatio*

*maritimo 'halitu' vomitum ſæpius concitante, ſiccante pituitam atque reſoluente: Interdum quoque ſalutare fuiſſe vlcus in cruribus modò ſponte ortum, modo igne comparatum. Verum hos omnes εὐσπλάγχνους eſſe oportet, id eſt, ſanis firmiſque viſceribus, vt ſcribitur in Prorrhetico. alioqui tumore ſubſidente & larga per aluum effuſa aqua ſiue ſponte, ſiue arte paulò poſt moriuntur. Quocirca ſpes aut deſperatio hydropis à viſceribus captanda eſt: fruſtráque omnino tum natura, tum ars mollitur vacuationem materiæ, vbi deſperata vitia latent in viſceribus. Ergò alui profluuium ſiue ſpōte naturæ, ſiue artis induſtria procuratum non ſoluet Anaſarcam nec alium quemcunque hydropen niſi hæ quatuor adſint conditiones: firma ſint viſcera, hydrops incipiat nec ſit adhuc confirmatus nimirum antequam viſcera grauius læſa ſint intemperies hectica contracta, vires diuturnitate morbi fractæ: vt alui profluuium circa principia accedens ſit vehemens & copioſum, non impar morbo: vt aquoſum ſit, ſine cruditate tamen, quo nimirum morbificus humor excernatur: Si enim cum cruditate fuerit, ab imbecillitate nimirum retentricis aut ab interceptione anadoſeos, aut alimentorum corruptione non erit ſalutare hydropi. Per quas autem vias ab habitu corporis (per medium nimirum hepar & venas meſaraicas) aquoſus ille humor è corporis habitu in ventrem & inteſtina conuertatur. vide Scholia in Aphoriſm. 14. ſect. 5. & Aphoriſ. 55. huius ſectionis.*

## APHOR. XXX.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥεῖ.

*Quibus per diarrhœas ſpumoſa ſunt alui excrementa, ibi à capite fit defluxio.*

INtelligere oportet quod hîc Hippocrates dicit cerebrum eſſe fontem pituitæ: non ſolum, quòd hanc propter ſuam naturam gignit: ſed etiam cum calfactum eſt. Hanc attrahit à toto corpore, quam rurſus demittit ad pulmones, & ad ventriculum. Si hîc ſit diutius, refrigerat ventriculum, excitat etiam ſæpe diarrhœam, in qua ob celerem & vehementem agitationem talis humoris, fit ſpuma, poſſunt quoque eſſe ſpumoſa excrementa, quum vel pituita illa eſt acris, vel mixti ſunt ſpiritus flatuoſi. Nec tamen ſequitur, hæc deiectio eſt ſpumoſa, ergo eſt à capite. Nam materia poteſt agitari in inteſtinis, & inde ſpumoſa erit ob longitudinem viæ. Item in dyſenteriis, vbi eſt coniuncta febris, ſæpe excernuntur ſpumoſa, quòd tamen non fit ob pituitam fluentem è cerebro.

## SCHOLIA.

*SPumæ generatio, fit ex ſpiritu flatuoſo humidæ ſubſtantiæ permixto atque intercepto: Huius cauſa eſt interdum motus, aliquando calor copioſus aut igneus: motus quidem vehemens, qui agitatione ſua inæquali ſubſtantiam lentam ac viſcidam attenuat & in multas ac exiguas partes comminuit: Sic aqua hordeacea, ſic Zyum cum ex alto refunditur, ſpumeſcit. Sic aqua maris ex violẽto ventorũ impetu ſpumeſcit. Sic epilepticis, ob vehementẽ totius corporis agitationem ſub acceſſionis finẽ ſpuma ex ore manat. Calor verò ſpumam efficit, aut quia is motum excitat, aut quia humidam ſubſtantiam in ſpiritum flatuoſum mutat. Sic irati aut multo ſermone concitati inter loquendum ſpumam edunt, ob ſaliuæ in extremis partibus palati genitæ, & vaporis ac aëris ex pulmone affatim prodeuntis*

*commotionem concitatem à feruore ſanguinis ebullientis circa cor in ira, aut excalfacti in pulmonibus, à frequenti inſpiratione, ac expiratione inter loquendum. Sic aqua, dum ferueſcit in lebete, ſi craßior ſit, ſpumam: ſin tenuior, bullulas emittit. Sic ſtrangulati ſpumã ore effundũt ſimulatque efflarunt animã: quod in illis ob laqueo interclusãm ſpiritus viã cordis calor aëris communione priuatus inflammatur, inflammatus multam edit fuliginem, ex qua ſuppreſſa aut intercepta humidaque pulmonum ſubſtantia permixta, ſpumam ex pectore exprimit. Ergo deiectiones ſpumoſæ ſunt quæ plurimam ſpumam admixtam habent, eamque vel in ventre ac inteſtinis genitam: aut à venis in ventrem tranſmiſſam: aut à cerebro aliiſque corporis partibus in ventrem delapſam. Spuma quidem in inteſtinis gignitur ab humore quocunque lento aut craſſo in eo contento, agitato motu vehementi aut efferueſcente. Sic enim in colico dolore ſpumeſcunt deiectiones ob agitationem pituitæ flatuoſæ. Sic in lienteriis ob leuitatem inteſtinorum frequentemque & feſtinum deiiciendi motum ſpumantes redduntur deiectiones. Sic in dyſenteriis aliquando & diarrhœis, cùm ob aßiduum deiiciendi motum, maximè vero ob calorem præter naturam in inteſtinis conceptum, humores ipſos viſcidos qui deiiciuntur colliquantem, biliosæ aut pituitoſæ deiectiones ſpumeſcunt. Tranſmittur autem ſpuma à venis in ventrem ac inteſtina, cum in venoſo genere calor adeſt præter naturam qui pituitoſum aut bilioſum humorem ibi concluſum exurit, vel colliquat, vel agitat. Hinc videas in febribus pituitoſis, ſpumoſas deiectiones reddi: ſolui quoque non raro icterum febreſque acutas ac bilioſas per deiectiones bilioſas, ſpumoſas. Delabi etiam poteſt ſpuma in inteſtina à cerebro, ventriculo, pulmonibus, meſenteria, maximè verò à cerebro & ventriculo, in quibus nimirum partibus, tanquam propriis pituitæ excrementitia receptaculis, plurima humoris pitui-*

*toſi colluuies gigni ac coaceruari ſolet. A cerebro autem eam delabi coniiciendum ſi quædam malè affecti cerebri ſigna ſe efferant: vt ſi Catarrhus aliquis fatiget, aut vrgeat grauitas capitis: lethargus, ſurditas, apoplexia aut aliquis alius cerebri affectus præceſſerit. Si deiectio ipſa alba, lenta, viſcida, craſſa ſit, multaſque ac magnas habeat bullas ac ampullas: Quæ ſigna, aliaque huiuſcemodi ſi abſint, aliunde quàm à cerebro ſpumam illam delabi coniiciendum: Proinde Hic Aphoriſmus Hippocratis non niſi experientiam atteſtantem habet, eamque in pauciſsimis exemplis. Iſta autem ſpumoſa pituita cum à cerebro in inteſtina deſcendit, vel in ventriculum primum. Deinde ex ventriculo in inteſtina delabitur: vel in pulmones primum, deinde à pulmonibus per ſiniſtrum cordis ventriculum, aliaſque vias quarum Galenus in Commentario meminit in inteſtina delabitur. Hic tranſitus poſterior à Galeno non probatur, quod fieri non poſſe exiſtimet, vt ſpumoſa pituita vbi permixta fuerit ſanguini, tot venas vnà cum ſanguine poſsit peruadere, ita vt adhuc ſpumoſa maneat in inteſtinis: quòd etiam in catarrhis ad pulmones delabentibus ſputum rarò ſpumoſum cernatur, multominus cum illi ad ventrem aut inteſtinia deſcendunt. Verum ſi authore ipſomet Galeno ſexto de loc. affect. cap. quarto è purulentis pulmonibus ſyncerum pus ac album per ſiniſtrum cordis ventriculum aortam, arteriam, venam cauam, venas minores meſenterij in aluum deriuatur. Si eidem Galeno Com. in lib. 6. Epidem. ſectionis ſextæ empyematis purulenta materia in cauitate thoracis contẽta per mediũ hepar. genuſque venoſum ad inteſtina trãſmittitur. Si aquæ anaſarca laborantiũ per medium hepar ad inteſtina feruntur. Si authore Hip. Aph. 14. lib. 5. ſectione ſecunda. Coacarum præſagiorum angina ſoluitur.*

*eius pure per eaſdem vias in inteſtina tranſlato: per eaſdem quoque vias ſpumoſa pituita à cerebro in aluum transferri eodem iure poterit. Nec neceſſe eſt interim in eo viæ tractu quantumuis longo ſpumoſam illam pituitam ſanguinis permiſtione tingi: ideoque ſpumoſam ad inteſtina traduci non poſſe: natura enim ſagax ac prouida ſuos impetus motioneſque repente peragit, nec ſinit ſanguini, alioquin vitæ theſauro, ſpumoſam illam pituitam permiſceri, ſed eam quæ data porta citiſsime expellit. Sic videas in purgationibus ſynceros humores educi: In recens enixis mulieribus lac ſyncerum ac candidum ab vlceribus vna cum lochiis per vterum expurgari, non niſi longis viarum ambagibus primum traductis. Spumoſæ quoque deiectiones fiunt à delapſu pituitæ ſpumoſæ in inteſtina, eiuſque genitæ aut aceruatæ in ventriculo à cibis flatulentis, viſcidis, lentis, crudis. Sic enim Gal. comm. 13. in lib. 3. de ratione victus acutorum mulſam meraciorem epotam ſpumoſas reddere deiectiones ſcripſit: aut ab imbecilla coctrice ventriculi: aut ab intemperie calida eiuſdem: quomodo Hippocrates aquam in ventriculo bilioſo bileſcere ac ſpumeſcere dixit. Vnde autem hæc ſpumoſa pituita in inteſtina excidat, an à cerebro, an à ventriculo, præter partium malè affectarum ſigna, id inquirendum ex ipſius ſpumoſæ deiectionis forma. Quæ enim à cerebro manat vt dictum eſt, lenta eſt, viſcida, craſſa, compacta magnas habens bullas, quod illi accidit non ſolum ob eam agitationem quam patitur in cerebro aſsiduo motu contractionis & dilatationis, cordis more, ex ſe & ſua ſponte citato: ſed & ob vehementem motum quem illi viæ longitudo parit. Quæ verò à ventriculo, multo tenuior, liquidior, minus flatulenta, nullas aut niſi paruas ac exiguas bullas habens.*

## APHOR. XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τῇσι οὔρῃσι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσι.

Quibus

*Quibus per febres in vrinis ſedimenta craſſiorem farinam referunt, longam inualetudinem fore ſignificant.*

Κρῖμνοι ἢ κρῖμνα & apud Homerum κρί per apocopen aliquando ſignificat hordeum, aliquando farinam hordei, vel tritici rudius craſſiuſque commolitam & confectam. In Dioſcorida ſignificat pultem quandam craſſiorem. Inde τὰ κριμνώδεα οὖρα in quibus τὰ κρῖμνα id eſt farinæ craſiori ſſimilia deponuntur. Ergo in vrinis ſunt aliquando ſedimenta diuulſa magna nec alba, & colliquatæ carnis ſigna ſunt. Alia ſunt quæ rubent & oradis ſunt ſimilia, quòd indicium eſt aſſati ſanguinis & colliquationis hepatis & renum. Quæ verò nigra ſunt eliqueſcentem ſplenem magis indicant. Sunt etiam alba lenta & viſcida quæ indicant corpus abundare pituita vitrea & craſſa. Hæc aliquando cruda excernuntur cum vrinis. Aliquando vtcunque elaboratur & coquitur à natura, & tum mittuntur quæ Hippocrates vocat κρίμνα λευκά, vbi vrinæ ſunt [illegible] & veluti [illegible] : aut tanquam ſi humorem aqueum ex oculo [illegible] effundas. Si igitur huiuſmodi vrinæ appareant in febricitantibus, vel moriuntur in breui [illegible] eſt : vel longæ [illegible] dealtes [illegible] materia [illegible]

[illegible]

P[illegible]

*vt pote affectibus venoſi generis. Primum prognoſticon eſt. Quæ farinæ craſsiori ſimilia volitant aut ſubſident in vrinæ febricitantium, longam ægritudinem aut mortem præſagiunt. Hæc enim contenta fiunt, vel à ſanguine craſſo eoque melancholico, aut pituitoſo ardore febris exaſſato & torrefacto: vel à colliquatione, non ſolum adipis, aut carnis, ſed & totius ſubſtantiæ partium ſolidarum facta ab ardore febrili. In priori caſu ſi vires validæ fuerint, ſola morbi longitudo metuenda: craſſus enim humor non niſi longo tempore concoqui poterit, talis autem vrina tenuis eſſe ſolet. Si verò vires langueant, nulla ſpes ſalutis, ſed proximus interitus expectandus. In caſu poſteriori, oleagina vrina præcedere conſueuit, ſurfuracea ſubſequi, tandem farinacea, & tum certa mors imminet.*

## *APHOR. XXXII.*

ΟΚόσοισι δὲ χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταὶ, ὀξεῖαν ἀῤῥωστίην σημαίνουσι.

*QVibus in vrinis bilioſa ſedimina ſed ſuprà tenuia apparuerint, acutum morbum ſignificant.*

SÆpe vidẽmus in vrinis ſuperiores partes bilioſas, inferiores aquoſas: è contrario nunquam vt Gal. apertè tradit in comm. Bilis enim ignea & leuis ſurſum euehitur, aqua grauis & terrea deorſum deprimitur. In ardente igitur febre ſi primis diebus vrinæ appareant tenues, hoc eſt, aquoſæ & crudæ & tandem pallidæ ac bilioſæ, ſignificant acutum morbum, breuem futurum quia natura robuſta citò aggreditur coctionem.

## SCHOLIA.

SEcundum Prognoſticon. Sedimina bilioſa acutum morbum præſagiunt: ea præſertim quæ in medio vrinæ propendent, aut in ſumma facie innatant, ſuntque admodum tenuia. Quò enim ſedimen craßius eſt, eò craßior humor putris, vnde prodit: & cuius veluti quædam eſt portio: ſed iam cocta, ſecreta & naturæ vi depulſa cum vrina. At quò craßior humor eſt qui febrem committit, eò longior futurus eſt morbus: Quò vero tenuior, eò breuior morbus. Sediminum autem cum triplex ſit genus ſitu: Vnum, quod in imo ſubſidet & hypoſtaſis, id eſt, ſedimentum propriè dicitur. Alterum, quod in medio propendet, enæorema, id eſt, ſuſpenſum. Tertium, quod ſumma facie innatat, nubes ceu nebula aut nubecula. Quod in medio ſuſpendet, aut ſuprema parte vrinæ innatat, eſtque bilioſum id eſt, aurei, aut ſpicei, aut crocei, aut rubri, aut citrini coloris, bilem admodum tenuem in venis exuperare, aut ſanguinem vehementi incendio corrumpi ſignificat: multo magis quam id quod imo ſubſidet. Proinde Enæorema aut nubecula bilioſa, acutißimum morbum præſagiunt eumque breuißimum. Quò enim bilis tenuior eſt ac calidior, eò celerius mouetur: quò celerius mouetur: eò acutiorem ac breuiorem morbum committit. Quemadmodum ergo ſedimina farinacea longum morbum denunciant, ita ſedimina bilioſa, acutum & breuem.

## APHOR. XXXIII.

ΟΚόσοισι δ' διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστι.

QVibus vrinæ ſunt diuerſæ, iis vehemens ſit in corpore turbatio.

APpellat διεστηκότα τὰ οὖρα diuulſas vrinas, & inæquales, quæ ſunt, quando pars quædam cruda, quædam cocta apparet: vel quando vno die coctæ apparẽt, alio crudæ: vel quando vna atque eadem hora apparet quiddam coctum & quiddam crudum. Tunc autem iuuanda eſt natura medicamentis tenuantibus & incidentibus, quia materia cruda & craſſa eſt, & ob id contumax. Eſt autem ταραχὴ perturbatio illa & commotio, quæ fit natura vehementer pugnante & morbo acriter repugnante.

## SCHOLIA.

*TErtium prognoſticon. Conſtans & æquabilis vrina, id eſt, quæ & colore & ſubſtantia & contentis ſibi ſemper eſt ſimilis toto morbi decurſu, naturam morbo ſuperiorem indicat, morbumque fore ſalutarem ſiue breuem, ſiue longum denunciat: quòd is ab humore ſimplici non permiſto aut contrario aut diuerſo fiat. At, quæ in febribus apparent vrinæ inconſtantes & inæquales, id eſt, quæ modò albæ & tenues, modò aliæ meiuntur quæque diuerſis temporibus ſibi ſunt diſsimiles, aut Colore, aut ſubſtantia, aut Contentis, aut duabus tantum, aut omnibus his circunſtantiis, vno die biliosæ, altero pituitoſæ, cruẽtæ, aut melancholicæ: magnam in corpore tempeſtatem ac ſeditionem, morboſque contrarios denunciant. Natura enim grauius turbatur à multis, quàm ab vno: à diuerſis iiſque contrariis & impermiſtis, quàm ſimplicibus humoribus.*

## APHOR. XXXIIII.

ΟΚόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔρεισιν ἐφίσανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην ἔσεσθαι.

*QVibus in vrinis bullæ innatant, nephritim & longam fore inualetudinem ſignificant.*

HIc non intelliguntur bullæ quæ excitantur commotione, vel circulatione vrinæ, vel circumlatione: ſed eæ quæ renales à medicis appellantur: quæ leuiter tinctæ ſunt & pallidæ. Fiunt autem bullæ à materia craſſa & viſcida, quæ renibus impacta agitatur à calore renum. & quantò craſſior eſt materia & magis viſcida, tandiu diutius perſiſtunt. Apparent & bullatæ vrinæ in deſtillationibus à cerebro: ſed in iis circulus liuidus eſt, qui non eſt in renalibus. Etſi is continuus eſt nec interruptus, grauior capitis dolor ſignificatur, ſi contra, breuior.

## *SCHOLIA.*

*QVartum Prognoſticon. Vrinæ ſpumantes aut bullis magnis vel exiguis innatantibus differtæ, morbum renalem eumque longum præſagiunt. Spuma enim & bullæ fiunt à craſſis flatibus in humida ſubſtantia viſcoſa incluſis ac interceptis: flatus autem ſunt intemperiei frigidæ, vel ſaltem imbecilli caloris ſoboles. Ergo ſpuma & bullæ, quæ cum vrina abeunt originem trahunt vel ex renibus refrigeratis: vel ex aliis corporis partibus à renibus longe diſsitis vt pote capite, pulmonibus vētriculo, hepate, venis viſcidos humores flatibus permixtos generantibus, eoſque ad renes tranſmittentibus. Non enim ex veſica manare poſſunt illi flatus, cum veſica paulò frigidior ſit, quàm vt flatus mouere aut ſpumam, vel bullas generare poſſit. Non enim à quouis frigore flatus gignuntur, ſed à frigore calori coniuncto, vel potius ab imbecillo calore. Viſcidi ergo*

*iſti humores ſiue ex renibus refrigeratis ſiue in renibus geniti ac aceruati, ſiue aliunde ad renes tranſmiſſi, cum præ lentore ſuo per anguſtos renum meatus præterlabi non poſſint, hærent in illis meatibus, ibique obſtructionem pariunt: unde morbus renalis gignitur qui niſi ſoluatur dolorem nephriticum, aut lithiaſin tandem inuehet: At morbus ille renalis longus futurus eſt, quòd is à viſcido humore fiat, qui ad ſui coctionem multum temporis requirit neceſſariò. Hinc ergo collige, ſpumam & bullas quæ cum vrina effluunt, non ſolum gigni extra corpus ſolo motu, dum nimium vrina defluit in matulam, vt nonnulli putant his argumentis ducti, quòd quantò maiore impetu vrina eiicitur in matulam, eò ſpuma & bullæ maiores fiant: quòd vbi quis meiat, ita vt vrina non moueatur neque in matulæ fundum illidat: nulla ſpuma videatur, quod item ſi quis caput virgæ vrinæ immergat, ac fundum matulæ contingat, ſinatque ſenſim vrinam effluere, nulla ſpuma nullæque bullæ ſoleant erumpere. Etiamſi morbus renalis ſæuiſſimus infectet: Sed & eas gigni in corpore, ac in venis fieri & conſiſtere, manareque ſæpenumero à variis corporis partibus eaſque per venas aut arterias aut neruos ad renes & à renibus vnà cum vrina extra corpus effluere, vt ſuprà dictum eſt, quemadmodum conſtat ex facibus ſpumoſis, quas ex variis corporis partibus in aluum deriuari præcedente Aphoriſmo docuimus. Deinde ſi ſemen quod totum ſpumoſum eſt ab ea ſpirituum copia quos in ſe continet quibus diſſolutis ſtatim aquieſcit vt ſcribit Galenus tertio capite libri primi de ſemine, & Ariſtoteles capite ſecundo libri primi, & capite ſexto libri quinti de generatione animalium, gignatur in corpore, veriſ-*

*mile eſt ſpumam non tantum extra corpus ſed & in corpore gigni. Spuma autem intus genitæ ſignum hoc erit, ſi ſenſim ac paulatim miſta vrina, nihilominus ſpumeſcat: ſi ſpuma diutius perſeuerat: quæ enim extra corpus genita ſpuma eſt, non niſi cum motu ac agitatione fit, & vt celerrimè gignitur ſic celerrimè diſſoluitur. Notandum verò, non ſolum ex defectu coctionis, aut cruditate, vel potius ab intemperie frigida partium gigni ſpumam atque bullas, ſed etiam à colliquatione pinguedinis partium ſolidarum, non aliter quàm videmus ex colliquata adipe bullulas erumpere: diſcrimen hoc eſt, quia ſpuma & bullæ quæ à frigiditate manant, minus coloratæ, minuſque perdurant, ſuntque craßiores quæ à colliquatione ortum habent, magis coloratæ, diutius permanent, ſubtilioreſque exiſtunt: Sciendum interim, ſpumam & bullas quæ intus efficiuntur latere: quoniam flatus concluſi in aqua dum per arctos meatus excluduntur, comprimuntur neque humorem eleuare poſſunt. Vbi verò extra vaſa ſunt, locumque ampliorem habent, humores quibus incluſi ſunt, eleuant, ſicque ſpumam faciunt. Quòd autem ſpuma & bullæ non ſolum renum, ſed & aliarum partium affectus ſignificent ſic habeto ex Fernellio. Spuma multa (inquit) citra vrinæ agitationem innatans, flatus plurimos in corpore vagari, ventriculum & inteſtina diſtendi, colicum dolorem imminere, idque vel fructuum vel leguminum immoderato vſu, vel inſiti caloris imbecillitate. Ea ſi magnis bullis diu perſeueret, craſſos & viſcoſos humores ex hiſque obſtructiones indicat: at ſi leui cauſa hæ bullæ rumpuntur atque diſſoluuntur, tenuem flatum, tenueſque humores. Si bullæ paruæ & exiguæ per vrinæ Coronam diſpoſitæ ſint, capitiſque dolor adeſt, Cephalalgia quidem ſi Coronam omnem, hemicrania vero ſi illius ſolum medietatem*

*SI leucophlegmatia detento fortis diarrhœa ſuperuenerit morbum ſoluit.*

VIdetur hæc ſententia repugnare experientiæ: quia & in aqua intercutem ceu leucophlegmatia (vbi totum corpus tumet pituita alba intercepta) & in aſcite, ſæpe videmus alui profluuia commoueri, & tandem mori ægrum. Quare diſtinguenda eſt hæc ſententia vt fecit Hippocrates lib. de morbis. Si iam affectis viribus ægri & præcipuè viſceribus, ſequatur alui profluuium, non tollet morbum, ſed ægrum. At ſi morbi initio & integris viribus ac viſceribus, ſpontè naturæ perturbetur aluus, liberabitur æger vacuata ſcilicet materia morbi.

## *SCHOLIA.*

*HYdrops, tumor eſt præter naturam, aliâs totius corporis, aliâs ventris: ille ab humore, hic etiam à flatibus excitatur. Quò fit, vt triplex ſit omnis hydrops. Alius, ab humore pituitoſo per carnem, ſub carne & iuxta carnem ſparſo & collecto, qui ob id variis nominibus* ἀνάσαρκα, ὑποσάρκα, σαρκίτης, ἐπισαρκίδιον *&* ὑποσαρκίδιον *exprimitur. Alius, ſolo ventre aqua diſtento, qui* ἀσκίτης: *Alius, ſolo ventre flatu pleno & tumente qui* τυμπανίας *ſiue* τυμπανίτης. *Hîc agitur dè ea hydropis ſpecie quæ anaſarca dicitur, quam Hippocrates hîc* λευκὸν φλέγμα, *aliis vero in locis* λευκοφλεγματίαν *appellat: quòd hoc genus hydropis, fiat ab alba pituita ceu humore pituitoſo & in vaſis & in habitu corporis collecto: eoque vel illhûc tranſmiſſo ab hepate quouis modo refrigerato: vel ibidem genito à tota carne corporis veluti in aquam reſoluta. Hîc enim pituitoſus humor in habitu corporis ab intemperie frigida par-*

*tium ſolidarum ſine magno hepatis vitio gigni poteſt, nimirum ex vitio tertiæ concoctionis: quemadmodum indicant œdemata ceu inflationes quæ in ſingulis externis partibus, potiſſimum vero à fonte caloris remoti fiunt: Quo fit vt Anaſarca non ſolum hepatis vitio, ſed & intemperie frigida totius habitus corporis iſtius humoris pituitoſi copiam progignente interdum oriatur. Quanquam* Hippocrates *nomine* λευκοῦ φλέγματος *ceu* λευκοφλεγματίας, *aliquando cachexiam phlegmaticam notat, malum videlicet corporis habitum, in quo plurima huiuſcemodi pituita alba, vel liuida aliis quibuſdam admixtis humoribus, tum in vaſis, tum in toto corporis habitu aceruata eſt, à frigida entemperie partium ſolidarum & hepatis, ob quam ſanguis per carnoſum genus ſuffunditur, nec agglutinatur nec aſſimilatur: vnde cutis exalbeſcit, viuidi caloris flos deperditur, caro mollior eſt & quodammodo tumida.* Sic λευκὸν φλέγμα *ſumitur Aphor.74. huius ſectionis. Qualis cachexia ſemper antecedit hydropen anaſarcam, interdum etiam alias hydropis ſpecies, quãdo ſenſim materia colligitur in abdomine. Alba igitur pituita, quæ hîc nil aliud eſt quàm anaſarca (quanquam Aretæus Anaſarcam appellat, ſi in humorem ſanguineum, aquoſum, tenuem, carnes liquatæ ſint: Leucophlegmatiam verò, ſi ex alba pituita craſſa & frigida ſit affectus) ſiue vitio hepatis, ſiuè habitus totius corporis frigida intemperie contrahatur: alui profluuio, robore naturæ aut artis induſtria procurato, ſalutariter & abſque vllius recidiuæ metu ſoluitur. Siquidem experimenta docent (inquit Hollerius in praxi) in hydrope naturam contra morbum ſuas vires interdum exercere, atque alios alui profluuio liberari: aliis & pituitam & flatus in halitum diſcuti, vt detumeat venter. Quoſdam etiam ſudore multo per laxiores poros abdominis & per fæmora maiöribus guttis effluente, conualuiſſe: Idem interdum rectè medici artificio tentari. Nonnullis ſalutaris fuit nauigatio*

*maritimo 'halitu' vomitum ſæpius concitante, ſiccante pituitam atque reſoluente: Interdum quoque ſalutare fuiſſe vlcus in cruribus modò ſponte ortum, modo igne comparatum. Verùm hos omnes εὐσπλάγχνους eſſe oportet, id eſt, ſanis firmiſque viſceribus, vt ſcribitur in Prorrhetico. alioqui tumore ſubſidente & larga per aluum effuſa aqua ſiue ſponte, ſiue arte paulò poſt moriuntur. Quocirca ſpes aut deſperatio hydropis à viſceribus captanda eſt: fruſtráque omnino tum natura, tum ars mollitur vacuationem materiæ, vbi deſperata vitia latent in viſceribus. Ergò alui profluuium ſiue ſpõte naturæ, ſiue artis induſtria procuratum non ſoluet Anaſarcam nec alium quemcunque hydropen niſi hæ quatuor adſint conditiones: firma ſint viſcera, hydrops incipiat nec ſit adhuc confirmatus nimirum antequam viſcera grauius læſa ſint intemperies hectica contracta, vires diuturnitate morbi fractæ: vt alui profluuium circa principia accedens ſit vehemens & copioſum, non impar morbo: vt aquoſum ſit, ſine cruditate tamen, quo nimirum morbificus humor excernatur: Si enim cum cruditate fuerit, ab imbecillitate nimirum retentricis aut ab interceptione anadoſeos, aut alimentorum corruptione non erit ſalutare hydropi. Per quas autem vias ab habitu corporis (per medium nimirum hepar & venas meſaraicas) aquoſus ille humor è corporis habitu in ventrem & inteſtina conuertatur. vide Scholia in Aphoriſm. 14. ſect. 5. & Aphoriſ. 55. huius ſectionis.*

## APHOR. XXX.

Ὁκόσοισιν ἀφρώδεα τὰ διαχωρήματα ἐν τῇσι διαῤῥοίῃσι, τουτέοισιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ταῦτα καταῤῥέει.

*Quibus per diarrhœas ſpumoſa ſunt alui excrementa, ibi à capite fit defluxio.*

INtelligere oportet quod hîc Hippocrates dicit cerebrum eſſe fontem pituitæ: non ſolum, quòd hanc propter ſuam naturam gignit: ſed etiam cum calfactum eſt. Hanc attrahit à toto corpore, quam ruſſus demittit ad pulmones, & ad ventriculum. Si hîc ſit diutius, refrigerat ventriculum, excitat etiam ſæpe diarrhœam, in qua ob celerem & vehementem agitationem talis humoris, fit ſpuma, poſſunt quoque eſſe ſpumoſa excrementa, quum vel pituita illa eſt acris, vel mixti ſunt ſpiritus flatuoſi. Nec tamen ſequitur, hæc deiectio eſt ſpumoſa, ergo eſt à capite. Nam materia poteſt agitari in inteſtinis, & inde ſpumoſa erit ob longitudinem viæ. Item in dyſenteriis, vbi eſt coniuncta febris, ſæpe excernuntur ſpumoſá, quòd tamen non fit ob pituitam fluentem è cerebro.

## *SCHOLIA.*

*SPuma generatio, fit ex ſpiritu flatuoſo humidæ ſubſtantiæ permixto atque intercepto: Huius cauſa eſt interdum motus, aliquando calor copioſus aut igneus: motus quidem vehemens, qui agitatione ſua inæquali ſubſtantiam lentam ac viſcidam attenuat & in multas ac exiguas partes comminuit: Sic aqua, hordeacea, ſic Zyum cum ex alto refunditur, ſpumeſcit. Sic aqua maris ex violẽto ventorũ impetu ſpumeſcit. Sic epilepticis, ob vehementẽ totius corporis agitationem ſub acceſsionis finẽ ſpuma ex ore manat. Calor verò ſpumam efficit, aut quia is motum excitat, aut quia humidam ſubſtantiam in ſpiritum flatuoſum mutat. Sic irati aut multo ſermone concitati inter loquendum ſpumam edunt, ob ſaliuæ in extremis partibus palati genitæ, & vaporis ac aëris ex pulmone affatim prodeuntis*

commotionem concitatem à feruore ſanguinis ebullientis circa cor in ira, aut excalfacti in pulmonibus, à frequenti inſpiratione ac expiratione inter loquendum. Sic aqua, dum ferueſcit in lebete, ſi craßior ſit, ſpumam: ſin tenuior, bullulas emittit. Sic ſtrangulati ſpumā ore effundūt ſimulatque efflarunt animā: quod in illis ob laqueo interclusām ſpiritus viā cordis calor aëris communione priuatus inflammatur, inflammatus multam edit fuliginem, ex qua ſuppreſſa aut intercepta humidæque pulmonum ſubſtantiæ permixta, ſpumam ex pectore exprimit. Ergo deiectiones ſpumoſæ ſunt quæ plurimam ſpumam admixtam habent, eamque vel in ventre ac inteſtinis genitam: aut à venis in ventrem tranſmiſſam: aut à cerebro aliiſque corporis partibus in ventrem delapſam. Spuma quidem in inteſtinis gignitur ab humore quocunque lento aut craſſo in eo contento, agitato motu vehementi aut efferueſcente. Sic enim in colico dolore ſpumeſcunt deiectiones ob agitationem pituitæ flatuoſæ. Sic in lienteriis ob leuitatem inteſtinorum frequentemque & feſtinum deiiciendi motum ſpumantes redduntur deiectiones. Sic in dyſenteriis aliquando & diarrhœis, cùm ob aßiduum deiiciendi motum, maximè vero ob calorem præter naturam in inteſtinis conceptum, humores ipſos viſcidos qui deiiciuntur colliquantem, glioſæ aut pituitoſæ deiectiones ſpumeſcunt. Tranſmittur autem ſpuma à venis in ventrem ac inteſtina, cum in venoſo genere calor adeſt præter naturam qui pituitoſum aut bilioſum humorem ibi concluſum exurit, vel colliquat, vel agitat. Hinc videas in febribus pituitoſis, ſpumoſas deiectiones reddi: ſolui quoque non rarò icterum febreſque acutas ac bilioſas per deiectiones bilioſas, ſpumoſas. Delabi etiam poteſt ſpuma in inteſtina à cerebro, ventriculo, pulmonibus, meſenteria, maximè verò à cerebro & ventriculo, in quibus nimirum partibus, tanquam propriis pituitæ excrementitiæ receptaculis, plurima humoris pitui-

*toſi colluuies gigni ac coaceruari ſolet. A cerebro autem eam delabi conijciendum ſi quædam malè affecti cerebri ſigna ſe offerant: vt ſi Catarrhus aliquis fatiget, aut vrgeat grauitas capitis: lethargus, ſurditas, apoplexia aut aliquis alius cerebri affectus præceſſerit. Si deiectio ipſa alba, lenta, viſcida, craſſa ſit, multaſque ac magnas habeat bullas ac ampullas: Quæ ſigna, aliaque huiuſcemodi ſi abſint, aliunde quàm à cerebro ſpumam illam delabi conijciendum: Proinde Hic Aphoriſmus Hippocratis non niſi experientiam atteſtantem habet, eamque in pauciſsimis exemplis. Iſta autem ſpumoſa pituita cum à cerebro in inteſtina deſcendit, vel in ventriculum primum. Deinde ex ventriculo in inteſtina delabitur: vel in pulmones primum, deinde à pulmonibus per ſiniſtrum cordis ventriculum, aliaſque vias quarum Galenus in Commentario meminit in inteſtina delabitur. Hic tranſitus poſterior à Galeno non probatur, quod fieri non poſſe exiſtimet, vt ſpumoſa pituita vbi permixta fuerit ſanguini, tot venas vnà cum ſanguine poſsit peruadere, ita vt adhuc ſpumoſa maneat in inteſtinis: quòd etiam in catarrhis ad pulmones delabentibus ſputum rarò ſpumoſum cernatur, multominus cum illi ad ventrem aut inteſtina deſcendunt. Verum ſi authore ipſomet Galeno ſexto de loc. affect. cap. quarto è purulentis pulmonibus ſyncerum pus ac album per ſiniſtrum cordis ventriculum aortam, arteriam, venam cauam, venas minores meſenterij in aluum deriuatur. Si eidem Galeno Com. in lib.6.Epidem. ſectionis ſexta empyematis purulenta materia in cauitate, thoracis contẽta per mediũ hepar genuſque venoſum ad inteſtina trãſmittitur. Si aquæ anaſarca laborantiũ per medium hepar ad inteſtina feruntur. Si authore Hip. Aph. 14. lib.5.ſectione ſecunda. Coacarum præſagiorum angina ſoluitur.*

*eius pure per eaſdem vias in inteſtina tranſlato: per eaſdem quoque vias ſpumoſa pituita à cerebro in aluum transferri eodem iure poterit. Nec neceſſe eſt interim in eo viæ tractu quantumuis longo ſpumoſam illam pituitam ſanguinis permiſtione tingi: ideoque ſpumoſam ad inteſtina traduci non poſſe: natura enim ſagax ac prouida ſuos impetus motioneſque repente peragit, nec ſinit ſanguini, alioquin vitæ theſauro, ſpumoſam illam pituitam permiſceri, ſed eam quæ data porta citiſſime expellit. Sic videas in purgationibus ſynceros humores educi: In recens enixis mulieribus lac ſyncerum ac candidum ab vlceribus vna cum lochiis per vterum expurgari; non niſi longis viarum ambagibus primum traductu. Spumoſæ quoque deiectiones fiunt à delapſu pituitæ ſpumoſæ in inteſtina, eiuſque genitæ aut aceruatæ in ventriculo à cibis flatulentis, viſcidis, lentis, crudis. Sic enim Gal. comm. 13. in lib. 3. de ratione victus acutorum mulſam meraciorem epotam ſpumoſas reddere deiectiones ſcripſit: aut ab imbecilla coctrice ventriculi: aut ab intemperie calida eiuſdem: quomodo Hippocrates aquam in ventriculo bilioſo bileſcere ac ſpumeſcere dixit. Vnde autem hæc ſpumoſa pituita in inteſtina excidat, an à cerebro, an à ventriculo, præter partium malè affectarum ſigna, id inquirendum ex ipſius ſpumoſæ deiectionis forma. Quæ enim à cerebro manat vt dictum eſt, lenta eſt, viſcida, craſſa, compacta magnas habens bullas, quod illi accidit non ſolum ob eam agitationem quam patitur in cerebro aſſiduo motu contractionis & dilatationis, cordis more, ex ſe & ſua ſponte citato: ſed & ob vehementem motum quem illi viæ longitudo parit. Quæ verò à ventriculo, multo tenuior, liquidior, minus flatulenta, nullas aut niſi paruas ac exiguas bullas habens.*

## APHOR. XXXI.

Ὁκόσοισι πυρέσσουσιν ἐν τοῖσι οὔροισι κριμνώδεες αἱ ὑποστάσιες γίνονται, μακρὴν τὴν ἀῤῥωστίην σημαίνουσιν.

*Quibus*

*QVibus per febres in vrinis ſedimenta craßiorem farinam referunt, longam inualetudinem fore ſignificant.*

KPίμνοι καὶ κρῖθαι & apud Homerum κρῖ per apocopen aliquando ſignificat hordeum, aliquando farinam hordei, vel tritici rudius craſſiuſque commolitam & confectam. In Dioſcorida ſignificat pultem quandam craſſiorem. Inde τὰ κριμνώδεα οὖρα in quibus τῷ κρίμνῳ id eſt farinæ craſiori ſſimilia deponuntur. Ergo in vrinis ſunt aliquando ſedimenta diuulſa magna nec alba, & colliquatæ carnis ſigna ſunt. Alia ſunt quæ rubent & oradis ſunt ſimilia, quòd indicium eſt aſſati ſanguinis & colliquationis hepatis & renum. Quæ verò nigra ſunt eliqueſcentem ſplenem magis indicãt Sunt etiam alba lenta & viſcida quæ indicant corpus abundare pituita vitrea & craſſa. Hæc aliquando cruda excernitur cum vrinis. Aliquando vlcumque elaboratur & coquitur à natura, & tum meiuntur quæ Hippocrates vocat κρίμνα γονοειδέα, vbi vrinæ ſunt craſſæ & veluti fuſa criſtallus : aut tanquam ſi humorem aqueum ex oculo vitulino effundas. Si igitur huiuſmodi vrinæ appareant in febricitantibus, vel mortem in breui denunciant, vt Sileno qui die 11. mortuus eſt : vel longæ ægritudinis indicia ſunt (vt eius qui in dealcis horto decumbens 40. die iudicatus eſt) quia materia illa eget longa coctione.

## *SCHOLIA.*

*PRognoſtica aliquot in morbis adferuntur, petita ab vrinis, quæ vim habent maximam prædicendi in febribus*

*vt potè affectibus venoſi generis. Primum prognoſticon eſt. Quæ farinæ craßiori ſimilia volitant aut ſubſident in vrinæ febricitantium, longam ægritudinem aut mortem præſagiunt. Hæc enim contenta fiunt, vel à ſanguine craſſo eoque melancholico, aut pituitoſo ardore febris exaſſato & torrefacto: vel à colliquatione, non ſolum adipis, aut carnis, ſed & totius ſubſtantiæ partium ſolidarum facta ab ardore febrili. In priori caſu ſi vires validæ fuerint, ſola morbi longitudo metuenda: craſſus enim humor non niſi longo tempore concoqui poterit, talis autem vrina tenuis eſſe ſolet. Si verò vires langueant, nulla ſpes ſalutis, ſed proximus interitus expectandus. In caſu poſteriori, oleagina vrina præcedere conſueuit, ſurfuracea ſubſequi, tandem farinacea, & tum certa mors imminet.*

## APHOR. XXXII.

ὉΚόσοισι δ' χολώδεες αἱ ὑποστάσιες, ἄνωθεν δὲ λεπταὶ, ὀξεῖαν ἀῤῥωστίαν σημαίνουσι.

*QVibus in vrinis biliosa ſedimina ſed ſuprà tenuia apparuerint, acutum morbum ſignificant.*

SÆpe videmus in vrinis ſuperiores partes bilioſas, inferiores aquoſas: è contrario nunquam vt Gal. apertè tradit in comm. Bilis enim ignea & leuis ſurſum euehitur, aqua grauis & terrea deorſum deprimitur. In ardente igitur febre ſi primis diebus vrinæ appareant tenues, hoc eſt, aquoſæ & crudæ & tandem pallidæ ac bilioſæ, ſignificant acutum morbum, breuem futurum quia natura robuſta citò aggreditur coctionem.

## *SCHOLIA.*

*SEcundum Prognoſticon. Sedimina bilioſa acutum morbum præſagiunt: ea præſertim quæ in medio vrinæ propendent, aut in ſumma facie innatant, ſuntque admodum tenuia. Quò enim ſedimen craßius eſt, eò craßior humor putris, vnde prodit: & cuius veluti quædam eſt portio ſed iam cocta, ſecreta & naturæ vi depulſa cum vrina. At quò craßior humor eſt qui febrem committit, eò longior futurus eſt morbus: Quò vero tenuior, eò breuior morbus. Sediminum autem cum triplex ſit genus ſitu: Vnum, quod in imo ſubſidet & hypoſtaſis, id eſt, ſedimentum propriè dicitur. Alterum, quod in medio propendet, enæorema, id eſt, ſuſpenſum. Tertium, quod ſumma facie innatat, nubes ceu nebula aut nubecula. Quod in medio ſuſpendet, aut ſuprema parte vrinæ innatat, eſtque bilioſum id eſt, aurei, aut ſpicei, aut crocei, aut rubri, aut citrini coloris, bilem admodum tenuem in venis exuperare, aut ſanguinem vehementi incendio corrumpi ſignificat: multo magis quam id quod imo ſubſidet. Proinde Enæorema aut nubecula bilioſa, acutißimum morbum præſagiunt eumque breuißimum. Quò enim bilis tenuior eſt ac calidior, eò celerius mouetur: quò celerius mouetur: eò acutiorem ac breuiorem morbum committit. Quemadmodum ergo ſedimina farinacea longum morbum denunciant, ita ſedimina bilioſa, acutum & breuem.*

## *APHOR. XXXIII.*

Ὁκόσοισι δὲ διεστηκότα τὰ οὖρα γίνεται, τουτέοισι ταραχὴ ἰσχυρὴ ἐν τῷ σώματί ἐστιν.

*QVibus vrinæ ſunt diuerſæ, iis vehemens ſit in corpore turbatio.*

APpellat διεστηκότα τὰ οὖρα diuulſas vrinas, & inæquales, quæ ſunt, quando pars quædam cruda, quædam cocta apparet: vel quando vno die coctæ apparẽt, alio crudæ: vel quando vna atque eadem hora apparet quiddam coctum & quiddam crudum. Tunc autem iuuanda eſt natura medicamentis tenuantibus & incidentibus, quia materia cruda & craſſa eſt, & ob id contumax. Eſt autem ταραχὴ perturbatio illa & commotio, quæ fit natura vehementer pugnante & morbo acriter repugnante.

## SCHOLIA.

*Tertium prognoſticon. Conſtans & æquabilis vrina, id eſt, quæ & colore & ſubſtantia & contentis ſibi ſemper eſt ſimilis toto morbi decurſu, naturam morbo ſuperiorem indicat, morbumque fore ſalutarem ſiue breuem, ſiue longum denunciat: quòd is ab humore ſimplici non permiſto aut contrario aut diuerſo fiat. At, quæ in febribus apparent vrinæ inconſtantes & inæquales, id eſt, quæ modò albæ & tenues, modò aliæ meiuntur quæque diuerſis temporibus ſibi ſunt diſsimiles, aut Colore, aut ſubſtantia, aut Contentis, aut duabus tantum, aut omnibus his circunſtantiis, vno die bilioſæ, altero pituitoſæ, cruẽtæ, aut melancholicæ: magnam in corpore tempeſtatem ac ſeditionem, morboſque contrarios denunciant. Natura enim grauius turbatur à multis, quàm ab vno: à diuerſis iiſque contrariis & impermiſtis, quàm ſimplicibus humoribus.*

## APHOR. XXXIIII.

Ὁκόσοισιν ἐν τοῖσιν οὔροισιν ἐφίστανται πομφόλυγες, νεφριτικὰ σημαίνουσι, καὶ μακρὴν τὴν ἀρρωστίην ἔσεσθαι.

*QVibus in vrinis bullæ innatant, nephritim & longam fore inualetudinem ſignificant.*

HIc non intelliguntur bullæ quæ excitantur commotione, vel circulatione vrinæ, vel circumlatione: ſed eæ quæ renales à medicis appellantur: quæ leuiter tinctæ ſunt & pallidæ. Fiunt autem bullæ à materia craſſa & viſcida, quæ renibus impacta agitatur à calore renum. & quantò craſſior eſt materia & magis viſcida, tandiu diutius perſiſtunt. Apparent & bullatæ vrinæ in deſtillationibus à cerebro: ſed in iis circulus liuidus eſt, qui non eſt in renalibus. Etſi is continuus eſt nec interruptus, grauior capitis dolor ſignificatur, ſi contra, breuior.

## *SCHOLIA.*

*QVartum Prognoſticon. Vrinæ ſpumantes aut bullis magnis vel exiguis innatantibus differtæ, morbúm renalem eumque longum præſagiunt. Spuma enim & bullæ fiunt à craſſis flatibus in humida ſubſtantia viſcoſa incluſis ac interceptis: flatus autem ſunt intemperiei frigidæ, vel ſaltem imbecilli caloris ſoboles. Ergo ſpuma & bullæ, quæ cum vrina abeunt originem trahunt vel ex renibus refrigeratis: vel ex aliis corporis partibus à renibus longe diſsitis vt pote capite, pulmonibus vẽtriculo, hepate, venis viſcidos humores flatibus permixtos generantibus, eoſque ad renes tranſmittentibus. Non enim ex veſica manare poſſunt illi flatus, cum veſica paulò frigidior ſit, quàm vt flatus mouere aut ſpumam, vel bullas generare poſſit. Non enim à quouis frigore flatus gignuntur, ſed à frigore calori coniuncto, vel potius ab imbecillo calore. Viſcidi ergo*

*iſti humores ſiue ex renibus refrigeratis ſiue in renibus geniti ac aceruati, ſiue aliunde ad renes tranſmiſſi, cum præ lentore ſuo per anguſtos renum meatus præterlabi non poſſint, hærent in illis meatibus, ibique obſtrictionem pariunt: vnde morbus renalis gignitur qui niſi ſoluatur dolorem nephriticum, aut lithiaſin tandem inuehet: At morbus ille renalis longus futurus eſt, quòd is à viſcido humore fiat, qui ad ſui coctionem multum temporis requirit neceſſario. Hinc ergo collige, ſpumam & bullas quæ cum vrina effluunt, non ſolum gigni extra corpus ſolo motu, dum nimirum vrina defluit in matulam, vt nonnulli putant his argumentis ducti, quòd quantò maiore impetu vrina eiicitur in matulam, eò ſpuma & bullæ maiores fiant: quòd vbi quis meiat, ita vt vrina non moueatur neque in matulæ fundum illidat: nulla ſpuma videatur; quod item ſi quis caput virgæ vrinæ immergat, ac fundum matulæ contingat, ſinatque ſenſim vrinam effluere, nulla ſpuma nullæque bullæ ſoleant erumpere. Etiamſi morbus renalis ſæuiſſimus infeſtet: Sed & eas gigni in corpore, ac in venis fieri & conſiſtere, manareque ſæpenumero à variis corporis partibus eaſque per venas aut arterias aut neruos ad renes & à renibus vnà cum vrina extrà corpus effluere, vt ſuprà dictum eſt, quemadmodum conſtat ex facibus ſpumoſis, quas ex variis corporis partibus in albium deriuari præcedente Aphoriſmo docuimus. Deinde ſi ſemen quod totum ſpumoſum eſt ab ea ſpirituum copia quos in ſe continet quibus diſſolutis ſtatim aquieſcit vt ſcribit Galenus tertio capite libri primi de ſemine, & Ariſtoteles capite ſecundo libri primi, & capite ſexto libri quinti de generatione animalium, gignatur in corpore, veriſ-*

*mile eſt ſpumam non tantum extra corpus ſed & in corpore gigni. Spumæ autem intus genitæ ſignum hoc erit, ſi ſenſim ac paulatim miſta vrina, nihilominus ſpumeſcat: ſi ſpuma diutius perſeuerat: quæ enim extra corpus genita ſpuma eſt, non niſi cum motu ac agitatione fit, & vt celerrimè gignitur ſic celerrimè diſſoluitur. Notandum verò, non ſolum ex defectu coctionis, aut cruditate, vel potius ab intemperie frigida partium gigni ſpumam atque bullas, ſed etiam à colliquatione pinguedinis partium ſolidarum, non aliter quàm videmus ex colliquata adipe bullulas erumpere: diſcrimen hoc eſt, quia ſpuma & bullæ quæ à frigiditate manant, minus coloratæ, minuſque perdurant, ſuntque craßiores quæ à colliquatione ortum habent, magis coloratæ, diutius permanent, ſubtilioreſque exiſtunt: Sciendum interim, ſpumam & bullas quæ intus efficiuntur latere: quoniam flatus concluſi in aqua dum per arctos meatus excluduntur, comprimuntur neque humorem eleuare poſſunt. Vbi verò extra vaſa ſunt, locumque ampliorem habent, humores quibus incluſi ſunt, eleuant, ſicque ſpumam faciunt. Quòd autem ſpuma & bullæ non ſolum renum, ſed & aliarum partium affectus ſignificent ſic habeto ex Fernellio. Spuma multa (inquit) citra vrinæ agitationem innatans, flatus plurimos in corpore vagari, ventriculum & inteſtina diſtendi, colicum dolorem imminere, idque vel fructuum vel leguminum immoderato vſu, vel inſiti caloris imbecillitate. Ea ſi magnis bullis diu perſeueret, craſſos & viſcoſos humores ex hiſque obſtructiones indicat: at ſi leui cauſa hæ bullæ rumpuntur atque diſſoluuntur, tenuem flatum, tenueſque humores. Si bullæ paruæ & exiguæ per vrinæ Coronam diſpoſitæ ſint, capitiſque dolor adeſt, Cephalalgia quidem ſi Coronam omnem, hemicrania vero ſi illius ſolum medietatem*

*occupent: acriorque dolor erit ſi aureæ ſint & citrinæ, mitior ſi albæ & pallidæ, diuturnus vero ſi diu permaneant. Quæ porrò media vrinæ facie conſiſtunt, pacati doloris ſunt indices. Quum enim ſummam vrinæ partem teneant, ipſum quoque caput in homine ſummum dolore obſideri teſtantur idque vel à flatu vel ab humore, cuius ſpeciem bullarum color exprimit. Bullæ grauis exiguis ſimiles in Corona ſitæ, ſi dum verſatur & agitatur vrina deorſum verſus depulſæ, mox in Coronam reſiliunt, deſtillatio è capite in pulmones, vel in ventriculum, vel in ſcapulas, vel in alias ſubiectas ſedes procumbit, cuius vis & natura ex colore vrinæ, Coronæ atque bullarum intelligitur Hæc Fernel. cap. 16. lib. 3. Pathologiæ.*

## APHOR. XXXV.

Ὁκόσοισι δὲ λιπαρὴ ἡ ἐπίστασις καὶ ἀθρόη, τούτοισι νεφριτικὰ, καὶ ὀξέα σημαίνει.

*Quibus in vrina adipalis ſuperficies eſt & conferta, iis nephriticum & acutum morbum adeſſe ſignificat.*

FEbres omnes acutæ, dolores adferunt renibus, quia calfaciunt vehementer, colliquantque renes, ex qua colliquatione pingue quoddã ſupernatat in vrinis: hoc eſt minime lethale, niſi vna grauiora impetant ſymptomata. Pinguedo autẽ illa à renibus ſemel effluit, non paulatim, & conferta atque conſtricta eſſe poteſt, non diuulſa & diſtracta. At in colliquatione totius corporis, paulatim potius, non confertim per vrinas excernitur pinguedo.

## SCHOLIA.

*QVintum prognoſticon. Pinguis vrina, confertim miſta nephritidem denunciat. Pinguis & oleoſa vrina redditur multas ob cauſas, etiam externas: Quibus circunciſis, ſi pinguis vrina reddatur, aut totius corporis, aut renum colliquationem ſignificat. Talis autem pinguedo, vel in Corona, vel à medio ad coronam, vel per totum vrinæ corpus cernitur, nec in ea apparet priuſquam quieuerit: vtrius verò, an totius corporis, an renum colliquatio denotetur, hæc ſint indicia. In colliquatione vniuerſi corporis, pinguedinis excretio tardè & paulatim fit diuque durat, nimirum pingui colliquato per longos venarum anfractus tandem ad renes perueniente, adeſtque vel febris ardens, vel phthiſis, vel hectica febris, vel hepaticus affectus, vel febris peſtilens. In renum colliquatione. pinguedo celeriter excernitur & vniuerſim ac confertim propter breuius ac minus interuallum, ita vt vrina multùm ſit pinguis aliquot diebus, ſed paucis, quibus exactis tandem pinguis eſſe deſinat. Tam copioſa autem ac multa pinguedo, non apparet niſi in acutiſsimis renum doloribus, vtpote inflammationibus eorundem, quæ febrem acutam vt cæteræ viſcerum internorum inflammationes, habent comitem.*

## APHOR. XXXVI.

Ὁκόσοισι δὲ νεφριτικοῖσιν ἐοῦσι τὰ προειρημένα συμβαίνει σημεῖα πόνοι τε περὶ τοὺς μύας τοὺς ῥαχιαίους γίνονται, ἢν μὲν περὶ τοὺς ἔξω τόπους γίνονται, ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον ἔξω. ἢν δὲ μᾶλλον οἱ πόνοι πρὸς τοὺς ἔσω τόπους γίνωνται, καὶ τὸ ἀπόστημα προσδέχου ἐσόμενον μᾶλλον ἔσω.

*SI quibus vero è renibus laborantibus præter ſupra dicta ſigna dolores etiam circa ſpinæ muſculos fiant, ſiquidem ad loca exteriora ſentiantur, extrinſecus abſceſſum quoque ex-*

*pecta: Si verò ad interiora magis vrgeant, abſceſſum etiam intrinſecus futurum potius ſperandum eſt,*

MVſculi lumbares duplices ſunt: exteriores & interiores, ex anatome, id quibus poteſt eſſe dolor, qui eſt in renibus, vel parte exteriore quæ ſpectat cutim, vel parte interiore verſus inteſtina. vbicunque autem dolor fuerit, ibi abſceſſus eſt expectandus.

## *SCHOLIA.*

*Dolor renum, ſiue longus, ſiue acutus, ſoluitur ſæpenumero excreto humore per vrinam, aut eodem in aërem ac vaporem diſſoluto: interdum in abſceſſum degenerat, tranſmiſſo humore dolorem committente in muſculos nunc internos, nunc externos dorſales. Ibi autem abſceſſus expectandus, vbi dolor magis vrget.*

## *APHOR.* XXXVII.

ΟΚόσοι αἷμα ἐμέουσιν, ἢν μὲν ἄνευ πυρετοῦ σωτήριον. εἰ δὲ ξὺν πυρετῷ, κακόν· θεραπεύειν δὲ τοῖσι ψυκτικοῖσι, καὶ τοῖσι στυπτικοῖσι.

*QVi ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidat, ſalutare eſt, ſi cum febre, malum. Curatio verò refrigerandi & aſtringendi vim habentibus perficitur.*

HIc non laudat vomitiones ſanguinis, ſed comparat eas cum febre & ſine febre. Natura aliquando aperta vena ſeſe exonerat copia ſanguinis (vt ſæpe cernere eſt in quibuſdam qui ſtatis temporum periodis ſanguinem euomunt) idque ſine febre, quod ſalutare eſt, quanquam ſit præter naturam in ſpecie. Si

vero is vomitus contingat cum febre, indicat grauem inflammationem, aut venæ eroſionem, vel ruptionem. *Curare.* Diſtinguendum ſi id fiat vena aperta, curabitur aſtringentibus & auſteris, ſi rupta, glutinantibus: ſi exeſa, ſarcoticis.

## *SCHOLIA.*

*Sanguinem qualemcunque ſuprà ferri, malum, inquit Hip. Aph. 25. lib. 4. minus tamen malum, cum vomitione citra febrem, quàm cum febre excluditur. Qui enim vomitione redditur in febre, ſæpius hæpatis, aut venoſi generis, aut lienis vitio reiicitur. Neque enim veriſimile eſt præ copia aut multitudine (quod quibuſdam etiam non modò ſanis ſed & ad morbos paratis ſanguine redundantibus accidit, vt mutilis, otioſis & quibus hæmorrhoides vel menſes ſunt ſuppreßi) ſanguinem in vẽtriculum refundi, vnde vomitio huiuſcemodi ſanguinis: fieri etenim non poteſt vt febricitantibus longo tempore & quibus idonea adhibita ſunt conſilia, ſanguinis multitudo exuperet ſaltem in morbi progreſſu. Proinde ſanguinis ille vomitus, qui in febre accidit, ferè manat à iecore aut liene aut vicinis partibus graui aliquo affectu laborantibus: à quibus vel per* διαπήδησιν *exudat ſanguis tenuis in ventriculum: aut per* ἀναστόμωσιν *ex his locis ſanguis* ἀναῤῥοπος *fertur in ventriculum per venæ portæ ramos qui in ventriculi membranas tribus in locis inſeruntur, vt conſtat ex anatome. Poteſt quoque vomitus ſanguinis cum febre ortum habere ab vlcere ventriculi, aut inflammatione eiuſdem. Sed tamen à quacunque cauſa aut loco ortum habeat vomitus hîc cum febre, maius malum eſt, quàm vomitus citra febrem. Cùm enim plures ſint affectus, pluribus remediis opus eſt. Ac vomitui citra febrem ſolis aſtringentibus ac refrigerantibus eſt conſulendum: quibus ſiſtatur ſanguinis per vomitum erumpentis impetus, & vlceri cicatrix obducatur.*

## APHOR. XXXVIII.

KΑταῤῥοι ἐς τὴν ἄνω κοιλίην ἐκπυῦνται ἐν ἡμέρῃσιν εἴκοσιν.

*DEſtillationes in ventrem ſuperiorem ad ſuppuratam perueniunt intra dies viginti.*

KΑθάῤῥος eſt deſtilatio in aſperam arteriam & pulmones: vt per ventrem ſuperiorem, hîc intelligatur thorax in quo pulmo continetur. Deſtillationes autem quæ in pulmones fiunt non ſemper ſuppurantur, ſed concoquuntur tempore, & vertuntur in pituitam quandam albam, quæ forſitan hîc pus dicitur, quia puri ſimilis eſt.

### SCHOLIA.

*VEntris ſuperioris nomine non caput, ſed thoracem intelligit: totam videlicet amplitudinem illam quæ interna ſui parte pulmonem, cor, mediaſtinum, & pleuram: externa verò, coſtas, muſculos intercoſtales & externos comprehendit, terminaturque, ſepto tranſuerſo, clauibus, & coſtis vtrinque. Deſtillationum autem nomine, inflammationes intelligit, quæ in ea amplitudine gignuntur à deſtillatione humorum è capite aut ceruice, aut è venis magnis, aut ex partibus inferioribus, aut etiam è toto corpore defluentium, potius quàm ab eorundem in illis partibus congeſtione. Paucæ enim ſunt inflammationes, fortè etiam nullæ, quæ paulatim ac ſenſim in loco affecto ſua initia colligunt: & ſi quæ ſint, hæ potius concoquuntur aut reſoluuntur quàm ſuppurant. Et, quamuis deſtillationis nomen cuiuſlibet humoris defluxionem ſignificet, hîc tamen ſanguinis vnde vera phlegmone gignitur, aut certè aliorum humorum ſanguini permiſtorum non ſolum defluxio notatur: equa ni-*

*mirum phlegmone vera, phlegmone œdematodes, eryſipelatodes, ſcyrrhodes naſcitur. Quos enim humores reliqui à ſanguine ſoli ac ſimplices tumores pariunt, non ſuppurant propriè ſed concoqui aut reſolui dicuntur. Etenim ſolus ſanguis putret abitque in ſuppuratũ, quòd duas habeat qualitates, nempe humiditatẽ & calorem putredini obnoxias: reliqui vero humores ſoli ac ſynceri non putrent (licet corrumpantur) nec ſuppurationem admittunt, niſi ſanguinem permixtum habeant, effundanturque in aliquam partem in qua preßi ac conculcati tranſpirare nequeant. Quod ſanè frequentißimè accidit, quum vix vllus præter naturam tumor ex ſimplici humore conſtet, non enim œdema, quod ſynceram pituitam habeat, nec herpes, nec eryſipelas, nec ſcyrrhus, nec cancer, vbi ſimplices erunt humores ſuppurationem admittet, ſed concoquetur aut reſoluetur. Nam, quòd Hippocrates dixit Aphor. 20. lib. huius ab eryſipelate putredo vel ſuppuratio, non niſi valde malignis eryſipelatis ſuperuenire ſolet, & quæ non cutem ſolam inficiant, ſed & carnem ſubiectamque membranam erodant ac corrumpant. Ergo inflammationes in partibus thoracis genitæ, quales ſunt pleuritis in pleura & peripneumonia, in pulmone, quarum materia concoqui ac reſolui, id eſt, per expectoratum excludi initio morbi non potuit, ob imbecillitatem partium expectorationi dicatarum: ob anguſtiam viarum, per quas fit expurgatio, ab oſtructione craſſorum humorem vel lentorum, aut ab aliquo tumore præter naturam: vitium ipſorum excrementorum in multitudine, craßitie & viſcoſitate. Quarum etiam materia nec alui profluuio expurgata eſt in progreſſu morbi: ſic enim pleuritidem ſolui multo & aquoſo alui profluuio experientia teſtatur, natura ſibi viam parante, multò magis cum ad hypochondrium dolor peruenit. vnde Hippo. Aphor. 32. ſect. 2. lib. 1. coac. quibus in febribus dolores lateris fiunt, iis aluo multa aquoſa bile permiſta deiiciente remedio eſt. Nec per vrinas eadem ma-*

*teria excluſa eſt, ſic enim pleuritidem & peripneumoniam ſcripſit Hippocrates ſolui multa vrina & biliosa miſta: & nos ipſi vidimus pleuritides graues diſſolutas vrinis multis craßis & nigris, conuerſa deorſum materia & tranſmiſſa per venas lateris in venam cauam, & hepar, & ab hepate ad renes. Nec per fluxum ſanguinis è naribus eadē materia criticè euacuata eſt: ſcripſit enim Aretæus & Gal. 3. de criſ. pleuritiden & peripneumoniam profluuio ſanguinis è naribus iudicari. Nec per ſudorem eadem materia excreta ſit: vidimus enim graues pleuritides, ſudore copioſo ſolutas, & Valeriola obſeruatione prima lib. 4. obſeruationum teſtatur pleuriticam quādam mulierem ſudore copioſo abſq; vlla expectoratione aliave inſigni euacuatione à pleuritide integrè conualuiſſe. Nec permutatione in alium morbum, tranſlata nimirum aliò materia: ſic enim pleuritis in peripneumoniam ſoluitur tranſlata materia pleuritidis è pleura in pulmones. Nec expurgata materia per hæmorrhoidas: ſic enim Hip. 6. Epid. & in lib. de humoribus ſcripſit pleuritidem per hæmorrhoidas alui. Nec abſceſſu excitato interdum ſub auribus, interdum in partes thoraci ſubiectas. Sic enim Hip. Apho. 38. ſect. 2. lib. 5. coac. ſcribit peripneumoniam ſolui oborto abſceſſu pone aures. Si ergo nulla harum euacuationum ſpecie ventris ſuperioris inflammationes expurgentur, intra diem 14. intra diem viceſimum in ſuppuratum abeant neceſſe eſt. Sunt enim acuti morbi quòd celeriter moueantur & ad ſtatum properent febremque coniunctam habeant. At morborum ſimpliciter acutorum, non exquiſitè peracutorum, aut peracutorum aut acutorum ex decidentia terminus eſt decimusquartus dies, non quidem habita ratione numeri dierum & totius morbi hiſtoria: ſed potius illius tractus ceu ſpatij temporis, in quo celerrimè & vehementißimè morbus mouetnr cum acumine ſymptomatum vehementia & periculo: quod tempus amplius duabus ſeptimanis id eſt quatuor decim diebus durare non poteſt. verum non ſemper 1. morbi die, ſed interdum exacto primo quaternario, interdum 2. hoc certamē*

natura & morbi elucet. hinc fit vt qui morbi primo quaternario blandè mouentur ad 17. perueniant. Qui vero ad 7. ſunt mites, deinde à 7. celeriter, vehementer & acutè moueri incipiunt, vigeſimo ſolent iudicari. Proinde in doctrina Hip. morborum acutorum duplex terminus eſſe poteſt: vnus internus, qui non vltra 14. totius morbi hiſtoria dum procedit: Alter externus, qui ad vigeſimum peruenit. Prior terminus incipit à 1. morbi die: poſterior, ab eo die quo acumen morbi inuadit. Ergo inflammationes thoracis, quæ criſim non habuerunt intra 14. morbi diem, quòd nimirum earum acumen non inuaſerit primo primi ſeptenarij, ſed primo ſecundi ſeptenarij die, intra vigeſimum diem in ſuppuratum abeunt, tum quidem aut ſimplicem, vt cum materia pleuritidis aut peripneumoniæ vomicam facit purulentam in pleura, aut in pulmone: aut cum ea vomica rupta pus intra thoracis inane ſpatium erumpit. Sic Hip. Aph. 8. lib. 5. Qui pleuritide laborant, niſi intra dies 14. per ſputa repurgentur, iis in empyema fit mali tranſmutatio. Terminus autē ſuppurationis licet hîc viceſimus dies ab Hip. deſignetur. fieri tamen poteſt vt modò citius, modò tardius inflammationes thoracis abeant in ſuppuratum. Quæ enim à tenuiſſimo & acerrimo humore excitantur, partem calidam ac mollem obſident, in ætate calida, natura calida, anni tempore calido, regione calida, aëris calida conſtitutione, viribus robuſtis oboriuntur 7. aut 11. aut 14. in ſuppuratum degenerant. Quæ verò a materia frigida, in loco frigido, cauſiſque adiuuantibus externis frigidis, fiunt 24. 27. quadrageſimo, ſexageſimo deſinunt in ſuppurationem. Proinde quemadmodum non vnus cuiuſlibet excretionis criticæ per ſudores, vrinas, aliaſque vacuationes aut certe abſceſſus, terminus exiſtit. Sic neque in omnibus inflammationū thoracis ſuppurationibus idem terminus: quod manifeſtum ſit, partes quæ calidiores ſunt & molliores maturius ſuppurare: frigidiores autem ſicciores que tardius: eademque ratione humores calidos citiùs, frigidos ſeriùs in ſuppurationem conuerti.

## APHOR. XXXIX.

HN οὐρέῃ αἷμα καὶ θρόμβους, καὶ στραγγουρίην ἔχῃ, καὶ ὀδύνη ἐμπίπτῃ ἐς τὸ περίναιον καὶ τὸ ὑπογάστριον καὶ τὸν κτένα, τὰ περὶ τὴν κύστιν νοσέειν σημαίνει.

*SI quis ſanguinem & grumos meiat, & ſtranguria laboret, dolore ad hypogaſtrium & pectinem & perineum pertinente ad veſicam loca laborant.*

### SCHOLIA.

*DVodecimum prognoſticon. Si quis meiendo ſanguinem liquidum & grumoſum fundat, & ſtillicidio vrinæ laboret, dolorque in aqualiculum & interfœmineum incidat, in vitio ſunt inſtrumenta vrinæ dicata, nimirum renes, vreteres, veſica & fiſtula vrinaria. Hæc ſententia expoſita eſt Aphor. 80. quarta ſect.*

## APHOR. XL.

HN ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτο γίνεται.

*SI de repente lingua incontinens fiat, aut aliqua pars corporis attonita ſtupeat, ſignum eſt melancholicum.*

HOc accidit in paralyſi, & præcipuè repentina, vt fiat lingua incontinens, id eſt, pereat firmitas linguæ ad articulandas voces. Hæc incontinentia dicitur balbuties, quæ fit, quia viæ quibus deſcendit ſpiritus ad linguæ motum, intercipiuntur, imbibitæ vel nimia humiditate (vt in ebriis videmus) vel aliqua materia craſſa, vt pituita, melancholia. lingua enim, cum ſit ſua natura ſpongioſa, facilè humore aliquo imbibitur. Si

tur. Si itaque repente &c. quia aliquando hæc incontinentia fit paulatim, & pars aliqua corporis reſoluitur. Apoplexia propriè eſt cùm vniuerſum corpus reſoluitur. Paralyſis verò, vbi dimidium corporis, aut pars aliqua. Hippocra. tamen apoplexiæ nomine ſæpe intelligit & apoplexiam propriè dictam, & paraplexiam, & reſolutionem alicuius partis, vt hoc loco vtitur apoplexiæ nomine, non vt poſteriores medici: ſed pro reſolutione alicuius partis. Hi autem morbi fiunt ab humore melancholico, aut aliqua alia materia craſſa, vt pituita.

## SCHOLIA.

*Vox & ſermo eadem non ſunt. Vox enim eſt inſtrumentorum vocalium munus, quæ ſunt guttur, ac muſculi ipſum mouentes, itemque nerui omnes, qui ad eos vim à cerebro adferunt. Sermo vero non omne id eſt, quod propriè ſub ſenſum auditus cadit, quales ſunt ſoni: neque id ſolùm quod ore emittitur, in quo genere ploratus, ſibilus, fletus, tuſsis: ſed ſola hominis vox, qua inter ſe colloquuntur: cuius inſtrumentum primarium eſt, lingua, tum nares, labra & dentes. Hanc* αὐδὴν, *illam* φωνὴν *Græci nominant. Duo autem ſunt præcipua ſermonis ceu loquutionis edendæ vitia. Vnum deprauata ceu vitioſa pronunciatio* ψελλότης *Græcis dicta. Alterum, impotentia loquendi ceu ſermonis priuatio* ἀναυδία *Græcis nominata. Prius illud vitium triplex eſt. Vnum, blæſitas, in qua fit commutatio literæ in literam, nempe R. in L. Alterum, balbuties, in qua litera vel etiam ſyllaba eliditur. Tertium, hæſitantia, in qua lingua titubat & inter loquendum hæret, nec ſyllabam ſyllabæ præproperè connectere poteſt. De his tribus dictum eſt Aphor. 32. lib. 6. & apud Ariſto.*

ſect.11.probl. 30. Deprauatæ autem locutionis cauſæ potiſſimæ ſunt, linguæ breuitas quæ anteriores dentes premere non poteſt ad prolationem: aut, ariditas, quod iis euenit, quibus longa oratione lingua exaruit, vt tendi nequeat aut copioſior è cerebro humor, propter quem & infantes & ebrij balbutiunt: aut imbecillitas caloris muſculos linguæ formantis, quæ vim premendi linguæ roburque tribuere non potuit: aut, calor cerebri præ velocitate imaginandi linguam impediens, ne concepta aſſequi poſſit: aut, flatuum copia qui velociter linguam impellunt. Impotentia vero loquendi, fit vel à facultate animali oppreſſa, vt in conuulſis: vel ab eadem ad extinctionem properante, vt in moribundis: vel, ſolius linguæ muſculis & neruis ſeptimæ coniugationis peculiari vitio laborantibus, vt in paraliſi linguæ. De vtroque locutionis ceu ſermonis vitio ἀναυδίᾳ nimirum & ψελλότητι poteſt Aphoriſmi huius pars prior intelligi. Quæ enim ἀναυδία aut ψελλότης repentè fit, non ſenſim cauſam melancholicam agnoſcit, eamque triplicem, aut ex tribus his vnam: nempe, vel humorem melancholicum à cerebro aut aliunde in linguæ muſculos & neruos illabentem, qui neruorum principia citò ac promptè init, multoque citius ac promptius, quàm pituita (à qua etiam linguæ vitium naſci poteſt) quòd pituita lenta ſit, melancholia verò craſſa: vnde pituita præ lentore ſuo non tam facilè moueri nec ſe inſinuare poteſt in neruorum principia quàm melancholia. Vel, ob velocitatem imaginandi, quæ cùm ſit familiaris melancholicis, impedit ne lingua mente concepta aſſequi poſſit, vnde in loquendo præpeditur: Sic enim Ariſto. ſect. 11. probl. 38. Vel, ob flatuum multitudinem, quoniam flatus velociter impellunt linguam: ſicut & ad venerem & appetitus quoſuis immodicè feruntur melancholici, quia flatibus abundant. Poſterior pars Aphoriſmi eſt de reſolutione partis alicuius, vt cruris aut manus aut linguæ quæ etiam fit repentè non ſenſim: qualis repentina pa-

*ralyſis potius à melancholico humore fit, quàm pituitoſo. Melancholicus enim humor paucus eſt in corpore, omniumque humorum pauciſsimus. Pituitoſus autem humor multus ac poſt ſanguinem omnium humorum plurimus: At paucus humor raro non niſi particularem paralyſin: Plurimus autem ſæpius vniuerſalem paralyſin efficit. Proinde particulares partium affectiones, reſolutiones ac ſtupores ferè à melancholico humore fiunt vniuerſales verò pituitam magna ex parte ſequuntur. Sic enim conuulſio ſæpius ex melancholia, quàm pituita fit.*

## APHOR. XLI.

HN ὑπερκαθαιρομένοισι τοῖσι πρεσβυτέροισι λύγξ ἐπιγένηται, οὐκ ἀγαθόν.

*SI ſenibus ſupramodum purgatis ſingultus accidat, non bonum.*

HÆc ſententia particularis eſt & continetur in vniuerſali quæ expoſita eſt Apho. 1. 4. ſect.

## SCHOLIA.

*SI ab immodica purgatione conuulſio aut ſingultus ſuperueniens in malis ducendus ſit: præ cæteris ætatibus ſi ſenibus ſupramodum purgatis ſingultus accidat, lethalis ac plane funeſtus habendus: ſenibus enim omnia mala etiam leuia ſunt ſuſpecta. quòd imbecillus admodum ſit eorum natiuus calor, paucis bonis humoribus ſint præditi, venas habeant anguſtas, multiſque obſtructionibus impeditas: quod ſiccum ac pene aridum corpus habeant & cuius humidi natiui iactura ſi aliqua facta ſit nulla arte reparari queat. verenda ergo plurimum in his cathartici ſuperpurgantis vis ac impetus.*

## APHOR. XLII.

ΗΝ πυρετὸς μὴ ἀπὸ χολῆς ἔχῃ, ὕδατος πολλοῦ, καὶ θερμοῦ καταχεομένου κατὰ τῆς κεφαλῆς, λύσις τοῦ πυρετοῦ γίνεται.

*SI febris ſit non ex bile orta, multa aqua calida capiti ſuperfuſa, febrem ſoluit.*

TRia ſunt prima genera ſimplicium febrium. Vnum in ſpiritibus, & dicitur, diaria febris. alterum, in ſolidis partibus, quæ dicitur hectica. Tertium, in humoribus, quæ putrida. *Non ex bile.* Bilis nomine intelligit reliquos humores Hippocr. vt eſt breuis, ex quibus omnibus humoribus fieri poteſt putrida febris. Super eſt ſcire an balneum iuuet. Iuuat quidem, ſed hecticos, quia refrigerat calefactos, & reſiccatos humectat, modò moderatum ſit. Iuuat & diarias, ſi ab vſtione, quia refrigerat: ſi ab refrigeratione, quia calfacit: ſi à laſſitudine, quia refouet laſſata corpora: ſi ab obſtructione cutis, quia relaxat. Putridas minimè, niſi vacuata vel concocta putredine. Itaque ſi febris non ſit putrida, ſed diaria vel hectica, balneum tollet febrem.

## SCHOLIA.

*HIppo. lib. 2. de natura hominis & lib. 2. & 4. de morbis, omnium febrium putridarum tùm continuarum tùm intermittentium præcipuam materiam ſtatuit, bilem: quòd ea aërea, pinguis, oleoſa, omniumque humorum cùm ſit tenuiſſima facile inflammetur, caloremque febrilem concipiat: indeque pro variis ſuis ſpeciebus, variaque ſui cum cæteris humoribus permiſtione varia febrium genera ſuſcitat. Si quidem craßior viſcidiorque & calore ignea bilis, vitellina dicta, ardentem fe-*

*brem ſeu cauſon facit. Flaua bilis ſyncerior, & quantitate minor, tertianam exquiſitam: copioſior duplicem, quæ quotidie affligit, excitat: impurior, viſcidior & copiſior, quotidianam vocatam, aut ſemitertianam gignit: parcior vero tertianam ſpuriam. Quum minori bilis copiæ, aliquid melancholici ſucci miſcetur, quartana fit: Eodem modo continuæ, quæ quotidianis, tertianis, atque quartanis ſimiles exacerbationes edunt, præter multam bilem vitellinam, pituitæ aut bilis alterius tenuioris, vel melancholiæ portionem aliquam habent. vnde vehemens quidem eſt calor qui continuò affligit, ſed per interualla quædam acrior euadens, furere videtur. Febres ergo putridas omnes billoſas appellat Hippocrates: non bilioſas verò aut ſanè quæ ex bile non ſunt, Diarias, hecticas, Et continentes, quæ ex ſanguine non putreſcente, ſed ex ſanguine laudatiſſimo ebullitionem patiente tantum ac inflammato accidunt. Galenus cap. 2. lib. 2. de febribus, omnes continuas febres ex flaua bile conſiſtere, videtur innuere his verbis. Continuarum quæ ex flaua bile conſiſtunt, duplex genus eſt. Vnum, earum quæ ſynochi, hoc eſt, continentes appellantur. Alterum, earum quæ generis nomine continuæ dicuntur. An vero Diariis, hecticis, & ſynochis non putridis capitis lotio, vel potius totius corporis balneum conferat, citra dioriſmum definiri ac ſtatui non poteſt. In febribus quidem diariis, quæ ortum habent à vehementi capitis dolore à ſolis æſtu contracto, lotio aut perfuſio tepidiuſcula primum, deinde frigida capitis confert, ad humectationem ac refrigerium capitis plus æquo excalfacti ac arefacti à feruore ſolis. Confert quoque & delirantibus, ob acres qui à calore febrili in caput euehuntur vapores: aut inſomnes noctes ac dies ducentibus ob eaſdem cauſas: ſic enim Hippoc. Metoni inſomni & ac deliranti lotionem capitis conſuluit. 1. Epid. Lotio quoque capitis confert quibuſdam morbis capitis ad deterſionem ſordium capitis, pororumque apertionem, qualia ſunt lixiuia quæ*

cephalica dicimus. At balneum totius corporis paulo audacius, quàm lotio capitis inſtituitur in morbis. In diariis quidem febribus à laßitudine, vſtione ſolis, frigore, cutis ſtipatione: in becticis, non omnibus quidem ſed iis tantum quæ ſimplices ac veræ ſunt, non putridæ coniunctæ, nec ex partis cuiuſpiam affectione præſertim iecoris, lienis ventriculi, pulmonum, thoracis, renum vel inteſtinorum inflãmatione malè curata: nec acutam ardentemque febrem excipientes. His enim tribus becticarum generibus balneum vtile eſſe non poteſt quia putredinem habet adiunctam In ſynochis quoque febribus non putribus, ſed quæ à ſanguine laudatiſsimo ebulliente ac phlogoſin patiente excitantur. Conferet quidem balneum febribus putridis, non quidem ſymptomaticis, nempe ab inflammatione alicuius viſceris ortis nec niſi iam expurgatis ac coctis qui vitium faciebant humoribus: ſic enim Gal. methodi 11. balneum plurimum probat in vniuerſali declinatione febrium ardentium ac bilioſarum, non pituitoſarum aut melancholicarum. Aduerſiſsimum enim balneum eſt tum plethoricis tum cacochymis, quod humores quietos moueat, eos putrefaciat, & ad partes nobiles aut ignobiles ſed imbecilles liquidiores factos traducat. Qui inquam Hipp lib. 6. Epid. ſect. 5. lotionem ſuadet ante ſumptionem ellebori, vbi craßi ſunt humores: nimirum vt balnei opera attenuentur. fundantur, ac citra moleſtiam facilius expurgentur: non tamen vbi multi craßi ſunt humores: hos enim multos oportet prius præparare extenuantibus atque incidentibus remediis ante vſum balnei aut lotionis aut fotus.

## APHOR. XLIII.

Γυνὴ ἀμφιδέξιος ὐ γίνεται.

Mulier non fit amphidexia.

NOnnulli dicunt hunc Aphori. eſſe de hermaphroditis: quaſi mulieres non fiant hermaphroditæ, hoc eſt, mulieri nunquam accreſcat membrum virile, quemadmodum muliebre pudendum aliquando in viro apparet. Alij dicunt mulieres non fieri ἀμφιδέξιους, hoc eſt, non geſtare mares in dextra parte vteri & ſiniſtra quorum vtrumque falſum eſt. Ergo dicendum eſt, quòd ſæpius quidem fit vir ambidexter, rarò autem mulier, quia facultas animalis non poteſt æqualiter communicari vtrique parti: quanquam non admodum valida eſt hæc ratio.

## *SCHOLIA.*

*AMφιδέξιος hîc vocatur, qui vtraque manu tanquam dextra vtitur, quaſi vtrinque dextra ſit: latinis ambidexter dici poteſt. Eſt enim manus inſtrumentum corporis vt mens animi non tantum ad apprehenſionem, ſed ad multas obeundas functiones accommodatum: homini à natura datum, quod is omnium animalium ſit prudentiſſimus. Organum ante organa: nec vnum organum, ſed multa organa, quod ad multas artes exercendas ſit vtile, inquit Ariſt. cap. 2. lib. 4. de partibus animalium. Manus autem licet pars ſit robuſtiſſima totius corporis teſte Ariſto. ſect. probl. 5. ſect. 2. quod proxima ſit cordi vnde robur toti corpori manat: dextra tamen eſt multo fortior ac robuſtior, quàm ſiniſtra ideoque expedita magis ad quaſlibet functiones corporis obeūdas. Sunt enim teſte Hip. lib. 3. de morbis & Ariſt. 19. probl. ſect. 31. dextra ſiniſtris in omnibus animalibus, potiſſimùm in homine robuſtiora tribus maximè de cauſis. Vna, exercēdi conſuetudine: illa enim ſimulatque in lucē ſumus editi exercere, operique admouere conſueuimus: argumento ſunt pueri quidā vtētes ſiniſtra pro dextra manu, quibus ſiniſtra vim*

*citur, ne ea vti aſſueſcant: ſic Ariſtot. eodem probl. Altera, agendi ac mouendi vi ac efficacia maiore: motionis enim origo eſt ex parte dextra: illaque mouere, vt ſiniſtra moueri apta eſt, ait Ariſto. libro de communi animalium greſſu: propriumque eſt dextris efficere, vt ſiniſtris effici ac affici, idem inquit Ariſt. 13. & 19. probl. ſect. 31. Tertia eaque potiſsima, quia calidiora ſunt, non quia quemadmodum voluit Ariſto. 3 de partibus animalium, in dextro cordis ventriculo plurimus & calidiſsimus ſanguis gignatur: ſed quia cor in medio eſt pectore, non in ſiniſtris collocatum, & iecur in dexrro latere ſitum eſt, quæ duo viſcera, fontes ſunt caloris duplicis. Hoc ſi verum ſit, cur igitur, inquies, dextræ partes citius, promptius ac frequentius reſoluuntur quam ſiniſtræ? An quia, ſiniſtrum debilius prius ac magis repletur excrementis dextro, & quod plenum eſt, excutit & à ſe propellit in dextrum vacuum? An quia, calor dextri allicit humorem, ac proinde repletur potius ac prius quàm ſiniſtrum? An quia, partes dextræ quia calidiores, patentiores habeant meatus, excipiendis ob id excrementis prõptiores quàm ſiniſtræ? Si ergo dextra robuſtiora ſint ſiniſtris, quia calidiora, vt quis vtraque manu tanquam dextra vtatur. fiatque ἀμφιδέξιος. oporteret copioſum admodum ac potentem non in vtraque manu tãtum ſed & in vtraqne corporis parte adeſſe calorem. At vix ac ne vix quidem vllus vir reperitur (niſi ſupra communem hominum naturam) qui vſque adeo polleat ſanguine, ſpiritu & calore (ex quorum copia robur omnium facultatum dependet) vt vtraque manu vti ad exercitationes & validas actiones ac ἀμφιδέξιος eſſe poſsit. Quantò minus ergo mulier ἀμφιδέξιος eſſe poterit, quæ frigidiſsimo temperamento eſt prædita: quæ molle admodum habet muſculoſum genus: quæ parum ſanguinis laudabilis, paucos ſpiritus, paucumque calorem, tum vitalem, tum naturalẽ habet, & quæ ſi calidiſsima in ſuo ſexu aliqua fuerit, nunquam tamen calorem viri etiam frigidiſsimi æquare poterit.*

*Argumento ſunt Amazones viragines alioquin, inſignes bellatrices, & omnium quas priſca ætas nouit robuſtiſſimæ fœminæ, quæ mammam dextram ſibi præcidebant, vt inde ſpiritu & ſanguine reuocato, brachio dextro robur adderent, tantum abeſt vt amphidexiæ vnquam euadere potuerint. Plato 3. de legibus, quod pauci viri, nullæ vero fœminæ fiant ἀμφιδέξιοι, non ad caloris imbecillitatem, ſed ad defectum exercitationis cauſam refert: omneſque tum viros tū fœminas à natura ἀμφιδέξιυς genitos aſſerit, exemplo ſumpto à pedibus: nam ſiniſtro æquè ac dextro vtimur, ſed nutrices dimidio roboris atque agilitatis nos fraudaſſe, quæ ſiniſtræ manus vſum tenellis adhuc infantibus denegant.*

## *APHOR. XLIIII.*

Ὁκόσοι ἔμπυοι καίονται ἢ τέμνονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται· ἢν δὲ ὕφαιμον καὶ βορβορῶδες, καὶ δυσῶδες, ἀπόλλυνται.

*SI Empyis quum vruntur aut ſecantur, purum & album pus effluat, euadunt: Si verò ſubcruentum, fæculentumque & fœtidum, pereunt.*

ANtea ſect. 9. Aphor. 27. docuimus. quomodo vtendum ſit ſectione aut vſtione in ſuppuratis. Suppuratio non ſolum dicitur quando pus collectum eſt intra thoracem & pulmonem (idque propriè) ſed etiam ſæpe generaliter de quacunque parte corporis, vbi pus eſt aceruatum. Vbi ergo apertus eſt thorax, ſi effluat pus album, læue & æquale atque paulatim, tunc iudicamus ſalutem: quia hoc ipſo indicatur natura victrix & viſcerum integritas. At, ſi exeat pus fœtidum, fœculentum, referens vitellum oui & lu-

teum, aut ſubuiride, indicium eſt naturam vinci & corrupta eſſe viſcera.

## SCHOLIA.

*Empyema vocabant veteres medici, in qualibet corporis parte factam puris collectionem, ſiue illud inflammata parte adhuc contineatur, ſiue ruptus ſit abſceſſus: Et ſuppurantia omnia, Empyemata, aut Diapyemata nominabant. Alij, non omnem quidem puris collectionem: ſed eam ſolùm quæ in internis viſceribus, ita nominandam cenſent: vt cùm in faucibus aut in pulmone, aut in pleura vomica colligitur, in angina, pleuritide, aut peripneumonia ſputa non expurgatis. Sic Hippocrates Aphoriſm. 8. lib. 5. Quicunque pleuritici facti in diebus quatuordecim non expurgantur, ij ad empyema tranſmutantur, id eſt, ad ſimplicem ſuppurationem ceu puris collectionem inter pleuram & coſtas primùm, deinde ad eruptionem puris intra ſpatium thoracis. Rurſus, alij eos ſolos ἐμπύους vel ἐμπύϊκους nominari putant, quibus inter pulmonem & thoracem ceu in ſpatium thoracis pus aceruatum eſt, quæ quidem magis propria magiſque vſitata eſt empyematis ſignificatio, de qua etiam hîc agitur. Collectio autem iſta ceu effuſio puris in Capacitatem thoracis, à cuius illuuie totus pulmo immergitur, fit multis ex cauſis: ſæpius ex pleuritide vel peripneumonia, quæ digeri nec per ſputa euacuari potuit: Interdum ex angina, vt habetur apud Hip. Aphor. 10. lib. 5. en quibus rupto inferne abſceſſu pus in vacuum thoracis ſpatium effunditur. Sæpius nulli ſuccedit inflammationi, ſed quandoque, nulla aut leui febre præcedente, ex feroſa aut pituitoſa, ſalſo, ac tenui humore è capite per aſperam arteriam, & pulmones tenuitate ſua affatim in illud ſpatium irruente: aut acri, vel feroſo è corde, vel toto cor-*

*pore, aut etiam ex abdominis capacitate, quod ſæpe in hydropicis animaduerſum eſt, eò loci per cæcos ductus prolapſo, ibique putreſcente: non rarò, ex aperto, rupto, aut eroſo vaſe pulmonum aut thoracis, vt accidit in vulnere thoracis, in quo ſanguis non foràs, ſed intrò fluxit, neque ſtatim per ſputum aut per vulnus eductum eſt, ſed intus retentum putredinem concepit: Item in ea apertione aut ruptione aut eroſione venarum pulmonis aut thoracis, quæ fit à regurgitatione ſanguinis in partes ſuperiores ab inferioribus, ob ſuppreßionem menſium, aut hæmorrhoidum aut alterius inſignis vacuationis. Pus autem in inflammata parte colligitur cum humor morbificus intra decimumquartum aut viceſimum per ſputa non eſt euacuatum vomica rumpitur ab his diebus ſi ſupputes, frequentißimè quidem circa vigeſimum, interdum circa vigeſimumſeptimum, aut trigeſimumquartum, aut quadrageſimum, nonnunquam etiam ſexageſimum diem, nimirum pro natura partis affectæ & redundantis humoris qualitate. Rupta vomica pus effunditur in ſpatium thoracis, quod effuſum ac ibi collectum vera ſuppuratio ceu empyema dicitur. Hoc, ſiue anginæ, ſiue pleuritidis, ſiue peripneumoniæ, ſiue alterius vitioſi affectus ſit conſequens, niſi intra quadrageſimum diem à die ſuppurationis expurgetur, hoc eſt, per ſputa aut per vrinas, vel aluum, vel uterum in mulieribus (quanquam rarò) excernatur, Phthiſin aut ſuffocationem inuehit, Phthiſin quidem corruptis pulmonibus, ob longiorem puris moram in thorace: ſuffocationem verò, ob puris copiam, febrem adurentem, & virium imbecillitatem circa ſuppuratio morbo ſuccedat, cuius vi neceſſariò ſunt vires labefactatæ: Etenim Hippocrates lib. de morbis, ſuppurationis quatuor euentus facit, duos ad ſalutem: expectorationem puris, aut eiuſdem per aluum vel vrinas excretionem: duos ad*

j... niciem, Pthoën aut ſuffocationem : adde & quintum ſi vis, rarum licet, cum pus in thorace collectum, diuturna ibi mora, ...duoque noui puris affluxu, auctaque febre nouã acquirit putredinem, à qua circa coſtas abſceſſum excitat, ac velut per cuniculos quoſdam è thorace exitum foras ſibi molitur. Si ergo nec per ſputa, nec per aluum, aut vrinas nec per abſceſſum in latere excitatum, pus illud in ſpatio thoracis contentum ob ſui craßitiem, aut copiam, aut virium imbecillitatem expurgari non poßit: vnica reſtat ſalus, vt ſi virium robur adſit, per vſtionem aut ſectionem illi paretur emiſſarium. Sic enim ex conſilio Hippocratis, quæ medicamenta non ſanant, ea ferro ſananda, quæ ferrum non ſanat, ea igne ſananda, quæ ignis non ſanat ea incurabilia iudicanda ſunt: Ante ſectionem aut vſtionem, quo loco quáve lateris parte collectum ſit pus, diſquirendum. Quoniam enim internum thoracis ſpatium per mediaſtinum in duos ſinus diuiditur, vt ex vno in alterum pus influere non poßit, eò fit vt ſuppuratio aliâs alterutrum duntaxat latus, aliâs vtrumque occupet. Nam quæ in ſiniſtro latere continetur, in ſiniſtram capacitatem pus deponit: quæ in dextro in dextram: per pleuritidem in alterutrum tantum latus: per anginam aut peripneumoniam in vtrumque ſæpius: Id diſcernitur tumore, dolore, calore, pondere, ſtrepitu fluctuante. Tumet enim & ſublimius quodammodo cernitur latus, vbi collectum pus eſt, cum cutis exterioris liuore quodam & calore, quem corrupta inducit euaporatio: ſed & naturæ beneficio pus extrorſum interdum extruditur, atque in muſculos externos abſceſſus erumpit, quò vacuata materia aliquantulum alleuantur ægri, ſed manet vlcus prauum & ſiuoſum, cui vix adhiberi poteſt curatio: hoc autem ſignum non eſt neceſſarium. Calidius redditur etiam latus, à putredine ſcilicet & halitu puris contenti: vnde Hipp. lib.3. de morbis, terra Fretriade aut creta liquida ac tepida linteum tenuem ablui iubet, eoque totum thoracem obtegi, vt qua

*primum reſiccari cœperit, in ea ſectio aut vſtio fiat. Cùm æger in oppoſitum ac ſanum latus decumbit, illi pondus aliquod è ſuperna parte pendere videtur, vnde interdum anguſtia premitur, & tuſsi fatigatur. Dolor quoque augetur ex decubitu in ſanum latus, quia pendens tumor magis grauat. Fluctuatio ac ſtrepitus manifeſtus puris auditur in affecto latere, dum æger conuoluitur, niſi forſan puris craſsities, aut copia quæ omnem thoracis capacitatem implet, impediat fluctuationem illam exaudiri. Vbi his ſignis de loco vbi pus reſidet conſtiterit, non ſtatim tentanda ſectio aut vſtio lateris: ſed ex Conſilio Hippocratis in Coacis differenda in decimum quintum diem à ruptione vomicæ, donec iterum pus illud concoquatur, quòd perpetuò poſt eruptionem craſſeſcere ac refrigerari ſoleat: Interea lacte cibiſque euchymis nutriendus æger, omnique remediorum genere iuuandus. Quo tempore dierum quindecim exacto, citiſsimè ſecandum aut vrendum latus, antequam pus corrumpatur, viſcera vitium contrahant, & vires collabantur. Sectio fieri debet, inter quartam & quintam coſtam à nothis coſtis ſupputando, biſtorio vulgo dicto quòd non vtraque, ſed infima tantùm parte ſecet, ſuperna vero obtuſum ſit: ſic enim nulla vis inferetur neruo, venæ, & arteriæ, quæ coſtæ quintæ ſubſunt eique aſsident: ſectio quoque debet fieri non recta ſed ſequendo fibras muſculorum intercoſtalium, potius quàm externorum quod hæ faciliùs quàm illæ reparari ac vniri poſsint ab admotis topicis: item verſus ſpinam ac poſteriorem potiùs quàm anteriorem thoracis partem, quòd diaphragma in quod incumbit pus in thorace collectum, parte thoracis poſteriore & verſus ſpinam ſit decliuius, quàm anteriore. Vſtio vero lateris fieri debet eadem parte thoracis nimirum verſus ſpinam, eaque cauſtico potentiali potiùs quàm actuali. Hippocrates libro de internis affectionibus vbi agit de hydrope thoracis, terebello vult perforandam eſſe coſtam tertiam ab vltima vſque ad os ad aquarum edu-*

ctionem: quod genus remedij tutum quidem videri poteſt, quod ea Coſtæ foratione nerui, venæ, & arteriæ quæ ſingulis Coſtis aſſident à vulnere ſectionis immunes relinquantur: tutum quoque Hippocratis tempore, quo procera erant hominum corpora, coſtis magnis robuſtis ac amplis prædita, in quibus facile erat terebellum imprimere: An verò tenellæ & paruæ quæ modò ſunt noſtrorum corporum coſtæ, citra perniciem terebellum (niſi tenue ac exile illud fuerit) tollerare poſſint, hoc experientiæ committendum. Facto igitur emiſſario puri per vſtionem, ſectionem, aut perforationem, ſitne aliqua ab vſtione, aut ſectione, aut perforatione ſperanda ſalus, ex puris erumpentis conditione potiſſimum coniiciendum. Spes ergo erit aliqua, eos euaſuros, ſi pus quod erumpit purum ſit, id eſt vnius formæ, non ex diuerſis naturis commixtum, album, ab ea albedine quam fibrarum, membranarum & corporum ſpermaticorum integritas inducit: æquale, ea æqualitate materiæ quæ eſt vniuſmodi in craſſitie, tenuitate, colore, coctione: læue, eo læuore, quem vis caloris natiui ſeſe in omnes partes æqualiter inſinuantis profert: Denique minimum fœtidum, id eſt, ingrati quodammodo odoris, qui è conditione materiæ puris optimi pendet, in qua fit modica putredo à calore extraneo reſiſtente coctioni. Puris enim coctio ab vtroque fit calore, natiuo & contra naturam, vel potius fit coctio ſecundum naturam, ſed rei quæ præter naturam eſt: Hæ ſunt conditiones puris optimi quæ indicant naturam ſic ſuperiorem eſſe materiæ præter naturam, vt non ſolùm ſuæ victoriæ characterem in eam imprimat penes colorem, æqualitatem, & læuorem ſubſtantiæ, ſed & eam corpori alendo ineptam & ſuperfluam tandem expellat. Si verò pus quod erumpit ſubcruentum ſit non album, ideoque crudum:

*cænoſum, ex corrupta carne pulmonum, ſanguine putri, & corruptione cartilaginum, membranarum & bronchiorum ipſorum pulmonum: fœtidum, particeps non ſolùm inuictæ putredinis, ſed & neſcio cuius malignitatis, moriuntur illi Empyici, puris huiuſcemodi fœtore, cordis vim obruente atque extinguente: Addit Hip. in Coacis vt plurimum, quod vſtione aut ſectione quoſdam euadere compertum haberet in diuturnis etiam thoracis vlceribus.*

## *APHOR. XLV.*

Ὁκόσοι τὸ ἧπαρ διάπυον καίονται, ἢν μὲν τὸ πύον καθαρὸν ῥυῇ καὶ λευκὸν, περιγίνονται· ἐν χιτῶνι γὰρ τὸ πύον τούτοισιν ἐστίν· ἢν δὲ οἷον ἀμόργη ῥυῇ, ἀπόλλυνται.

*QVibus prædurum iecur aduritur, ſi purum pus effluat & album, ſalui fiunt: in tunica enim ipſis pus continetur, ſi vero qualis amurca profluat, intereunt.*

VEteres ſępius vtebantur ſectione & vſtione quando cætera remedia nihil proficiebant, quia intelligebant pus corrumpere vicinas partes. Si ergo in hepate abſceſſus colligatur, eſtne neceſſe ægrum mori non ſemper. Nam ſi abſceſſus ſit leuis, & in membrana à peritonæo quæ veſtit hepar, non morietur. At ſi iecoris ſubſtantia patiatur, & abſceſſus occupet venas illas quæ per ipſum hepar ſparguntur nulla ſpes eſt.

## SCHOLIA.

Licet hepatis ſubſtantia tota ſibi continua ſit, ex variis tamen partibus contexitur, parte gibba & caua, venis, ac membranis: in quibus omnibus ſimul, & ſeorſim in ſingulis phlegmone fieri poteſt: pro quarum varietate ſymptomata quoque & ſigna variantur. Cauæ partis hepatis, quia ventriculum & inteſtina attingit per neruos quoſdam, aut contactum, aut bilis & ſeri affluxum, phlegmone dignoſcitur ex ſymptomatis affecti uentriculi & inteſtinorum: nimirum cibi faſtidio, nauſea, vomitu bilioſo, ſiti ingenti, ſingultu, torminibus inteſtinorum: item ex decubitu graui & laborioſo in latus ſiniſtrum, ex tumore tactui minimè obuio. Gibbæ partis hepatis, quia cordi ac thoraci vicina magis, phlegmone diſcernitur ex reſpirandi difficultate, tuſsi ſicca, moleſto decubitu in dextrum latus, tumore duro ac dolorifico ſatis conſpicuo partis externæ. Tunicarum, quia exilem habent neruum, phlegmone ex ſenſu doloris potiſsimũ dignoſcitur: ſiquidem ipſius hepatis caro ſenſus & proinde doloris expers eſt. Vtriuſque partis & cauæ & gibbæ hepatis phlegmone, quemadmodum & reliquorum internorum viſcerum inflammationes, ſoluitur, materiæ reſolutione: expurgatione per deiectiones, ſudores, vomitum, vrinas, hæmorrhagiam per nares, aut hæmorrhoidas: permutatione, ſuppuratione ceu abſceſſu: & induratione. Reſolutione, vt cùm admotis fotibus, litibus emplaſtris materia concoquitur & per inſenſilem euaporationem diſcutitur. Expurgatione, per aluum, potiſsimùm cum phlegmone partem cauam obſidet vomitum, ſudores, & vrinas, cum partem conuexam magis occupat: Per hæmorrhagiam vtriuſque partis phlegmone. Permutatione, in peripneumoniam, aut Phrenitiden, aut ſyncopen. Suppuratione vero finitur, ſi intra decimumquartum aut vigeſimum diem nec reſolutione, nec vllo euacuationis genere expurgetur:

*getur: tum enim materia quæ in inflammata parte continetur in pus conuertitur facitque abſceſſum. Rupto abſceſſu ſi magnus ille fuerit, pus ſæpe tanto impetu prorumpit in ventriculum parteſque vicinas, vt ſuo tetro vapore cor obruat, ac proinde ſuffocationem, ſyncopen, tandemque mortem inuehat. Si verò exiguus fuerit abſceſſus, vireſque ſatis conſtent, pus nonnunquam vomitione prorumpit, aut per aluum, aut per vrinas profunditur. Sed & interdum fiſſa vel exeſa iecoris ſubſtantia id excidit in abdominis capacitatem, quò & hydropicorum aqua confluit. Quod ſi per puris craßitiem aut eiuſdem copiam, vel virium infirmitatem rumpi non poßit abſceſſus, vnica reſtat ſalus, vt puri diuturna ſua mora hepatis ſubſtantiam corrumpenti, per vſtionem aut ſectionem foras paretur emiſſarium. Sectio autem & vſtio facienda eſt in profundum vulnerata apertaque membrana hepatis. Vſtio tamen facta potentiali cauſtico magis probatur quàm ſectio, quòd ignis finiat putredinem, non ſolum pus educendo, ſed relictam etiam ex ſanie impreßionem corrigendo & exſiccando. Facto ergo emiſſario, ſi pus erumpat album laue, æquale, & purum, ſalua res eſt. Inditium enim eſt facultatem alteratricem, robuſtam naturam victricem & hepar integrum eſſe: nec in eius ſubſtantia aut carne, ſed membrana pus illud contineri. Si vero pus ſit amurcæ olei ſimile, rufum videlicet glutinoſum & fæculentum, mors expectanda. Inditium enim eſt ad carnem vſque & ſolidam ſubſtantiam iecoris corruptionem penetrare: quæ ſolida hepatis ſubſtantia nulla arte cùm pars ſit ſpermatica reparari poteſt. Tunica vero hepatis licet etiam reparari non poßit, eius tamen affectio non eſt planè mortalis: cum & pericardios tunica diſciſionem pati poßit citra periculum, vt conſtat ex hiſtoria mimographi cuiuſdam apud Galen. lib. 7. anatomicarum adminiſtrationum.*

## APHOR. XLVI.

Ὀδύνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσίη καὶ λοῦσις πολλῷ θερμῷ, φλεβοτομίη λύει.

*Dolores oculorum poſt meraci vini potum & aquæ calentis balneum, vena ſectione Curato.*

HIc Aphor. expoſitus eſt Aphor. 21. ſect. 6. notandum quod dicit Gal. in Comm. non oportere his vti remediis ſine diſtinctione. Nam ſi ſit plethora, venæ quidem ſectio proderit: ſed periculum eſt, ne à potu meri, & balneo diſrumpantur oculorum tunicæ. Sin abſque totius corporis plenitudine dolor ſit, propter ſanguinem craſſum, qui compactus vias obſtruit, proderit quidem vinum cum balneo, ſed minimè phlebotomia.

## SCHOLIA.

*IGnaua ſententia, ſaltem Hip. indigna videtur. Non enim cuilibet oculorum dolori, meri potio, aquæ balneum, & venæ ſectio conferunt. Sunt etenim pro ratione cauſæ cuilibet morbo adhibenda remedia. Nec vnquam meri potio, & aquæ balneum oculis dolentibus præſcribenda ſunt priuſquam toti corpori venæ ſectione aut purgatione Conſultum fuerit: eſt enim præceptum therapeuticum, vniuerſalia prius vſurpanda quàm topica: Adde quòd, ſunt quidam oculorum dolores qui nulla venæ ſectione ſed ſola purgatione indigent: Proinde purgatio ſatis inconſultè prætermiſſa, potiſſimum alioquin ocularium morborum remedium.*

## APHOR. XLVII.

ΥΔρωπιῶντα ἢν βὴξ ἔχῃ, ἀνέλπιςός ἐστιν.

SI hydropicum tuſsis habeat, deſperatus eſt.

### SCHOLIA.

NOn eſt idem hic Aphoriſmus cum Aphor. 31. ſect. 6. Grauius enim malum eſt, ne dicam penè funeſtum, tuſsim habere hydropicum, quàm tuſsim ſuperuenire hydropico. Quæ enim tuſsis ſuperuenit hydropico, indicat ea vſque creuiſſe aquā & corruptam eſſe, vt tetris vaporibus ab ea excitatis, pulmo per conſenſum oblæſus ad tuſsim irritetur. Quinetiam aquam præ copia ac multitudine iam per cæcos ac occultos ductus ſubiiſſe thoracis ſpatium, non tamen adhuc ad pulmonem aut arteriam aſperam perueniſſe ſed ſolo ſuo pondere ac putredine thoracis partibus moleſtam. Sic enim Hip. Aphor. 35. ſect. 6. tuſsim huiuſcemodi malam dixit, quam alioquin funeſtiſsimam pronunciaſſet, ſi ea tuſsis ortum haberet ab aqua iam totum pectus ipſumque pulmonem ac aſperam arteriam occupante, vt putauit Gal. in Comm. eius Aphoriſmi, quem ibidem ſumus ſecuti in noſtris ſcholiis: inde enim non tantum tuſsis ſed ſubita ſubſeriretur ſuffocatio: & plurima aquæ expectoratio. At quis vnquam hydropicum obſeruauit aquas expuere? Quæ vero tuſsis habet hydropicum, ortum habet ab immenſa frigiditate hepatis, quæ totum corpus nedum pectus obſidet, quòd vniuerſæ venæ eo humore exuperent, quem hepar illis conficit: item poteſt excitari ob molem & inſignem tumorem hepatis & ventris, quæ pectori incumbit ſeptumque tranſuerſum ſuo onere deorſum trahit: Qualis tuſsis iam confirmatum hydropen indicat, ac proinde omnino deſperatum.

## APHOR. XLVIII.

Στραγγουρίην καὶ δυσουρίην θώρηξις καὶ φλεβοτομίη λύει· τέμνειν δὲ τὰς ἔσω φλέβας.

*STranguriam & dyſuriam thorexis & vena ſectio ſoluit: Incidendæ autem ſunt interiores.*

## SCHOLIA.

*TRia ſunt ſymptomata quæ vrinæ liberam excretionem impediunt. Iſchuria, qua prorſus vrina ſupprimitur nec huius quicquam exit. Stranguria, quum vrina ſtillatim guttatimque redditur: quod alias quodam conatu, ſed dolore nullo, alias vehementi dolore & irritatione fit. Dyſuria, penis & veſicæ, vt dyſenteria inteſtinorum, difficultas: qua vrina magno cruciatu atque dolore interdum affatim, interdum guttatim redditur. Stranguriæ autem & Dyſuriæ quarum hic adferuntur remedia cum variæ ſint cauſæ, & cuique morbo varias cauſas agnoſcenti, pro cauſarum varietate, varia conſtituenda ſunt remedia, videtur hic Aphoriſmus de remediis ſtranguriæ & dyſuriæ ſatis indiſtinctè agere, nec ea commemoraſſe quæ potiſſima eſſe ſolent in horum affectuum curatione, qualia ſunt purgatio, catheter, Balneum: indignus proinde authoritate Hippocratis. Stranguriæ quidem & dyſuriæ venæ ſectio confert, cum ab inflammatione manat: aut inflammationis metus eſt, vt cum adeſt ardor vrinæ, vel acris eſt vrina, vtpote biliosa, vel putridæ materiæ miſta: cuius morſũ veſica ferre nõ poſſit. Vini potio ſtranguriæ conducit, cũ ab imbecillitate veſicæ à frigore contracta: aut ex pituita vel grumo, vel flatu obſtruẽte ortũ habet. Catheter & balneũ tũ ſtranguriæ tũ dyſuriæ proſunt, ſi calculus, aut pituita, aut grumus aliquis obſtruendo liberũ vrinæ exitum impediat. Secãdæ vero ſunt interiores venæ, brachij quidẽ ad reuulſionem, malleoli vero ad deriuationem potius quàm exteriores*

*malleoli: licet Gal. nihil diſcriminis eſſe putet, ſiue interiores, ſiue exteriores maleoli venæ ſecentur, natura enim ſuos motus recta linea & κατ' ἴξιν ſolet exequi.*

## APHOR. XLIX.

Ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθει ἐπιγενόμενον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα.

*AB angina detento tumor & rubor in pectore ſuperueniens bonum: foras enim morbus vergit.*

### SCHOLIA.

*ANginæ nomine Hip. hic vt & in Coacis, & alibi paßim, eos omnes gutturis affectus complectitur, quorum ſpiratio difficilis comes eſt aßidua, nullo vel thoracem vel pulmonem occupāte vitio. ſed anguſtiæ ſenſu percepto in ſummis gulæ & faucium partibus, per quas ſpiritus eſt introitus. Guttur autē quam aſperam arteriam alij nominant, eſt meatus quo aër ceu ſpiritus ad pulmones deducitur. Hic meatus variis conſtat partibus pharynge, aſpera arteria, larynge, & epiglottide: quarum ſingulæ partes variis quoque contexūtur partibus. Pharynx, eſt ſpatium illud oris quod œſophago & aſperæ arteriæ prætēditur. Aſpera arteria, eſt fiſtula cartilaginibus & mēbranis cōſtās vocis ſimul & reſpirationis organū. Larynx eſt caput ceu ſumma pars huius aſperæ arteriæ, quæ cū pharynge ipſam arteriam iungit gallis dictus* morceau d'Adam, *tribus cartilaginibus, viginti muſculis, & duobus neruis recurrentibus nominatis, contextus. Epiglottis, eſt velut ligula quædam quæ laryngem contegit, occluditque ne quid mandendo deuorādove in laryngem illabatur. Omnes ergo affectus, qui illas omnes partes ſimul, aut aliquā ex illis obſident ſi ſpirationem deteriorem reddant. Febremque coniunctā habeāt, vno Anginæ nomine comprehendit Hip. Quatuor autē ſpecies huiuſce anginoſi affectus non ſolum ex locorum affectorum ſed & ex cauſarum varietate diſtinctas, nullo tamen proprio nomi-*

*ne inſignitas facit. Statuit enim Anginam omnem fluxionis ſobolem eſſe: eamque fluxionem vel tenuis ac biliosi ſanguinis eſſe: vel ſanguinis paulo craßioris: vel pituitæ craſſa ac viſcidæ, à Capite, vel Ceruice, aut etiam partibus inferioribus prodeuntem tumorem in illis partibus excitãtem. Prima harum è tenuißima acerrimaque biliosi humoris fluxione irruente in venulas muſculorum interiorum ſiue propriorum, ſiue communium Laryngis. ſuperatis amplioribus Faucium venis manat: in qua vel eryſipelas vel phlegmone abſtruſa eſt, ut neque tactu neque viſu in faucibus ore adaperto, nec in Ceruice dignoſci poßit, ſaltem initio morbi: nam aucto periculo ſæpe extrà quoque materia propter copiam effunditur. Hæc omnium ſæuißima eſt, quòd ſuffocationem ac reſpirandi difficultatem vehementißimam, doloremque ingentem adferat. Secunda exoritur, quum fluxio paulo craßior in faucium venis conſiſtit, atque illic impacta, partem quam obſeßit, in tumorem adaperto ore conſpicuum attollit: quòd earum partium quam laryngis, venæ latiores ſint, & muſculi pharyngis, id eſt, Faucium, tum exteriores, tum interiores qui linguam & os hyoïdes coniungunt, item qui œſophagum firmant & retrahunt. Phlegmone tentati manifeſto ſe tumore proferant. Hæc non tantam adfert reſpirandi difficultatem, quàm prima; non minorem tamen dolorem, & ſæpius mortem, non tam repentinam tamen inuehit. Ad hãc ſpeciem ſequi ſolet, cùm amygdalarum ceu tonſillarũ, tum gurgulionis ex palato pẽduli, ipſiuſque linguæ radicis tumefactio, quæ omnia ad fauces pertinent. Tertia ſpecies, ex craſſa & viſcida fluxione conſtat, quæ tum in ceruicẽ & partem exteriorem ſterni influit, tum in colli muſculos, qui per latera œſophagi ad cartilaginem ſcutiformem deſcendunt: in hãc & Ceruix & fauces ſimul rubent, potißimum ſi pituitæ portio quædam biliosi humoris permiſceatur: Quarta ſpecies rarius contingit, euenire tamen poteſt, quum prima vel ſecunda Ceruicis vertebra luxatur ad anteriora: quam recentiores practici ſtrumoſam appellant: hæc deglutitionem magis quam reſpi-*

*rationem offendit, illius modo quæ muſculorum ceruicem flectentium tumore accidit. Ergo quemadmodum ex his quatuor anginæ ſpeciebus omnibus alioquin acutiſſimis & pernicioſiſſimis, illæ quidem minus lethales ſunt, quibus in ceruice aut faucibus tumor eſt conſpicuus non intus deliteſcit: ita quacunque anginæ ſpecie correptis, ſi non modò in ceruice & faucibus, ſed & in pectore tumor & rubor ſuperueniant, qui initio morbi non apparuerant, (vt fit in prima anginæ ſpecie) minus peſtiferum ac lethale, quam ſi nihil horum ſuperueniat: Tumor enim ille ac rubor ſuperueniens indicat robuſtam eſſe naturam, vt quæ materiam ab interioribus ad exteriora expulerit: vt pote à muſculis laryngis in fauces: aut à faucibus in ceruicem ac pectus, ita vt non ſolum illa materia, relicto priori foco, colorem ſui diffundat, ſed & tumorem de ſe excitet in illis partibus exterioribus in quas tranſmittitur: Qualis expulſio naturæ tuta ac ſecura iudicanda eſt, ſi diebus criticis fiat, nimirum in ſtatu morbi, & iam penè euicta ac concocta materia, non in principio aut augmento: nam in principio, materiæ arguit multitudinem: in augmento eiuſdem procacitatem: materiam enim natura mouere non ſolet niſi concoctam: victricem porrò naturam eiuſque dominatum ſupra materiam tranſmiſſam foràs nullo intus ſuperſtite foco, indicant dolor pacátior, febris mitior, ſpiratio promptior, & deglutitio facilior: maximè verò ſi materia hæc in ſuppuratum abeat, aut in halitum digeratur, aut excreatione excludatur, non ad interiora, vt ad pulmones, refluat. Vide ſect. 2, lib. 5. Coac. & ſect. 2. Prognoſt.*

## APHOR. L.

Ὁκόσοισι ἂν σφακελισθῇ ὁ ἐγκέφαλος, ἐν τρισὶν ἡμέρῃσιν ἀπόλλυνται. ἢν δὲ ταύτας διαφύγωσιν, ὑγιέες γίνονται.

*QVibus Cerebrum ſyderatum eſt, intra dies tres intereunt. Si verò hos ſuperauerint, ſani fiunt.*

Kk iiij

Σφάκελος ϗ σφακελισμὸς ambigua eſt dictio. De ea Galen. 2. de loc. affect. Sed quia multa, quæ illic dicuntur, inuſitata ſunt, pauca dicemus. σφάκελος apud Hippocratem & Galen. ſignificat omnem corruptionem partis, quomodocunque fiat: vt ſi pes, vel manus, vel alia quæpiam corporis pars corrumpatur. Dicitur & σφάκελος, ſi pars aliqua emarceſcat & nigricet, vt non nutriatur. Latini ſyderationem in plantis & carbunculationem appellant; qui & ἀστροβολισμὸς Ariſtotel. dicitur id eſt ſyderis perculſio. Tamen etiam apud Hippocratem σφακελισμὸς dicitur corruptio cuiuſlibet partis. Dicitur propriè & præcipuè oſſis corruptela. Corruptio duplex. Vna, vt in gangræna, quando pars putreſcit. Altera, quando marceſcit. Iam Hippocrates 2. de morbis, meminit duplicis σφακελισμοῦ cerebri. Aliquando enim ipſum os corrumpitur, vt ſi cranium liueſcat & nigreſcat. Aliquando ipſa cerebri ſubſtantia corrumpitur, vt quando naſcitur cerebri inflammatio, quam ſequitur gangræna, ac tandem ſphacelíſmus. De hac corruptione, hîc intelligitur, quæ lethalis. In medio verò eſt ſphacelíſmus membranarum. Moriuntur ergo, quia inflammatio cerebri quæ debet reſolui, cùm non poſſit ſuppurare tranſit in gangrænam, & gangræna in ſphacelíſmum. Vt in pudendo aliquando oritur inflammatio, quæ deinde tranſit in gangrænam, quæ niſi curetur, tranſibit in ſphacelíſmum, & ita ſecandum erit pudendum. Pereunt igitur propter nobilitatem partis & magnitudinem affectus. *Si vero.*) quæritur ſi ſuperent 3. diem & 7. an debeant ſeruari? non ſequitur, tamen tertio maior erit ſpes ſalutis, quàm ſi ſeptimo.

## SCHOLIA.

Σφάκελος, παρὰ τὸ σφάττειν. quaſi σφάγελος, ſicuti σφάγη a iugulando nomen habet: quod affectus ſit qui partem corporis, quam obſidet ſiue ea carnoſa ſit, ſiue glanduloſa, ſiue membranoſa, ſiue os, ita iugulat, vt ei corruptionem ac νέκρωσιν aut præſentem adferat, aut mox affuturam minetur. Σφάκελος etenim apud Hippocratem & Galenum tribus modis ſumitur. Propriè quidem pro corruptione oßis, vt apud Hippo. lib. 2. de articulis lib. de aëre, locis & aquis, & lib. de vulneribus capitis. Carnoſarum enim partium corruptionem ac mortem non ſphacelum ſed gangrænam vocat Hippocrates. Quemadmodum recentiores medici, oßis corruptionem, non gangrænam, aut ſphacelum, ſed cariem nominant. Communius ac minus propriè, pro gangræna non curatæ termino. Gangrena enim, incipiens eſt mortificatio partium carnoſarum malè affectarum, quæ ſi diutius protrahatur parteſque ſibi coniunctas in affectionis conſortium pertrahat, nec ab oßibus quidem abſtineat, partemque integram ex toto, vita ſenſu, motuque priuet, in ſphacelum, hoc eſt, perfectam necroſin degenerat. Sic nimirum partes carnoſæ magna inflammatione tentatæ in necroſin incidunt, ſi huiuſmodi inflammatio, nec digeri, neque in pus mutari propter ſuam magnitudinem caloriſque natiui infirmitatem poßit. Generalißimè pro magna inflammatione aut alio quocunque affectu malè habentis partis cuiuſlibet, qui corruptelæ & ſyderationis periculum minatur. Sic Archigenes, cephalalgias ſphacelodes appellabat quæ plegmoni iunctæ ſyderationem minantur, cap. 2. lib. 2. locorum affect. Talis autem mortificatio ſiue incipiens & quæ adhuc eſt in motu, propriè gangræna nominata, ſiue quæ iam facta ac abſoluta eſt ſphacelos appellata, oritur, quùm pars malè affecta calore ſibi inſito vitalique calore ac ſpiritu influente, deſtituitur. Deſtituitur autem quadrifariam. Quia calor inſi-

*tus partis aut aufertur, aut extinguitur, aut ſuffocatur, aut corrumpitur. Aufertur calor natiuus partis, cum pars arctius aſtringitur in fracturis, aut luxationibus ab imperito chirurgo, aut cum inſigni contuſione vel obſtructione opprimitur; Aſtricta enim aut oppreſſa neque ſuo neque vitali calore, neque ſpiritu triplici à corde, hepate, cerebro per arterias venas, neruos influente vegetantur. liberum namque caloris natiui ac ſpiritus vitalis motum foras intro & in circulum eſſe oportet. Extinguitur calor à frigore vehementi extrinſecus accidente, vt quibus hyeme valida per niues iter facientibus pedes ſyderantur: vel cum temere ac inconſultè partes inflammatæ refrigerantur, admotis topicis immodice refrigerantibus ſuffocatur calor, affluxu copioſioris ſanguinis aut mali ſucci, vt in magnis inflammationibus, vel ingenti obſtructione, quæ per ſpirationem & aëris externi attractionem prohibet. Corrumpitur calor natiuus corrupta ac diſſoluta partis ſubſtantia, cuius integritas vt in vnione humidi ac ſicci conſiſtit: ita eiuſdem corruptio a diſſolutione ac ſeparatione iſtius humidi à ſicco ortum habet. Hæc autem diſſolutio fit, vel, ab igneo calore rei alicuius externa vrentis actu, qualis eſt ignis, aut olei, aut aquæ feruentis, aut pulueris ſclopetarij vſtio: aut potentia vrentis, qualis eſt pyrotici, aut ſublimati aut olei vitrioli combuſtio: vel, ab igneo calore magnæ cuiuſdam phlegmones abſumente humidum natiuum partis quam obſidet, inſitumque eius calorem diſſipante: vel, à peſtilenti aliqua aut venenata ceu materia ceu qualitate, calorem natiuum cuique parti inſitum capitali quodam odio oppugnante, ac deſtruente, vt videre licet in puncturis ac morſibus venenatarum, aut non venenatarum animantium: item in carbunculis & anthracibus peſtiferis qui intra horas viginti quatuor necroſin parti adferunt. Vel à vulnere aliquo inſigni, qualia ſunt vulnera partium neruoſarum, aut articulorum, aut par-*

*tium articulis vicinarum, aut partium nobilium, aut partibus nobilibus inſeruientium: qualis item punctura nerui, aut tendonis alicuius, vel ab vlcere aliquo virulento a quo maligna, acris ac fœtida ſanies emanans partem quam obſidet totam corrumpit, de quo extat Apho.45.lib.6. Si vlcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abſcedere eſt neceſſe & cicatrices cauas fieri. Cauſæ igitur Gangranæ & ſphaceli, ſunt eadem ſpecie, differentes tantum corrumpendi modo. Corruptio enim quam gangrena adfert eſt adhuc in motu, quam vero ſphacelos excitat facta iam eſt. Quo fit, vt Gangræna curabilis exiſtat, ſi opportunè illi ſuccurratur, vacuatione nimirum plurimi ſanguinis parti affectæ impacti, & validè exiccantibus quæ partem a putredine vindicent. Sphacelos incurabilis, vt cuius non aliud ſit remedium, quam emortuum membrum quam proximè ſanæ parti præcidere. Cerebrum ergo ſphacelatum hic intelligendum quod putreſcere ac corrumpi & ad ſphacelum ceu abſolutam corruptionem tendere incipit. Cerebri enim perfecta ſyderatio, ſtatim interficit, non in dies aliquot prorogari poteſt, ob affectus grauitatem partiſque præſtantiam. Et cum multis ex cauſis ſyderari poßit cerebrum, quemadmodum docet Hipp. lib. 2. & 3. de morbis, ſcilicet quum aut nimium calefactum, aut perfrigeratum, aut biliosum pituitoſumve plus ſolito factum fuerit cerebrum: idque a cauſis aut occultis, & ab interno vitio prodeuntibus, aut euidentibus ac manifeſtis vt a vulnere capitis, aut concußione aut commotione cerebri ab ictu, vel caſu, vel lapſu: de vtriſque cauſis potißimùm vero de manifeſtis, ſphacelos hìc intelligendus: qui fit a magna inflammatione cerebri ob vulnus exceptum in capite, aut concußum vel commotum cerebrum ab ictu, vel caſu, vel lapſu. Rupto enim cranio, dilaceratiſque venulis ac membranis cerebri ſuppreßis quoque grumis ac ſanie, facto item copioſorum humorum ad cerebrum malè affectum accurrentium affluxu,*

*putredo excitatur, è putredine accenditur magna inflammatio, à cuius igneo calore, non modo cerebri calor facile diſsipatur, qui alioquin paucus ac imbecillus eſt (quòd cerebrum ſua natura frigidum ſit) ſed & ſuffocatur ob copiam humorum tum affluxorum ad cerebrum male affectum, tum ab igneo phlegmones calore inſtar cucurbitulæ attractorum. Signa autem cerebri à quacunque cauſa ſyderati hæc ſunt. Dolor ex ceruicis neruo ad ſpinam, ſurditas, vocis priuatio, vigiliæ, animi deliquium, fluor ſanguinis è naribus, eiuſdem vomitus: præter quæ in vulnerato aut concuſſo aut commoto cerebro pericranij, aut cranij, aut cerebri ſubſtantia liueſcere, nigricare, iam molleſcere, putreſcere ac fœtere incipit. Quibus ergo cerebrum à quacunque cauſa in corruptelam verti ac ſyderari incipit, in eo certamine, aut vincit natura, aut vincitur. Si vincit, fluit ſanguis è naribus, idem euomitur, aut per eas venas, quæ ex interiore cerebro in caluariam abeunt, tumor in ſyncipite paulatim naſcitur, qui ſuppurat & aperitur, vt via pateat purulentæ materiæ. Si vincitur natura, inualeſcit malum, ſtupor ſuboritur, ſudor frigidus, ac victa natura tertio die vt in hoc Aphoriſmo, aut 5. vt in libro de morbis, aut 7. vt in coacis, ægri moriuntur. Atque vt materiæ vis & copia atque in putredinem malignam procliuitas, vt naturæ robur & imbecillitas: ita celerius mors & ſalus aut tardius contingit. Tertius ergo dies, eſt terminus periculi imminentis à ſyderatione cerebri, quo exacto ſalus ſperanda eſt, tanquam ab acutiſsimo morbo cuius terminus eſt dies quartus: indicium enim eſt vires validas ac vegetas eſſe, vt quæ ſphaceli violentiam ac malignitatem ſuſtinuerint, ſphacelumque eſſe remiſſum. Seruantur autem ægri non certò nec neceſſariò ſed magna ex parte. nam & ſeptimo & interdum poſt ſeptimum pereunt: fere autem ſectione opus eſſe, ait Hip. in coacis, vt via putridis vaporibus & fumis, quos internus ignis excitat, puri quoque ſi iam collectum eſt, pateat, alioquin vix euadere poſſunt, niſi*

*forſan magno dei & naturæ miraculo materia per nares expurgetur, aut abſcedat in ſynciput, quod rarius eſt tenuius & plures vias habeat quibus ſe cerebrum exoneret. Plurimæ enim venæ illinc è cerebro tranſcurrunt. Sectio facienda, qua parte tumor apparet, & perpurgato oſſe ipſum radendum ad ſecundam vſque laminam, altius quoque exterebrandum os eſt, ſi vitium altius deſcendit, vt ad membranam vſque exſcindatur. verum, inquit Hip. in coacis, ſi ſecto apertoque cranio terebello, cranium ipſum appareat ſeparatum à membranis quibus cerebro colligatur, ob ipſarum membranarum colliquationem: multumque à ſeipſo mutatum ac diſsidens, quia videlicet tabo diffluat, nigreſcat, vermiculatum ſit ac prætumidum, moriuntur: quòd inde ſyderatio perfecta ſignificetur, quæ eſt immedicabilis. Poteſt tamen parte emortua reciſa aut eraſa, ne malum longius ſerpat, prohiberi, antequam ſubiecta membrana ac cerebrum ipſum corrumpatur, atque inde ægri ſeruari. Viſi enim ſunt nonnulli quibus in multos dies ſanies effluxit per vulnus in cranio factum. Quod ſi aperto cranio appareant membranæ nigreſcere, cerebrum liueſcere, non moueri, certiſsimum mortis præſagium.*

## *APHOR. LI.*

Πταρμὸς γίνεται ἐκ τῆς κεφαλῆς, διαθερμαινομένου τοῦ ἐγκεφάλου, ἢ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ· ὑπερχεῖται γὰρ ὁ ἀὴρ ὁ ἐνεὼν ἔξω· ψοφεῖ δὲ, ὅτι διὰ στενοῦ ἡ διέξοδος αὐτῷ ἐστιν.

*STernutamentum cietur ex capite, cerebro excalfacto aut perhumectato ſpatio in capite inani. Aër enim intus contentus foras erumpit. Strepit autem quia per anguſtum ipſi eſt exitus.*

STernutamenti generatio eſt, quia repurgatur cerebrum, & ea quæ hærent oſſibus colatoriis ad nares. Tamen etiam per accidens concuſſione illa repurgatur

thorax, ſternutamenti materia, eſt ſpiritus, ceu vapor quem repurgari oportet. natura itaque excitatur ad purgationem, quòd vt fiat calore eſt opus. hinc fit, vt ſi quis ſit cerebro flatibus & ſpiritibus pleno, & accedat ad ſolem, ſternutet. Vbi ergo pars capitis inanis repletur ſpiritu vaporoſo & ſuccedit calor qui hunc commoueat, vbi cerebrum concalfactum eſt, fiet ſternutamentum. Porrô partes inanes cerebri, ſunt ventres ipſius, aliquando partes illæ quæ ſunt inter membranas & cranium. hîc autem ventres cerebri intelligimus, qui repurgantur per nares. *Erumpit.* naturaliter: quia eſt motus aëris illic concluſi contendentis ad aërem ambientem. *Fit Sonus.* quia per oſſa colatoria anguſta (quæ ethmœidea dicuntur) exit.

## SCHOLIA.

*Sternutatio & tußis recenſentur à Galeno inter motus voluntarios deprauatos, actionis animalis motricis, ex eorum ſymptomatum genere in quibus cauſa aliqua præter naturam eſt, quæ eam ad tale opus extimulet. Similes quidem affectus in multis. Quòd vterque ad expulſionem noxiorum. Quòd vterque, fiat à cauſa ſimili, nimirum cauſa præter naturam irritante facultatem motricem: Quòd vterque eodem modo fiat, nimirum per vehementem flatus ceu ſpiritus expulſionem. Quod vterque mediante flatu ad expulſionem eorum quæ moleſta ſunt, ſit comparatus: tußis quidem ad ea quæ pulmones male habent: ſternutatio ad ea quæ ventriculos anteriores cerebri & continua iis olfactus inſtrumenta, oſſa ethmoidea, nares, palatum infeſtant: quod ante ſternutationem cerebri ventriculi prius dilatentur, pulmo ante tußim.*

*Quod in vtroque attrahatur aër per inſpirationem, non enim tuſsis nec ſternutatio fit, niſi prius inſpirato aëre. Quod in vtroque flatus erumpat, qui ſonum excitat ſecunque expellit quod parti eiuſque meatibus moleſtum eſt. Diſsimiles vero affectus in multis. Quod ſternutatio ſit motus expulſiuus cerebri. Tuſsis pulmonum. Quod in ſternutatione, qui flatus erumpit ſonum excitans non ſolum è cerebro ſed & ex pulmonibus per nares & palatum ad cerebrum elatus, manat in tuſsi ex ſola aſpera arteria, prodit. Quod per ſternutationem non ſolum ea expellantur, quæ cerebrum offendunt, ſed & quæ pulmones: cerebrum enim vt per ſternutationem à ſe depellat quod noxium eſt, geminam adhibet expirationem, vnam, quam per ſe facit, per oſſa ethmoidea, alteram per nares, neruis vt Galenus ait, ceu manibus prælongis in thoracem demiſsis vtens, & ſpiritum vnico impetu ex pulmone & capite vehementer & confertim emittens: proinde eos humores qui in arteriis aſperis contumaciter hærent & qui difficulter reiiciuntur, magis expediunt ſternutationes, quod maior ſit in iis ſpiritus impetus quam in tuſsi, quo fit vt ſternutatio ſæpe tuſsim ſoluat: in tuſsi vero ea tantum excutiuntur quæ pulmones infeſtant. Quod in ſternutatione cerebri ventriculi contrahantur in eo expellendo quod ſibi noxium eſt: in tuſſi ſpirandi inſtrumenta non item, aſperæ enim arteriæ duriores ſunt, quam vt contrahi conſtringique poſsint circa id, quod intra ſe continent; ſed natura, ſpiritum concitato impetu foras excludit, quo ipſe plurimus celerrimeque foras actus, vna quicquid eſt moleſtum propellat. Cauſa autem proxima ac continens ſternutationis eſt flatus vnico impetu ex capite & pulmone vehementer & confertim emiſſus; iſque vel ſolus, vel cum alio humore acri &*

*mordaci interdum ſenſibili & conſpicuo, aliàs tenuiore & viſum fugiente miſtus: ex tribus maximè locis erumpens, ex naribus, anterioribus ventriculis cerebri, inani ſpatio quod ipſum cerebrum ambit. Nam cum flatus generatio fiat ab imbecillo calore in ſubiectum humidum, ſternutatio duabus quoque de cauſis potiſſimùm excitatur, cerebro nimirum vel concalfacto, vel humectato: in frigidioribus enim naturis vbi non eſt magna ſatis caloris vis ad mouendum flatum cerebri concalfactio eum mouet: in calidioribus autem, in quibus ob caloris exuperantiam tota flatuum materia diſcutitur, ſi cerebro ſuperfluus aliquis humor accedat, cui concoquendo impar ſit calor cerebri, facilè inde ventriculi cerebri, & ſi quæ ſunt in eo inania ſpatia, nares quoque, flatu replentur. Itaque duæ cauſæ flatuum, calor & humor ab Hippo. hoc Aphoriſmo ſtatuuntur: quæ ſolæ intra cranium poſitæ ſternutationem mouent. Sunt verò & aliæ, quædam externæ, vt ſi quis penna irritet nares, qualis cauſa quia cum motu fit, motus autem calfacit ad calorem poterit referri: item medicamenta πταρμικὰ vocata, quæ calfaciendo ſternutationem prouocant: qualis eſt odor condiſi, piperis, ellebori, euphorbij: aliquando aër ex pulmone ſurſum elatus compreſſo confertim thorace. Ariſtoteles in vniuerſum dixit, id fieri calore humorem commouente & in flatum reſoluente, quem copia vel qualitate irritantem natura mouet ad excretionem, idque rectè ſi ſimul tenuem & acrem humorem comprehendas, qualis eſt in diſtillationibus: vnde colligit dormientes non ſternutare, quoniam cerebrum refrigeretur & quieſcat calore intus ad cor reuocato: & confricato oculo, dum calor & moleſtia foràs auocatur, & maximè donec lachryma effluat, ſternutationem non moueri.*

APHOR.

## APHOR. LII.

ΟΚόσοισιν ἧπαρ περιοδυνᾶται, τουτέοισι πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὴν ὀδύνην.

*QVibus iecur vehementer dolet, iis febris ſuperueniens ſoluit dolorem.*

ATtigimus hanc ſententiam ſect. 6. Aphori. 40. hîc autem agit de dolore hepatis vehementi, à flatu craſſo incluſo, neque exitum habente. Nam eſt etiam dolor ab obſtructione, ſed qui non eſt tam vehemens. eſt & à vehementi inflammatione, & eryſipelate: ſed tum eſt febris. Dolorem vero illum leuat febris ſuperueniens, quia tenuat, diſcutit, reſoluit, vacuat eos flatus.

## SCHOLIA.

*APhoriſmus hic in Aphor. 40. lib.6. poteſtate dictus eſt: niſi quòd ibi indifferenter hypochondrium, hîc vero dextrum definitum eſt. Dolet autem hepar, non in ſuo parenchymate, hoc enim nullum neruum habet, nec habere opus fuit: non in venulis ſuis, ſed in membrana ſua, quæ duos neruorum ſurculos recipit, ne hepar ſenſim ſtirpis modo expers eſſet. Hi autem neruorum ſurculi quia rari, tenues ac modici ſunt, grauem ac vehementem dolorem excitare non poſſunt. Proinde qui dolor iecur exercet, ſi vehemens extiterit, à conuexis potius, quàm corpore iecoris eſt, nimirum à muſculis, tunicis, venis, vinculis, meſenterio, & eo, quod pancreas appellatur, partibus nimirum iecori vicinis.*

## *APHOR. LIII.*

Ὁκόσοισι συμφέρει αἷμα ἀφαιρέεσθαι ἀπὸ τῶν φλεβῶν, τουτέοισι χρὴ ἦρος φλεβοτομέεσθαι.

*QVibus ſanguinem è venis detrahere conuenit iis vere ſecanda eſt vena.*

SEntentiam hanc expoſuimus Apho. 47. lib. 6. Vere plurimus ſanguis eſt, qui cùm maiorem locum occupet, plenitudinemque faciat niſi detrahatur, craſſior fiet, & tandem degenerabit in melancholicum ſuccum, facietque autumnales morbos. Quare vbi eſt plenitudo ſanguinis, ſecanda eſt vena, & præcipue Vere, quia tum vires ſunt robuſtiores.

### *SCHOLIA.*

*COnſilium eſt prophylacticum. Neutra corpora vitiis cacochymiæ aut plethoræ obnoxia, & quæ in morbos quos humorum fluxio parit, incidere leui de cauſa conſueuerunt, ab imminentibus morbis vindicanda ſunt, ſanguinis miſsione Vere celebrata. licet enim Vere vtrunque euacuationis genus, nimirum purgatio, & ſanguinis miſsio, huiuſmodi morbis arcendis conferat quemadmodum Apho. 47. lib. 6. dictum eſt: miſsio tamen ſanguinis tutiùs ac commodiùs Vere quã Autumno poteſt celebrari: quòd Vere non tanta ſubeſt humorum colluuies in corpore, cui purgatio debetur, quãta in Autumno: ſed ſola humorum fluxilitas, eorundem fluctuatio & ſanguinis ad externas partes fuſio ob verni temporis teporem commota. Qualis humorum ac ſanguinis impetus nihil aquè coercet ac reprimit, quàm miſsio ſanguinis. Adde quòd vires tunc temporis robuſtiores ſunt, corpus humidius eſt ob hyemis nutritionẽ, tempus magis moderatum, poteſtque corpus ab euacuatione melius reſtaurari, quas omnes cautiones miſsio ſanguinis poſtulat.*

## APHOR. LIIII.

Ὁκόσοισι μεταξὺ τῶν φρενῶν, καὶ τῆς γαστρὸς φλέγμα ἀποκλείεται, καὶ ὀδύνην παρέχει οὐκ ἔχον διέξοδον, οὐδὲ εἰς ἑτέρην τὴν κοιλίην, τουτέοισι κατὰ τὰς φλέβας ἐς τὴν κύστιν τραπέντος τοῦ φλέγματος, λύσις γίνεται τῆς νόσου.

*Qvibus inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum pituita concluditur, & dolorem adfert in alterutrum. ventrem viam non habens, iis per venas in veſicam verſa pituita, morbi fit ſolutio.*

INterpretes Hipp. quid per pituitam intelligendum eſſet contendebant, illam, inquam, concluſam inter diaphragma & ventrem. Scire oportet, quod vertex peritonei aliter atque aliter accipitur. In decumbente eſt vmbilicus, in recto ſumma illa pars quæ attingit diaphragma. Itaque, inter ſubſtantiã diaphragmatis & peritoneum, inter peritoneũ & omẽtum, ac peritoneũ & muſculos epigaſtrij, pituita poteſt cõtineri. Hîc intelligemus de ea capacitate, quæ eſt inter peritoneum & omentũ poſt diaphragma. *Dolorem infert.* vel quia pituita calefacta eſt, reſoluitur in flatus, vel etiã ob frigiditatem ſuã non habens exitum ad alterũ ventrem ſeu cauitatẽ, hoc eſt, ad thoracẽ, vel inteſtina, niſi reſudet per cutim in toto ventre. Ea pituita ſi per venas in veſicã feratur, neceſſe eſt prius tenuetur, deinde exugatur per orificia venarum, quæ illic ſunt & ita per venas beneficio naturæ ad renes deſcendat, ac tãdem per veſicam emittatur. Gal. lib. 6. de loc. affect. & 30. Apho. huius lib. ait naturam curare morbos: ſed quomodo, non poteſt intelligi à medicis. Itaque pituita illa non habens exitum ad alterum ventrem, tenuatur, exugitur, & tranſponitur à natura ad renes, excernitur per veſicam & ita ſoluitur morbus, ſed hoc rarum eſt.

## SCHOLIA.

*Miraculum eſt naturæ morbos ſoluentis per vias penè incognitas ac inaſpectabiles, obſeruatum ab Hippo. Quòd pituita collecta ac concluſa in eo ſpatio, quod medium eſt inter ventriculum & ſeptum tranſuerſum, à vulgo fouea ſtomachi appellatum, ibique grauiſsimum dolorem excitans ob flatus quos de ſe plurimos ſuſcitat dum illic hærens tepido illius loci calore incaleſcit (ſolet enim pituita quæ craſſa ac viſcida eſt ab imbecillo calore flatuari) ſolutionem doloris adfert, tranſmiſſa ea ad renes, & à renibus ad veſicam, licet nullus ductus aſpectabilis ac conſpicuus ſe offerat, per quem ab eo ſpatio in renes ea tranſmitti poßit pituita. Oportet igitur huiuſcemodi pituitam naturæ valentis induſtria viam ſibi moliri cæcam atque latentem, eamque tranſſumi in gibbas hepatis ob vicinitatem, indeque ad renes deduci. Solet nimirum natura quemcunque humorem concoxerit aut euicerit, ſtillatim excernere per meatus quoſdam cæcos ac anguſtos: tanta eſt eius induſtria in iis peragendis, quæ ad tuendam animalium ſalutem conferunt, quemadmodum docet Hipp. Apho. 1. 2. 3. ſectionis quintæ lib. 6. Epid.*

## APHOR. LV.

ΟΚόσοισι ἂν τὸ ἧπαρ ὕδατος πλησθὲν εἰς τὸ ἐπίπλοον ῥαγῇ, τουτέοισιν ἡ κοιλίη ὕδατος ἐμπίπλαται, καὶ ἀποθνήσκουσι.

*Quibus iecur aqua plenum eruperit in omentum iis venter aqua expletur, atque moriuntur.*

Iecur nō poteſt impleri aqua, ſed peritonei pars, quæ ambit ipſum, poteſt. Et quemadmodum in cute naſcuntur veſicæ aqua plenæ: ſic in membrana ambiente hepar. Quæ veſicæ ſi diſrumpantur, aqua effunditur in

ſpatium illud vbi continetur aqua hydropicorum, aliquando inter omentum & inteſtina. Sed ſi inter omentum & peritonæum, moriuntur, quia aqua illa non habet exitum, niſi vacuetur beneficio naturæ, vt ſuperiore Aphor. Aliquandò quoque per inteſtina & interdum medicamentorum admotione.

## SCHOLIA.

*Prognoſticon eſt funeſti exitus hydropicorum aſcite laborantium. Anguſta ſpes eſt ſalutis hydropicorum aſciticorum quum ab hepate erumpunt aquæ in omentum, id eſt, intra omentum: non ante omentum, vtpote in illud ſpatium quod eſt inter peritonæum & omentum: non ſub omentum, vtpote inter omentum & inteſtina: ſed intra omentum, ita vt aquæ totam omenti ſubſtantiam peruaſerint, eiuſque cauitatem omnem ac ductus repleuerint, & ab omento in ventrem magna copia confluxerit. Seroſus húmor labefactatæ hæmotoſeos hepatis ac venarum in hydrope, ſoboles, cum præ copia in venis hepatis contineri amplius nequit, natura duce varias ſibi ad exitum molitur vias ab hepate: Aliàs, per venas in omne corpus permeat, cutique imbibitur velut papyro aut ſpongiæ: Alias, anguſtis occultiſque poris in abdominis capacitatem tranſſertur: Alias, exeſo, aperto, ruptoue vaſe aliquo ſine ſanguine ſolus, uti per renes, excidit, & in abdomen illabitur, haud ſecus atque ſuppurans pleuritis exeſa aut diſciſſa pleura confertim irruit in thoracis capacitatem: Alias, in fœmora & in pedes maximè poſt inambulationem, interdum in ſcrotum, nonnumquam in thoracis ſpatium, aut vterum velut cuniculis viam ſibi inuſitatam parat: Alias, vbi hepatis, aut lienis, aut meſenterij ſubſtantia, ob icterum aut ſcyrrhum iamdiu contractum, aut febrem ardentem, aut calidiorum, præſertim vini meracioris libe-*

*raliorem vſum, ſiccitate humoriſue penuria exarefacta, ceu rimulis quibuſdam dehiſcit, eiuſque membrana ambiens diſrumpitur, vt non amplius tenue ſerum continere poßit, ſenſim aqua quaſi ex fiſſa olla, ſtillat in vacuum abdominis ſpatium, vnde mors ſtatim obrepit: Aliàs, vbi ſola viſceris ſubſtantia ita arefacta diffinditur quidem, ſed ambiens eius membrana manet integra, aqua non excidit ſed veſiculæ aqua plenæ (quas Græci* ὑδατίδας *nominant) excitantur, quales ſæpe in pecudum iugulatorumque boum iecore cernuntur, à quibus aqua in omentum erumpit, & ab omento in ventrem: habet enim omentum peræ & impertuſi infundibili ſpeciem quo intra ſe portæ caudicem excipit, per cuius ramos aqua in cauitatem omenti, tanquam in marſupium quoddam effunditur. Sanabilis ergo hydrops aſcites, cum aqua in venis cauæ partis hepatis collecta, effunditur in ventrem, hoc eſt, aut in inteſtina: aut in capaci ſpatium illud ventris quod continet iecur, lienem, ventriculum, inteſtina, vterum, veſicam renes. Sic enim Aphor. 14. ſect. 5. hydrope detento, ſi aqua è venis in ventrem defluxerit, ſoluitur morbus: dummodo nullum ſuperſit vitium in hepate & venis quod deintegro aquam regeneret. Aqua autem illa, quæ ab hepate ad ventrem defluit: vel per venas illuc defluit, vel per cæcos occultoſque poros exudat, indeque per venas meſenterij à quibus exugitur, aut etiam per latentes anguſtoſque poros ad inteſtina tranſfertur. At verò inſanabilis ac pene funeſtus aſcites, ſi vitia lateant in viſceribus, ſi hepar ſcyrrho confirmato, aut corruptela ſubſtantiæ, aut inteſtina hectica intemperie laborent: tum enim aqua in ventrem confertim confluens, & per aluum aut veſicam quantumuis copioſa excreta, hydropen non ſoluit, ſed remanente vitio viſcerum, aqua copioſior ſuccreſcit poſteà: nam exhauſto fontis alueo, ſiquidem ſcaturigo viua incolumis eſt, ille aqua facilè repletur. Funeſtus quoque aſcites, in quo ſeroſus humor tanta copia hepar obruit*

*vt non modo eius venis, ſed & tota eius ſubſtantia eo refertis ipſum hepar in tumorem œdematoſum attollat: aut plurimas veſiculas intra membranam illud ambientem aqua plenas excitet. Si ergo hepar aqua iſta plenum, tantam aquæ copiam præ imbecillitate nec continere, nec in ventrem excludere poßit: ſed eam non antè aut poſt, ſed intra omentum ſinat erumpere, morbo iam calamitoſo noua accedit calamitas: non enim citra omenti perniciem illa aqua intra omenti cauitatem recipi ac contineri poteſt, cum omentum membrana ſit admodum humida, paucißimi caloris particeps, ob adipem & membranas ex quibus plane contexitur, ideoque facile ab ea aqua offendi poteſt: Hinc fit vt hepate ac omento aqua illa plenis, totus venter in miram molem promineat, eaque ab hepate & omento confertim, erumpente repleatur: vnde mors tandem obrepit, quòd natura duplici mobro vtroque ſeorſim lethali fatigata, planè ſuccumbat.*

## APHOR. LVI.

Ἀλύκη, χάσμη, φρίκη, οἶνος ἴσος ἴσῳ πινόμενος, λύει τὴν νοῦσον.

*ANxietudo, oſcitatio, horror, vinum pari aquæ portione potum ſoluit.*

Ἀλύκη Gal. com. 2. de rat. vict. in morb. acut. & in Epide. quid ſit explicat. Dicitur & aliter ἀλυσμὸς, ἄλυσις, ἄλη καὶ ἄση, ἀπορία, δυσφορία καὶ ῥιπτασμὸς. eſt autē ἀλύκη, quando ſanus vel æger neſcit ſtare loco, conſilia & animi cogitata ſæpe mutat, moleſteque ſe habet ad ea quæ offeruntur. Huius rei cauſa eſt humor acris & feruens in hypochondriis & primis venis, vt in febribus æſtuoſis & ardentibus. aliquando etiam, id fit

inflammatis viſceribus, vel quia natura ita grauatur, vt non poſſit ſuſtinere corpus. hæc omnia ſunt lethalia, poteſt & ſanis accidere de quibus hic agimus. Eſt enim in ſanis ἀλυσμὸς, cuius meminit Hippo. initio lib. 2. de victu acut. vt ſi quis aſſuetus vitæ temperatæ plus ſolito comederit, aut biberit, noctu ſemper immutabitur & huc atque illuc iactabit corpus, vt in pueris apparet, Alter eſt ἀλυσμὸς cuius hîc meminit Gale. cum humor in orificio ventriculi qualitate ſua naturam irritat. Auicenna dicit id aliquando fieri, propter multitudinem excrementorum in toto genere muſculoſo. Itaque ſiue ſit copia immodica cibi & potus, ſiue humoris qualitas, ſiue excrementorum multitudo, hæc omnia conueniunt. Iam oſcitatio, fit vbi multus flatus collectus in muſculis thoracis & maxillaribus, cogit maxillam inferiorem aperiri, horror fit à materia flatibus permixta quæ agitur & commouetur in genere muſculoſo. hæc autem omnia ſymptomata febres denunciant, niſi occurratur, & eadem ſoluit vinum. Difficultas eſt, an de vino temperato æquali aquæ, an de meraciore intelligat. Non eſt veriſimile intelligi de vino aqua temperato, quia vinum dilutum diſſoluit robur ventriculi & implet ventrem flatibus. Veteres volebant vt tertiæ parti vini, vna pars aquæ adhiberetur, nec æqualis eſſet menſura vini & aquæ. Si vinum dilutum vires diſſoluit, non conuenit ἀλύκῃ ab humoribus crudis natæ. Itaque Hippo. imperat vinum meracius, nõ dilutum. Apud Atheneum, eſt Mneſitheus qui dicit ἴσον ἴσῳ & agit de largiore potu & meraciore: quia ſi re vera ἴσον ἴσῳ, ex æquali aquæ & vini menſura facit maniam, veteres ergo vſi ſunt hac voce ἴσον ἴσῳ, vt hîc intel-

intelligatur de vino meraciore, quia calefacit, tenuat, coquit, vacuat, quæ omnia hîc requiruntur.

## *SCHOLIA.*

*VIno, inquit Galenus, ineſt vt ſit alimentum, potus & medicamentum: quoniam non ſolum celerrimè nutrit, facilè in ſanguinem vertitur, optimi ſucci eſt, ſolidas partes nutriendo humectat, ſitim extinguit, quoſcunque ſpiritus citiſsimè reficit, ſed & ſuo calore ac ſiccitate, ſuaque mira tenuitate & permeandi celeritate plurimis corporis affectibus potiſsimum frigidis, aut humidis medetur: idque non tantum purum & ſimplex, ſed & aquæ miſtione perfuſum ſumptum aut admotum. Quia enim calidum eſt & ſiccum ad tertium vſque gradum, ſi modò illud generoſiſsimum fuerit, non poteſt in omnibus naturis aut morbis etiam paulò frigidioribus, nedum calidioribus, quouis tempore, quacunque ætate, quocunque cœli ſtatu tutò vſurpari, niſi eius feruor ac ſiccitas aquæ acceſsione atque admiſtione temperetur ac remittatur. Aquæ enim quia duæ qualitates humiditas ac frigiditas, inſunt qualitatibus vini nimirum calori ac ſiccitati contrariæ: ea præ cæteris liquoribus vini permiſta, vini calorem ac ſiccitatem retundere poteſt: quanquam minùs calorem, quàm ſiccitatem: quòd aqua ſummè humida ſit, non item ſummè frigida: Quò fit, vt vini calor non facilè cedat aquæ frigori, nec vini calidæ partes aquæ perfuſa tam facilè auferantur, quin in vnum ſæpe à frigido coacta, vt in calcis exemplo obſeruamus, fortiores euadere, aut potentius frigori aquæ reſiſtere poßint, donec vini & aquæ partes ad minimas particulas redacta fuerint. Sic enim mutua actio & paßio, qualitatum contrariarum, earumque inuicem confuſio, tantò promptior atque facilior contingit quantò ad minores particulas fit diuiſio. Proinde, ad retuſionem caloris vini oportet largiorem aquæ affu-*

ſtonem accedere, & potius vinum aquæ, quàm aquam vino permiſcere, à permiſtione vtrunque impenſius agitare, & antequam bibatur aut admoueatur aliquantulũ reſidere ſinere. Quãquam ne ſic quidem vini calor ac ſiccitas ex aquo deperire aut retundi poterunt, ſed ipſa magis ſiccitas, & ex ea retuſione vinum dilutum multò humidius quàm frigidius effici. Præter tẽperationem quam aqua vino adfert, vini quoque vaporationem, vnde varia ſymptomata oboriri ſolent, coercet. Vim quoque extenuandi quã habet inſignem magis auget. Aqua enim vino mixta, cogit vinum diutius morari in parte, indeque ſuas vires promptius exercere. Nam vinum per ſe præceps agitur per vniuerſum corpus, aqua verò ſua tarditate in ſingulis partibus diutius cunctatur, vinumque ſibi mixtum retinet: à vino autem hoc mutuũ emolumentum aqua accipit, quòd ab eo tanquam vehiculo feratur ac ducatur per vniuerſum corpus, alioquin ſola in hypochõdriis diutius morari ſolita. Proinde medicorum prudẽtiam callere viſi ſunt, qui primi, vini diluendi vſum excogitarunt. Varius autem olim fuit miſcendi modus. Veteres Græci quam minimam vini partem aquæ plurimæ miſcebant, & potius merum aquæ quam aquam mero addebant. Heſiodus tres aquæ partes quartæ parti vini, quum exhilaratur animus in feſtis addi iubet: Athenæus ſcripſit, Græcos duos vini Cyathos ad quinque aquæ, vel vnum ad tres bibere ſolitos, vnde natum illud prouerbiũ celebre: Aut quinque bibe, aut tres, aut ne quatuor: omnis ſenſus eſt, aut in duas vini partes quinque aquæ addendas, aut vni tres, non autem quatuor, quia hæc mixtio & voluptatem vino adimat & ſalubritatem. Hip. aliam mixtionem in hoc Aphoriſmo tangit, vbi ait, vinum æquale æquali epotum ſanare anxietudinẽ, oſcitationem & horrorem: vino videlicet & calore ſuo humiditates, quas vel ventriculi tunicæ imbibunt, vel muſculi continent, vel per cutem feruntur, diſſoluente ac ſeparante: aqua vero nõ tam pellente aut euacuante vinum & vnà cum vino iſtas hu-

*miditates per vrinas, vt voluit Galenus in Commentario, quàm vinum retinente ac cogente, vt diutius moretur in parte, quod alioqui ſubito digeri ſolet. Verum cùm non pauciora, quàm mixtionum quæ in vſu ſunt, vinorum ſint genera, atque inter ea infima quædam inueniantur parum ab aquæ omphaciique natura recedentia, propterea nulla certa dari poteſt mixtionis regula: ſed ita metiendus eſt aquæ modus, vt vini & aquæ nocumenta vitentur & emolumentum adferatur: plus nimirum vel minus aquæ addatur, pro vini viribus, pro ſumentis ætate, conſuetudine, vitæ genere, pro affectus morboſi ſpecie ac magnitudine, pro anni tempore, & cæli ſtatu: ita vt, æquale hîc referendum videatur ad vires vini & ſumentis.*

## APHOR. LVII.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇ οὐρήθρῃ φύματα γίνεται, τουτέοισι διαπυήσαντος καὶ ἐκραγέντος, λύεται ὁ πόνος.

*Quibus in meatu vrinario generatur tuberculum, vbi ſuppurauerit & eruperit, doloris fit ſolutio.*

## SCHOLIA.

*Citatus eſt hîc Aphoriſmus ſect. 4. Aphoriſm. 82. hoc tantum diſcrimine, quod hîc labor ceu dolor additur, hoc eſt, cauſa laborem ceu dolorem faciens in meiendo ſoluitur ſupurato & rupto tuberculo: Illhîc dolor non additur.*

## APHOR. LVIII.

Ὁκόσοισι δ᾽ ἂν ὁ ἐγκέφαλος σεισθῇ ὑπό τινος προφάσιος, ἀνάγκη ἀφώνους γενέσθαι παραχρῆμα.

*Quibus occaſione aliqua Cerebrum fuerit vehementer concuſſum, mutos fieri protinus eſt neceſſe.*

ΣΕῖϑαι dicitur vbi quis ex alto cadit in caput (verbi gratia) & partes (vt apophyſes) quæ naturali compage cohærent rumpuntur, vel tenduntur & contrahuntur, ſpirituſque animalis ad cor retrahitur & colligitur. Tum neceſſe eſt mutos fieri, id eſt, ſine ſenſu, voce & motu, donec ſpiritus ille recurrat ad eas partes, quibus erat antea diſtributus.

## SCHOLIA.

*Citatur hic Aphoriſmus ſectione 3. lib. 3. Aphor. 3. Coac. & lib. 1. de morbis: in quo notatur ſymptoma inſigne, quod ad Concuſsionem Cerebri ſequitur, ſimul atque concuſſum eſt Cerebrum, nimirum ἀφωνία: prætermiſsis interim cæteris ſymptomatis, quæ tum ad Concuſsum, tum ad vulneratum Cerebrum ſolent etiam aut ſtatim ſubſequi, aut eidem ſuperuenire: qualia ſunt febris & bilioſus vomitus de quibus Aphor. 50. lib. 6. linguæ balbuties, ſubitus in terram caſus, vertigo, paralyſis, mentis læſio &c. Concuſſum autem Cerebrum hîc intelligit Hip. quum cerebrum intra Caluariam contentum violenter concutitur, commouetur ac perturbatur, ob caput ad durum corpus vehementius alliſum: vt ſi quis ab alto in caput ceciderit, aut id parieti vel pauimento alliſeris: aut ob caput percuſſum obtuſo telo, lapide, ligno quod non incidat, ſed contundat: ex quibus cauſis manifeſtus, vulnus & contuſio tanquam proximi effectus relinquũtur. Ab his autem cauſis violentis cerebrum ideò facilè commouetur ac perturbatur, quòd in eius ambitu vacuum ſit ſpatium, in quo eius corpus alioquin laxum ac medulloſum nec vllis aliis corporibus ſatis validis, ſed ſolis exilibus venis, neruis, ac membranis tenuibus confirmatum ac ſubnixum, ad violenti ictus aut caſus impetum capitis facilè elaxetur ac commoueatur: eóque faciliꝰ, quanto in ipſius am-*

*bitu vacuum ſpatium eſt amplius, & multò magis in ſenibus quibus ætatis ratione Cerebrum inaruit. Commotionem iſtam Græci σεῖσιν appellant, qualis à violento caſu, aut ictu vertebris ſpinæ accidere poteſt, quoties ab his cauſis violentis harmonia ipſarum tanta fit commotio ac deprauatio, vt contenta ipſarum cauo dorſalis medulla laboret. Ex hac autem commotione Cerebri duplex euentus emanat. Nam interdum ſola virtus animalis, violenta commotione offenditur, ob idque ſeſe in Cerebrum colligit velut perterrita, atque otiatur: aut propter validum dolorem ex toto ſpiritus in Cerebrum reuocat, ſine oſsis fractura, aut vlla neruorum, venarum, vel membranarũ ipſius cerebri diſruptione vel aliqua læſione partium contentarum in Caluaria, vnde vel ſtupor, ceu ἔκπληξις ſuboritur, vt vult Hip. aphoriſm. 2. lib. 7. ſectionis ſecundæ Coac. in qua aliquando neque loquuntur ægri, neque agunt quicquam, ſed apertis oculis manent immoti, iis qui metu & pauore ſunt perculſi aut attoniti, ſimiles: vel totius corporis impotentia ac infirmitas ἀκρασία Hip. ibidem nominata vel ἀφωνία id eſt vocis, locutionis, viſus auditus, omnis denique motus voluntarij aut ſenſus læſio. Etenim hîc Hip. per ἀφωνίαν quæ propriè vocis priuationem ſignificat, eos omnes affectus comprehendit, in quibus motus voluntarij aut ſenſus grauiter oblæduntur. Conſueuit enim vno ſæpe quàm manifeſto ſymptomate cætera omnia quæ ſunt eiuſdem generis intelligere: non aliter quàm ptiſanæ nomine in libro de victus ratione, vinum, oxymel & quæcunque ſimiles vires habent comprehendit. Alter euentus qui ex commotione Cerebri accidit, eſt cùm offenſa per Cranium ad cerebrum vſque peruenit, ita vt ex neruis quidam valde tendantur, alij diuellantur, aut aliquid in Caluaria, Cerebro, vel ipſius membranis rumpatur. Vtroque euentu contingit ægros ſtatim voce priuari, non videre non audire ac ferè mori. Priore tamen, magna ex parte ad ſe redeunt, poſtquam facultas animalis ſeſe receperit ſibique reſti-*

*tuta fuerit praecedente leui quodam delirio. Poſteriore vel attoniti & ſoporati moriuntur: vel vbi ad ſe redierint, in multò grauiora ſymptomata incurrunt pro varia vulneris natura & partium vulneratarum ratione, ſiue cutis adhuc integra aut parum vulnerata appareat, ſiue os nudatum ſit & conſpicuum. Superueniunt enim inflammatio, febris acuta, delirium, pulſatio vehemens, conuulſio, ſyderatio, tandemque mors, niſi opportunè tradita ab Hip. methodo opportunè occurratur: niſi perforatione cranij ſerra aut terebello, vt foramine dilatato, humores effluant & foras pharmacis attractoriis eliciantur. Vnde colligas ex Galen. 7. de Plac. Hip. & Plat. ſpiritum neque ſubſtantiam animi eſſe, neque domicilium, ſed primum tantum ipſius inſtrumẽtum ad ſenſus omnes & motus: Quòd videlicet per eiuſmodi vehementes Cerebri concuſſiones reſolutus ac exinanitus nequaquam animali vitam adimat, ſed ſtupidum ſenſu motuque ereptò tantiſper reddat, quoad rurſus collectus reſtituatur: alioqui enim ipſo ex vulnere diſſipato, animal neceſſariò interiret, quemadmodum Cerebri corpore vehementer diuulſo, quia in eo animus ipſe reſidet, animal interire neceſſe eſt.*

## *APHOR. LIX.*

Τοῖσι σώμασι τοῖσιν ὑγρὰς τὰς σάρκας ἔχουσι, δεῖ λιμὸν ἐμποιέειν· λιμὸς γὰρ ξηραίνει τὰ σώματα.

*Corporibus humida carne praeditis perferẽda fames eſt: nam fames ſiccat corpora.*

Humiditas corporis diſſoluitur nunc ab ambiente aëre, nunc ab noſtro calore natiuo. Ob id ſi quis habitet in loco obſcuro, non habet appetentiam: Sin loco benè perflato, habebit. Sic animalia quae degunt ſub terra minus appetunt, diutiuſque (vel per totam

hyemem) famen tolerant: quia nihil iis diſſoluitur ſubſtantię. Ponamus iam corpus mollius eſſe & humidius famem adhibere oportet, quæ exſiccat. Vt enim, in lucernis niſi refundatur oleum, reſiccabitur elychnium: Sic, in nobis. Si nihil aſſumat corpus, exſiccabitur. At calor natiuus in illo corpore molliore interim nutrietur pituita & ſanguine.

## SCHOLIA.

*QVadruplex in corpore humiditas, primigenia, elementaris, alimentaria, & excrementitia. Primigenia, nunquam excedere, aut vitium aliquod in corpore facere poteſt, imò vero quò vberior extiterit, eò laudabilior. Tres reliquæ ſi modum excedãt in vitio ſunt: Proinde exiccandæ ne corpori incommodent. Hæ autem non modò in Carnoſis partibus, ſed & in ſolidis modum poſſunt excedere: minùs quidem in ſolidis, quòd hæ ſicciores ac duriores non facilè ab humido tententur, inquit Hip. lib. de veteri medicina: magis verò, in Carnoſis, quòd hæ humidiores ac molliores. Carnis autem nomine intellige non modo carnem illam triplicem Hippocrati nominatam vnam: quæ fibras muſculorum complectitur: alteram, quæ propria eſt cuiuſque viſceris ſubſtantia quam Græci parenchyma vocant: tertiam, quæ viſcerum febris ac partibus membraneis circumhæret: ſed & adipem, glandulas, omnes denique partes molles, laxas, ac humidas in corpore. Fames ergo, non ea quidem quæ eſt vehemens & inſatiabilis ciborum auiditas, quam meri potionem ſoluere dixit Hippocrates Aphoriſm. 21. lib. 2. illa enim morboſa eſt: ſed ea quam inedia ceu ciborum penuria aut ab illis abſtinentia ſiue uoluntaria ſit, ſiue præter voluntatem, parit, ſiccat humiditatem illam triplicem, potiſſimùm verò excrementitiam, eamque vel imbibitam carni, vel in Cauo partium*

*cauitatem habentium, vt pulmonum, vteri, veſicæ, ventriculi, inteſtinorum collectam: non quidem vi vlla ſiccante: ſed ex euentu, calorem natiuum acriorem reddendo, bilem augendo, pituitam abſumendo: ſi modo ea ciborum penuria modica fuerit, quæ enim immoderata eſt calorem natiuum debilitat, & enecat ex Aphoriſm. 4. lib. 2. Fames autem multo tutius ac ſecurius corpora carnes humidas habentia ſiccat, quàm quoduis aliud auxilij genus vim habens ſiccandi. Sitis quidem potẽtiſſimè ſiccat multoque potentius quàm fames: ſed famis quàm ſitis facilior ac tutior tolerantia. Exercitium, medicamenta purgantia, venæ ſectio, laconica, vigiliæ, medicamenta exſiccantia, & multa alia ſiccant: ſed nec æqualiter, nec citra caloris ac partium viſcerumque interiorum aliquod incommodum. At fames æqualiter totum corpus, ſine vlla agitatione ſiccat, nulli corporis parti læſionem adferens, ne ipſi quidem cordi, aut iecori, quantumuis ea immoderata fuerit, Sic enim Galenus in lib. de Tabe: In fame enecto animali, cor & iecur non tabeſcunt.*

## *APHOR.* LX.

Ὁκόταν ἐν ὅλῳ τῷ σώματι μεταβολαὶ, καὶ τὸ σῶμα καταψύχηται, καὶ πάλιν θερμαίνηται, ἢ χρῶμα ἕτερον ἐξ ἑτέρου μεταβάλλῃ, μῆκος νούσου σημαίνει.

*VBi toto corpore mutãtio & corpus refrigeratur viciſſim caleſit, aut calorem alium ex alio mutat, morbi ſignificatur longitudo.*

HIc Aphoriſmus & ſequens 61. expoſiti ſunt ſect. 4. 40. & 42. Aphoriſmis.

## *APHOR.* *LXI.*

Ὑδρὼς πολὺς θερμὸς ἢ ψυχρὸς ῥέων αἰεὶ, σημαίνει ἔχειν πλησμονὴν ὑγροῦ ἀπάγειν οὖν χρὴ τῷ μὲν ἰσχυρῷ ἄνωθεν, τῷ δ' ἀσθενεῖ, κάτωθεν.

*Sudor multus calidus aut frigidus ſemper fluens humiditatem in robuſto quidem ſupernè; imbecillo verò infernè vacuandam eſſe demonſtrat.*

## *SCHOLIA.*

*Explicatæ ſunt cauſa ſudoris multi, calidi, vel frigidi ſectione quarta, Aphor. 37. 38. 42. Hîc verò adfertur curatio ſudoris multi, calidi, vel frigidi: non quidẽ ſudoris illius multi, qui ad multam cibi repletionem ſequitur: ſed qui ex humorum copia ſuſcitatur, foraſque erumpit in morborum initio augmento, progreſſu, non modò acutorum, ſed & diuturnorum. Materia igitur, unde ſudor multus ſiue calidus ſiue frigidus emanat, purganda per vomitũ in robuſtis corporibus: per aluum verò in imbecillis. Si modò humoris redundantis qualitas, ægrotantis temperatura ac ætas, regio, cœlique ſtatus id patiantur: alioquin indicatio iſta à viribus deſumpta vana omninò futura eſt. Quanquam, ſi per vomitum decernenda ſit purgatio, ea tutior ac ſecurior multò in robuſtis, quàm in languidis foret: quòd ſuperna purgatio plus adferat moleſtiæ, quàm inferna, tum ob humoris grauitatem, tum ob inſolentiam.*

## *APHOR. LXII.*

ΗΝ τις τῷ πυρέσσοντι τροφὴν διδῷ, τῷ μὲν ὑγιαίνοντι, ἰσχὺς, τῷ δὲ κάμνοντι, νόσος.

*Si quis febricitanti cibum præbeat, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.*

Galenus reiicit hunc Aphoriſmum, quia eſt alienus à ſententia Hippocratis. Re vera in ſanis tantùm eſt exhibendum alimenti, quantùm ſatis eſt ad robur

naturæ augendum. Febricitantibus verò, quantum, ſatis eſt ad vires conſeruandas : idque quod coquatur 4. 5. vel ſex horis, pro natura ægri & coquendi modo. Alij enim citius, alij tardius concoquunt.

## SCHOLIA.

*Cibi ſumendi aut exhibendi ratio in ægrotis, non à morbo, ſed ægrotorum viribus captanda eſt. Omnis enim morbus, quatenus morbus, perpetuam inediam poſtulat, quòd cibus ægrotanti exhibitus morbum adaugeat, duabus potiſsimùm de cauſis. Vna, quòd naturam reuocet à coctione morbificæ materiæ, eamque iam ſatis debilem nouo onere fatiget. Altera, quòd materiam morbificam ſuo appulſu auctiorem magiſque impuram reddat, in cuius nimirum naturam ſtatim conuertitur cibus, ſi quidem non pura corpora, quò magis nutries eò magis lædes. Non ergo cibus exhibetur ægrotis, vt morbus arceatur, ſed vt vires conſeruentur: quæ quò fortiores ac vegetiores fuerint, eò magis cibus erit denegandus ac omninò ſubtrahendus. Sanis verò exhibetur cibus, non tantum ad conſeruationem, ſed & ad auctionem virium. Proinde cibus ſano exhibitus, virium robur: febricitanti verò morbum auget.*

## APHOR. LXIII.

Τὰ διὰ τῆς κύστιος διαχωρέοντα ὁρᾷν δεῖ, εἰ οἷα τοῖς ὑγιαίνουσιν ὑποχωρέεται. τὰ ἥκιστα οὖν ὅμοια τουτέοισι, ταῦτα νοσωδέστερα· τὰ δὲ ὁμοιότατα τοῖσιν ὑγιαίνουσιν, ἥκιστα νοσερά.

*Quæ per veſicam permeant ſpectare oportet, an talia ſint qualia ſecunda valetudine ſubeunt. Nam, quæ his minimè ſunt ſimilia, inſalubriora: quæ verò valentibus ſimiliora, minimè inſalubria.*

TOtum prognoſticum eſt in hac re ſimilia ſanis ſunt ſalutaria,& diſſimilia non ſunt ſalutaria. Quæ enim recedunt longius à ſanis (vt vrinæ, excreta, appetentia cibi, ſomnus, quies, corporis ſtatus,) periculoſiora ſunt.

## SCHOLIA.

*AXioma eſt therapenticum. Illud excrementum eſt minimè ſano ſimile, quod à naturali ac ſano differt, colore, ſubſtantia, & contentu: ac proinde paulò inſalubrius, non morboſiſſimum tamen ac periculoſiſſimum: vt, ſi vrina ruffa ſit, craſſa, habeatque hypoſtaſin rubram, nec penitus ſubſidentem. Morboſiſſimum verò, quod maximè eſt contrarium ſano, vt ſi vrina nigra ſit, contentumque habeat nigrum.*

## APHOR. LXIIII.

ΚΑὶ οἷσι τὰ ὑποχωρήματα, ἢν ἐάσῃς στῆναι, καὶ μὴ κινήσῃς, οἷον ὑφίσταται ξύσματα, καὶ ἢν ὀλίγα ᾖ, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται, ἢν δὲ πολλὰ, πολλή, τουτέοισι ξυμφέρει ὑποκαθῆραι τὴν κοιλίην. ἢν δὲ μὴ καθαρὴν ποιήσας διδῷς τὰ ῥοφήματα, ὁκόσα ἂν πλέω διδῷς, μᾶλλον βλάψεις.

*ET quibus hypochoremata ſi reſidere permiſeris nec moueris, ſubſident veluti ſtrigmenta, quæ ſi pauca ſint, paruus morbus eſt: ſi verò multa, magnus: his aluum infernè purgari conducit. Alioqui, ſi non repurgata aluo ſorbitiones exhibueris, quantò plures dederis, tanto magis offenderis.*

INterpretes Hippocratis de interpretatione huius Aphor. contendunt inter ſe, quem tamen Galenus

non putat eſſe Hippocratis. Contingit aliquando, in alui excrementis, quædam eſſe dura, quædam liquida, quædam velut ramenta, & ſtrigmenta, induratamque pituitam. Vnde intelligimus eſſe Cacochymiam corporis, & inæquabilitatem temperiei, crudamque materiam. Vtendum autem eſt, in hac affectione purgatione: Vt primùm repurgetur Cacochymia. Deinde ægrum interrogabimus, an ſentiat in aliqua parte maiorem calorem, in alia minorem. Quod ſi eſt, reducenda pars eſt ad naturalem temperiem.

## SCHOLIA.

*HInc duo axiomata therapeutica colligas. Vnum, ab excrementorum prodeuntium è corpore ægrotorum qualitate ac quantitate, morbi ſpeciem, magnitudinem ac medendi formam indicari. Craſſæ enim eæque multæ deiectiones, morbum contumacem, ac multum difficilem, eique pernecesſariam alui purgationem indicant. Craſſæ autem deiectiones dignoſcuntur ſi permixtæ liquidis, ſubſideant imumque vaſculi petant. Alterum, in morbis omnibus, maximè verò contumacibus & à craßis humoribus ortum habentibus, ante repurgatum toties corpus nullum alimenti genus, nedum ſorbitiones, niſi admodum parcè exhibendas: Impura enim corpora quò magis nutrias, eò magis lædas.*

## APHOR. LXV.

ΑΙ ἀποχρέμψιες αἱ ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τοῖσι μὴ διαλείπουσιν αἱ πελιδναὶ, καὶ αἱματώδεες καὶ χολώδεες καὶ δυσώδεες πᾶσαι κακαί· ἀποχωρέουσαι δὲ καλῶς, ἀγαθαί· καὶ κατὰ κοιλίην, καὶ κύστιν, καὶ ὅκου ἄν τι ἀποχωρέον στῇ μὴ κεκαθαρμένου, κακόν.

*EXcreationes in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, bilioſæ, fætidæ omnes malæ. Commodè tamen ſi prodeunt, bonæ per aluum etiam & veſicam, & quodcunque à corpore prodeat aliquid, ſi non purgatum reſtiterit, malum.*

HIc Aphoriſm. eſt expoſitus lib. 4. Aphoriſm. 47. Hoc tamen intereſt, quòd in huius fine ſit adiectum. Et vbi aliquid ſecedere debens ſteterit non purgatum, malo eſt. Aliquando naturæ vis expurgat & per vrinas & per aluum, quæ mala ſunt. Quòd ſi aliquid quod vacuandum erat manſerit in corpore, & non expurgatum fuerit, malum adfert, poteſtque recidiuas facere.

## APHOR. LXVI.

ΤΑ' σώματα χρὴ ὅκου τις βούλεται καθαίρεσθαι, εὔροα ποιεῖν· καὶ ἢν μὲν ἄνω βούληται εὔροα ποιεῖν, στῆσαι τὴν κοιλίην· ἢν δὲ κάτω, ὑγραίνειν.

*COrpora quum quis repurgare volet, fluxilia faciat oportet. Et ſi quidem ſuprà velit, aluus ſiſtenda: ſi verò infrà, laxanda.*

*Explicatus eſt hic Aphoriſm. lib. 2. Aphor. 9. addit ſi per ſuperiora: verùm, ſi intelligeremus vomitiones eſſe ſalubriores deiectionibus.*

## APHOR. LXVII.

ΥΠνος, ἀγρυπνίη, ἀμφότερα μᾶλλον τοῦ μετρίου γινόμενα, νοῦσος.

*SOmnus & vigilia ſi modum exceſſerint, morbus. Expoſitus eſt lib. 2. Aphor. 3.*

## APHOR. LXVIII.

Ἢν μὴ διαλειπούσῃ πυρετῷ, ἢν χεῖλος, ἢ ῥίς, ἢ ὀφθαλμὸς, ἢ ὀφρὺς διαστραφῇ, ἢν μὴ βλέπῃ, ἢ μὴ ἀκούῃ, ἤδη ἀσθενὴς ἐών, ὅτι ἂν τούτων γένηται, θανάσιμον.

*IN febre non intermittente, ſi labrum aut naſus, aut oculus, aut ſupercilium peruertatur, ſi non videat, non audiat, quicquid horum ægro debili acciderit, in propinquo mors.*

ENarratus eſt ſect. 4. Aphoriſm. 30.

## APHOR. LXIX.

Ἐν τοῖσι μὴ διαλείπουσι πυρετοῖσιν, ἢν τὰ μὲν ἔξω ψυχρὰ ᾖ, τὰ δὲ ἔσω καίηται, καὶ δίψαν ἔχῃ, θανάσιμον.

*IN febribus non intermittentibus, ſi externa frigeant, interna vrantur, & febris adſit, eſt mortiferum.*

EXplicatus eſt ſect. 4. Aphor. 40.

## APHOR. LXX.

Ἐπὶ λευκῷ φλέγματι, ὕδρωψ ἐπιγίνεται.

*ALba pituita, aqua intercus ſuperuenit.*

HIc Aphoriſmus eſt de incipiente ſpecie hydropis quæ leucophlegmatia dicitur, vbi totum corpus tumet, & venis & habitu corporis totius pituita repletis. Tum ergo ne abſoluatur hydrops, oportet eam pituitam purgare.

### SCHOLIA.

*HIc λευκοῦ φλέγματος nomine Hippocr. intelligit Cachexiam phlegmaticam, malum videlicet corporis habitum; in quo*

*plurima alba pituita. vel liuida aliis quibuſdam admixtis humoribus, tum in vaſis tum in toto corporis habitu aceruata eſt à frigida intemperie partium ſolidarum & hepatis, propter quam ſanguis aquoſus generatur, per carnoſum genus ſuffunditur, nec agglutinatur, nec aſsimilatur: vnde cutis exalbeſcit, viuidi caloris flos perit, caro mollior eſt & quodammodo tumida. Qualis Cachexia ſemper antecedit hydropen anaſarcan: interdum etiam alias hydropis ſpecies, quando ſenſim materia ſub abdomine colligitur. Eadem ſignificatione 6. Epid. Comm. 3. ſection. 70. Leucophlegmaticos dixit Hippoc. frigidi temperamenti homines, quibus molle corpus & tumidius quodammodo, propemodum vt aqua inter cutem affectis. quam leucophlegmatian appellant. Iſta autem alba pituita, alba dicta eſt, aut, quia non alia pituita ſit quàm alba, quomodo vertebræ ſpinæ dicuntur, cum tamen non alia parte ſint vertebræ, quàm in ſpina: aut, vt ab aliis pituitæ ſpeciebus diſtinguatur, quæ permiſtæ aliis colorem mutent: aut, non ad Colorem pituitæ, ſed eum quem corpori inducit* λευκὸν *referendum, vt ſcripſit Hippocrates libro* περὶ παθῶν. *Vbi reddit rationem cur* λευκὸν *additur, quòd videlicet in eo morbo color corporis albidus cernatur pituitæ ſuffuſione, quæ quanquam exactè alba non ſit, ſed vel liuida, vel quorundam humorum admiſtione à genuino colore mutata aquam inter cutem propriè dictam conſtituit. Vide Aphoriſm. 29. ſect. huius & Aphoriſm. 23. & lib. 6. ſect. 2. Coac. præſag. item Aphoriſm. 8. lib. 7. ſect. 2. eorundem Coac. præſag.*

## APHOR. LXXI.

Ἐπὶ διῤῥοίῃ δυσεντερίη.

A *Diarrhœa dyſenteria.*

EXpoſitus eſt huius ſect. Aphor.23. A ſyncera deiectione. Non ab omni alui profluuio fit dyſenteria, ſed à diuturno, & quando deiectiones ſunt biliosæ.

SCHOLIA.

*VIa ad dyſenteriam, eſt alui profluuium, qualecunque illud fuerit, ſiue bilioſum, ſiue pituitoſum, ſiue melancholicum, ſiue ſyncerum. Non enim dyſenteria abſque alui profluuio fieri poteſt: non quòd tamen omne alui profluuium in dyſenteriam deſinat ac terminetur. Occurrendum ergo alui profluuio, ne inde dyſenteria ſuboriatur.*

APHOR. LXXII.

Ἐπὶ δυσεντερίῃ λειεντερίη ἐπιγίνεται.

*DYſenteriæ ſuperuenit lienteria.*

PArs eſt Aphoriſm.43.ſect.6.

SCHOLIA.

*DYſenteria non tranſmutatur in lienteriam: ſed lienteria dyſenteriæ ſuperuenit frequentiſſimè: quòd à dyſenteria debilitentur inteſtina, quorum conſenſu & ventriculus debilitatur, unde lienteria: quòd item natura irritata dolore & ob frequentes deiectiones cibum incoctum excutit. Occurrendum ergo dyſenteriæ ne inde lienteria ſuboriatur.*

APHOR. LXXIII.

Ἐπὶ σφακελισμῷ, ἀπόστασις ὀστέου.

*A ſphaceliſmo oſſis abſceſſus.*

Σφακελισμὸς propriè eſt degeneratio inflãmationis in gangrænam & gangrænæ in corruptionem. Gal. ait Hippoc. non ſatis explicare, an oſſis corruptioné intelligat, an carnis. Non eſt neceſſe carne corrupta os abſce-

dere. Sed aliquando oſſa inflãmantur aut patiuntur aliquid ſimile inflãmationi, & fit in oſſe liuiditas, nigrities & caries. Porro ἀπόστασις intelligitur ἀπόστημα, vbi ſcilicet materia tumorem præter naturam facit. Os tamen abſcedit, vbi pars eius deperditur: Si in eo corruptio eſt & apparet mollities quædam eſt ſphaceliſmus oſſis propriè. Si hoc oſſi accidit, os abſcedit.

## SCHOLIA.

*QVid eſſet ſphacelos dictum eſt ſcholiis in Aph. 50. huius ſectionis. videtur autem hic* ἀπόστασις*, non abſceſſum ſubſequentem ad ſuppuratam phlegmonem: neque collectionem materiæ per congeſtionem aut defluxionem in aliqua parte ſignificare: ſed potius ſeparationem ceu exemptionem, aut totius aut partis oßis, à parte quam ſphacelos obſidet. Aut enim ſphacelos ſiue gangræna fit, ſiue gangrænæ terminus, carnem tantùm, aut os tantùm, aut vtrunque ſimul obſidet. Si carnem tantum, caro ea ſyderata duplicem ſyderationis occaſionem oßi adferet: vnam à ſua ſanie pernicioſa in os ipſum defluente, alteram, ob denudationem ac tandem refrigerationem nutrimentique priuationem, quæ oßi accedet ab euulſione ſibi ſuperiectæ carnis ſyderatæ. Os ergo ſyderatum cùm ad naturalem ſtatum redire nullomodo poßit, vel ſua ſponte abſcedit ac ſeparatur alioquin eximendum eſt, hoc eſt aut aliqua ſui parte abradendum, & quæ in eius ſuperficie adeſt caries tollenda cauſtico, aut alia arte, vel totum auferendum, ſi illud ex toto fuerit ſyderatum. Si verò os tantùm, aut os & oßi ſuperiecta caro ſyderata ſimul fuerint, os quoque aut totum abſcedet, ſi totum ſyderatum fuerit: aut eius pars carioſa abſcedet, ſi aliqua ſui parte non ex toto ſyderatum fuerit: aliquin ea abradenda deſquamandaque erit.*

## APHOR. LXXIIII.

Ἐπὶ αἵματος ἐμέτῳ φθόη, καὶ πύου κάθαρσις ἄνω καὶ τῇ φθόῃ, ῥεῦμα ἐκ τῆς κεφαλῆς, καὶ τῷ ῥεύματι, διάῤῥοια, καὶ διάῤῥοια σχέσις τῆς ἄνω καθάρσεως, καὶ τῇ σχέσει, θάνατος.

*A ſanguinis vomitione tabes & puris ſuperne eruptio à tabe fluxio de capite: a defluxu, alui profluuium, ab alui profluuio, retentio purgationis ſuperioris à retentione, mors.*

VEteres ferè vtebantur vocibus vſitatis vulgo. Non ſequitur tabes etiam ſi ſanguis euomatur à ventriculo: ſed benè ſequitur à ſanguinis ſputione, à pulmonibus. hic ergo confundit vomitum, qui generalior eſt cum expuitione. At ſi in ipſa tabe euomatur ſanguis ſeu expuatur, lethale. Nam in tabe materia illa retenta, calefacit pulmones & deinde cerebrum ipſum: quo calefacto fit attractio ab vniuerſo corpore in caput, & illic acrimonia contrahitur. Si ergo materia illa, quæ à cerebro defluit, petat rurſus pulmones, augebit tabem, vnde ſanguis expuetur. Si decumbat in ventriculum, excitabit vomitum ſanguinis, aut diarrhæam. Hippocra. lib. de morbis, vbi tradit curationem tabidorum, prohibet ne aluum molliamus: quia vbi commotum eſt alui profluuium, natura non occupatur in purgatione materiæ quæ eſt in pulmonibus: quæ ſi retineatur, ſuffocabit ægrum.

## SCHOLIA.

*Emetos hic, vt & Apho. 8. lib. 6. ſect. 2. coac. multiſque aliis in locis ab Hippocrate, vſurpatur pro larga ſanguinis reiectione è pulmonibus. Perpetuum autem non eſt, vt ex mul-*

ta ſanguinis reiectione è pulmonibus, tabes ſequatur, & puris ſpuitio. Noui enim, quibus iam à multis annis ſanguis multus interdum tußi reiicitur, nec inde emaciantur, ſtatim adhibitis auxiliis, quæ ſanguinem retineant, venam aſtringant, febrem atque inflammationem prohibeant. Ergo in eiuſmodi expuitionibus largis apertis vaſis aſtringentia, ruptis glutinantia, exeſis ſarcotica, & boni ſucci alimenta ſtatim adhibenda ſunt. Deplenda plenitudo, expurgandum vitium, ſiſtenda fluxio, temperandus humor, omnia quidem prius quàm vel febris, vel inflammatio, vel denique vlcus purulentum exiſtat, alioquin tabes ſuboritur. Scribit Galenus ſe vidiſſe illata in cauum thoracẽ vulnera tribus diebus conglutinata, priuſquam inflammatio oboriretur largo ſanguine effuſo, & vt par eſt per tußim quoque reiecto. Cuidam in palaſtra accepta graui plaga duæ heminæ ſanguinis ſtatim reiectæ tußi, qui adhibitis iuſtis auxiliis ſecta protinus vena conualuit. A tabe fluxio de capite augetur: quòd non ſolum pulmones ab vlcere imbecilliores facti ſunt, indeque magis oportuni excipiendæ fluxioni è capite: ſed & cerebrum vnde manat fluxio in pulmones eoſdem exulcerans congerendis excrementis magis ob noxium reddatur, ob cachexiam in eo contractam à prauis humoribus tetriſque vaporibus aßiduè in cerebrum exhalantibus. A fluxione capitis alui profluuium ſæpe ſuboritur in tabe, ſalutare quidem ſi initio morbi appareat, quòd eius praui humoris à capite in pulmones defluentis portio aliò diuertatur, & in ventrem illabatur, ſuoque morſu ventrem perturbet, vnde pulmones non tanta eius copia irritantur. Quod ſi ab alui profluuio vires, in quarum robore tota tabidorum ſpes ſita eſt, ita proſternantur vt pus amplius expurgari nequeat, in propinquo mors eſt, retentum enim ſputum purulentum, ſtrangulationem adferet.

## APHOR. LXXV.

Ὁκοῖα καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὴν κύστιν, τοῖσι κατὰ τὴν κοιλίην ὑποχωρεῖ, καὶ ἐν τοῖσι κατὰ τὰς σάρκας, καὶ ἤν πῃ ἄλλῃ τῆς φύσιος ἐκβαίνῃ τὸ σῶμα. ἢν ὀλίγον, ὀλίγη ἡ νοῦσος γίνεται. ἢν δὲ πουλὺ, πολλὴ ἢν πάνυ πουλὺ, θανάσιμον τὸ τοιοῦτον.

*Qualia quæ per urinas & aluum ſubeunt, & quæ per carnes abeunt, & ſi qua alia corpus à natura recedat ſpectare oportet. nam ſi parum, paruus morbus eſt, ſi multùm, magnus, ſi valde multùm iam tale fuerit pernicioſum.*

Oportet medicum conſiderare quæ excernuntur ſiue per veſicam ſiue per aluum, ſiue per ſudores & abſceſſus, ſiue quæ per carnes reſoluuntur. Si non multùm diſcedant ab eo quod eſt ſanorum, bono eſt. Sin multùm, malo. Reliqui Aphoriſmi ſunt adulterini, quare non oportuit in his explicandis oleum & operam perdere.

## SCHOLIA.

*Cum excrementa corporis aut affectarum partium aut peccantium humorum portio quædam ſint, aut ſaltem ex his deſectæ reliquiæ, quæ illorum ſit conſtitutio certò referunt, atque in demonſtratiuis ſignis primas tenent. Proinde horum qualitas, quantitas, excernendique modus diligenter à medico conſideranda, vt inde de magnitudine, multitudine, exitu, omni denique ſtatu morborum certum miniméque fallax medicus indicium ferat. Tria ſunt autem huiuſcemodi excrementa, veſicæ, alui & habitus corporis, nimirum vrinæ, fæces, & ſudores, quæ in ægrotis quò ſanorum excrementis magis ſimilia fuerint, eò meliora ac ſalubriora: quò magis diſsimilia, eò peiora ſunt iudicanda.*

Septimæ & vltimæ ſectionis Aphoriſmorum Hippocra. finis.

# SPVRIORVM APHORISMORVM HIPPOCRATIS LIBER VNVS, CEV SI MAVIS, LIBER Octauus Aphoriſmorum.

## *APHOR. I.*

ΟΚόσα ἂν κάτω ὠμὰ διαχορέῃ ὅτι χολῆς μελαινῆς ἔνεστιν, ἢν πλέω πλείων, ἢν ἐλάσσω ἐλάσσων ἡ, νοῦσος.

*QVæ cruda deorſum ſecedunt ab atra bile ſunt, ſi plura, maior, ſi pauciora, minor morbus eſt.*

## *SCHOLIA.*

*Crudus humor is dicitur, qui in iecore ac venis perfectam ſanguinis elaborationem non eſt aſſecutus, manſitque in maſſa ſanguinis velut ſemicoctus, qualis eſt pituitoſus humor. Talis autem humor, plurimus in corporibus melancholicis morbis laborantibus gignitur, quod melancholicus humor ſua frigiditate totum corpus, caloremque vitalem refrigeret: ſua craßitie coctionem aliorum humorum impediat, naturalemque œconomiam ſua peruicacia labefactet: Argumento eſt ipſa febris quartana, in cuius curatione frequens piperis, ſinapis, Zingiberis, cæterorumque acrium ac paulò calidiorum aromatum vſus à Galeno lib. 1. ad Glauconem præſcri-*

*bitur, vt inde melior fiat ciborum ac humorum coctio, omniſque cruditatis vitetur occaſio. videas enim ob cruditates multa ſymptomata ad morbos melancholicos conſequi, quales ſunt hydrops, inflatio, cachexia &c. Quòd ergo cruda, crudæque deiectiones in morbis melancholicis ſecedant, melancholicus humor in cauſa. Quo ergo plura cruda deiiciuntur, eo maior morbus: Quo pauciora, eo minor morbus expectandus. materia enim copia, morbi arguit magnitudinem. Sic enim inter melancholicos grauius ægrotant, qui multùm ſpuunt, quàm qui parum.*

## *APHOR. II.*

Ὀκόσοι ὑπὲρ τὰ τεσσαράκοντα ἔτεα. φρενιτικοὶ γίνονται. οὐ πάνυ τι ὑγιάζονται ἧσσον γὰρ κινδυνεύουσιν οἷσιν ἂν οἰκείῃ τῆς φύσιος, καὶ τῆς ἡλικίης ἡ νοῦσος ᾖ.

*QVicunque ſupra quadraginta annos fiunt phrenitici, non ita valdè ſani fiunt. minus enim periclitantur quorum naturæ & ætati morbus fuerit affinis.*

## *SCHOLIA.*

*PHrenitis eſt inflammatio membranarum cerebri ad cerebri ſubſtantiam peruadens, febrem acutam & mentis perturbationem adferens. Hæc, cum à ſanguinis copia, aut à bile flaua, aut à bilioſo humore vsto & in atrum verſo fiat, minus periculoſa eſt in temperamento & ætate ſua cauſæ ſimili, quàm in diſsimili, & ætate & temperamento. Si ergo inuadat eos, qui conſtante, media, & declinante ætate ſunt conſtituti, oportet cauſam adfuiſſe vehementem huiuſce inuaſionis: ac proinde vehementem admodum ac magnum morbum factum. Tam vehemens autem morbus, non poteſt non eſſe periculoſus ſiue ſæuitiam ſymptomatum ſpectes, ſiue virium imbecillitatem,*

*ſiue curandi difficultatem: in his enim qui quadrageſimum ætatis annum exceſſerunt, iam incipit calor natiuus, unde virium robur, labaſcere: cerebrum paulo frigidius ac ſiccius, infirmiuſque reddi, mentis functiones defatigari: Quo fit, ut noxa quæ cerebro functionibuſque animalibus in ea ætate inducitur, vix ac ne vix quidem deleri poßit, ſed commoriatur.*

## APHOR. III.

Ὁκόσοισιν ἐν τῇσιν ἀῤῥωςίῃσιν οἱ ὀφθαλμοὶ κατὰ προαίρεσιν δακρύουσιν, ἀγαθόν. ὁκόσοισι δὲ ἄνευ προαιρέσιος, κακόν.

*QVibuſcunque in morbis oculi illacrymantur ex voluntate, bonum. Quibus vero citra voluntatem, malum.*

## SCHOLIA.

*LAcryma eſt humor diſtillans ex oculis, non in oculis genitus, ſed à cerebro in oculos delabens, eóſque humectans, ne nimio motu exiccati deteriores euadant: ad quem humorem excipiendum ac continendum in ſingulis oculis quatuor efformatæ ſunt glandulæ, in vtroque ſcilicet angulo geminæ, vnam infrà, alteram vero ſupra. Cauſæ autem coniunctæ ac continentes diſtillantis huiuſce humoris ex oculis, ſunt dilatatio aut compreßio vehemens harum glandularum, meatuum ac venarum ipſius oculi. Antecedentes vero plurimæ: nimius mœror, nimia lætitia, fumus, acrium odor, vehementes animi perturbationes &c. Dolor, triſtitia, commiſeratio, mœror, excitant lacrymas, refrigerando, atque aſtringendo meatus, ac glandulas oculorum, atque inde exprimendo humorem quem illæ continent. Lætitia, ex dilatatione ac laxitate meatuum ac glandularum humorem effundit, in naturis præſertim humidioribus ac rarioribus: nam quicunque arctioribus conſtant meatibus lacrymam*

*neutra de causa mittere conſueuerunt. Similiter fumus, allia & reliqua acria oculos mordentia, eum humorem eliciunt. Sed præterea in animi affectionibus ac perturbationibus quidam motus ſpirituum fiunt, à quibus quoque humores commouentur & diffluunt, tanta aliquando copia vt iis excipiendis oculi non ſufficiant, ſed per nares etiam decurrant iis qui flent vehementius. Atque hæ quidem lacrymæ ἑκούσιαι, hoc eſt, ſpontaneæ dicuntur, quaſi nobis volentibus obortæ, etiamſi vis & cauſa præter naturam expreſſerit. Sic enim vocantur quæ à cauſa externa manifeſtaque fiunt. Aliæ vero dicuntur ἀκούσιαι, id eſt, inuitæ, ad aliarum differentiam, vt quæ per morbos fiũt, idque tres ob cauſſas vt docet Gal. 6. Epid. & 1. progn. Prima eſt, ob morbos ipſorum oculorum, veluti per lippitudinem, aut palpebrarum aſpredinem, aut alium affectum oculi. Secũda, ob fluxionem à capite decumbentem, multitudine vel qualitate humiditatum à natura excitatam. Tertia, ob imbecillitatem retentricis facultatis. quas omnes malas tum hîc tum lib. 1. progn. Hippo. pronunciauit. quanquam primis duabus cauſſis obortæ lacrymæ præter voluntatem, non ſemper malæ, quinetiam interdum non inutiles. nam circa ſtatum morbi præcedentibus ſignis coctionis pertubationem criticam adeſſe oſtendunt, & hæmorrhagiam potiſſimùm denunciant. Sæpe etiam per morborum initia ex vomitione violenta, aut Ophthalmia, vel antiqua deſtillatione lacrymæ effluunt citra graue periculum. Deteriores multò ſunt in vehementi phrenitide, vt in Dealcis vxore, ſanie tenui ex inflammato cerebro in oculos redundante. Omnium exitioſiſſimæ ſunt, in acutis quæ effluunt nolentibus, reſoluta & extincta retentrice facultate, inſita ipſius oculi ſubſtantia, carunculis contabefactis quas oculorum angulis natura obduxit, quaſi præſidia quædam arcendis lacrymis, reſolutiſque muſculis oculorum, haud ſecus atque reſoluto ſphinctere vrina & fæces nobis inuitis exeunt.*

APHOR.

## APHOR. IIII.

OKόσοισιν ἐν τοῖσι πυρετοῖσι τεταρταίοισιν ἐοῦσιν, αἷμα ἐκ τῶν ῥινῶν ῥυῆ πονηρόν.

*QVibus in febribus quartanis ſanguis ex naribus fluxerit, malum eſt.*

## SCHOLIA.

*FEbris quartana ſiue continua ſiue intermittens, ex melancholia putri gignitur. Hæc autem melancholia putris quadruplex eſt: ex cuius ſpecie quadruplici, quatuor febris quartanæ differentiæ naſcuntur. vna, ex ſucco melancholico. Altera, ex bile flaua in atram exuſtione conuerſa. Tertia, ex ſucco melancholico aduſto. Quarta, ex pituita, aut ſanguine peruſto, qui dum à forti cauſſa exiccantur, vel exuſtione incinerantur in humorem melancholicum tranſeunt; id docet commutatio febrium erraticarum & quotidianarum in quartanam. Sanguinis fluxus in nulla ſpecie quartanæ ſalutaris criſis eſſe poteſt, quin potiùs exitialis. nam ſi habeatur ratio materiæ quartanam committentis, melancholicus humor quia craſſus, terreſtris, grauis, contumax & piger eſt admodum ad motum, vbi euictus ac concoctus eſt à natura, deorſum non ſurſum viam affectat: multominus ante coctionem viam affectabit ad ſuperiora. Si ergo nondum concocto, aut iam concocto humore in febre quartana fluxus ſanguinis è naribus erumpat, ſiue parcus, ſiue liberalis, is non in bonis habendus. quòd ſanguis ille qui per nares effluit, melancholicus non ſit, ſed tenuis ac calidus: qui potiùs vi retentrice debili, quàm expultrice robuſta ſurſum euehitur. Vnde virium iactura ſuboritur, & humor melancholicus totus relinquitur, iſque multò crudior ac craſſior quàm antea, ſubſtracto nimirum eo ſanguine tenui & calido, qui eius frigus, ſiccitatem, & craßitiem temperabat,*

*& à quo ſolo concoqui poterat motus quoque ad ſuperiora aduerſatur penitus motui, quem natura molitur in excernendis morbis melancholicis, qui omnes ex Hippocra. vel per aluum, vel per abſceſſus ad inferiores partes ſoluuntur, neque vllum leuamen febri quartanæ ab hoc fluore ſanguinis per nares accedere poteſt, quinpotius damnum non leue, quòd inde totus corporis habitus frigidior reddatur, alioquin ſatis frigidus ab humore melancholico in eo dominante.*

## APHOR. V.

Ἱδρῶτες ἐν τῇσι κρισίμοισιν ἡμέρῃσι γινόμενοι σφοδροὶ καὶ ταχέες, ἐπικίνδυνοι· οἱ ὠθούμενοι ἐκ τοῦ μετώπου, ὥσπερ σταλαγμοὶ καὶ κρουνοὶ, καὶ ψυχροὶ σφόδρα καὶ πολλοί, ἀνάγκη γὰρ τὸν τοιοῦτον ἱδρῶτα, πορεύεσθαι μετὰ βίης, καὶ πόνου ὑπερβολῆς, καὶ ἐκθλίψιος πολυχρονίου.

*SVdores in diebus indicatoriis oborientes, vehementes & veloces, periculoſi ſunt. Qui expelluntur ex fronte velut guttæ & aquæ ſalientes: Et frigidi valdè ac multi: neceſſe enim eſt talem ſudorem prodire cum violentia & doloris exceſſu ac expreſſione diuturna.*

## SCHOLIA.

*TRes hîc notantur ſudorum differentiæ periculoſæ, vehementes, & veloces in diebus criticis erumpentes. Expulſi à fronte velut guttæ & aquæ ſalientes. valde frigidi & multi. De quibus etiam in prognoſticis & coacis fit mentio. Sudores vehementes & veloces ideo ſunt periculoſi, quia non ſolùm indicant caloris præter naturam magnitudinem & vehementiam: ſed & virium imbecillitatem adferunt. Quæ enim repente, vehementer velociter ac immodicè corpus noſtrum eua-*

*cuant, vires planè deiiciunt: natura enim repentinas ac ſubitas mutationes tolerare non poteſt: Sic Hippocra. Aphoriſm. 36. ſect. 2. lib. 4. coac. Sudores ſiquidem paulatim fiant, iuuant. Qui verò ſubitò affatimque fiunt, nocent. licet multis in locis laudet excretionem vrinæ, quæ confertim & repente prodit, forſan, quòd per vrinas craſſa & viſcida exeant: per ſudores tenuia excrementa & cum illis multum ſpirituoſæ ſubſtantiæ effluat. Quò fit, vt in prògnoſticis ſudores laudet Hippocra. qui aliquantulum remittunt morbum, licet perfectè non indicent, quique leuationem adferunt, quanquam morbum non tollant. Quoties enim criſis cum vehementi certamine incidit, ſudor multus aut necat aut liberat: cum mediocri verò pugna accedens, materia videlicet non vehementer irrante naturam, neque facultate vniuerſæ vacuationi ſufficiente, concoctam paulatim materiam, paulatim & per vices excernit. Additur, in diebus criticis, quia dies criticus non impedit, quin ſudor, qui affatim repentéque factus vires proſternit, fit malus ac periculoſus. non enim dies criticus bonam facit criſim, ſed vi quadam occulta, quæ criſis bona eſt meliorem facit ac velut cohoneſtat. Sunt quoque periculoſi ſudores, qui expelluntur à fronte velut guttæ & aquæ ſalientes, quia indicant copioſam materiam in capite contineri, à qua facultas animalis opprimitur: aut in acutis morbis indicant facultatis animalis imbecillitatem, quæ partes ſuperiores per halitum digeri ac diſsipari patitur. Periculoſi quoque ſudores frigidi ac multi: frigidi, quia reſolutionem caloris natiui eiuſque extinctionem, vel copia pituitæ & materiæ frigidæ oppreſſam naturam indicant: multi verò, quia multitudinem materiæ, cui ferendæ ſubſiſtere non poteſt, natura, ſed ei tandem ſuccumbet.*

## APHOR. VI.

ΕΠὶ χρονίῳ νοσήματι κοιλίης καταφορὴ, κακόν.

*Ex morbo diuturno alui deſluxus, malum.*

## SCHOLIA.

*Alui profluuium, ſiue morbum aliquem committat diuturnum, ſiue ſuperueniat morbo diuturno, malum eſt: ſignificat enim labefactatam admodum œconomiam naturalem, totiuſque corporis extenuationem ac langorem: quòd nihil de alimento retineat, in ſuique alimoniam conuertat, ſed totum ſinat per aluum elabi. Cùm enim in morbis diuturnis vires ſint omni arte ſuſtinendæ, quò diutius ſubſiſtant morbique longitudinem facilius ferant, eas iam morbi diuturnitate fractas alui profluuium penitus labefactat. Diuturni autem morbi duplices ſunt. Alij, ex ſua natura, qualis eſt febris quartana, Paralyſis omneſque morbi frigidi ac melancholici, aut frigidas partes obſidentes, hos Hippocra. libro de morbis* μακροὺς *appellat: Alij, longi caſu & ex euentu, quales ſunt illi morbi, qui breues quidem ex ſe & ex natura tum cauſæ tum partis quam obſident, eſſe conſueuerunt: errore tamen vel in victus lege, vel ab aßidentibus, aut medico commiſſo, vel à ſuperuenientibus ſymptomatis diuturni, euadunt: Hos* χρονίους *vocare conſueuit Hippocra.* καταφορὴ *non leuem alui fluxum, ſed vehementem ac concitatum ſignificat, quoties impetu maximo, & ſine quiete natura emittit excrementa ceu per aluum, ceu per alia loca. Quidam per* καταφορὴν *concidentiam ac degrauationem intelligunt: Sicque hunc Aphor. interpretantur. Ex diuturno morbo, ventris inferioris, partiumque ad*

ventrem inferiorem attinentium depreſsio ac concidentia, malum. quia denotatur calor imbecillus in his partibus, à quo nec proba coctio, neque ſanguificatio fieri poteſt, vnde vix vnquam ægri conualeſcere poterunt.

## APHOR. VII.

ΕΝ τῷ ληθάργῳ τρόμος, κακόν.

IN lethargo tremor, malùm.

## SCHOLIA.

QVid eſſet lethargus ſupra dictum eſt. Scribit Galenus nullum motum præter naturam in lethargo fieri, neque conuulſiuum, neque palpitantem, neque tremulum niſi per accidens: Proinde ſi tremor incidat, is erit ab oppreſsione & materiæ decubitu in neruos: aut, ab infirmitate ex anteacta reſolutione per validam ægrotationem: aut à cauſa externa, vt fame, laſsitudine, vigilus, curis. Is autem tremor maximè manus afficit in lethargo, quia (inquit Aurelianus) cum proiectis manibus ſupini iaceant lethargici, motus, ſaltus, tremor, conuulſio ea parte magis ſe produnt, vide Aphor. 26. ſect. 1. lib. 4 coac.

## APHOR. VIII.

ΟΚόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται, ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται, ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα.

QVæcunque non ſanant medicamenta, ea ferrum ſanat: quæ ferrum non ſanat, ea ignis ſanat: quæ ignis non ſanat, ea incurabilia putare oportet.

## SCHOLIA.

TRia ſunt medici inſtrumenta ( ait Hippocra. lib. de ornatu medici ) uictus ratio, medicamentum & manus operatio. victus ratio omnibus morbis curandis eſt communis ac neceſſaria: Reliqua duo non ſemper: nam multi morbi ſolius naturæ opera & diæta curantur. Quos autem natura & diæta curare omnino morbos non poteſt, tum medicamentis aut chirurgia aut vtroque auxilij genere opus eſt: medicamentis quidem variis pro ſpecie ac magnitudine affectus: chirurgia, ſi quando nihil medicamentis proficiatur. Chirurgica autem operatio, (quæ triplex eſt, coniunctio, diuiſio, extractio) variis inſtrumentis obitur, pro varia ægrotantis, partis affectæ & morbi natura. Potiſsima hæc inſtrumenta ex ferro, aut ære, aut chalibe, aut argento, aut plumbo, aut auro fiunt, præſertim verò ex ferro, quòd magis quàm cætera metalla quæ facilè liqueſcunt, igneſcat, atque ob id celerius & potentius vrat. Hîc ferri nomine intelligenda ſunt ea inſtrumenta quorum opera, quod corruptum eſt in corpore ſeparatur, ac aufertur, qualia ſunt, aqua hydropicorum, pus in empyemate, lapis in veſica, ſtrumæ, nebula in oculo, hernia, carcinoma, lupiæ, pars aliqua quæ reliquo corpori coniugi nec vniri poteſt, aut quæ in necroſin incidit, aut quæ ſuperflua eſt. Quòd ſi alia remedia vel intemperiem emendare, vel excrementitias, & malignas humiditates vacuare & conſumere non potuerunt, aut non ſolùm auferre quod corruptum eſt, aut ſuperfluum, ſed & vicinas circumiacentes partes emendare, temperare, & à ſanguinis fluxu, alioue incommodo tueri oporteat, ad ignem confugiendum eſt, non temere tamen, ſed vbi extrema vrget neceſsitas, & cætera nihil proſunt: Ignis enim actio præterquàm quòd

*regi ac coerceri facilè non poteſt, inimicus quoque plurimum eſt neruis, vt ait Hippocra. lib. de articu. Ob id Galenus comm. in Aphoriſ. 5. ſectio. 6. libr. 6. Epid. vſtionem non niſi in magnis affectibus ob multam cachiomiam, vt in malignis vlceribus vſurpandam ſuadet. Hîc ergo ignis nomine, omne vſtionis genus intelligendum. Ignis ipſe, aut quòd ignem vel igneam qualitatem actu habet. vt ignitum ferramentum: lignum, fungus, radix, ſulphur, ignita aqua, oleum, butyrum, feruentia vel poteſtate, vt cauſticum medicamentum, quale eſt cauterium potentiale vulgò nominatum, oleum cauſticum quale eſt vitrioli, aqua cauſtica, aqua ſeparationis nominata, capitellum & cætera pyrotica, de quibus vide noſtri Gormeleni opus chirurgicum.*

## *APHOR. IX.*

Γλῶσσα μελαίνη καὶ αἱματώδης, εἰ τί τῶν τοιούτων σημείων ἀπείη, μὴ σφόδρα κακόν. δηλοῖ γὰρ νοῦσον σμικροτέρην.

*Lingua nigra atque cruenta, cùm quid horum ſignorum abeſt, malum validum non eſt: morbum enim imbecilliorem ſignificat.*

## *SCHOLIA.*

*Non ſolùm in acutis, ſed & diuturnis morbis ex lingua præſagium peti poteſt: lingua enim (inquit Hippocr. 6. Epid.) vincenti materiæ aut coniunctæ concolor eſt: hinc de hu-*

moribus iudicium facimus, quòd ea humorum ſerum indicet. viridis enim, à bile: rubra, à ſanguine: nigra, ab atra bile: alba, à pituita: valde arida, à fuliginoſa exuſtione, colorem accipit: eo quidem promptius quòd flaccida ſit & mollis cum vaſorum amplitudine, quibus inſtar lanæ aut ſpongiæ ſeroſos humores combibit & ex aliis partibus in ſe excipit: inditio eſt, quòd facilimè intigitur potu, cibo & medicamento. Lingua autem valdè nigra omnium peßimi eſt iudicij, quòd ea indicet incendium à bile rubra in interno corpore conceptum, qualis cernitur in vrente febre, quæ veluti ignis ſanguinem exurens fumo magis quàm vapori ſimilem redit euaporationem. Rubra lingua minus periculoſa eſt nigra, quòd ea à ſero ſanguinis fiat, ſerum autem ſanguinis minus acre eſt, quàm ſerum atræ bilis. Si ergo lingua in febribus nigra quidem & rubra ſit: ſed non multùm, febrem mitem minimeque periculoſam arguit.

## APHOR. X.

Ὄρχις δέξιος ψυχρὸς καὶ ἀνεσπασμένος, θανατῶδες.

TEſtis dexter frigidus conuulſuſque, lethale eſt.

## SCHOLIA.

EX teſtibus, qui melioris ac ſalubrioris vitæ ſunt opifices, licet partes non planè principes, in morbis ſalutis aut mortis præſagium deſumitur. Hi enim quia maximum habent conſenſum cum partibus principibus, cerebro quidem, per neruos & per ſubſtantiæ ſimilitudinem: corde, per arterias inſignes: Hepate, per venas, quadantenus etiam cum thorace, his partibus

*malè affectis condoleſcunt ac facile compatiuntur teſtes. Teſtis ergo dexter, qui ſiniſtro calidior eſt, ob eam quam cum hepate vicinitatē habet, ſi frigidus fuerit: quòd ad ipſum à corde neque calor vitalis cum multo ſpiritu ac flatu per inſignes arterias perueniunt: neque ſanguis per venas etiam inſignes ab hepate tranſmittatur, lethale. Indicium enim eſt facultatis vitalis emorientis, quæ cùm ampliùs ad extremas partes extendi non poßit, perturbata ſe ad ſuum principium recipit. Hepar quoque quicquid ſanguinis teſtibus aliiſque partibus ineſt ad ſe reuocat. Teſtis item dexter reuulſus ac contractus, lethale. Teſtes enim cùm ob vitalem ſpiritum & flatum plurimum, quem per arterias à corde, & ſanguinem quem ab hepate excipiunt, turgere ſoleant, ſi contrahantur: vel propter vehementiſsimos dolores alicuius partis principis: vel, ob facultatis vitalis ad ſuum principium recurſum: vel ob Conuulſionem contrahuntur. Propter dolores quidem, quia dum ſpiritus ſubſidij cauſa, verſus partem dolentem, vt Cerebrum, thoracem, vel aliam partem nobilem in ſeipſos ſe contrahūtur, ſecum etiam partes illas rapiunt vnde retrahuntur. In dolore enim omnia contrahuntur, eóque magis quò atrocior dolor eſt. Propter facultatis vitalis recurſum ad cor, quia dum illa emoritur, non poteſt ad extremas corporis partes amplius extendi, ob id perturbata quicquid ſupereſt caloris ac ſpirituū ad ſuū principium recipit hoc intrò recurrente, ſimul quoque ipſæ partes comitantur & vnà in ſuam originē recurrunt: aut ſanè non recurrit calor ac ſpiritus ad ſuum principium, ſed quia ab influente cordis calore iam emoriente non amplius illuſtratur ac fouetur, marceſcit & ad extinctionem properat, vnde flacceſcunt partes extremæ. Propter conuulſionem in morbis capitis, in quibus nerui ad ſuam originem retrahuntur. Sic enim dolente capite, inquit Hippocrates Aphoriſm. 15. libr. 5. ſection. prima Coacis teſtes ac pudendum contrahi ſolent: In ardentibus etiam*

ſebribus cũ muſculi Cremaſteres à quibus teſtes appenſi ſunt, & alij qui præſunt motui pudendi atque excretioni ſeminis præ ſiccitate immodica exareſcũt. Quocunque igitur modo contrahantur teſtes, ſiue ob dolorem, ſiue ob conuulſionem, ſiue ob emorientem facultatem vitalem, lethale eſt. Manifeſtior autem & facilior eſt contractio in his ob rugas, quibus à natura donantur ad dilatationem & tenſionem. Addunt quidam in morbis infra ſeptum tranſuerſum lethale eſſe, ſi loculi teſtium flacceſcant & elangueſcant. Ex eo enim ſignificari facultates naturales concidiſſe, omneſque vitales ſpiritus qui vitam faciunt eſſe collapſos. In conualeſcentibus corrugatos eſſe debere, pudendumque rigidulum, quaſi reuiuiſcat, & ad obeundas functiones denuò accingatur.

## APHOR. XI.

ΟΙ ὄνυχες μέλανοι, καὶ οἱ δάκτυλοι τῶν χειρῶν καὶ ποδῶν ψύχροι, συνεσταλμένοι ἢ καθειμένοι, πλησίον ὁ θάνατος.

VNgues nigri, & digiti manuum ac pedum frigidi, contracti vel demiſſi, mortem proximam denunciant.

## SCHOLIA.

FAcultas vitalis emoriens quum amplius ad extremas partes extendi non poteſt, perturbata ſe ad ſuum principium recipit. Partes quoque principes inopes caloris, ſpiritus, & ſanguinis, quicquid anteà impertiebant reliquis, ad ſe reuocant. Hæ verò neceſſariò vna cum calore & ſanguine intrò ſe referunt, & mediis corporis partibus quaſi opem requirentibus

*adiunguntur. Quò ſit vt in magno vitalis facultatis lapſu, ab extimis partibus, primùm totius corporis incipiat interitus, tanquam à partibus longiſſimè à principio vitæ diſtantibus. Parteſque extimæ calore vitali deſtitutæ nigreſcant aut liueſcant ob natiui caloris intrò reuocationem eiuſdemque extinctionem in ſuo fonte: Et conuellantur ac contrahantur ſurſum, conuulſione ab inanitione ſpirituum & caloris vitalis: quia facultas vitalis ſeſe intrò recipiens, vnà ſecum partes corporis retrahit: primùm quidem partibus principibus vicinas, deinde medias, tandem extremas, quæ ad medias ſe adiungunt, vt mox dictum eſt. Iſta autem partium extremarum frigiditas ac contractio imprimis inuadit vngues deinde labia, genas, & pedes: vngues quidem ob naturalem ipſarum conſtructionem, venis multis atque arteriis ad ipſos terminatis. Cùm itaque vngues principalium membrorum propagines excipiant, cùm liueſcunt aut nigreſcunt, magnã vim habebunt ad ſignificandã inconſtantiam facultatum ipſorum: licet vnguium caloris permutatio nullam vim habeat in genere cauſſæ ad ſalutem aut mortem: Proinde vnguium frigus aut contractio certiſſimum eſt exitij ſignum.*

## APHOR. XII.

TA' χεῖλη βλέφαρα, διάλυθῆ, ἀνεστράμμενα, θανατώδεες.

L*abra liuida, reſoluta, inuerſa, & frigida ſi ſint, lethale.*

## SCHOLIA.

L*abra liuida, ob extinctionem caloris: & frigida, ob eãdem cauſam, lethale eſt in morbis acutis, non quidem ſimpliciter*

lethale, ſed plane lethale. Sic enim lib. 2. Coac. ἰσχνὸς ὁ ... ſcribitur in propinquo mors eſt: Inditium enim eſt emorientis facultatis naturalis quæ viuidum colorem in labris parit, & facultatis vitalis quæ calorem illis impertitur. Reſoluta verò labra aut peruerſa, non æquè lethale etiam in morbis acutis: quòd labra reſolui ac peruerti poßint valida exiſtẽte virtute in vomitione, in Criſi inſtante, in vermiũ affectu citra vllũ mortis periculũ, motu nimirũ materiæ ſurſum, conſentiẽte ſtomacho & ventriculo quæ tunicã habent continuã, ad vtrunque labrũ, potißimum inferius, protenſam: verum in ſumma virium imbecillitate cum febre aßidua, in inflammationibus Cerebri & neruorum. in ſiccitate aut refrigeratione nimia eiuſdem Cerebri & neruorum, planè pernicioſa ſunt labrorum peruerſiones, aut reſolutiones, maximè verò ſi ad eas accedat auditus, viſus, loquendique impotentia, indicium enim eſt emarceſcere animalem facultatem quæ ſenſum facit, ſpiritumque euaneſcere, qui ad ſenſum partibus influit: ac proinde ſummam ſubeſſe inanitionem, quæ planè lethalis eſt, vt in Cherione tertio Epid. Vtrum autem peruertatur labrum à contentis in ventriculo acribus humoribus, an à vermibus, an ab affecto Cerebro, his ſignis diſtinguendum. Primo modo tenue ſputum coniunctum eſt, quo os in vomituris aßiduè plenum eſt: Secundo modo, καρδιωγμὸς id eſt morſus ventriculi vrget: Tertio, grauißima alia ſymptomata adſunt.

## APHOR. XIII.

TA ὦτα ψυχρὰ, διαφανέα, συνεσαλμένα θανατώδεά εἰσι.

AVres frigidæ pellucidæ, contractæ lethales ſunt.

AVres cartilagineæ, quia pauco ſanguine præditæ ſunt, frigidę ſunt ſuo temperamento : vt mirum videri poſſit, quod Ariſt. aures calidiſſimas ſcripſerit hoc vno argumento, quòd rubro colore effloreſcant. Vbi ergo vi morbi calor natiuus paulatim extinguitur, partes quæ ſunt frigidæ in corpore refrigeſcunt, eorum calore qui paucus eſt ad fontem & principium. Vnde deducitur, quaſi ad arcem confugiente. Eædem aures orbatæ ſpiritu, contrahuntur : hic enim calorem ſequitur & calore diſſoluto ſpiritus quoque diſſoluitur. Ab vtroque enim partes omnes corporis vegetiores & viuaciores exiſtunt. Contrahuntur autem primum frigore : vt enim calor elaxat & explicat, ita frigus cogit atque contrahit : deinde pauco humore exhauſto ardore febris & colliquatione, id quod & molliori auriculæ ea ratione accidit, vt vult Caſſius. Reuulſis quoque neruis ad ſuum principium idem accidit. Pellucidæ autem aures fiunt, colliquata earum carne ab incendio febrili : tum enim ſpiramentis factis laxioribus, facilè per eas permeat ſpiritus, tum qui ab oculis vibratur, tum qui aër appellatur. Corpus etenim tranſparens ac pellucidum ita comparatum eſſe oportet, vt liberis viis & ſpiraculis lumen facilè concipiat, facilè tranſmittat, & ſpiritum emiſſum ex oculis facilè concipiat. Hinc admodum emaciatos & colliquatos veteri prouerbio dicimus laterna magis pellucidos.

## APHOR. XIIII.

Ῥὶς ὀξεῖα, κρόταφοι ξυμπεπτωκότες, τὸ δέρμα σκληρὸν, καὶ χρῶμα ὤχρον, ἢ μέλαν, θανάσιμον.

*Acutæ nares collapſa tempora, cutis arida, color pallidus aut niger, lethale.*

## SCHOLIA.

*Narium pumæ tenuibus muſculis teguntur qui à malis obliquè deſcendunt. Iis paucus eſt ſanguis, pauca humiditas quæ facilè in halitum diſsipatur, ex quo contidunt pumæ & tenuis graciliſque naſus extrema parte oſtenditur. Lethale quoque ſignum eſt ſi quis per morbum vellicet nares, niſi id à conſuetudine, aut ſalſa diſtillatione in nares, aut à vermibus, aut pilo longiore accidat, aut niſi ſanguinis profluuium immineat. Hæc ſi excludas, delirium portenditur, & malo eſt. Sæpius quoque emungere nares citra occaſionem, vt plurimùm, ſignum eſt inſaniæ. Tempora paruo tenuique muſculo conteguntur, hic in malignis febribus & ardentibus facilè contabeſcit. Spiritus autem inde facilius exhalat, quia ea pars, cùm multas venas habeat & arterias, rarior eſt. Ex iis ergo tempora facilè concidunt. Quo ſigno edito grauius malum portenditur, quia vicina illa ſunt Cerebro, cui venis & arteriis ac multò magis neruis magna ſocietate copulantur. Cutis arida, fit cùm materia tenuis acriſque medio corpore feruens, & calor igneus eodem loco concluſus, ſuccum vtilem abſumit, inſitumque calorem vnà corrumpit: à quibus æger omnino ſcabre fit. Id interdum longitudine febrium & abſceſſus interni contingit, non tam certo aut præſenti periculo, neque tamen ſine metu aut deſperatione. Eam ſcabritiem damnauit Hippocrates in progn. ſed in fronte in Epid. annotauit toto corpore, in Dealcis vxore, qua acuta febre & phrenitide 21. obiit. Item in adoleſcente in melibœa, quod alibi* δέρμα καρφαλέον καὶ περὶ τεταμένον *cutem aridam & circumtenſam, valde ſiccam: hîc* σκληρὸν *id eſt duram appellat. Color fit pallidus in moribundis, aut longo morbo confectis, ab-*

*ſumpto ſanguine, reſoluto ſpiritu, à quibus calor floridus eſt. Niger autem color rarius apparet, niſi præfocatis. Aſtrictis enim iugularibus venis & carotidibus arteriis, exprimitur ſanguis in faciem, vbi interceptus, nec liberè diffluens concreſcit & nigram faciem reddit. Alioqui niger color, vulgo terraceus dicitur, qualis exiſtit in nigra aurigine.*

## *FINIS COMMENTAriorum I. Hollerij, & Scholiorum I. Liebautij, in Aphoriſmos Hippocratis.*